SYNODORUM GENERALIUM, AC PROVINCIALIUM DECRETA, ET CANONES,

SCHOLIIS, NOTIS, AC HISTORICA ACTORUM DISSERTATIONE ILLUSTRATI,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprenſem, Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovanienſi Univerſitate Doctorem, ac Regium Primarium Profeſſorem.


PARS SEXTA.

OPERUM TOMUS SEXTUS,

Continens Synodos ac Decreta Sancti Gregorii ſeptimi.

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXVI.

Proſtant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

BX
890
L86
1724
t.6

LIBRARY
OCT 22 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

ILLUSTRISSIMO, NOBILISSIMO, AC AMPLISSIMO DOMINO,

D. PETRO ROOSE,

Equiti, Regi in Hiſpaniis ac Belgicis Provinciis à Conſiliis Status, Sanctiorіſque in Belgio Senatus Præſidi, Toparchæ de Han, Froidmont, Jemeppe, &c.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Gregorium ſeptimum Pontificem; verum ſui ſæculi Athanaſium, aut Joannem Chryſoſtomum, in ſacris Sanctorum tabulis Romana Eccleſia meritò titulat Acerrimum Eccleſiaſticæ Libertatis Propugnatorem ac Defenſorem. *Miſerandam, quam in ſui Apoſtolatus exordio invenit, Catholicæ Matris ſervitutem deſcribit ipſe Pontifex in litteris ad Sichardum Aquilejæ Patriarcham: (lib. 1. ep. 42.)* Non ignorare credimus Prudentiam tuam, quantis perturbationum fluctibus Eccleſia ſit uſquequaque concuſſa, & penè deſolationis ſuæ calamitatibus naufraga & ſubmerſa. Rectores enim & Principes hujus mundi, ſinguli quærentes quæ ſua ſunt, non quæ JESU-CHRISTI, omni reverentia conculcata, quaſi vilem Ancillam opprimunt, eamque confundere, dum cupiditates ſuas explere valeant, nullatenus pertimeſcunt. Sacerdotes autem, & qui Regimen Eccleſiæ accepiſſe videntur, legem Dei ferè penitùs poſtponentes, & officii ſui Debitum Deo & commiſſis ſibi ovibus ſubtrahentes, per Eccleſiaſticas dignitates ad mundanam gloriam nituntur, & quæ ſpeciali diſpenſatione multorum utilitatibus & ſaluti proficere debuiſſent, ea aut negligunt, aut infeliciter in pompa ſuperbiæ & ſuperfluis ſumptibus conſumunt. *Deteſtanda quorumdam Principum avaritia & ſacrilega in ſacras Electiones violentia atque Simonia inveſtiebat, ac intrudebat Antiſtites, de quibus ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum ſcripſit Magnus Gregorius:* Benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur. *Facinoris enormitatem inſigniter depinxit in litteris ad Raynaldum Andegavenſem Epiſcopum Goffredus Abbas Vindocinenſis, atque adjunxit:* Hac non tam humana, quàm diabolica malignitate Eccleſia Catholicam fidem, libertatem, & caſtitatem amittit, ſine quibus nulla ratione ſubſiſtit. Hæc enim tria ſemper Eccleſia habere debet: Quorum ſi vel unum defuerit, velut paralytica jacet. *Etiam in corporis caſtitate tantas tunc plagas ſufferebat, ac deflebat Latina Eccleſia, ut non tantùm Diaconi aut Presbyteri, ſed & ipſi Epiſcopi uxores palàm ducerent, & cum ipſis volutarentur. Adversùm has peſtes pro Catholica fide Athanaſium, pro Eccleſiaſtica diſciplina Joannem Chryſoſtomum egit ſeptimus Gregorius. Et quòd ipſas ex Latino orbe ad Infernum proſcripſerit, ac in hujus abyſſo ſepeliverit, atque ita mundum fecerit quaſi novum, demonſtrant hæc ejus Concilia. Nec ſolos hinc indè Duces aut Comites, ſed etiam Philippum Galliarum Regem, Henricum quartum Germaniæ Cæſarem, ac Nicephorum Botoniatem Imperatorem Conſtantinopolitanum compulit ſuis Sanctionibus obedire. Et pro his glorioſis actibus eamdem cum magno Athanaſio & Sancto Joanne Chryſoſtomo mercedem eſt à Domino conſecutus:* Centies tantùm cum perſecutionibus. *Etenim ab Ultrajectenſi, Wormatienſi, Moguntino, ac Brixinenſi malignantium Epiſcoporum ac Principum Latrociniis fuit lapidatus de bono opere, damnatus contumelioſiſſimè, ac degradatus. Hinc Hugo Flaviniacenſis Abbas ipſum in Virdunenſis Eccleſiæ Chronico rectè affirmat eſſe Martyrem. Etenim in libro de vera Religione ſcribit Sanctus Auguſtinus: (cap. 6.)* Sæpè ſinit Divina Providentia per nonnullas nimiùm turbulentas hominum carnalium ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam ſuam cùm patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, vel quanta ſinceritate charitatis ſit Deo ſerviendum: *Ejuſmodi Heroum virtutem deprædicat, & concludit:* Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. *Eoſdem laudat in quinto libro de Dei Civitate: (cap. 18.)* Si Furius Camillus etiam ingratam Patriam, à cujus cervicibus acerrimorum hoſtium Vejentium jugum depulerat, damnatuſque ab Æmulis fuerat, à Gallis iterùm liberavit, quia non habebat potiorem, ubi poſſet vivere glorioſiùs; cur extollatur velut grande aliquid fecerit, qui fortè in Eccleſia ab inimicis carnalibus graviſſimam exhonorationis paſſus injuriam, non ſe ad ejus hoſtes hæreticos tranſtulit, aut aliquam contra illam ipſe hæreſim condidit, ſed eam potiùs, quantùm valuit, ab hæreticorum pernicioſiſſima pravitate defendit, cùm alia non ſit, non ubi vivatur in hominum gloria, ſed ubi vita acquiratur æterna? *Eſt incruentum Martyrium, cruento longè acerbiùs. Juſtè enim ad Imperatorem Conſtantium exclamavit, iſtud Martyrium patiens Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis:* Utinam Omnipotens Deus illud potiùs ætati meæ & tempori præſtitiſſet, ut hoc Confeſſionis meæ in te miniſterium Neronianis, Decianiſvè temporibus explerem. *Eſt & longè glorioſius Martyrium. Etenim fratri ſuo Gregorio Nyſſæ Epiſcopo, ob iſtud ſuum Martyrium lamentanti, repoſuit Sancta Macrina:* Non deſines Divinorum beneficiorum immemor eſſe? Ingrati animi vitium non cohibebis? Non comparabis Parentum rationibus tuas? Atqui ſi quantum pertinet ad hanc vitam, ea re gloriamur, quod claro genere nati, & honeſtis orti Parentibus ſumus, Pater quidem illis temporibus & juvenis eatenus floruit, ut inter Cives & in Judiciis ejus gloria conſiſteret. Poſt autem ejus Eruditio quidem ſe longiùs extulit, fama tamen Pontum non eſt egreſſa. Satis enim illi fuit in Patria clarum eſſe. Tu autem civitatibus, populis, nationibus celebris es. Te ad ferendum auxilium, te ad res conſtituendas Eccleſiæ vocant & mittunt. Et Dei munus non

adſpi-

adſpicis? Nec talium bonorum cauſam agnoſcis? *Utique iniquas ab Arianis perſecutiones ac damnationes. Plurimorum grandium virorum virtutes ſola perſecutio toti orbi notificavit. Iſtius glorioſiſſimi Papæ & Martyris Gregorii, licet Dei Spiritu patenter condita & totius mundi Reverentia jam pridem conſecrata, Synodalia Acta etiamnum hodie duriſſimos ſuſtinent Adverſarios: Hinc te, Vir Illuſtriſſime, expoſtulant Defenſorem. Nec ſine fundamento. Ea quippe dignitate fulges, cui non ſolius Reipublicæ, ſed etiam Eccleſiæ libertatem & caſtitatem tuendam imponunt leges & Canones. Quem nos ſupremi Concilii Præſidem veneramur, Romana Reſpublica titulavit Prætorio Præfectum. Et ipſum Ammianus Marcellinus* omnium honorum apicem, *Evagrius Epiphanienſis* ſummum Magiſtratum, *Trebellius Pollio* eminentiſſimum Præfectum, *Aurelius Caſſiodorus* Imperii Patrem, *Magnus Pontifex Leo* ſublimiſſimam Poteſtatem, *Eunapius appellat* Imperium cui purpura deeſt. *Hiſce Præfectis, ex quo ipſos non amplius bellicis, ſed ſolis civilibus rebus præfulgere voluit, Magnus Conſtantinus omninò detulit etiam Eccleſiaſticæ libertatis & caſtitatis cuſtodiam atque tutelam. Tantam in Belgica ſeptemdecim Provinciarum Diœceſi Præfecturam immaculatis adeò manibus geſſiſti, ut de te, Vir Illuſtriſſime, fidenter dicam, quod de Parente ſuo ſcriptum reliquit Sanctus Gregorius Nazianzenus (Orat. 19.)* Juſtitiæ quod majus & illuſtrius exemplum adferri poteſt, quàm quod in magnis Reipublicæ muneribus verſatus, ne teruncio quidem ſuas facultates auxerit, idque cùm alios cerneret publicis bonis Briarei manus injicientes, & malis lucris turgentes? *Tu Briarei manus etiam compeſcuiſti, caſtigaſti, abſcidiſti. Germanè Chriſtianum, quod Sancto Ambroſio, Liguriæ ac Æmiliæ tunc Rectori, dedit Probus Italiæ Prætorio Præfectus, Mandatum tibi ipſi fixiſti atque expleſti:* Age, non ut Judex, ſed ut Epiſcopus. *Undè & ad Epiſcopales Infulas, immò & ad Eminentiſſimam Romanæ Eccleſiæ Purpuram vota publica Te cum eodem Ambroſio non ſemel poſtularunt. Laudatas Eccleſiæ ac Reipublicæ dotes tanta animi conſtantia tutatus es, ut te quam ipſas lædi malueris, & aliquid ſuſtinere eorum, quæ ab Imperatore Adriano Præfectum Tatianum fuiſſe paſſum refert Ælius Spartianus. Imitatus es Sanctum Ambroſium, de quo Paulinus Presbyter:* Ambroſius ingemiſcebat vehementer, cùm videret radicem omnium malorum avaritiam, quæ neque copia, neque inopia minui poteſt, magis magiſque creſcere in hominibus, & maximè in iis, qui in poteſtatibus erant conſtituti, qui omnia pretio diſtrahebant. Quæ res primò omne malum invexit Italiæ, & exindè omnia vergunt in peius. *Noveras Magni Gregorii verè Papales contra Sacerdotiorum nundinationem litteras ad Brunichildim Francorum Reginam:* Quia tantum facinus non ſolùm illis, *utique per munera promotis Antiſtitibus*, periculum, verùm etiam veſtro Regno ſatis eſt noxium, Paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. *Armaſti Belgium ſanctiſſima atque invicta optimi Imperatoris Martiani lege, de qua Michael Glycas:* Legem Martianus tulit, qua edixit, ne quis Magiſtratum per largitionem conſequi conaretur. *Et Imperatoris Juſtiniani, quem de ejuſdem à ſe latæ legis clandeſtina prævaricatione ridet in Arcana hiſtoria Procopius Cæſarienſis, deteſtandæ arti te fuiſſe hoſtem infenſiſſimum, plures ſuo malo ſunt experti. Venerabilem Cordubenſium Antiſtitem Hoſium, quòd in producto ultra catalogum, & plurimis pro Eccleſia & Republica laboribus fracto corpore plena vigeret anima, Abrahamicum Senem rectè appellavit & veneratus eſt Sanctus Athanaſius. Eſt rarum Dei donum. Iſtud ipſum tibi gratulantur hæc qualiacumque Scholia, & per ipſum à Divina Miſericordia diuturnum ſibi deprecantur Patrocinium.*

Dabam Lovanii, in Conventu Sancti Joannis Baptiſtæ, die 24. Octob. Anno Domini 1671.

ILLUSTRISSIMÆ AC AMPLISSIMÆ
VESTRÆ DIGNITATIS

minimus famulus,
Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

ORDO SYNODORUM,

Quarum Canones ac Capitula hoc ſexto tomo elucidantur.

Romana prima ſub Gregorio VII.	1	Romana ſeptima ſub eodem.	212
Romana ſecunda ſub eodem.	39	Romana octava ſub eodem.	327
Romana tertia ſub eodem.	49	Romana nona ſub eodem.	330
Romana quarta ſub eodem.	50	Romana decima & undecima.	335
Romana quinta ſub eodem.	64	Quintilinoburgenſis.	343
Romana ſexta ſub eodem.	147		

SYNODORUM
GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES, SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATI.

S.cti GREGORII VII. PRIMUM ROMANUM CONCILIUM.

GREGORIUM ſeptimum, licet Bennonis & Hugonis Blanci Romanorum Cardinalium, & plurium aliorum calumniis denigratum, fuiſſe virum longè ſanctiſſimum adfirmant, & magnis encomiis ornant Bertholdus Conſtantienſis Presbyter, Lambertus Monachus Schafnaburgenſis, Guilielmus Monachus Malmesberienſis, Otho Friſingenſis Epiſcopus, & alii plures graviſſimi Scriptores. Hinc meritò ſuis Sanctorum tabulis inſeruit Romana Eccleſia:
Maji 25. *Salerni depoſitio Beati Gregorii Papæ ſeptimi, Eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi.* Pro acerrima iſtius libertatis ac omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparatione eſt paſſus duriſſima, ac in exilio defunctus. De ejus creatione ſcribit in Piſcarienſis Cœnobii Chronico Joannes Berardi: *Alexandro Papa defuncto, Hildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium eſt ordinatus, Menſe Aprili, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo ſecundo.* Hinc & præſentem Synodum vult celebratam anno ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo tertio. At verò electionis Decretum diſertè aſſerit iſtam factam decimo Kalendas Maji, indictione & Luna undecima, anno milleſimo ſeptuageſimo tertio, adeoque hanc Synodum anno ſeptuageſimo quarto. Et litteræ, quibus Sichardum Aquilejæ Patriarcham, & cunctos Mediolanenſis Provinciæ Epiſcopos ad ipſam invitavit laudatus Pontifex, datæ ſunt menſe Februario, indictione duodecima, qui palàm fuit annus ſeptuageſimus quartus. Indicta fuit in primam proximæ Quadrageſimæ Do- Lib.1.Ep. 42. 43.
minicam. Et tunc fuiſſe celebratam affirmant etiam Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, ac Sigebertus Gemblacenſis. Non ſolius, quod laudatus Lambertus videtur innuere, fuit Italiæ, ſed totius Romani Patriarchatus. Hinc laudatæ ad Mediolanenſis Provinciæ Epiſcopos litteræ appellant generalem. Eodem modo titulat in Piſcarienſis Monaſterii Chronico Joannes Berardi. Adfuiſſe quinquaginta Epiſcopos, & Abbatum atque Clericorum multitudinem ſcribit in Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. A. 1074.

DECRETUM PRIMUM.

Acta Synodalia perierunt aut latent, ideoque ex variis hinc inde antiquis monumentis ſunt exquirenda. Primum itaque Decretum habemus in litteris laudati Pontificis ad Othonem Epiſcopum Conſtantienſem: *Hæc neceſſaria tibi ſcribenda fore arbitrati ſumus, nos juxta au-*

ctoritatem ſanctorum Patrum in Synodo dediſſe ſententiam, ut hi qui per Simoniacam hæreſim, hoc eſt, interventu pretii, ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum & officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant. Illi quoque qui Eccleſias datione pecuniæ obtinent, omninò eas perdant, nec deinceps vendere vel emere alicui liceat. Eadem Decreta laudat & enumerat Anonymus Gregorii Apologus, ac pergit: *Horum illud erat primum, ut Clerici aliquem ſacrorum Ordinum gradum, & officium per pretium adepti, nullatenus deinceps in Eccleſia miniſtrent. Secundum, ut Eccleſiam pretio acquiſitam nullus retineat. Nec alicui deinceps Eccleſiam vendere vel emere liceat.* Duplex fuit hujus Decreti Canon: Prior adverſum ſacri Ordinis, poſterior adverſus Simoniam Eccleſiaſticorum beneficiorum atque Officiorum. — Cap. 5.

Porrò per Sacros Ordines nequaquam ſoli Majores intelliguntur, ſed omninò etiam Minores. Abſit ut hoſce vendi aut emi Gregorius permiſerit. Lucet ex inſigni apud Hugonem Abbatem Flaviniacenſem oratione, qua Eccleſiaſticorum Ordinum venditionem ac emptionem graſſari in omni Imperio lamentatur apud Epiſcoporum ſuorum Synodum Henricus tertius Imperator, Patrem ſuum Conrardum Salicum ea de cauſa timet damnatum ad gehennas, hinc peſtem cum fame & barbaro Paganorum Hungarorum gladio graſſari affirmat, & concludit: *Quicumque veſtrum hac ſe macula pollutum agnoverit, oportet ut a ſacro Miniſterio arceatur. Omnes enim gradus Eccleſiaſtici a Maximo Pontifice uſque ad Oſtiarium opprimuntur per veſtræ damnationis præmium, & in cunctos ſpirituale graſſatur latrocinium.* Omnium precibus commendavit Patris ſui animam, & hoc promulgavit Edictum: *Ut nullus gradus vel Miniſterium Eccleſiaſticum pretio acquiratur, Et ſi quis attentarit, omni honore mulctetur. Sicut Deus Coronam Imperii mihi gratis dedit, ita ego quod ad Religionem pertinet gratis impendam. Volo ut & vos ſimiliter faciatis.* Graſſabatur tunc Regia Antiſtitum nominatio: Omni circa ipſam Simoniæ valedicit optimus Princeps, eidemque circa ſacras Ordinationes longè potiori jure valedici vult ab Epiſcopis. Utique ab Oſtiariatu, ipſaque Clericali tonſura uſque ad Pontificatum. Omnis ordo hominem Deo ac Divino Miniſterio conſecrat; ideoque eſt omninò ſacer. Hoc ſanctiſſimum Principis Edictum Canonibus & pœnis poſteà confirmarunt Leo nonus, Victor ſecundus, Stephanus decimus, ſecundus Nicolaus & Alexander: Et hic omninò etiam confirmat noſter Gregorius. — Fol. 187.

Per Eccleſias, quas vendi vetat aut emi, & Cathedrales, & Collegiatas, & Parochiales, & Capellas aut Oratoria intelligit: Nec ſolas ipſarum Præfecturas, ſed & omnes in illis beneficium aut miniſterium. Statuit in graſſantem tunc, qui Eccleſiaſticum beneficium a ſacro diſcernebat officio, & hocce ſolum eſſe ſacrum, ac vendi non poſſe blaterabat, errorem. Hunc enim à Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanis acriter defenſum damnarat in variis Epiſtolis etiam Sanctus Petrus Damiani, in litteris ad Clerum ac populum Lucenſem Alexander ſecundus, & ab iiſdem laudatus Canon ſecundus Chalcedonenſis, lucidè ſanciens non ſolum Eccleſiaſticos Ordines, ſed etiam Œconomi, Defenſoris, Manſionarii, & cujuſvis gradus officium non poſſe ſine ſimonia vendi. Quin & dudum anteà ad Euſebium Peluſii Metropolitam, qui Martiniano Presbytero vendiderat Œconomi officium, ſcripſit Iſidorus Peluſiotes: *Pretio adductus res pauperum prodidiſti. Hoc Judas quoque fecit, cum Dominum pecunia addixit.* Exſtat ejuſdem ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham graviſſima Epiſtola, qua crimen hoc duriſſimè exagitat, & expoſtulat puniri. Ex quo vides Chalcedonenſem Canonem non fuiſſe novum in Eccleſia, ſed avitam Chriſtianitatis legem atque morem fuiſſe ab ipſo dumtaxat innovata. — L. 1. Ep. 425. — L. 2. Ep. 127.

Etiam Gregorius noſter hocce ſuo Decreto peſſimum errorem non plenè exſtinxit. Eundem enim per litteras ad Lucium Sancti Juventii Ticinenſis Præpoſitum damnavit, atque eradicare conatus eſt etiam Urbanus ſecundus, uſus item auctoritate Canonis Chalcedonenſis. Quod ipſum in Remenſi Synodo feciſſe Calixtum ſecundum affirmat, ac ejus Canonem adducit Clarius Senonenſis Monachus in Chronico ſui Cœnobii ad Sanctum Petrum vivum. Quin & dudum poſteà errorem aperta fronte adhuc defenderunt neſcio qui Scholaſtici Doctores, quorum apud Hugonem Victorinum in Theologica de Sacramentis eruditione reſtat hocce argumentum: *Ego in Eccleſia victum & veſtitum emi, Eccleſiam non emi. Stipem emi, Præbendam emi, Corporalia tantum emi, Spiritualia non emi, nec emere volui.* Idem argumentum exſtat apud Cardinalem Robertum Pullum: *Dignitatem, quæ munere Sancti Spiritus provenit, non quæro; tantum poſſeſſionem Eccleſiaſticam adipiſci laboro.* At reſpondet laudatus Cardinalis: *Juxta antiquam traditionem quiſquis eorum, quæ ſeparatim habere non eſt, alterum emit, neutrum inemptum derelinquit.* Et ipſe & laudatus Hugo Eccleſiaſtica beneficia, licet temporalia, demonſtrant eſſe ſpiritualibus inſeparabiliter annexa, ideoque nec emi poſſe nec vendi citra Simoniam. Eſt omninò antiqua Eccleſiæ traditio: A Sancto Petro Damiani inſigniter oſtenſa in litteris ad dictos Ducis Godefridi Capellanos. — A. 1119. — Par. 6. c. 13.

Quod hiſce in rebus nec ad communes Reipublicæ neceſſitates, nec ad pias Eccleſiæ cauſas poſſit aliquid exigi, ideoque nullus omninò ſit hujus exactionis purgandæ titulus aut modus, ſuprà oſtendi ex Magno Baſilio & Magno Gregorio. Addere quid velim ex Iſidoro Peluſiota, ad Euſebium Peluſii Metropolitam, ab Electis & Conſecratis exigentem ædificandæ Eccleſiæ adjutoria, hæc ſcribente: *Condis Eccleſiam in Peluſio, machinis quidem ac molitionibus luculentam, ſed improbis ſtudiis, & ſacrarum Electionum pretiis, atque injuriis & contumeliis, & tenuium oppreſſionibus, & pauperum ſumptibus. Quod nihil eſt aliud quam ædificare Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in injuſtiis.* Ejuſmodi Baſilicam aſſeverat pro vindicta perpetuò clamaturam in — Lib. 1. Ep. 37.

Cœlum.

Ep. 113 Cœlum. Et in alia Epiſtola: *Inutilibus ſaxis Eccleſiam exſtruis, ſceleratis nimirum, ne dicam impiis proventibus. Sacerdotii enim pretium accepiſti. Sacerdotium vendens, idque Zozymo,* inepto ac profano homini, *dediſti. Uſque adeò hæc per totam regionem omnium ſermone celebrantur, ut ambæ eorum, qui hæc audiunt, aures circumſonent.* Quod in iſtiuſmodi Ordinatos publici ſales decantarentur, adeoque omnis populus graviſſimum inde acciperet ſcandalum, teſtatur in litteris ad dictum Zozymum ac ejus ſocium Maronem. Quin & ipſum Iſidorum, multis & acerrimis litteris in Euſebium Epiſcopum ac iſtos ejus Ordinatos atque Electos invectum, quòd non ſatis fuiſſet invectus, arguit neſcio quis Epiſcopus Hermogenes. Adeò fœda ac manifeſta eſt iſta Simonia.

Ep. 118.

Gregorii noſtri Decretum elucidat Marianus Scotus: *Hildebrandus, qui & Gregorius Papa, decrevit ut ſub ſententia Sancti Petri cum Simone damnaretur, non ſolùm emptor, ſed & venditor, cujuſcumque conſecrationis officii Eccleſiaſtici, id eſt, Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Præpoſituræ Eccleſiæ, vel Decimationis, ſed & ſocios tranſgreſſionis. Dominus enim dixit:* Gratis accepiſtis, gratis date. *Undè & de ſua Synodo Legati Papæ ad Henricum Regem, id eſt, duo Epiſcopi, noluerunt eſſe in Paſcha cum Rege in civitate Babemberga, nec cibus vel ſocietatem Hermanni ejus civitatis Epiſcopi habere, qui Epiſcopatum comparavit.* Quod ipſum iiſdem ferè verbis ſcribunt Simeon Dunelmenſis, & Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. Quòd per Simoniacos Epiſcopos aut Clericos celebrata Sacramenta ac quævis Divina officia vetuerit accipi vel audiri Gregorius, addit Sigebertus Gemblacenſis. Quod neſcio an ſubſiſtat. Hanc enim pœnam conjugatis Clericis non niſi in ſequenti anni Synodo inflixit: Et videtur ambobus ſimul fuiſſe inflicta. Quidquid ſit, an valida eſſet iſtiuſmodi conſecratio, hic denuò diſputatum eſt, & non definitum. Citra omnem reparationis ſpem dumtaxat degradati ſunt iſtiuſmodi conſecrati, & tamquam irrita damnata conſecratio; verùm an quoad ſubſtantiam, an quoad ſolam executionem, non fuit expreſſum. Sanctus Petrus Damiani, licèt edito in hanc materiam inſigni libro veritatem cunctis non perſuaſiſſet, ipſius tamen adverſarios nutare fecit, atque ita omnia deinceps Synodalia Decreta fuerunt concepta in voces ambidextras, quæ unumquemque permitterent in ſuo ſenſu abundare. Quod enim & ipſe Gregorius, & Urbanus ſecundus, & alii poſt hanc Synodum Pontifices adhuc reordinaverint, eſt ſuprà oſtenſum. Et in ſcholis quàm in Synodis major fuit hæc concertatio. Datos à Simoniacis, & quibuſcumque Hæreticis atque Schiſmaticis Ordines eſſe ſubſtantialiter nullos atque irritos, varii Doctores conſtanter defenderunt. Doctor tandem Angelicus veritatem demonſtravit, atque eradicavit errorem. Et hoc eſt unum ex ejus palmaribus in Eccleſiam beneficiis.

A. 1074.

Exponitur prior pars Decreti.

Gregoriani Decreti prior pars damnat omnem Simoniam: & quam Epiſcopi conſecrando aut inſtituendo, & quam Reges nominando aut inveſtiendo, & quam alii minores Domicelli ac patroni committerent præſentando. Graſſabatur enim tunc & illa Simonia, adversùs quam in ſua apud Mediolanenſem Eccleſiam Legatione ſtatuerunt Mainardus Sylvæ candidæ Epiſcopus, & Joannes Romanæ Eccleſiæ Presbyter, Alexandri ſecundi Cardinales Legati: *Ut nullus Laicus à cujuſvis Ordinis Clerico, in gradu aliquo Eccleſiaſtico benedicendo, quidquam muneris exigat vel accipiat, ne cum Simone Mago particeps fiat.* Hic Mainardus fuit Cardinalis Humberti in Sylvæ candidæ Epiſcopatum proximus ſucceſſor, quam ad bina Sancti Petri Damiani legatione reformatam, & bis relapſam Mediolanenſem Eccleſiam iteratò reformandam legavit laudatus Alexander. Et quòd ipſa iterùm relapſa fuerit, demonſtrat iterata ad eandem legatio miſſa poſtmodò per noſtrum Gregorium. Et in ſimonia, & in ſacrilegis ſuorum Clericorum conjugiis illa fuit adeò contumax, ut Apoſtolicæ reformationis obſervatores ac defenſores fuerit horrendè perſecuta. Inſigniter hoc docet Martyrium Sancti Herlembaldi Ducis, ejuſque germani fratris Arialdi Diaconi, ob iſtam pietatem barbaricè trucidatorum.

Gregorius proſecutus eſt veſtigia ſui Anteceſſoris Alexandri, de quo Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Aimo Colonienſis Epiſcopus, & Hermannus Bambergenſis, Romam miſſi ſunt, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregandi gratia, qui legatione peracta reverſi litteras Alexandri Apoſtolici detulerunt, Regem vocantes Romam ad ſatisfaciendum pro Simoniaca hæreſi, aliiſque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipſo Romæ fuerant audita.* Addit Lambertus Schafnaburgenſis: *Aimo Colonienſis Archiepiſcopus, offenſus his quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in Palatio, à Rege petiit vacationem ſibi dari deinceps à rerum publicarum adminiſtratione, cauſatus in ſenium jam vergentem ætatem, & laborioſis Regni negotiis minùs minuſque in dies ſufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit: Quia pravis libidinibus ſuis, & juvenilibus ineptiis jam dudum animadverterat eum graviter offendi, & plerumque, quantùm ſalva Regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo ubi ſe in ſua recepit, Rex tanquam ſeveriſſimo pædagogo liberatus, ſtatim omnia flagitiorum genera, ruptis omnibus modeſtiæ ac temperantiæ frænis, præcipitem ſe dedit.* Hæc inter crimina non infimum fuit ſacrilega nundinatio, qua Epiſcopatus & Abbatias exacta paſſim pecunia dabat Henricus, atque ita omnem Eccleſiaſticam libertatem, caſtitatem, ac diſciplinam fœdabat, & per intruſos indignos Antiſtites evertebat. Lambertus rectè adfirmat ipſum in omnia flagitiorum genera fuiſſe præcipitem. Quod enim non ſola facinora, ſed inſuper nefanda flagitia ſuæ Simoniæ accumularit, in ſuperioribus eſt abundè monſtratum.

A. 1073.

A. 1073.

A 2 Eodem

Eodem anno ad Rodericum Cabilonenſem Epiſcopum ſcripſit Gregorius ſeptimus: Lib. 1. Ep. 35. *Inter cæteros hujus noſtri temporis Principes, qui Eccleſiam Dei pernicioſa cupiditate venundando diſſipaverunt, & Matrem ſuam, cui ex Dominico Præcepto honorem & reverentiam debuerant, ancillari ſubjectione penitùs conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Eccleſias in tantùm oppreſſiſſe, certa relatione didicimus, ut ad ſummum hujus tam deteſtandi facinoris cumulum perveniſſe videatur. Quam rem de Regno illo tantò profectò tulimus moleſtiùs, quanto & prudentia, & religione, & viribus noſcitur fuiſſe potentiùs, & erga Romanam Eccleſiam multò devotius.* De Philippi Patre Henrico, & Helinando Laudunenſi Epiſcopo ſcribit in libris de ſua vita venerabilis Guibertus, Sanctæ Mariæ apud Novigentum Abbas: L. 3. c. 2. *Helinandus cum Henrico, quia multùm erat cupidus, & Epiſcopatuum venditionibus adſuetus, largiſſimis lenocinationibus & xeniis egit, ut ſi quiſpiam Epiſcoporum Franciæ decederet, Pontificalibus infulis ipſe ſuccederet.* Addit filium & ſucceſſorem Philippum fuiſſe *hominem in Dei rebus venaliſſimum.* Nam & ab hoc iſte Helinandus emit Archiepiſcopatum Remenſem.

Porrò certa iſta relatio advenerat à Matiſconenſi Clero ac populo, cujus Electum Landericum, Auguſtodunenſis Eccleſiæ Archi-Diaconum, Philippus Rex nonniſi datis nummis volebat confirmare, atque ita Matiſconenſem Eccleſiam diuturna viduitate deſolabatur, fatigabat, ac ferè redigebat in nihilum. Palam teſtatur hoc Pontifex in litteris ad Humbertum Lugdunenſem Metropolitam: Lib. 1. Epiſt. 36. *Clamor Matiſconenſium Clericorum pervenit ad nos, Eccleſiam ſuam jam multo tempore viduatam, detrimentum non modicum ſuſtinere. Dicunt enim Regem Francorum electionem ſine ſuo conſenſu factam velle impedire.* Quod nempè nonniſi accepto auro ipſam vellet Regio adſenſu firmare. Hanc Regiam Simoniam multis elogiis onerat Gregorius. Etenim vocat perverſam cupiditatem, Matris Eccleſiæ ancillarem ſubjectionem, & conculcationem, Eccleſiarum oppreſſionem, deteſtandum facinus, Eccleſiarum deſtructionem, audaces Sanctæ religionis exceſſus, Eccleſiæ ruinam, turpe Simoniacæ hæreſis mercimonium. Hinc Regem ſeriò monet, minatur caſtigare ſeveriùs, & vindictam non differt, niſi ob avita & ſumma Francorum Regum merita in Romanam Eccleſiam. Etiam moneri juſſit per Rodericum Cabilonenſem Epiſcopum, quem vetus iſtius Eccleſiæ Chronicon appellat Roclenum, affirmatque fuiſſe *litteris apprimè eruditum, & Divinorum voluminum lectione ſtudioſiſſimum,* atque ita ſummæ per omnem Galliam auctoritatis. Et hinc Rex obedivit. Pergit enim Pontifex: *Sed quoniam anteactis diebus Rex per familiarem ſuum Cubicularium Albericum ad noſtri cenſuram judicii, & vitam corrigere, & Eccleſias ordinare firmiter nobis reſpondit, rigorem Canonicum interim exercere diſtulimus.* Quod ipſum ſcribit in litteris ad Metropolitam Humbertum. At verba ſibi dari non patiebatur Gregorius, ideoque adjunxit: *Hujus promiſſionis fidem in Matiſconenſi Eccleſia, Paſtoris regimine diu deſolata, & ad nihilum penè redacta, in primis volumus experiri, ut ſcilicet Auguſtodunenſem Archidiaconum, unanimi Cleri & populi, ipſius etiam, ut audimus, Regis adſenſu electum, Epiſcopatus dono, gratis, ut decet, conceſſo, Eccleſiæ præfici patiatur. Quod ſi facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc Eccleſiæ ruinam nequaquam diutiùs toleraturos, & ex auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli duram inobedientiæ contumaciam Canonica auctoritate coercituros. Nam aut Rex ipſe, repudiato turpi Simoniacæ hæreſis mercimonio, idoneas ad ſacrum regimen perſonas promoveri permittet, aut Franci pro certo, niſi fidem Chriſtianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percuſſi, illi ulterius obtemperare recuſabunt.* Minatur excommunicare Regem, & Regnum interdicto ſupponere. Regem monuit, & juſſit ut Landricum Electum Regio adſenſu ſtatim firmaret, addiditque in litteris ad Metropolitam Humbertum: *Si Rex in duritia ſua permanens, neque neceſſitati hujus Eccleſiæ compati, neque exhortationi noſtræ parere voluerit, præcipimus Apoſtolica auctoritate, ut Fraternitas tua neque pro odio, neque pro alicujus gratia dimittat, quin Electum Landricum ordinare ſtudeat.* Epiſcopalium & Abbatialium Electionum confirmationem Chriſtiani Reges paſſim titularunt Epiſcopatus aut Abbatiæ donationem, cenſueruntque pertinere ad ſupremam ſuæ coronæ dignitatem: Et iſtius contemptores Metropolitas ſunt frequenter perſecuti uti reos læſæ Majeſtatis. Hoc jus Gregorius adfirmat non curandum, dum Rex adſenſum ſuum denegat ob denegationem exacti auri. Et ſimili Simonia plures tunc Latini Principes laborabant. Et quòd Philippus Rex lepram non depoſuerit, lucet ex laudato Guiberto, Hugonis Dienſis Epiſcopi ad noſtrum Gregorium è Pictavienſi Synodo litteris exſtantibus apud Hugonem Flaviniacenſem, ac variis Epiſtolis Sancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis. Suo interim officio fuit functus Gregorius, & omnes has Regias exactiones meritò damnavit de Simonia.

Et reverà eſt facinus adeò fœdum, ut ipſi etiam Turcæ ipſum in nobis rideant, & deteſtentur. Etenim de ipſorum Imperatore, qui Conſtantinopolitanam urbem ſubjugavit, Mahomete ſecundo ſcribit Georgius Phranzes: L. 3. c. 19. *Mahometes dedit litteras Patriarchæ,* Gennadio ſecundo, *cum ſubſcriptione auctoritatis Regiæ, quibus illi à vexationibus cavit, rebellari vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim à quopiam adverſario & inimico adferri interdixit, ac ut vectigalibus & publicis contributionibus ipſe, omneſque ſucceſſores, & ſubjecti Epiſcopi in perpetuum vacarent, mandavit.* Nempè juxta conſuetum ab antiquo morem ſub Chriſtianis Imperatoribus, quos ille ſtudebat in omnibus æmulari: Nam Græcorum, licèt Schiſmatici, Imperatores nominarunt quidem, atque inveſtierunt Patriarchas, Epiſcopos, atque Abbates, ipſorum tamen vix ullus poſterioribus ſæculis legitur iſtas dignitates vendidiſſe, aut gravaſſe exactionibus. Ita fuit à temporibus Conſtantini quarti, qui penſionem, in novi Patriarchæ creatione

tione ſolitam præſtari, remiſit Romanæ Eccleſiæ. Ipſam à Barbaris Herulorum & Gothorum Regibus invectam Imperator Juſtinianus uſque tunc continuavit. Quin immò videtur hic gravaſſe ſolam Romanam Eccleſiam. Etenim de ipſo, ac Paulo Alexandriæ Patriarcha, per Pelagium Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum ac Vigilii Pontificis Legatum degradato, ſcribit in arcana hiſtoria Procopius Cæſareenſis: *Paulus haud*
C. 27. *diu fuit cum Byzantium appulit, rogaturus Imperatorem, & pondo ſepties centum auri oblaturus ut in Sacerdotium reſtitueretur, à quo ſe per injuriam dejectum contendebat. Pecuniam Juſtinianus accepit. Paulumque comiter & perhonorificè habuit, eumque propediem Alexandrinis, licèt alteri Sacerdotium id eſſet, reſtituendum adfirmabat, quaſi non à ſe de viris illius contubernalibus & auxiliaris pecunia & capite acquiſitum. Ea verò cum Cæſarem cura, ſtudiumque vehementer intentum haberet, nemini jam dubium erat, quin Sacerdotium Paulus eſſet conſecuturus. Verùm enim verò Principi id imperanti haudquaquam Vigilius, qui per id tempus Byzantii verſabatur, concedendum cenſuit, neque de ſententia, à ſe nimirùm per Pelagium lata, decedendum. Sic omnibus in negotiis uni pecuniæ corradendæ Juſtinianus intentus erat.* Quaſvis Juſtiniani ſordes colligit & ſpectatui exponit Procopius, & tamen nullam commemorat commiſſam, niſi dumtaxat in iſtum Paulum. Et quidem non ad promovendum, ſed dumtaxat ad reparandum. Nec per Juſtinianum exacta fuit iſta pecunia, ſed dumtaxat admiſſa. Quare à nullo promovendo Epiſcopo, ſed à ſolo Romano Pontifice videtur exegiſſe. Et hinc de ejus ſucceſſore ac nepote Juſtino, quòd Epiſcopatus venderet ſeu exactionibus fœdaret, uti ſingularem lepram refert Evagrius Epiphanienſis.

Itaque de Gennadio ſecundo, Iſidoro ſecundo, Joſepho tertio, & Marco, quatuor primis poſt captam urbem Conſtantinopolitanis Patriarchis ſcribit apud Emmanuelem Malaxum Patriarchalis hiſtoria: *Horum quatuor Patriarcharum quiſque ita creatus fuit, ut omninò nullum Sultano donum adferret, ſed liberè facti ſunt, ſicut olim ſub Imperatoribus Romanis, quo tempore Imperator munera Patriarchis dabat.* Adeò non accipiebat. Longè minùs exigebat. Verùm Marcus, neſcio ex quibus cauſis, incurrit ſui Cleri odium, hac occaſione uſi Trapezuntini ſunt conati ipſum extrudere, intrudereque ſuæ gentis Monachum Simeonem, educatum Conſtantinopoli in magna Eccleſia, & quibuſdam ornatum virtutibus. Habebant non tantùm amicos, ſed etiam conſanguineos potentes in aula ac ejus januis, ideoque quaſi indè inſtructi, mendaciter accuſarunt Marcum, *Improbi in Eccleſiam gravaminis auctorem & introductorem exſtitiſſe, de aureis mille, Peſceſii ſeu Patriarchalis exordii nomine, Sultanico Fiſco inferendis. Ideò eum non tantùm dignitate ſummi honoris exuendum eſſe, verùm etiam, ſicut veteres hæreticos Patriarchas, anathemate feriendum, & exilio mulctandum, eò quòd ad id uſque tempus nemo Patriarcha ullum donum dediſſet, aut penſionem in Sultani aulam intuliſſet.* Adeò tunc apud omnes Græcos fœtebat commiſſa apud Regem Simonia. Marcus erat innocens, & ſolenniſſimo ad ſacroſancta Evangelia juramento ſe expurgavit, pergitque hiſtoria: *Verùm ejus inimicis calumniatoribus illis, & factioni eorum res non perſuaſa, ſed ab eo malum initium in Eccleſiam introductum, & Peſceſium datum eſſe pervicèrunt. Ideò educamus, inquiunt, eum de Patriarchico ſolio, quia deturbatu & eliminatu dignus.*

Hiſtoria proſequitur: *Ita convenerunt Trapezuntii Proceres, & nonnulli alii ampli civitatis homines. Et aureos mille corrigatos Sultano miſerunt cum his verbis: Quia Patriarcha Majeſtati tuæ unum Ducatorum mille promiſit, ecce damus id & nos, ut Patriarcham faciamus noſtrum Monachum, quia cunctus populus, & una Clericorum chorus non ferunt Patriarcham Marcum. Rex, ut eam orationem audivit, riſit equidem, & diu hæſit cogitabundus, reputans cum animo ſuo, quanta vis eſſet invidiæ, quanta ſtultitia Romanorum, & quàm parum in via Dei ambularent. Tunc reſpondens dixit: Ita certè eſt, pollicitus fuit hos mille Ducatos Patriarcha. Hoc Sultanus eo conſilio reſpondit, ut legem novam ſanciens, initium induceret: Quicumque fieret Patriarcha, principium feliciùs à munere Majeſtati ipſius dando duceret. At miſerandus Patriarcha Marcus tale nihil dixerat, nec promiſerat. Sola, pia ſcilicet, calumnia hoc, educendi ipſius è ſolio cauſa, commenta fuerat.* Chriſtianos Canones à Gennadio Patriarcha edoctus fuerat Mahometes, noratque Marcum eſſe innoxium: Hinc Cleri & invidiam & Simoniam deteſtatus eſt, admiratuſque ipſum in via Dei adeò parum ambulare. Adjungit hiſtoria de inſcio iſtius calumniæ populo: *De plebe multi Marcum jam degradatum lapidibus inceſſerunt, tum in viis, tum in quovis foro, cumuliſque ſaxorum in titulum congeſtis, anathemate deteſtabilem fecerunt, tamquam peſſimi in Eccleſiam introducti moris auctorem, cùm tamen totius iſtius rei eſſet ignarus.* Quæ omnia compendio refert & confirmat etiam Politica Turco-Græciæ hiſtoria. Et hæc quidem eſt prima Peſceſii, ſeu Regiæ pro Patriarchali confirmatione exactionis origo: Inductæ per ambitioſos Clericos ac Monachos, ac per ipſos etiam Turcos deriſæ ac damnatæ.

Exponitur decurſus Peſceſii, & Charatzii.

PEſceſium in Turcica lingua eſt idem, quod initium. Eſt donum, quod novus Patriarcha Sultano dat pro exordio Patriarchatus. Inductum eſt à quinto poſt captam urbem Patriarcha Simeone, Monacho Trapezuntino; à Turcorum Imperatore Mahomete ſecundo deriſum ac damnatum in Chriſtianis; è barbara avaritia admiſſum, & firmatum in perpetnam legem. Grandem Divinæ juſtitiæ regulam habemus in Evangelio: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Hinc calumnioſus etiam Simeon cecidit in ſui

Cleri ac populi odium, atque ejus occaſione Regina Maria, Chriſtiana, Amuratis ſecundi vidua, & ſecundi Mahometis noverca, pro Dionyſio Philippopolitano Metropolita, ſuo Confeſſario, fecit quod habent eædem & Politica & Patriarchalis hiſtoriæ: *Regina Maria, quòd animo conceperat de Dionyſio faciendo, id etiam in opus perduxit. Duo namque Ducatorum millia in argenteam lancem conjecit, cum his ad Sultanum acceſſit, ipſum adoravit, aurum manibus portans. Quod ut ille vidit, interrogavit eam: Quid ſibi, mea mater, iſtud auri cum argentea lance vult? Reſpondit hæc: Habeo quemdam Monachum, mihi proprium, quem quæſo mihi per Majeſtatem veſtram liceat facere Patriarcham. Accepit Stultanus aurum, magnas gratias novercæ ſuæ egit, quæ tantam ipſi acceſſionem fecerat. Tunc ei dicit: Fac mea mater, iſtud quod vis. Cumque mandatum Sultanus miſiſſet, abductus eſt è throno Simeon, Patriarchico honore & dignitate ſpoliatus.* Ita intruſus fuit Dionyſius, & Patriarchale Peſceſium crevit ad duo milla Ducatorum.

Verum etiam Dionyſius Clero ac populo non placuit, calumniis fractus abjecit Patriarchatum, rediit in ipſum Simeon, pergitque Patrjarchalis Hiſtoria: *Hac Patriarchæ reſtitutione facta, abierunt ad Portam ſeu Palatium Sultani, ut darent mille Ducatos Peſceſii nomine, ſeu doni, quod ipſius hujus Simeonis culpa fuerat introductum in Eccleſiam. At illos planè Quæſtor accipere noluit, ſed adferentes faceſſere juſſit, ſe in rationibus Regii Fiſci ſcriptum reperire duo millia Peſceſium, quæ hujus Anteceſſor Dionyſius dederat. Cui cum reſiſtere non poſſent, Patriarcha & Antiſtites, & Clerici ſanè petitam duorum millium Summam dederunt, & ita Quæſtorem placaverunt.* Addit Politica Hiſtoria: *Regius Quæſtor uno mille contentus eſſe noluit, eò quod in rationibus ſuis duo millia inveniret adſcripta Dionyſio. Hæc enim Turcis conſuetudo eſt, ut minus quam ſcriptum exſtet, non exigant, ſed potiùs plus.*

Notanda ſunt verba: *Abierunt ad Portam, ſeu Palatium.* Exponit Laonicus Calchocondylas, ſcribens Solimannum, Amurathis primi filium, fuiſſe à fratre & Sultano Bajazete vocatum ad Januas, & adjungens: *Sic aulam Turci*
L. 2. *vocant.* Hinc ſcribit etiam de Solimanno Orchanis filio, fratre primi Amurathis: *Solimanus*
L. 1. *peregrinos, & reliquos januarum milites adſumens, in Europam trajecit.* Et de Imperatore Manuele Palęologo: *Filium ſuum in januis Regis*, utique primi Amurathis, *ſtipendia facere juſſit.* Et de defuncti Amurathis Proceribus: *Regii Satrapæ, qui januis præerant.* Et iterum de dicto Græcorum Imperatore Manuele: *His con-*
L. 2. *ditionibus Manuel Byzantii Regnum à Bajazete accepit, videlicet ut in januas profectus Tributum, quod imperaſſet, ſolveret, militeſque ſemper, quot juſſiſſet, vere appetente adduceret. Andronicus, & filius ejus Joannes, morantes in januis, victum apud Regem habuere.* Hæc phraſis apud Turcicarum rerum Scriptores eſt frequentiſſima. Proindè janua ſeu porta eſt Sultani Aula ſeu Comitatus, & militare in januis, ſeu eſſe Janitzerum, eſt eſſe militem Palatinum ſeu Prætorianum, cujus militiæ originem exponit idem Laonicus, adfirmans Turcicam Monarchiam fuiſſe inchoatam à Septemviro Ottomanno, atque adjungens: *Ottomanus, quæ ad Regni ſalutem attinent, optimè diſpoſuit. Et ut Regnum ſibi faceret quàm maximè firmum & opportunum, Satellites adlegit, quos Regis januas ſive portas appellavit.* Quod nempè Regium latus ſemper ſtiparent, & non niſi per ipſos poſſet accedi ad Regem. Addit & aliam tituli cauſam: *Defuncto Amurathe, Regii* L. 1.
Satrapæ, qui januis præerant, Bajazetem, Amurathis filium juniorem, in Imperio magno conſenſu collocant. Iſtius militiæ Præfecti Regem eligunt atque inthronizant, atque ita ipſi ſunt janua & porta, non tantùm ad Regem, ſed etiam ad Regnum. Omnem iſtorum militum educationem, officia, dignitates largè exponit in quinto ſui operis libro idem Calchocondylas. Et de Amurathe ſecundo ſcribit Georgius Phranzes: *Hic primus Janitzeris prærogativas impertiit, &* L. 1. c. 32.
quod uſque hodiè præſtant, munus illis impoſuit. Nam ante id tempus ejus Legionis alia conſuetudo, aliud officium, & genus veſtis erat. Juſſit item uxores non ducere, ne illarum ac liberorum cura diſtraherentur, ſed in militia ſoluto ſemper animo verſarentur. Voluitque eoſdem filios ſuos appellari.

Simeoni Patriarchæ invidit Raphael Hiero-Monachus, homo in Servia natus, imperitus, variè vitioſus, apud Baſſas notus & gratus, pergitque de illo Patriarchalis hiſtoria: *Raphael, cùm apud Baſſas liberè agere poſſet, adit eos ſupplex, colloquitur, paciſcitur, pollicetur ſe quotannis illaturum in Ærarium Regii Palatii Charatzium, hoc eſt Tributum, duo millia Aureorum. De Peſceſio jam convenerat, quòd daretur, quando novus fieret Patriarcha.* Exponit Politica hiſtoria. *Exſtitit ea tempeſtate Hiero-Monachus quidam, nomine Raphael, è Servia genus ducens, homo inſigniter ebrioſus. Hic cùm quoſdam è Proceribus haberet fautores, pollicitus eſt ſe quotannis perſoluturum Tributi nomine bis mille Aureos, daturum item Peſceſium, hoc eſt, munus quod à Patriarcha novo creato datur, quingentorum Aureorum. Hac ſua malitia & ambitione ad alterius honorem graſſatus, ſupremum Eccleſiæ ſolium conſcendit, Simeone indè dejecto.* Hic ergo Raphael eſt primus annui Charatzii auctor, & immutator Peſceſii. Hoc enim à bis mille Aureis contraxit ad quingentos. Et ita fuit uſque ad Dionyſium ſecundum, ex Nicomedienſi Metropolita Patriarcham, de quo Patriarchalis hiſtoria: *Peſceſium initiǫ fuerant Aurei quingenti, tunc verò ad tria Aureorum millia perduxerunt.* Utique Baſſæ. Etenim Dionyſii motio fuit exceptionibus obnoxia, impugnata ab ipſis Baſſis, atque ita ad omnia componenda Peſceſium fuit auctum ad tria millia Aureorum.

Ita fuit uſque ad proximum ſucceſſorem Joſephum quartum, ex Adrianopolitano Metropolita Patriarcham, de quo eadem hiſtoria: *Erat tunc temporis Peſceſium trium millium Aureorum, vitio eorum, qui ad tantam id auctionem perduxerant. Eam certè ſummam ſuperior Patriarcha Dionyſius dederat. At hic Joſephus ſedem adeptus, magna arte, multis machinationibus, plu-*

rium

rium donorum diſtributione, tantùm effecit, ut uno mille deſerto Peſceſium poſt hàc bis mille Aureorum remaneret. His ſecum acceptis, ad Concilium perrexit, manumque Sultani oſculatus, Inſigne Poteſtatis accepit. Utique Patriarchale pedum, à Sultano inveſtitus. Hinc & de Hieremia ſecundo, qui ex Lariſſæ apud Theſſalos Metropolita eſt evectus in Patriarcham, ſcribit eadem hiſtoria: *Accepit Peſceſium, duo millia aureorum, profectuſque ad Quæſtorem, ea in Ærarium Regis intulit*. Hic Rex fuit Selymus ſecundus, ipſique poſt paucos annos defuncto ſucceſſit Amurathes tertius. Hujus inthronizationem, ac ipſi delata à Provinciis ac Proceribus munera exponit idem liber, & adjungit de eodem Patriarcha Hieremia: *Patriarcha quoque accipiens ordinarium Peſceſium, ſive Honorarim, duo millia Aureorum, abiit ad Regem; ei ſe ſubjiciens, & more Patriarchico manum ejus oſculans. Qui Rex poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Patriarcha à Patre Sultano Selymo acceperat, eidem confirmavit, atque etiam novum diploma dari juſſit, ut ſecundùm Religionis ſuæ præſcriptum, imperium & juriſdictionem haberet in Metropolitas, Archiepiſcopos, Sacerdotes, & omnes Græcos homines, Eccleſias, & Monaſteria*. Eum denuò inveſtivit, ac in Patriarchatu confirmavit. Videtur, quòd à novo Sultano debuerit peti ac impetrari nova inveſtitura, ideoque & ſolvi novum Peſceſium.

Porrò Charatzium in ſuo duorum millium ſtatu permanſit uſque ad Joachimum, ex Dramæ Mettropolita Patriarcham, à capta urbe quartum decimum, cui invidit neſcio quis improbus Selybriæ Metropolita, ſcribitque de ambobus eadem hiſtoria: *Surgens hic* Metropolita *in Senatum Sultani acceſſit, & annuo Charatzio aliud Ducatorum mille adjecit, ita ut jam fieret trium millium. Quo Baſſæ audito, ipſum mira comitate exceperunt. Tunc ſtatim accerſiverunt Patriarcham Joachimum, dicentes: Si acquieſcas additioni mille Aureorum, quam Selybrienſis fecit Patriarchatus conſequendi cauſa, reſideto ſanè in throno tuo; ſin abnuis, exibis, & illi locum tuum cedes. Quia hæc eſt Sultani ſententia & imperium. Noluit acquieſcere Patriarcha aggravatione hac Tributi, ſed de Throno cedendum ſibi duxit, præut hujuſmodi veniret peccatum*. At ipſum cedere noluit populus, & eo invito ſolvit Charatzii augmentum. Et ita iſtud manſit. Regnabat tunc Bayazetes ſecundus. Hic Joachimum, quòd nimis ſplendidam Baſilicam in quodam pago ædificari permiſiſſet, dejecit. Succeſſit Pachomius, Zichnarum Metropolita, pergitque hiſtoria: *Poſtquam hic unum annum ſedit, tum quidam Politici, prioris Patriarchæ Joachimi amici, inter ſe conſilium ineunt, ſe tamquam de ſuo daturos Sultano quingentos Aureos, ut ipſis in Patriarchatum reſtituat Joachimum. Tributum antea erat trium millium Ducatorum. Hoc ipſi quingentis Ducatis auxerunt, ut ſumma fieret ter mille & quingentorum. Et hoc eorum præpoſterum erga Joachimum ſtudium, quo hanc acceſſionem Sultano polliciti ſunt, ſuſceptum eſt ipſo Joachimo ſciente & volente. Quippè dabat ipſe id auri clanculum, ſed nihil ſe ſcire præferebat*. Ita ejecto Pachomio recepit Patriarchatum. Duravit hoc uſque ad Hieremiam primum, è Sophiæ Metropolita Patriarcham, de cujus in terram ſanctam profectione, ac indè natis inter Epiſcopos & Clericos diſſidiis pergit hiſtoria: *Adversùs Patriarcham conſpirarunt* Epiſcoporum & Clericorum aliqui, *ejus ejiciendi cauſſa conflarunt Synodum, & acceſſionem ad Tributum fecerunt Aureos quingentos, ita ut tota Summa fieret quatuor millium*. Et hac via intruſus fuit Joannicius, Metropolita Zozopolitanus. Redux Hieremias damnavit augmentum, & Patriarchatu exire maluit, quàm in facinus conſentire. Attamen pro renitente ſolvit populus, atque ita illum reddidit ſuo throno.

Idem Hieremias poſteà litem habuit cum Prochoro Bulgariæ Archiepiſcopo de Berrhæenſi ad Theſſalonicenſem Metropolitam ſpectante ſuffraganea Eccleſia. Uterque ſpectare dixit ad ſuam Diœceſim ſeu Archiepiſcopatum. Hieremiæ favebat antiqua Eccleſiaſticæ Hierarchiæ regula, quæ & Metropolim & omnes ſuffraganeas Cathedras mandat eſſe ejuſdem Diœceſis. Prochorum verò juvabant plura aureæ Bullæ Diplomata, quibus Chriſtiani olim Imperatores Berrhæam, quòd Bulgarorum Regibus victa pareret, tranſcripſerant etiam in Eccleſiaſticam poteſtatem Epiſcopi Acridenſis. Et hinc pergit Patriarchalis hiſtoria: *Prochorus*, quo cauſam obtineret, *centum Aureos Tributo adjecit. Quod cùm videret Patriarcha, in ſolicitudinem incidit, quidnam faceret, ne ille loca illius Epiſcopatus ad ſe traheret*. Evicit cauſam apud Baſſas, *ea tamen conditione, ut additioni centum Ducatorum, quam Prochorus feciſſet, acquieſceret. Quod cum retractare non poſſet, fecit. Ita repulſus abiit Prochorus*.

Omnem poſteà modum exceſſit Cyrillus Lucaris, qui grandes pecunias ad emendum Patriarchatum accepit ab Hollandis mercatoribus, ſtipulatus Calviniſmum inducere in Orientalem Eccleſiam: Quod & poſtmodò fecit. Verùm Calvinianas ac Lutheranas ſordes peſſimè oderunt etiam ſchiſmatici Græci, ideoque ad illum extrudendum obtulerunt Principi vicena Aureorum millia. Ita ille in Rhodum relegatus eſt, & Patriarchali throno impoſitus Anthymus, Adrianopolitanus Epiſcopus, Romanus, & Orthodoxus. Et hic, quod Hollandica pecunia armatus Cyrillus, reſpiraret ad Cathedram, per quadraginta Dalerorum millia conatus eſt ſe firmare. At non firmavit. Etenim Cyrillus obtulit ſexaginta millia, atque ita rediit in Sedem. Infeliciſſimè periit, ſtrangulatus à Turcis, ſucceſſitque Cyrillus Berrhæenſis Epiſcopus, etiam vir Romanus inſigniter ac Orthodoxus. Etenim a Lucari intruſum Calviniſmum damnavit ſynodaliter, & Turcicas exactiones plurimùm accidit. Aſt & ipſi à Lucaris diſcipulo Parthenio, oblatiſque per hunc nummis fuit extruſus, deportatus Tunetum, & ibidem barbarè ſtrangulatus. Et quoniam ſtrangulari, quam Romanam fidem & communionem excutere maluit, ipſum ſacris ſanctorum Martyrum tabulis inſcribere jampridem deliberat Romana Eccleſia. Huic Parthenio ſucceſſit alter Parthenius,

qui

qui & ipſe omnem Lucaris Calviniſmum ſtrenuè damnavit. Ejus Synodum, quadrageſimo ſecundo currentis ſæculi anno celebratam, vulgavit Sebaſtianus Cramoiſy. Anno trigeſimo nono factam Cyrilli Berrhæenſis Synodum habes apud
Lib. 3. c. 11. Leonem Allatium in opere de concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis. Addit hic quatuor primos à capta urbe Patriarchas fuiſſe Canonicè electos, Turcicam nominationem ac Simoniam eſſe inductam à Simeone Trapezuntino, & proſequitur. *Turca ſuo arbitratu, ampliori pecuniæ*
Cap. 8. *Patriarchatum concedit, adimit, reſtituit, neque finis ullus calumniarum, diſſidiorum, & contentionum eſt, & hac ætate multò plures Patriarchæ, quam unquam aliàs, inaugurantur, quorum machinas recenſere eſſet hiſtoriam ſcribere.* Ita Græci & Peſceſium & Charatzium in dies augendo, ſeipſos præcipitant in majores calamitates.

De aucto per Hieremiam primum ad centum Ducatos Charatzio ſcribit Patriarchalis Hiſtoria: *Summa hæc quotannis, die Sancti Georgii, in Imperatoria Porta, ſeu aula, repræſentari ſolet.* Apud Martini Cruſii Turco-Græciam exſtat Hieremiæ Patriarchæ ad Methymnenſis Eccleſiæ Clerum Epiſtola, quæ ejuſdem civitatis
Fol. 260. Metropolitam ab officio ac beneficio ſuſpendit, quouſque Patriarchali Procuratori, & Exarcho Joanni Ralio ſolvat tria Tributa, & inſuper centum Ducatos, *ſicuti, & Imperatorium Mandatum de his diſertè loquitur*. Tria Tributa ſunt tres annuæ portiones, quas ad Patriarchale Charatzium iſta Eccleſia debebat conferre. Exſtat ibidem Epiſtola, qua ad Theodoſium Zygomalam, magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Proto-Notarium Monembaſiæ Metropolita
Lib. 4. Ep. 35 Joſephus reſcribit de neſcio quo Epiſcopo Macario, *qui Patriarchæ debebat ducentos viginti Ducatos de ſuo Tributo.* Et adjungit: *Deum teſtor, quantas expenſas, & onera ſuſtinuerimus in dies ſingulos, præſertim cum deteſtabili Sacerdote Nicolao, quem huc miſiſtis, ut eum faceremus Epiſcopum civitatis Pili, qui nos jam in expenſas propè centum Ducatorum adduxit*. Ad eumdem Theodoſium ibidem ſcribit Nauplii, & Argorum Metropolita Dionyſius: *Accipio de primo matrimonio duodecim Aſpra, de ſecundo viginti*
Ep. 54. *ti quatuor, de tertio ſexaginta, quorum dimidium occultè retinent* Parochiales Presbyteri, *& multa mendacia prætexunt. Ergo ſi omne jus tuum integrum nec diminutum obtinere cupis, mitte Regium Mandatum, quo nominatim præſcriptum ſit tantum de conjugiis exigendum eſſe, quantum Tributi penditur Patriarchæ, per Exarchum exigenti.* Aſprum eſt Turcicæ monetæ genus. Quadraginta Aſpra eſſe unum apud Germanos Talerum teſtatur Martinus Cruſius. Itaque ad Patriarchalis Peſceſii, & Charatzii perſolutionem concurrere debent omnes ſubjecti Epiſcopi, Clerici, populi. Hunc in finem Epiſcopi, & Clerici in Sacramentorum, præſertim matrimonii, adminiſtratione exigunt à populis. Et quia ſecundas ac tertias nuptias Græca Eccleſia nunquam admiſit ſine pœnitentia, plus in ipſis exigitur, quam in primis. Et hæc exactio, dum inter Patriarcham & Epiſcopum non convenit, taxatur à Sultano. Patriarchalis Exarchus in antiqua Eccleſiaſticarum dignitatum notitia erat à Patriarcha miſſus ad ordinandas ac reformandas Eccleſias Viſitator: Cunctum ferè ejus hodiernum officium eſt ad colligendum Tributum circumire. Quàm rigidè Turcæ id exigant, expertus fuit primus Charatzii promiſſor Patriarcha Raphael, de quo ipſum ſolvere non valente ſcribit Patriarchalis Hiſtoria: *Videntes Baſſæ ſe ab ipſo eſſe deluſos, compegerunt miſerum in carcerem. Elapſis aliquot diebus petiit ſibi facultatem à Baſſis dari exeundi è cuſtodia ad cogendam à Chriſtianis ſtipem, ſi fortè ex eleemoſynæ collectione, quod Fiſco debebat, poſſet perſolvere. Paruerunt illi. Sed loco Homophorii*, ſeu Patriarchalis Pallii, *gravem ei ferream catenam injecerunt, adjuncto Turca, qui cum trahebat, & cuſtodiebat. Quocumque igitur catenatus veniebat, mendicabat, & quæ colligebat, in cibum, & potum vertebat. Ita miserè hanc ærumnoſam vitam reliquit.* Tanta neceſſitate aliquando premitur Patriarcha, ut mendicum Exarchum cogatur etiam ad nos Latinos mittere: Varias, quæ etiam à Germaniæ Lutheranis ſupplicarunt ſubſidia, litteras adducit Martinus Cruſius.

Fateor has barbaras exactiones jam non poſſe corrigi à miſeris Græcorum Epiſcopis, ideoque & ſine crimine pendi. Hic enim locum habet regula, ex qua Sanctus Auguſtinus ſcripſit de violenter oppreſſa Lucretia: *Duo fuerunt, & unus commiſit adulterium*. Etiam hìc è duobus unus dumtaxat committit Simoniam. At iſtarum exactionum introductores Patriarchas Simeonem, & Raphaelem Græci ſemper averſati ſunt conſtantiſſimè, & uti peſſimos Simoniacos deteſtati. Etiam Marcum, tertium à capta urbe Patriarcham, licèt innoxium, quia ſe de objecto hoc facinore non potuit purgare ex integro, Synodaliter dejecerunt. Quin & degradatum populus ſaxis & ſtercoribus impetivit. Eadem de cauſa dejectus fuit Simeon, faciens locum Dionyſio. Raphaelem Heracleenſis Epiſcopus conſecrare noluit, ideoque contra morem & Canonem fuit conſecratus ab Ancyrano. Nam etiam Cæſareenſis ac Epheſinus noluerunt adeſſe. Et de conſecrato adjungit Patriarchalis hiſtoria: *Certi quidam ſeditionem fecerunt, ne cum ipſo liturgias facerent, metu tamen perculſi, vel inviti unà Sacris operati ſunt.* Cum præſenti noſtri Gregorii Canone norant Epiſcopi palàm Simoniaci Divina Miniſteria nec percipi poſſe, nec audiri. Et de Joachimo Patriarcha, qui Charatzium auxerat, Moldaviæ Eccleſiam viſitante, habet eadem hiſtoria: *Reſciverat Moldavus Princeps de additione ad Tributum à Patriarcha facta. Noluit ergò eum recipere: immò ne videre quidem. Sed Miniſtros aliquos miſit, qui hominem tota ipſius regione excedere juſſerunt, ut Patriarchatus contra Canones inſcenſorem.* Ex qua confuſione incidit ille in lethalem morbum, & eſt miſerè defunctus. Etiam de ſimilis additionis auctore Joannicio ibidem ſcribitur: *Illum ſuppoſititium Patriarcham Joannicium civitate expulerunt, qui pudefactus diſceſſit, probris, contumeliis, anathematica exſecratione, omnibus piis inceſſentibus. Nec multo*

tem-

tempore poſt malus malè, & cum dolore periit, anathemateque conſtrictus, ceu tympanum inflatus, repertus eſt, quandoquidem à quatuor Patriarchis propter iniquitatem ſuam Eccleſiæ conſortio ſpoliatus fuerit. Apud Græcos enim Excommunicatorum cadavera non reſolvuntur, ſed quaſi tympana fædè intumeſcunt, ac videntibus exhibent horrendum Divinæ vindictæ ſpectaculum. Et Baſſis, promiſſum à Joannicio argentum poſtulantibus, repoſuit Patriarcha Hieremias: *Non accipio ego iſtam conditionem, ſed Patriarchatu potiùs abeo.* Et de Patriarcha, qui tamen Peſceſium ad mille Ducatos minui impetrarat, Joſepho quarto habet eadem hiſtoria: *Synodo facta, ipſum Simoniæ convicerunt, & ex ſententia ſacrorum Apoſtolicorum Canonum, Pontificio throno & Patriarchico munere dejecerunt*, utique ad Regiæ civitatis Patriarchatum ſpectantes Epiſcopi, una-
C. 30. que Archiepiſcopus Acridenſis. Synodalis ſententia urget hunc è vulgaribus Apoſtolicum Canonem: *Si quis Epiſcopus, pecunia data, hujus dignitatis compos factus fuerit, aut Presbyter, aut Diaconus, deponatur & ipſe, & qui eum conſecrarit, atque omnino à communione exſcinditor, ſicut Simon magus à Petro.* Cyrilli item Lucaris Simoniam acerrimè damnat in Synodalibus, apud Leonem Allatium exſtantibus, litteris Patriarcha ſucceſſor Parthenius. Et ex hiſce lucet non ſolùm cum Chriſtianis, ſed etiam cum gentilibus Regibus Simoniam committi, ideoque illos, qui in Germania ac Belgio ab hæreticis patronis Eccleſiaſtica beneficia mercantur, eſſe omninò leproſos, onuſtos omnibus pœnis Simoniacorum. Lucet Chriſtianos Principes, qui nominatis à ſe Antiſtitibus Peſceſium aut Charatzium imponunt, eſſe Turcis pejores. Turcæ quippè hæc nec invenerunt, nec exegerunt, ſed ſibi ab ambitioſis Clericis aut Monachis oblata dumtaxat acceptarunt. Lucet Schiſmaticis Græcis quadrare hocce Sancti Auguſtini in captos olim à Gothis Gentiles Romanos elogium: *Perdidiſtis utilitatem calamitatis. Miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis.* Etenim Turcas, quos ſancta vita & omnis boni operis patientia ædificare & ad Chriſtum Dominum deberent conducere, paſſim facinoribus ſcandalizant, & in ſua perfidia obdurant.

An Chriſtiano Principi, aliter Antiſtitem nominare, aut Electum confirmare nolenti, exactum pretium liceat citra Simoniam ſolvere?

QUòd ſolvi id liceat Turcæ, aut alteri, qui per Eccleſiam compeſci non poſſit, pagano Principi, eſt jam dictum. Verùm fideli Principi hanc ſolutionem reſpondeo non poſſe fieri. Etenim in novella hiſtoria ad quadrageſimum duodecimi ſæculi annum ſcribit Guilielmus Malmesberienſis Monaſterii Bibliothecarius: *Monachi Abbatiarum, quas Rogerius Saresberienſis Epiſcopus contra fas tenuerat, Rege adito antiqua privilegia & Abbates habere meruerunt. Electus eſt in Abbatem Malmesberiæ à Monachis ſecundùm tenorem privilegii, quod Beatus Aldelmus à Sergio Papa impetrarat, ejuſdem loci Monachus Joannes, vir benignitate morum, & mira liberalitate apprimè inſignis. Probavit Legatus cauſam, improbavit perſonam. Nullo enim modo ejus menti perſuaderi poterat Regem præter dationem pecuniæ electioni conſenſiſſe.* Apoſtolicus Legatus noverat Stephani Regis avaritiam & ſordes: Hinc & ipſum violenter exegiſſe, & Electum dediſſe nòn dubitavit, ideoque & hunc nòn permiſit conſecrari. Cenſebat non ſolam Regis violentam exactionem, ſed etiam invitam Electi donationem eſſe veram Simoniam.

Ejuſdem ſententiæ fuit Landericus, Auguſtodunenſis Eccleſiæ Archidiaconus, & Matiſconenſis Cathedræ Electus. Etenim hanc ſuam Cathedram manere diu deſolatam, & omnem ejus Eccleſiam ferè ad nihilum redigi maluit, quàm Philippo primo Francorum Regi, pro Regio conſenſu aurum exigenti, obedire. Quòd nempè cenſeret ſe obedire non poſſe citra Simo- Lib. 1.
niam. Quæ omnia latè habes in Epiſtola Grego- Ep. 35.
rii ſeptimi ad Rodericum Cabilonenſem Epiſco- 36.
pum, & ad Humbertum Archiepiſcopum Lugdunenſem. Et doctiſſimus ille Pontifex Landerici ſententiam probavit per omnia, cenſuitque veriſſimam. Eamdem ſupponit ac docet apud Luitprandum Ticinenſis Eccleſiæ Diaconum Lambertus Archiepiſcopus Mediolanenſis: *Dum Lambertus, utique Canonicè electus, Mediolanenſis Ar-* Lib. 2. c.
chiepiſcopus ordinari debuiſſet, non parvam ab eo 15.
Rex Berengarius, contra Sanctorum Patrum Inſtituta, accepit pecuniam. Lambertus igitur, Archipræſulatus amore vehementer animatus, quæcumque Rex poſceret, quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris, quòd ſequens lectio declarabit. Luitprandus ex unanimi totius tunc Italiæ, immò & totius Eccleſiæ judicio adfirmat non ſolùm Berengarium, ſed etiam Lambertum fuiſſe verè Simoniacum. Quod item ipſe Lambertus agnovit.

Sanctus Anaſtaſius Antiochenus, & Sanctus Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus erant non tantùm Canonicè electi, ſed etiam confirmati, conſecrati, miſſi in plenam poſſeſſionem. Et tamen ille exulatum abire, hic Imperialis Eunuchi Chryſaphii & ipſius Imperatoris Theodoſii indignationem ſubire maluit, quàm violenter exactus aliquid dare. Sacrilegis exactionibus adeò cenſuerunt non parendum, ſed uſque ad mortem repugnandum. Nam & in hoc puncto pependit Sancti Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi violentum exilium, de quo ſcribit Radulfus Dicetanus: *Guilielmus Rex, qui æger ex mortis metu Epiſcopatum gratis dederat, in corpore* A. 1097.
convaleſcens, ægrotare cœpit in animo. Nam in propriis facultatibus diſpergendis effuſior, alienas perſcrutari non deſtitit. Tandem ad Sanctuarium Dei currens, mille libras Argenteorum, fiſcalibus commodis applicandas, ab Archiepiſcopo petebat inſtantiùs, cauſam allegans, ut ſibi videbatur, juſtiſſimam, quoniam gratis in promotione ſua promptum præbuiſſet adſenſum. Archiepiſcopus verò ad indiffe-

ren-

rentiam trahens, an ante promotionem, vel poſt, talem ob cauſam numeraret pecuniam, pari ſententia feriendum decrevit utrumque. Sed quia Regis ſaccos implere non poterat, niſi priùs bonam conſcientiam evacuaſſet; elegit potiùs Regis indignationem incurrere; quàm diſpendium famæ, quàm periculum animæ, quàm confuſionem in poſterum, quàm imprecationem multorum in Dei Eccleſia ſubire. Voluntarius exul abiit Romam, ab Urbano Pontifice poſtulaturus conſilium. Quod enim non tantùm ante, ſed & poſt promotionem exigi & exactum præſtari ſit plena Simonia, diſertè docent Magnus Baſilius, Magnus Gregorius, Sanctus Gennadius, & plurimi Canones.

Verùm Magnus Gregorius videtur palàm obſtare, qui à Græcis Imperatoribus pro dando in Romani Pontificis electionem conſenſu tunc exactam pecuniam graviſſimè damnavit de Simonia, & tamen eamdem Imperatori Mauritio perſolvit. Quod ipſum uſque ad Leonem ſecundum, & tunc ab Imperatore Conſtantino quarto factam iſtius Simoniacæ ſervitutis remiſſionem fecerunt alii & doctiſſimi & Sanctiſſimi Pontifices. Fecerunt citrà Simoniam. Quis enim Magnum Gregorium audeat blaterare Simoniacum? Hac de re non malè ſcribit in opere de ſacris Ordinationibus D. Franciſcus Hallier Epiſcopus Cavalonenſis: *Neque tamen, quia Simoniaci fuerunt, qui illam pecuniam ab electis Pontificibus exigebant, illicò Simoniacus Divus Gregorius judicandus eſt, qui ipſam invitiſſimè perſolvit, tantumque ab ambitione abfuit, ut nullum non moveret lapidem, ne Pontifex crearetur. Non reliqui Simoniæ rei Summi Pontifices, qui eandem perſolvere coacti ſunt. Hi enim injuſtam Eccleſiæ vexationem redimebant, non emebant dignitatem. Moras conſecrationis, Eccleſiæ nocivas, data pecunia, qua Imperatoriam ſibi conciliarent gratiam, repellebant, non pretio Pontificatum mercabantur.* Pontifex ac Imperator erant duo in eodem opere; at ſolùm unus Simoniam committebat.

Reſpondeo hæc eſſe vera. At iſta veritas locum non habet, niſi in extrema neceſſitate. Vacantium Eccleſiarum Capitula ac ipſarum Electi imitari debent Matiſconenſis Eccleſiæ Clerum, ac ejus Electum Landricum, qui iſtam Eccleſiam diu deſolatam vacare, & ferè ad nihilum redigi maluerunt, quàm Simoniacas iniqui Regis exactiones explere. Cenſuerunt Regem priùs accuſandum apud Sedem Apoſtolicam, & ab ipſa implorandum auxilium. Quod ſeptimus Gregorius potenti manu omninò dedit. Etenim Philippum Francorum Regem de excommunicatione terruit, & Humberto Metropolitæ injunxit, ut Electum ſine Regio conſenſu ſtatim conſecraret. Etiam Sanctus Anſelmus adversùm Regias exactiones abiit Romam. Ita omnes obligamur totis viribus, & omni cum patientia ad Eccleſiæ libertatem conari. Quod ſi Apoſtolica Sedes ſuffragari aut negligat aut non valeat, poſſimus imitari Magnum Gregorium, diuturnas Eccleſiarum vacationes, & varias hinc calamitates redimere, & Principis iniquitatem patienter citrà Simoniam tolerare.

Notanda tamen hìc eſt doctrina, quam in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem tradit Sanctus Jvo Carnutenſis Epiſcopus: *Multi Electi, qui gratuitam & Canonicam habent electionem, quia hujuſmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur, comparatis ſibi pecunia mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulſam, in Simoniacam offendunt aliquando conſecrationem.* Ep. 60. Regias Antiſtitum & nominationes & inveſtituras rigidiſſimè damnarat atque proſcripſerat Gregorius ſeptimus. Quidam Reges cedebant nominationibus, permittebantque Canonicas electiones, verùm inveſtituras nolebant dimittere, & Electis recuſabant ſine ipſis impartiri Regium adſenſum. Hinc Electi ceſpitabant inter incudem & malleum: Inter contrarias Romani Pontificis & ſui Regis voluntates. Quidam Regem emolliebant per pecunias, aut certè per emptos pecunia mediatores. Et cenſebant vexam à ſe redimi. Aſt ipſos Jvo damnat de Simonia. Et rectè. Quapropter Electi, licèt Regiis exactionibus parere poſſint in extrema patientis Eccleſiæ neceſſitate, ipſas tamen provocare non poſſunt, neque ad accelerandum negotium vel Principi vel Mediatoribus pecunias offerre. Hoc enim eſt iniquitatem facere, non pati.

Quidam Principes non pro facta aut facienda certæ perſonæ, ſed pro facienda generatim nominatione, quidam item non pro confirmando Electo, ſed pro concedenda faciendæ electionis licentia exigunt: Non niſi dato aut promiſſo prœmio volunt nominare, aut iſtam concedere facultatem. Quæritur, An vacans Eccleſia etiam his exactionibus poſſit citrà Simoniam obedire? Hanc facti ſpeciem ſuprà nobis retulit Gulielmus Malmesberienſis, agens de Abbatiis, quas Rogerius Saresberienſis Epiſcopus ſibi commendatas violenter detinuerat, & quibus Anglorum Rex Stephanus jam perpetuò reddebat Canonicam electionem: *Et quidem aliquantum nummorum promiſſum fuerat cauſa libertatis Eccleſiæ, non electionis perſonæ.* Non pro facta aut facienda certæ perſonæ electione, ſed pro recuperando Canonicæ electionis jure ac libertate Malmesberienſe Cœnobium dederat: Et hoc in puncto Gulielmus exiſtimat à ſuis Confratribus non patratam Simoniam. Quod ipſum videtur ſenſiſſe Legatus Apoſtolicus. Etenim à Monachis electum Joannem confirmare noluit, quia *nullo modo ejus menti perſuaderi poterat Regem præter pecuniæ dationem in Electum conſenſiſſe.* Opinabatur non pro electionis recuperanda libertate, ſed pro Regio in Electi perſonam adſenſu fuiſſe datum: Priorem dationem videtur non damnaſſe.

Similem facti ſpeciem adducit Henricus Huntindonienſis Eccleſiæ Archidiaconus: Lib. 7. fol. 373. *Guilielmus junior Angliæ Rex infirmatus eſt, deditque Roberto Cancellario ſuo Epiſcopatum Lincolnienſem. Promiſit quoque ſe pravas leges emendaturum, & in domo Dei pacem poſiturum. Sed ex quo ſanus fuit, pœnituit eum, & ſolito pejor effectus eſt. Condolens igitur, quod Lincolniæ Epiſcopatum non vendiderat, cum Eboracenſi Archiepiſcopo calumniatus eſt Robertum Epiſcopum, quod urbs Lincolniæ Archiepiſcopo eidem ſubjacere debuiſſet. Nec poterat cau-*

ſa terminari, donec Robertus quinquies mille libras pro libertate Eccleſiæ ſuæ pepigerit. Quod Regi quidem Simoniæ, Præſuli verò juſtitiæ deputatum eſt. Quod nempè Epiſcopus non pro ſua perſona, aut accepto Epiſcopatu, ſed pepigiſſet pro ſuæ Eccleſiæ libertate, atque ita ipſius iniquam vexationem redemiſſet.

Henricus rectè addit: *Quod Regi Simoniæ deputatum eſt.* Quod enim Reges, uti pro nominanda aut confirmanda certa perſona, ita etiam pro concedenda eligendi licentia, aut pro facienda generatim nominatione nihil poſſint exigere, certum eſt atque manifeſtum. Etiam hìc omnino verum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Quæſtio eſt; An vacans Eccleſia poſſit Simoniacam exactionem ſine Simonia explere? Reſpondeo paſſim non poſſe. Etenim ubi exactio eſt Simoniaca, etiam ſolutio paſſim eſt leproſa. Ut purgetur, adeſſe debent omnes circumſtantiæ, quas jam requiſivi ad purgationem ſolutionis pro facienda nominatione certæ perſonæ, aut dando in Electum Regio conſenſu. Omnia hæc laborant eadem ſcabie: Sunt æqualiter fœda ac ſcelerata.

Altera Decreti pars exponitur.

HÆc Decreti pars ortum ducit ex quęſtione, quam adverſus Petrum Papienſem, ſuum Epiſcopum, habuère Sanctus Joannes Gualbertus, omne ejus in Umbroſa Valle Monaſterium, Theuzo intra Florentinam civitatem incluſus Anachoreta, aliique omnes Florentini Monachi. Audiamus rem ex laudati Joannis authentica vita: *Vir beatus Epiſcopum Florentinum, Petrum nomine, Patria Ticinenſem, non ſolùm Simoniæ, ſed etiam hæreſis propter illud vitium cum ſuis fratribus reum adſerebat, nec ab illo Sacramenta percipienda dictitabat. Inde verò vehemens orta eſt contentio in Clero & populo Florentino, aliis Epiſcopum defendentibus, aliis Monachos laudantibus, quod tanta libertate iſtud vitium deteſtarentur.* Cunctæ tragędiæ auctor atque incentor fuit Theuzo, de quo eadem vita: *Theuzo is ſenex dicebatur, & apud beatæ Mariæ Eccleſiam Florentiæ in quadam cellula ſe incluſerat, permultique ad eum confluebant, ſalutaria ab illo conſilia expetentes. Valde autem Simoniæ labem deteſtabatur, qua tunc multi in Eccleſia contaminati erant. Ab illo igitur Joannes ſciſcitabatur, num ſub Abbate Simoniaco intra ſuum Monaſterium Chriſto militare deberet, vel quid faciendum eſſet? Conſuluit ille, ut cum ſocio palàm in foro civitatis coram omnibus proclamet Epiſcopum & Abbatem Simoniæ vitio obnoxios teneri, ac deinde loco cederent. Quod conſilium, tametſi à communi legum tramite abhorreret, ſimpliciter ille ſecutus eſt.* Joannes Gualbertus priùs in Paſſiniano Hetruriæ Cœnobio egit Monachum: Iſtud ex dicta occaſione deſeruit, inſtituitque Ordinem Vallis Umbroſæ. Quod tunc Epiſcopatus & Abbatiæ paſſim venderentur à Regibus, ſuprà eſt abundè oſtenſum. Quin & poſt celebratam Turonenſem Synodum ſcripſit ad Sancti Martini ibidem Canonicos Urbanus ſecundus: *Quia in beati Confeſſoris Martini Eccleſia conſuetudo pravitatis inoleverat, ut honores ſeu Præbendæ omnes pretio acquirerentur, nos locum illum ſanctum ab hac exſecrabili peſte emendare cupientes, &c.* Etiam poſt toties iterata noſtri Gregorii rigidiſſima Decreta peſtilens mos adhuc vigebat in tam illuſtri Galliæ Eccleſia, nec non niſi per præſentem Urbanum potuit eradicari. Exſtat Epiſtola apud Dominum A. 1096. Cardinalem Baronium. Quam animosè atque inſolenter Florentini Monachi egerint adversùs ſuum Epiſcopum Petrum, eſt etiam in ſuperioribus oſtenſum ex Sancto Petro Damiani.

Ipſos ad modeſtiam & debitam Epiſcopo reverentiam exhortatus eſt hic idem Petrus, multis oſtendens non ciendas turbas à veris Monachis, nec rebellandum Epiſcopis: Eorum crimina accuſanda ac probanda in Synodali judicio, & non niſi iſtic damnatorum communionem eſſe vitandam. Et reverà ſic ſanxit octava Synodus. Et adversùs Syrorum Monachorum in ſuos Epiſcopos, quos blaterabant Neſtorianos, poſt Epheſinum latrocinium patratas Eutychianas inſolentias prodiit quartus, novis morbis novam novi juris medicinam inducens, Canon Chalcedonenſis. Porrò Patriarchalem Synodum tunc in Lateranenſi Baſilica celebrabat Alexander ſecundus, & Petro Damiani obtemperans Joannes Gualbertus fecit cum ſuis Monachis quod addit ejus vita: *Poſteà Monachi cum amicis ſuis Romam profecti Petrum Florentinum Epiſcopum publicè, & quidem conſtanter, hæreticum & Simoniaca labe fœdatum proclamant, & ejus rei confirmandæ cauſa offerunt ſe paratos ad ſubeundos ignes. Verùm Alexander Pontifex, qui tum in Patriarchio reſidebat, nec accuſatum deponere voluit, nec ut Monachi ignem ingrederentur admittere. Maxima enim Epiſcoporum pars, qui ad Synodum generalem convenerant, Epiſcopo favebant, & Monachis adverſabantur. Sed Hildebrandus Archidiaconus, qui poſteà fuit Gregorius ejus nominis ſeptimus Romanus Pontifex, partibus beati Joannis favebat, eaſque tuebatur. Porrò Dux quidam Godefridus uſque adeò favebat Epiſcopo, ut mortis minas Monachis intentaret.* Fuit is Godefridus Lotharingiæ Dux, per initum cum Beatrice matrimonium etiam Thuſciæ Princeps, quem Epiſcopatuum & Abbatiarum nundinatione fuiſſe etiam infectum, & à cujus Capellanis iſtud facinus fuiſſe pertinaciter probatum ac defenſum, eſt ſuprà demonſtratum.

Joannes Gualbertus, quòd occulti criminis plenam probationem nequiret facere in judicio, imitatus eſt Abbatem Coprim, qui in Lauſiaca Palladii Helenopolitani Epiſcopi hiſtoria dicit ad ſuos Monachos: *Unum magnum miraculum præbuit mihi Deus multis præſentibus. Cùm enim* C. 54. *in civitatem aliquando adſcendiſſem, inveni quemdam virum Manichæum, qui populos ſeduxerat. Cùm autem non poſſem ei publicè perſuadere, dixi converſus ad multitudinem: Magnum rogum in platea accendite, & ingrediamur in flammam, & qui ex nobis illæſus à flamma manſerit, is habeat bonam fidem. Poſtquam autem hoc factum eſt, & turbæ rogum citò accenderunt, ipſum mecum trabe-*

trahebam in ignem. Is autem dicit: Unuſquiſque ſeorſim ingrediatur, debeſque primus ingredi, qui juſſiſti. Cùm autem in nomine Chriſti ſignatus eſſem ingreſſus, flamma in hanc & illam partem diviſa me nulla adfecit moleſtia, cum ſemihoram in ipſa eſſem moratus. Turbæ autem viſo miraculo exclamarunt, & cogebant illum pyram pervadere; is autem nolebat, timore correptus. Cùm eum autem accepiſſent populi, in medium protruſerunt, & totus flamma ambuſtus, dejectus eſt è civitate, clamantibus populis; Seductorem viventem exurite. Me autem turbæ accipientes, & laudibus proſequentes, deduxerunt in Eccleſiam. Et de Sancto Efremio Patriarcha Antiocheno, neſcio quem Severiana lepra infectum Stylitam adhortante ad fidem Chalcedonenſis Synodi, ſcribit in ſpirituali Prato Sanctus Sophronius Hieroſolymæ Patriarcha:
C. 36. *Dicit Stylites, accendamus ignem, Domine Patriarcha, & ingrediamur ſimul, & quem flamma non læſerit, ille orthodoxus erit.* Erat hæretica Divinæ Majeſtatis tentatio; ipſam Efremius non probavit, rogavit Stylitem ingredi primum, at ille non præſumpſit. Hinc pergit Sophronius: *Tunc exuens ſe, qua indutus erat, ſtola Patriarchica, cum acceſſiſſet propè ignem, oravit. Et completa oratione, jactavit ſtolam ſuam in mediis ignibus. Cum autem ignis quaſi per tres horas duraſſet, ligna que jam igne conſumpta eſſent, tulerunt inde ſtolam integram, ita ut nulla ignis indicia in ea deprendi poſſent.* Et ita Stylites eſt veram fidem converſo corde amplexus. Et ad Anaſtaſii Imperium ſcribit Georgius Cedrenus: *Duobus Epiſcopis de fide*
F. 359. *altercantibus, Orthodoxo & Ariano, cùm hic diſſerendi arte polleret, ille pietate & fide fretus banc Ariano conditionem obtulit, ut omiſſa diſputatione in ignem ſeſe darent, itaque uter ipſorum pietate præſtaret, notum fieret. Recuſante Ariano, ipſe intravit ignem, & ſtans in medio ejus verba ad multitudinem fecit; Deo ipſum incolumem conſervante.* Quod etiam Antiochiæ repertam, de cujus veritate quidam dubitabant, Dominicam lanceam, neſcio quis Clericus Bartholomeus ſuo per ignem tranſitu probarit, teſtantur Magnum Belgii Chronicon, Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis, & in ſacri belli hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyrio-
L.7.c.18. rum. Et de Sancti Martyris Arnulfi Reliquiis ſcribit in libris de ſua vita Guibertus Novigenti Abbas: *Brachium Beati Arnulphi Martyris, cum Oppidanos reddidiſſet ambiguos, ad probationem ignibus eſt injectum, ſed exindè ſaltu ſubitò eſt ereptum.*

Nequaquam unus dumtaxat Monachus, ſed omninò plures ad probandam Petri ſui Epiſcopi Simoniam rogarunt ignem intrare. Idque apud plenam in Lateranenſi Baſilica Synodum. Et pergit Sancti Joannis vita: *Sanctus Alexander Papa ſecundus nec accuſatum Petrum Epiſcopum eo tempore voluit deponere, nec igneam examinationem ſuſcipere, quoniam maxima pars Epiſcoporum illius Petri parti favebat, & Monachis vehementer obſiſtebat. Et interim cum accuſatione ritè facta res agitari cœpiſſet, cœperunt multi ſibi timentes valdè ſævire contra Monachos. Inter quos quidam Cardinalis, Petrus Damiani nomine, Epiſcopus Oſtienſis, compulſus & rogatus ab æmulis adverſæ partis, obſtitit noſtræ parti, & ſurgens locutus eſt cum Domino ſanctiſſimo Papa Alexandro, dicens: Domine & Pater ſancte, iſti ſunt locuſtæ, quæ dei paſcuntur viriditatem ſanctæ Eccleſiæ. Veniat Auſter, & perferat eas in mare rubrum. Sanctus verò Papa Alexander, contemperando ſe utique, benignè reſpondit, dicens: Iſti homines non omninò ſunt repellendi, quia boni homines ſunt, & ea quæ dicunt, ſimpliciter & bona intentione loquuntur.* Admodum inſolenter in ſuum Epiſcopum ac ejus Divina Officia egerant Monachi: Hinc ipſos Xenodoxię ac Divinæ Majeſtatis tentandæ ſpiritu prurire timuit Sanctus Petrus Damiani, ideoque refutandos cenſuit tamquam improbas locuſtas. In varias ſententias fuit diviſa Synodus, *& penè omnes furebant contra Monachos, & dignos judicabant morte eos, qui temerariè contra Prælatos Eccleſiæ armari auderent.* Verùm Sanctus Domini Spiritus agebat Monachos, atque ita *ſurrexit in Concilio quidam vir egregius & excellentiſſimus, alter quaſi Gamaliel, nomine ſcilicet Hildebrandus, Monachus & Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ, & Cardinalis, qui prius fuit Prior Monaſterii Cluniacenſis, Ordinis Sancti Benedicti, qui poſt deceſſum præfati ſanctiſſimi Papæ Alexandri Apoſtolica eſt dignitate præditus. Et quia placuit ſibi, ut fieret defenſor cauſæ Chriſti, factus eſt poſteà Vicarius ejuſdem Chriſti, hoc eſt, Papa, & vocatus Gregorius ſeptimus. Qui dum eſſet Cardinalis, hanc controverſiam prudenter audiens, & auctoritatem Canonum ſapienter perpendens, Monachorum in univerſis Auditoriis defenſor nobiliter exſtitit, quos non pedetentim ratiocinando, ſed apertè & fortiſſimè defendit contra omnium opinionem.*

Licèt Petrum Damiani non plenè audierit Pontifex, tamen audivit. Abegit enim Monachos, & addidit hunc, in Gratiani Decreto exſtantem, Canonem: *Juxta Chalcedonenſis teno-* 16. q. 1.
rem optimi concilii Monachis, quamvis religioſis, c. 11.
ad normam ſancti Benedicti intra clauſtra morari præcipimus; vicos, caſtella, civitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omninò ceſſare cenſuimus, niſi fortè quis de anima ſua ſollicitus, ut eorum habitum adſumat, eos intra clauſtrum conſulere voluerit. Verba, *Quamvis religioſis*, altè clamant dirigi ſe in Monachos Sancti Joannis Gualberti. Et reverà quartus Chalcedonenſis Canon dirigitur in Syriæ Monachos, qui in ſuos ſibi de Neſtorio ſuſpectos Epiſcopos ſimilia petulantiæ portenta patrarant. Iſte Canon omninò videtur editus in Lateranenſi Alexandri Synodo. Verùm quoniam ejus expoſitio pendet à noſtri Gregorii Decreto ipſum duxi loco huic reſervandum. Quidquid ſit, Synodali adverſùm Monachos judicio non contentus Petrus Epiſcopus, à municipali Florentinæ civitatis Præſide impetravit etiam hoc Edictum: *Ut quicumque Laicorum, quicumque Clericorum ſive Epiſcopo non cederet, ſive ſuo imperio non obediret, ad Præſidem vinctus duceretur, ſed & traberetur. Si autem quis his minis territus de civitate fugeret, ad dominium Poteſtatis adſumeretur, quidquid poſſediſſet.* Ita habes in Epiſtola, quam de facta à Monachis per ignem probatione ſcripſit ad Alexandrum Pontificem Clerus & populus Florentinus. Exſtat illa apud Sanctum Attonem Piſtorien-

ſtoienſem Epiſcopum in vita Sancti Joannis Gualberti. Et hinc Monachi omninò acquieverunt, ac ſiluerunt.

Quæſtio eſt, An iſta Epiſtola fuerit ſcripta ad Alexandrum ſecundum? Adfirmant & laudatus Atto, & ipſa Epiſtolæ inſcriptio. Confirmat & alia, quam Laurentius Surius exiſtimat eſſe Blaſii Melaneſii opus, Sancti Joannis vita. Igneæ adversùs Petrum Epiſcopum probationis ſucceſſum exponit, atque proſequitur: *Senatus, populuſque Florentinus rem totam ſolennibus litteris perſcribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, ut quemadmodum Simon Petrus Simonem magum maledictione damnavit, ita ipſius Sanctitas velit Petrum Florentiæ Epiſcopum ea dignitate privare, & alium ei ſubſtituere. Fecit ità Pontifex Alexander, juſtitia id exigente, ob tollenda ſcandala. Et alius Florentinis eſt datus Antiſtes.* Reſpondeo ipſam Epiſtolam clamare aliud. Etenim paratum intraturo Monacho ignem exponit, & ſubjungit: *His viſis, clamor omnium in cælum attollitur, Kyrie Eleiſon flebiliſſimè pleno ore cantatur. Jeſus Chriſtus creberrimè, ut exurgat, cauſamque ſuam defendat, oratur. Maria ejus mater, ut hoc ſibi ſuadeat, multùm à viris, plurimumque à fœminis ſupplicatur. Petri Apoſtoli nomen, quò Simonem perdendo damnet, millies ingeminatur. Gregorius Urbis Præſul, ut ad ſuas verificandum properet ſanctiones, ab omnibus oratur.* Hic Gregorius eſt omninò noſter Gregorius ſeptimus, & iſta ejus Sanctio eſt omninò præſens Decretum, quo vetuit audiri ac percipi Divina Officia Epiſcopi aut Clerici palàm Simoniaci. Quapropter hæc ignea probatio non ſub Alexandro fuit facta, ſed ſub ſeptimo Gregorio. Et ità adfirmat accuratiſſimus Scriptor Bertholdus Presbyter Conſtantienſis Eccleſiæ. Et prima de Petri ignei Epiſcopatu & Apoſtolica Legatione authentica mentio eſt ad undecimi ſæculi ſeptuageſimum quartum annum, quo ipſum ad dirimendas inter Sanctus Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, & ipſius rebellem Clerum quæſtiones legavit ſecundo ſui Pontificatus anno laudatus Gregorius, & iſtic apud Sancti Geneſii caſtrum celebrandæ Synodo juſſit præſidere. Ità habes in laudati Anſelmi vita, ſcripta per ejus Pœnitentiarium Presbyterum. Nempè non Alexander, ſed Gregorius Petrum ob igneæ probationis gloriam crearat Romanum Cardinalem ac Albanenſem Epiſcopum. Quomodo ipſum Alexander, qui Chalcedonenſis Canonis innovatione compeſcuerat, ita exaltaſſet? Quomodò Joannes Gualbertus adversùm hæc rigida Decreta recalcitraſſet?

Zeloſi igitur Monachi, quouſque Alexander vixit, ſiluerunt. Zelum reſcuſcitavit præſens Gregorii ſanctio. Hanc zeloſiſſimus adversùm Simoniacos Pontifex, quam ab Alexandro Archidiaconus impetrare non potuerat, ſtatim in ſui Papatus exordio emiſit. Etiam ipſius in Alexandri Synodo impenſum ſibi adversùs Petrum Damiani & alios Epiſcopos ſuffragium norant Monachi, atque ità adversùs ſuum Epiſcopum Petrum denuò inſurrexerunt. Et ſemetipſos & ſuum Epiſcopum denuò poſtularunt ad ignes. Et tam in Clero, quàm in Florentino populo factum eſt grande ſchiſma. Hi iſtos Epiſcopo rebelles, iſti hos dixerunt Hæreticos & Simoniacos, aut certè hæretica Simoniaci Epiſcopi communione pollutos. Et invicem noluerunt communicare. Hinc Epiſcopo faventes Clerici fecerunt, quod ſcribunt in adducta Epiſtola: *Rogavimus Epiſcopum, ut tam ſe quàm nos ab hac infamia liberet, dicentes: Ecce nos, ſi te mundum ſenſeris, Dei pro te judicium ſubire non dubitamus, aut ſi probationem, quam Monachi hic & Romæ voluerunt facere, recipere vis; ad eos imus, eoſque obnixè rogamus.* Verùm conſcientia ligabat atque terrebat Epiſcopum, ideoque omnem oblationem refutavit. Hinc tandem Clerus ac populus Monachos admiſit ad igneam probationem, hujus paraturam deſcribit Epiſtola, & hoc compendio exhibet Blaſius Melaneſius: *Ad extremum Monachi illis, qui Petrum Epiſcopum ſuum defendendum ſuſceperant, ſe per ignem tranſituros adfirmant, & ſi, ut benè confidunt, indè illæſi exierint, hortantur ut idem cum ipſis ſentiant de Simonia Epiſcopi. Sin minùs, paratos ſe dicunt, cum aliis venerari Epiſcopum, & à Simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo iſtud fieri debeat, ut ſi qui velint, poſſint coram intueri. Locus præfixus eſt in Monaſterio Septimi, quod tunc erat Ordinis ſancti Benedicti, nunc autem eſt Ciſtertienſium. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Modus probationis fuit ejuſmodi: Ut in loco publico duæ lignorum ſtrues juxta ſe fierent, quæ obtinerent in longum pedes decem, in latum quinque, in ſublime quatuor & dimidium. Inter utraſque autem ſtrues ſemita intereſſet longitudine brachii, prunis ardentibus conſtrata, per quam unus ex Monachis tranſiret. Ubi advenit ſtatutus dies & hora, invitatur Epiſcopus Petrus à ſuis, ut accedat viſurus tantæ rei experimentum, ne Florentina civitas tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorsùs renuit: Immò ſi qui charum eum haberent, illos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis utriuſque ſexus, & Cleri maxima pars illuc properarunt. Pollicentur fautores Epiſcopi, ſi ea probatio ſuo potiatur effectu, ſe Monachis ſuffragaturos, & ab Epiſcopo defecturos.*

Et ad hanc probationem non anteà quis deſignatus fuit Monachus, ſed è cunctis unus coram populo eſt electus per communia ſuffragia. Electus fuit frater Petrus, Presbyter, ex Aldobrandina familia genitus, de quo pergit Atto Piſtorienſis Epiſcopus: *Vaccarum & aſinorum cuſtodiam in Valle umbroſa, juſſu Beati Joannis Gualberti, humiliter tenuit.* Humilitatem enim Divina gratia conſuevit exaltare. Poſt cantatas à Clero & populo Litanias ille Miſſam cantavit, hac expleta ſolam depoſuit caſulam, Sacroſanctæ Crucis ſignum accepit in manus, ſemetipſum ac revelandam veritatem commendavit Divinæ Majeſtati, ardentes carbones ac flammas intravit nudis pedibus, diu dum in ipſis permanſit, tandem exivit illæſus per omnia, ac ſemetipſum ad denuò intrandum intrepidus obtulit. Amplè hæc refert Epiſtola, & ſubnectit: *Poſtquam egreſſus eſt de igne, dum iterum vellet in focum repedari,*

dari, capitur à populo, deoſculantur præ deſiderio pedes ejus. Præ gaudio beatum ſe quiſque putabat, qui veſtimentorum quamcumque particulam deoſculari valebat. Nempè ſeptimi Gregorii Canon, qui ſolius Papæ pedes oſculandos ſancit, necdum emanaverat. At verò de Sancto Anſelmo Cantuarienſium Primate, exulante apud Romam, & apud Urbanum ſecundum intra Lateranenſe Palatium commorante, ſcribit in ejus vita Edinerus Monachus: *Anſelmus in conventu Nobilium, in proceſſionibus ſemper & ubique à Papa ſecundus erat, præ cunctis honoratus, præ cunctis acceptus, at ipſe omnibus ſimplici humilitate ſubmiſſus. Præterea Angli eo tempore Romam venientes, pedes ejus, ad inſtar pedum Romani Pontificis, ſua oblatione honorare deſiderabant, quibus ille nequaquam acquieſcens, in ſecretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad ſe pacto accedere.* Quid ſit Papales pedes oblatione honorare, exponit in Paſchalis ſecundi vita Anomymus, quem ex Vaticana Bibliotheca laudat Dominus Cardinalis Baronius, Scriptor, dicens de Rogerii Siculi ad illum noviter electum Papam Legatis: *Ex parte Comitis officioſiſſimè Papam ſalutant, atque inclinati ad pedes ejus poſuerunt auri uncias mille.* Quod quaſvis, præterquam in defunctorum Miſſa, oblationes Papa ad ſuos pedes accipiat, teſtatur etiam in libris de Sancto Miſſæ Officio Innocentius tertius. Oblatio iſta fiebat cum pedum oſculo. Hinc ipſam refutavit Anſelmus admittere: Utique propter Dictatum noſtri Gregorii. An Angli hoc officium ſuo Primati, aut aliis etiam Epiſcopis tunc adhuc exhiberent in Anglia, ideoque & Romæ exhibere vellent, ignoro.

De fratre iſto Petro ſcribit in Chronico Con-
A. 1088. rardus Abbas Uſpergenſis: *Petrus Albanenſis Epiſcopus obiit. Iſte per judicium ignis, immenſam pertranſiens illæſus pyram, veſtimentis etiam per flammam volantibus, ſed in nullo læſis, Petrum Florentinum Epiſcopum declaravit Simoniacum. Undè & ipſe poſteà igneus eſt appellatus.* Quod ejus & ſacra ſtola, & manipulus, & capitis cæſaries per flammam, quaſi per ventum, illæſa volarint, teſtatur etiam Florentinorum Epiſtola. Et Bertoldus Conſtantienſis: *Petrus Albanenſis Epiſcopus, in cauſa Sancti Petri ferventiſſimus, migravit ad Dominum. Hic eſt ille Petrus, qui Petrum Papienſem, Florentini Epiſcopatus invaſorem, per judicium ignis eſſe Simoniacum probavit. Unde & deinceps illum Sancta Eccleſia igneum cognominavit. Erat tantæ ſanctitatis, conſtantiæ, & fidei, ut vix aliquis ſui temporis ei potuerit comparari. Hic ergò de hac vita diſcendens magnum mœrorem Catholicis reliquit.* Eumdem laudat in ſuis dialogis Deſiderius Caſſinenſium Abbas, qui poſteà Pontifex fuit Victor tertius. Nec mireris hoc portentoſum Divinæ juſtitiæ contra Simoniacos judicium. Etenim ante Petri in flammas & prunas ingreſſum rectè ad ſpectantem Florentiæ populum clamavit neſcio quis Abbas: *Viri Fratres, pro ſalute animarum veſtrarum hæc facimus, ut deinceps à ſimoniaca lepra, quæ ferè jam totum ſordidat mundum, caveatis. Hujus autem lepræ contagium tam magnum eſſe ſciatis, quod iſtius immanitati cætera vitia comparata ſint quaſi nihil.*

Et hinc ſeptimus Gregorius ſua in ſimoniacos Decreta etiam per Divinam Majeſtatem probari & firmari, eſt admodum lætatus. Petrum Florentiæ Epiſcopum degradavit, igneum verò Petrum creavit Cardinalem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Albanenſem Epiſcopum. Et per ejus ad varias gentes legationem explevit magna negotia. Gregorii Decreta improbavit ac impugnavit Sigebertus Gemblacenſis, adfirmans ipſa fuiſſe anſam & cauſam, ex qua populus ſuorum ſimoniacorum aut conjugatorum Præpoſitorum Sacramenta ac quævis Divina miniſteria non tantum refutarit, ſed conculcarit inſuper, & multiplici injuria adfecerit. Poſſit populus etiam ex Divino per ignem judicio ſibi fabricaſſe fomenta. Quidquid ſit, Gregorii præſens Decretum probavit in Beneventana Synodo etiam Victor tertius, proximus ſucceſſor: *Cum hujuſmodi*, per Regiam ſimoniam promotis, *Epiſcopis, Abbatibus, aut Clericis reliquis qui communicat, vel orat, aut ipſorum Miſſas adit, una excommunicationis ſententia plectatur, qui nec Sacerdotes quidem rectè putari poſſunt.* Pœnitentiam item & Euchariſtiam vetat ab illis accipi. Et videtur loqui etiam de articulo mortis. Quod nempè ſimoniacus Miniſter ſit hæreticus atque infidelis. Hinc adjungit: *Sacram Chriſti communionem quamvis viſibiliter & corporaliter Catholici propter imminentes hæreticos habere non poſſint, dum tamen mente Chriſto conjuncti ſunt, ejus communionem inviſibiliter ſumunt.* Et ſic omninò fecit Sanctus Hermenigildus. Sine abſolutione & Euchariſtia mori maluit, quam ipſa percipere ab Ariano Epiſcopo. Et de Conſtantienſi per Geberardum ejuſdem civitatis Epiſcopum, Urbani ſecundi in Germania Legatum, celebrata Synodo ſcribit Bertholdus ibidem Presbyter: *Geberardus incontinentiam Presbyterorum ac violentiam ſimoniacorum adeò prohibuit, ut etiam populum ab eorum officiis prohiberet, ſi ipſi in tali facinore poſiti contra fas & jus miniſtrare præſumpſiſſent.* A. 1094.
Quod ipſum in variis Synodis ſtatuit Urbanus ſecundus, & acerrimè defendit in litteris ad Lucium Sancti Juventii Ticinenſis Præpoſitum. Et Joannes ac Benedictus Cardinales, Paſchalis ſecundi per Galliam Legati, in ſua prima Pictavienſi Synodo ſanxerunt: *Ut nullus Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus concubinam habeat, ſed nec aliam fœminam, undè magna ſuſpicio habeatur, in una domo ſecum habeat. Et quicumque hujuſmodi Sacerdotis concubinarii, ſive per Simoniam ordinati Miſſam ſcienter audierint, excommunicationi ſubjacere debeant.* Requirunt non evidentem criminis notitiam, ſed fundatam dumtaxat ſuſpicionem. Eſt ſingularis rigor.

Petri ignei per Bertholdum Conſtantienſem laudata fides exponitur.

QUæſtio eſt, An iſtud Ignei Petri opus fuerit vulgaris probationis ſpecies? Reſpondeo non fuiſſe. Etenim vulgares probationes numquam admiſit Romana Eccleſia. Quomodo igitur præſentem probationem, ſi fuiſſet vulgaris, à plena Alexandri ſecundi Synodo poſtulare præſumpſiſſet Sanctus Joannes Gualbertus? Quomodo poſtulationi faviſſet Cardinalis Hildebrandus? Quomodo Sanctus Petrus Damiani ipſam hac exceptione non eliſiſſet? Et ſimilem, quo repertam Antiochiæ lanceam eſſe verè Dominicam probavit neſcio quis Clericus, ignis ingreſſum venerabilis Guibertus Novigenti Abbas in
L. 6. c. 22. libris de ſacro bello appellat *inuſitati operis auſum*. At verò vulgaris probatio erat tunc uſitatiſſima. Erat vulgaris. Et ſuperiùs adducta ex Palladio, Sancto Sophronio, & Cedreno exempla manifeſtè non pertinent ad vulgares probationes. Has enim Romanæ Reipublicæ Barbari laceratores priùs induxerunt in Eccleſiam. Sub magno Gregorio Gothorum in Hiſpania Rex Richaredus cum omni ſua gente Ariana ſuſcepit orthodoxam fidem, ortaque eſt quæſtio de repertis apud ipſos Sanctorum Reliquiis. Et ſta-
C. 2. tuit Cæſar-Auguſtana Synodus: *Pontificibus præſentatæ igne probentur*. Statutum id fuit, non à Gothis, ſed à Romanis Epiſcopis, vulgares probationes tunc omnino ignorantibus.

Inter ſpiritalia Eccleſiæ chariſmata Sanctus Apoſtolus Paulus in prima ad Corinthios Epiſto-
C. 12. la numerat etiam fidem: *Alteri datur fides in eodem Spiritu*. Et iterùm: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Hæc eſt fides, qua Sanctum Stephanum fuiſſe plenum Sanctus Lucas ſcribit in Apoſtolicis Actis. Et de qua Dominus in Evangelio: *Cùm venerit filius hominis, putas inveniet fidem ſuper terram?* Et iterùm: *Fides tua te ſalvum fecit. Non inveni tantam fidem in Iſrael. Modicæ fidei quare dubitaſti? Habete fidem Dei. Quicumque dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei. Fiat vobis ſecundùm fidem veſtram*. Et Sanctus Jacobus Apoſtolus: *Poſtulet in fide, ni-*
C. 1. *hil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui à vento movetur & circumfertur. Non ergò æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino*. Exponit contra Luciferianos Sanctus Hie-
C. 6. ronymus: *Neque Centurio, neque illa muliercula, quæ duodecim annos fluxu ſanguinis tabeſcebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant, quæ poſt Chriſti Reſurrectionem Apoſtolis manifeſtata ſunt, ut meritò fides horum, quæ in myſterio eſt laudaretur, ſed ſimplicitas mentis, & devota Deo ſuo anima approbata eſt. Hæc eſt fides, quam raro inveniri Dominus demonſtravit. Hæc eſt fides, quæ etiam apud eos, qui benè credunt, difficilè perfecta invenitur*. Fiat tibi ſecundum fidem tuam: *Hanc ego vocem audire nolo. Si enim ſecundùm fidem meam mihi fiat, peribo. Et certè credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, credo in Deum Spiritum Sanctum: Et tamen ſecundùm fidem meam nolo mihi fieri*. Sanctus Hieronymus erat ſimilis illi, qui Domino dicenti, *Si credis, omnia poſſibilia ſunt credenti*, reſpondit: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*. Hæc fides non eſt Chriſtianæ juſtitiæ neceſſaria pars & fundamentum, ſed firma in Deum fiducia, qua poſſimus & impetremus omnia, quæ ab ipſo ſupplicamus. *Hæc eſt fiducia*, inquit Sanctus Joannes Apoſtolus in prima Epiſtola, *quam* C. 5.
habemus ad eum, quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Eſt chariſma, ſeu gratia gratis data, de qua ad Romanos ſcribit etiam Apoſtolus Paulus: *Ipſe Spiritus teſtimonium* C. 8.
reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei. A quo malè intellecto teſtimonio circumſcripti Martinus Luterus, & Joannes Calvinus dogmatizant firmam ſine omni formidine de accepta per Chriſtum peccatorum remiſſione fiduciam eſſe noſtræ juſtificationi neceſſariam, immò ipſam ſolam eſſe Chriſtianam juſtitiam. Imperitè. Nec enim juſtificantem fidem, ſed primævæ Chriſtianitatis chariſma laudat Apoſtolus, laudatum & à Domino: *Fiat tibi ſecundùm fidem tuam*. Et conſtanter dicimus cum Sancto Hieronymo: *Hanc ego vocem audire nolo. Si enim ſecundùm meam fidem mihi fiat peribo*. Eadem docet in horum Apoſtolicorum ad Corinthios verborum, *Alii datur fides in eodem ſpiritu*, commentario Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Fidem non dicit Apoſtolus eam, quæ eſt dogmatum, ſed ea quæ eſt ſignorum. De qua dicit*: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapi, dicetis huic monti, Tranſi hinc, & tranſibit. *De ea quoque rogabant Apoſtoli dicentes*: Adde nobis fidem. *Hæc eſt enim mater ſignorum*. De Sancto Martino, Ithacianis communicante, ſcribit in tertio dialogo Sulpitius Severus: Ad patranda miracula *ſenſit detrimentum virtutis*. Quod C. 16.
patraturus miracula Martinus ſentiret ſibi advenire virtutem, teſtatur idem Scriptor in aliis locis. Hæc virtus erat jam laudata fides.

Aliud primævæ Eccleſiæ chariſma adducit Apoſtolus in prima item ad Corinthios Epiſtola: *Si lingua orem, ſpiritus meus orat, mens autem* C. 14.
mea ſine fructu eſt. Et in Epiſtola ad Romanos. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam* C. 8.
quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Exponit in vigeſima quinta ſuper priorem ad Corinthios Epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Erant antiquitùs multi, qui orationis donum habebant cum lingua. Et orabat quidem, & lingua loquebatur; aut Perſarum, aut Romanorum voce orans, mens autem neſciebat quod dicebatur. Spiritus, hoc eſt, donum datum movens linguam. Et ideo dicit Apoſtolus: Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Adfirmat vocalis orationis chariſma fuiſſe duplex; Iſtam enim ſibi a Deo datam orationem aliqui intelligebant, aliqui non. Et horum chariſma eſſe cum multa diſcretione uſitandum monet iſtic Apoſtolus. Rituales Eccleſiæ voces, *Dominus vobiſcum, & cum ſpiritu tuo*, laudat in trigeſima ſexta homilia

idem Sanctus Joannes, atque proſequitur de laudatis per Apoſtolum chariſmatibus: *Sed nunc illorum donorum ſymbola ac ſigna tantùm tenemus. Nam nunc quoque duo aut tres dicimus, & viciſſim, & alio tacente alius incipit. Sed hæc ſunt tantùm illorum ſigna & monimenta. Propterea quando incipimus dicere, populus reſpondet*, Spiritu tuo, *oſtendens quod olim ſic dicebant, non ſua moti ſapientia, ſed Spiritu. Sed non nunc. De me jam loquor. Sed Eccleſia nunc eſt ſimilis mulieri, quæ à veteri proſperitate excidit, & multis in locis ſola tenet ſymbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem ſolas oſtendit thecas & arculas, divitiis autem eſt privata. Ei nunc eſt ſimilis Eccleſia.* Etiam adducta Apoſtoli ad Romanos verba commentatur: *Obſcurum eſt hoc dictum. Propterea quod multa ex iis miracula, quæ tunc fierent, fieri nunc deſinant. Eapropter neceſſe nobis eſt rerum illarum ſtatum vos docere, atque ita demum apertior erit ſermo.* Inter primævas gratis datas gratias adfirmat olim fuiſſe & ſpiritale precandi chariſma, quo quis noſſet quid Divina Clementia ſe vellet orari ab Eccleſia, quid concedere, quid denegare. *Hic obtinebat Prophetiæ donum, ille ſapientiæ, ille ſanitatum, ille Poteſtatum, ille autem linguarum. Porrò unà cum his omnibus erat Precum donum, quod & ipſum ſpiritus dicebatur. Quo qui præditus erat, pro plebe univerſa preces fundebat. Quandoquidem enim multa ignoremus eorum, quæ nobis conducunt, quæ minimè conducunt poſtulamus, acceſſit donum Precum ad unum aliquem eorum qui tum viverent, qui quod communiter univerſitati Eccleſiæ conducebat, id tum ipſe pro omnibus poſtulans ſtaret, tum alios doceret. Spiritum igitur hic vocat Apoſtolus tum tale donum, tum animam eam quæ donum ſuſciperet, quæque apud Deum intercederet ac gemeret. Qui enim hujuſmodi gratia dignus eſt habitus, is magna cum animi compunctione ſtans, multis item cum gemitibus, quæ omnibus ſint uſui poſtulat. Cujus & nunc ſignum Diaconus eſt, pro populo preces ejus offerens.* Per iſtud unius donum quævis adunata Eccleſia cunctas ſuas communes poſtulationes quaſi ſtata atque infallibili lege olim impetrabat. Quæ omnia Sanctus Chryſoſtomus repetit in decima octava ſupra ſecundam ad Corinthios, & in prima Homilia ſupra Epiſtolam ad Coloſſenſes. Proinde hæc Ritualia verba, *Dominus vobiſcum, Et cum ſpiritu tuo*, ſunt omninò Inſtitutum Apoſtolicum. Per priora Sacerdos precabatur, ut Precum chariſma vel cunctis adſtantibus vel ipſorum alicui Divina Clementia dignaretur infundere, atque ita omnem Collectam exaudire. Per poſteriora verba reponebat populus iſtud donum longè magis convenire ipſi Sacerdoti, utpotè qui per ſuſceptum ſacræ Ordinationis Sacramentum jam eſſet apud Divinam Majeſtatem Mediator ac Legatus. Adducta verba ſunt laudati chariſmatis ſignum, theca, & arca. Et quia non iſtud, ſed ſola hæc jampridem ſuperſunt noſtris Collectis, reverà ſumus ſimiles mulieri, quæ à veteri proſperitate excidit, & multis in locis ſola retinet ſymbola antiquæ felicitatis; quæ monilium quidem oſtendit thecas & arculas, divitiis autem eſt privata.

Inter primæva chariſmata Apoſtolus ponit etiam *Diſcretionem ſpirituum*. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus in trigeſima nona ſuper primam ad Corinthios Epiſtolam homilia commentatur: *Quid eſt diſcretio ſpirituum? Noſſe quis ſit ſpiritualis, quis non ſpiritualis, & quis impoſtor.* Hinc addidit Apoſtolus: *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent.* Et rursùm Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Hoc Apoſtolus* Homil. 36.
dixit ad eos monendos, ut caverent, ne inter eos incurreret vates aut Divinator. Eadem de cauſa Apoſtolus, chariſmatum naturam & ſpecies expoſiturus, fuit præfatus: *Scitis, quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini, euntes.* Et Sanctus Joannes: *Multi illic erant Divinatores, utpotè quod Græco ritu magis eſſet affecta civitas. Et cum aliis hoc quoque eos ſupplantabat & conturbabat. Quamobrem in principio ponit Apoſtolus id, quod intereſt inter Divinationem & Prophetiam. Propterea etiam acceperunt diſcretiones ſpirituum, ut diſcernerent & ſcirent, quiſnam ſit qui loquitur quidem mundo ſpiritu, quis immundo. Etenim cùm ſceleratus ſit diabolus, ſubit eos qui prophetant, & facit Pſeudo-Prophetas, tamquam qui ipſi quoque futura prædicant.* Hinc item ad Theſſalonicenſes ſcribit Apoſtolus: *Prophetias nolite ſpernere, omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et Sanctus Joannes: *Tunc multa* Homil.
erat Pſeudo-Prophetarum differentia, tunc contendente diabolo pro veritate ſtatuere mendacium. 26.

Precandi chariſma ſoli Catholicæ, præſertim in Collecta ſeu Apparitura unitæ, Eccleſiæ dabat olim, & etiamnum hodiè dat Divina Clementia. Hinc inter varias, quibus publica noſtra ante Divinam Majeſtatem in Baſilicis Apparitio diſtinguitur ab indiſciplinatis hæreticorum conventiculis, differentias Tertullianus in Præſcriptionum libro ponit & hanc: *Eccleſia unita.* Cap. 43.
Hujus unionis virtutem exponit in libro Apologetico: *Coimus ad Deum, quaſi facta manu precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt.* Et Cap. 39.
in ſequenti capite: *Nos in publicis Imperii neceſſitatibus, jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, & miſericordiam extorquemus.* Et in libro ad Scapulam Africæ Proconſulem: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione, Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in ſiti illa impetravit.* Cap. 4.
Quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ? Tunc & populus adclamans, Deo Deorum qui ſolus eſt potens, in Jovis nomine Deo noſtro teſtimonium perhibuit. Etenim cæci Gentiles invocatum à noſtris militibus Dominum opinati ſunt eſſe ſuum Plu- Cap. 40.
vium Jovem. De qua cæca in Deum vivum ac verum blaſphemia queritur etiam in libro Apologetico. Romani exercitus extremam in Germania, partim à ſiti & æſtu, partim à Barbaris neceſſitatem, & incruentum fulminatricis Legionis de hiſce triumphum latiùs exponunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſareenſis, in ſecunda de quadraginta Martyribus Oratione Sanctus Gregorius Nyſſæ Epiſcopus, Paulus Oroſius, in Marci Aurelii vita Julius Capitolinus,

nus, & in Dionis Caſſii Epitome Joannes Xiphilinus. Nongenta ſeptuaginta Germanorum millia Romanum, qui per quinque dies non biberat, exercitum circumſidebant, & hic cum Auguſto Principe fremebat ex more in Chriſtianos, tamquam in Atheos, & cauſam tantæ calamitatis. Hinc illi, Divinæ injuriæ zelo accenſi, ſe ſegregarunt ab exercitus corpore, & facta unitæ geniculationis ac orationis manu, Romanis pluviam ac potum, in Barbaros igneam cum fulminibus grandinem à Divina Clementia extorſerunt. Hinc palinodiam cantavit Imperator Aurelius Antoninus, & ſolennes de inviſibili Chriſtianorum Deo ad Senatum ſcripſit litteras, vetans ipſos deinceps accuſari, aut ulla perſecutione vexari. Exſtant litteræ apud laudatum Euſebium, ipſaſque in libro Apologetico
Cap. 5. laudat Tertullianus. Adfirmant illæ id factum propè Carnutum à legione gemina, quam Euſebius vocat Melitinam: Eam quippè ex duabus mixtis fuiſſe conflatam adſerit præfatus Xiphilinus. Poſtmodò ad perpetuam rei memoriam fuit dicta Legio Fulminatrix. Verùm ex ipſis fuiſſe ſuos quadraginta Martyres labitur Sanctus Gregorius Nyſſenus: Hi ſunt longè juniores, utpotè paſſi ſub imperio Licinii. Item legendum non eſt, *Carnutum*, ſed *Carnuntium*: Hoc enim eſt civitas primæ Pannoniæ. Communis ab unita Eccleſia orationis virtutem laudat etiam Sanctus Irenæus, adſeverans ſuſcitandorum mortuorum, & aliorum miraculorum gratiam ſuo adhuc tempore viguiſſe in Eccleſiis, *ipſaque fieri ſæpiſſimè propter aliquod neceſſarium, fraternitate univerſa per jejunium & ſupplicationem multam poſtulante*. Ninivitanum jejunium & orationem laudat item in ſecunda ſuper ſecundam ad Corinthios Epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & adjungit: *Perſæpè Deus quaſi pudore movetur, dum multitudinem in precatione concordem & conſpirantem cernit*. Et vario id demonſtrat exemplo. Plurima ſunt talia Patrum teſtimonia. Nempè precandi chariſma Dominus Deus uni vel paucis dat propter unitæ Eccleſiæ meritum, atque hæc à ſeſe mutuò vult adjuvari.

De Anti-Chriſti adventu & mundi excidio ſcribit in ſecunda ad Theſſalonicenſes Epiſtola Sanctus Paulus: *Et nunc quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore*. Commentatur Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Meritò quæſierit*
Hom. 4. *quiſquam, quid eſt illud quod detinet, hoc eſt, quod prohibet ne reveletur? Alii quidem dicunt gratiam Sancti Spiritus, alii autem Romanum Imperium. Quibus egò maximè adſentior. Quare? Quoniam ſi voluiſſet dicere Spiritum, non dixiſſet obſcurè, ſed apertè, quòd nunc quoque eum detineat gratia Sancti Spiritus, hoc eſt, chariſmata, ſeu dona gratuita. Alioquin oporteret jam eum adveniſſe, ſi quidem eſſet adventus, cùm defeciſſent chariſmata, ſeu dona gratuita. Nam jam olim deſierunt.* Etenim & in priori ad Corinthios Epiſtola ſcribit ipſe Apoſtolus Prophetiam, ſcientiam, linguas, aliaſque gratis datas gratias auferendas Eccleſiæ, & adjungit: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas*. Et iterum: *Charitas numquam excidit*. Adfirmat chariſmata certo dumtaxat tempore, fidem & ſpem uſque ad ſæculi finem, charitatem in perpetuas æternitates apud Eccleſiam perdurare. Chariſmata quippè non ſunt niſi novellæ religionis fulcra ac rigamenta, fides & ſpes ſunt ad vitam æternam neceſſariæ juſtitiæ fundamenta, charitas autem eſt ipſa & juſtitia & vita æterna. Linguarum donum promiſit Eccleſiam omnium gentium linguis eſſe locuturam: & adimpleto promiſſo promittens ſignum fuit ſuperfluum. Et hinc non ſolùm Sanctus Auguſtinus, aut Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ſed etiam Tertullianus ac Sanctus Irenæus teſtantur chariſmata ſuis temporibus, immò & dudum antea ceſſaſſe. Nam & inſana Montani hæreſis hinc fomentum accepit, quòd illorum reſuſcitationem promitteret. Verùm notanda ſunt Sancti Chryſoſtomi verba: *Eccleſia multis in locis tenet ſola ſymbola antiquæ felicitatis*. Supponit & adfirmat quibuſdam in locis adhuc vivere antiquam felicitatem. Quod ipſum de ſuo tempore clariùs ſcribit Sanctus Irenæus. Chariſmata uſque ad ſæculi finem, licèt non neceſſaria, nunquam plenè deficient. Sunt noſtræ infirmæ fidei ſolatia & adjutoria. Nam & noſtro hoc ſæculo Sanctus Philippus Nerius tanta viguit gratia diſcernendorum ſpirituum, *ut eos, qui caſtitatem colerent, eo odore, qui verò ſecùs, ex fœtore cognoſceret*.

Porrò de Sancto Joanne Gualberto ſcribit Blaſius Melaneſius; *Nec defuit viro Dei gratia diſcretionis ſpirituum, neque donum Prophetiæ, quo occulta hominum, ſoli Deo cognita, Divina revelatione edoctus, enunciavit. Si quis ad Monaſterium veniret, monaſticum habitum petiturus, ex ejus adſpectu cognoſcebat, num Dei Spiritu moveretur*. Iſtud ipſum demonſtrat plurimis exemplis. Joannes inſuper habuit & fidei donum, item orationis ſpiritum. Et hinc certò cognovit ſuum Epiſcopum Petrum eſſe Simoniacum, ſe exaudiendum hic à Deo, nec ſe aut ſuos in flammis deſerendos. Hinc conſtanter accuſavit Petrum, cum ſuis Monachis uti cum fulminatrice legione proceſſit Romam, nullis ceſſit remoris, & ſuum Monachum Petrum fecit in mediis flammis de Simonia triumphare. Eiſdem chariſmatibus viguit ille Monachus, de quo ad Abbatis juſſum intrante ardentem fornacem ſcribit in primo Dialogo Sulpitius Severus: *Superata natura eſt,* Cap. 12.
fugit incendium, & qui putabatur arſurus, velut frigido rore perfuſus, ſe ipſe miratus eſt. Et de fratre Gregorio Cappadoce, apud Sancti Theodoſii in Paleſtina Cœnobium Monacho, refert Cap. 92.
in Prato ſpirituali Gregorius Archi-Mandrita: *Cùm fratres facerent panem, ſuccendebat clibanum frater Gregorius. Sed cùm ſuccendiſſet illum, non invenit cum quo deberet extergere furnum. Fratres enim abſconderant pannum, ut tentarent eum. Ingreſſus eſt ergò furnum, & veſtimento ſuo illum deterſit, nihil omninò ab igne læſus. Ego autem, hoc audito, corripui fratres, quòd ita ipſum tentaſſent*. Et jure meritò fratres Abbas corripuit. Nam citra extremam neceſſitatem non ſunt ſimilia agenda. Et hinc Godeſcalcum,

Monachum miſerabilem, de vanitate ac præſumptione rectè arguit in litteris ad Hincmarum Remenſem Metropolitam Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus: *Godeſcalcus optat poſt blaſphemiam, quam impudenti ore protulit, ut coram undique collecta populorum multitudine, præſenti etiam Regni Principe, ſimul cum Pontificum & Sacerdotum, Monachorumque & Canonicorum agmine, ad probandam ſuam Sectam liceat ſibi, quatuor doliis uno poſt alterum poſitis, atque ſingulatim repletis aqua ferventi, oleo pingui & pice, & ultimè accenſo igne copioſiſſimo, ad probandam traditionem tranſire, ut ſic probetur ejus profeſſionis veritas. Quod neminem præter eum ita optaſſe legi.* Rectam cauſam agebat, & verum dogma tuebatur miſerabilis Monachus, verùm non ex chariſmate: Hinc non in igne, ſed in carcere veritatem propugnavit. Quod autem Petri Aldobrandini ignis fuerit, non vulgaris probatio, ſed chariſmatis opus, exiſtimo non dubitandum. Attamen & vulgaris probatio videtur non caruiſſe omni chariſmate. Quidquid ſit, laudandus eſt Deus, qui noſtri Gregorii adversùm Simoniacos Decreta dignatus fuit tantis miraculis comprobare.

DECRETUM II.

SEcundum etiam hujus Synodi Decretum edicit Pontifex in laudatis litteris ad Othonem Epiſcopum Conſtantienſem: *Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Miſſas celebrare aut ſecundùm inferiores Ordines miniſtrare Altari debeant. Statuimus etiam, ut ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum, immò Sanctorum Patrum conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundia ſæculi & objurgatione populi reſipiſcant.* Et Anonymus Gregorii Apologus: *Tertium Decretum erat, ut à Clericali officio ceſſent, quicumque ſe pro incontinentia reprehenſibiles exhibent. Quartum, ut populus Clericorum officia nullatenùs recipiat, quos Apoſtolicas inſtitutiones contemnere videt.* Utique inſtitutiones contra Clericos conjugatos & Simoniacos. Affirmat pœnam hanc ambobus ſimul inflictam. Affirmat etiam in ſingulos duplicem Canonem proceſſiſſe.

Quæſtio eſt, An uterque proceſſerit ab hac Synodo? Reſpondeo negativè. Reſpondeo proceſſiſſe ſolum priorem. Lucidè id tradit Lambertus Schafnaburgenſis: *Hildebrandus Papa cum*
L. 2. c. 3. *Epiſcopis Italiæ jam frequentibus Synodis decreviſſet, ut ſecundùm Inſtituta antiquorum Canonum Presbyteri uxores non habeant; habentes aut dimittant, aut deponantur, nec quiſquam omninò ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuùm continentiam vitamque cœlibem profiteatur. Hoc Decreto per totam Italiam promulgato, crebras Epiſtolas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præcipiens ut ipſi quoque in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omninò fœminas perpetuo anathemate reſecarent.* Ad eundem annum ſcribit Simeon Dunelmenſis: *Hildebrandus, qui & Gregorius Papa, celebrata Synodo, ex Decreto Sancti Petri Apoſtoli, & Sancti Clementis, aliorumque Sanctorum Patrum & Banno interdixit Clericis, maximè Divino Miniſterio conſecratis, uxores habere, vel cum mulieribus habitare, niſi quas Nicæna Synodus, vel alii Canones exceperit.* Et ad annum ſequentem: *Dum Clerici magis eligerent anathemati ſubjacere, quàm uxoribus carere, Hildebrandus Papa, ut per alios, ſi poſſet, eos caſtigaret, præcepit ut nullus audiret Miſſam conjugati Presbyteri.* Et ad priorem annum Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis: *Hildebrandus Papa generalem Synodum celebravit. Interdixit Clericis conſecratis uxores habere, aut cum mulieribus morari, niſi cum quibus Nicæna Synodus aut alii Canones permittunt. Sed cùm Sacerdotes ejus Cenſuras parvi penderent, præcepit ut nullus audiret Miſſam concubinarii Sacerdotis.* Quod ipſum eiſdem verbis ſcribit Henricus Knyghtonus. Eadem Decreta A. 1074.
lucidis verbis diſtinguit cum Mariano Scoto Rogerus Hovedenſis, primumque ab hujus, ſecundùm à ſequentis anni Synodo affirmat promanaſſe. Et certè Papalis excommunicationis medius inter utrumque Decretum contemptus nequit apud varias gentes, ac Provincias unico inſtanti emerſiſſe. Hac igitur in Synodo Leonis noni ac Stephani decimi pro ſola urba, & Nicolai ſecundi ac Alexandri ſecundi pro ſola Italia adversùm conjugatos aut concubinarios Clericos Decreta Gregorius ſub excommunicatione extendit ad omnem Eccleſiam, ejuſque rigidiſſimam executionem cunctis ubique Metropolitis injunxit.

Et tunc factum eſt quod laudatus Lambertus ſubjungit: *Adversùs hoc Decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè Hæreticum, & veſani dogmatis eſſe* Gregorium *clamitans, qui oblitus ſermonis Domini, quo ait,* Non omnes capiunt verbum hoc, *violenta exactione homines cogeret vivere ritu Angelorum, & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei frœna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium quàm conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, undè gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet.* Addit Sigifridum Moguntinum Archiepiſcopum, dum hoc Decretum exequi ſtuduit in Erphordienſi Synodo, à conjugatis Clericis fuiſſe fermè impetitum lapidibus, immò & unguibus dilaceratum. Et proſequitur: *Cùm ad Epiſcopum relatum eſſet hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præverteret, miſit ad eos foras, rogavitque ut ſedato pectore in Synodum regrederentur, ſe cùm primùm opportunitas eſſet, Romam miſſurum, & Dominum Apoſtolicum, ſi qua poſſet ratione, ab hac ſententiæ auctoritate deducturum.* Ejuſmodi Clericorum motus facti ſunt & in aliis Provinciis.

DE-

DECRETUM III.

TErtium Decretum edicit ad primum Gregoriani Regeſti librum adnexa ſubnotatio: *Gregorius celebravit Romæ Synodum, in qua inter cætera, quæ ibi geſta ſunt, excommunicavit atque anathematizavit Robertum Guiſcardum Ducem Apuliæ, & Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus Fra-*
Lib. 1. cap. 10. *tribus ſuis, quouſque reſipiſceret.* Quod Ludovi-
Diſt. 63. cus Pius Imperator Sardiniam atque Siciliam Ro-
cap. 30. manæ Eccleſiæ dederit, affirmat in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus, & donationis, licet mutilum, inſtrumentum Decreto ſuo inſeruit Gratianus. Quod per Ludovicum ſecundum a Græcis & Saracenis liberatam Apuliam & Calabriam, & quidem omni Imperiali jure ſolutam, addiderit Carolus Cal-
Epiſt. 9. vus, teſtantur antiqui Francorum Annales, & Joannis octavi Pontificis epiſtola ad Landulphum Epiſcopum Capuanum. Et ita fuit uſque ad annum milleſimum trigeſimum primum, de quo Sigebertus Gemblacenſis: *Robertus Guiſcardus, & Richardus Burſa, minuendæ domo multitudinis cauſa hoc tempore à Normandia Franciæ digreſſi Apuliam expetunt. Et Italis inter ſe diſſidentibus, dum alteri contra alterum auxilia præſtant, hac opportunitate Italos callidè & fortiter debellant, & ſucceſſus urgendo ſuos nomen ſuum dilatant, & futuræ proſperitatis ſibi viam parant.* Fuiſſe fra-
L. 1. c. 3. tres affirmat Otho Friſingenſis Epiſcopus in libris de Geſtis Frederici Auguſti, & omne ipſorum
A. 1113. genus edicit Joannes Bromptonus. Videndus item in ſacri belli hiſtoria Guibertus Abbas Novigenti, & in Alexiados libris Anna Comnena.
Lib. 3. Addit Germannus Contractus: *Ea gens à tempo-*
A. 1053. *ribus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes paulatim ex Gallici Oceani oris adveniens confluebat, & quia bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primò grataniter accepta, crebrò indigenis contra Græcorum & Saracenorum incurſiones audacter præliando auxiliabatur.* Cunctas ferè Græcorum & Saracenorum ejecit reliquias, atque ita afflictis per ipſos Italis & Siculis non potuit non eſſe gratiſſima. Quinimmò quòd etiam in Africa Saracenos domuerit, & plures in ipſa Græcia civitates ceperit, atque indè Serici texturam & textores traduxerit in Latinas Provincias, teſtatur laudatus Otho. Et hinc de
A. 1047. Henrico tertio ſcribit laudatus Hermannus: *Imperator Roma egreſſus nonnulla caſtella ſibi rebellantia cepit, Provincias illas prout videbatur diſpoſuit, Duces Nortmannis, qui in illis partibus morabantur, conſtituit.* Quòd enim ipſos in ſuam protectionem & militiam jam pridem admiſiſſet, & quomodo ad habitandum territorio donaſſet Henricus ſecundus, docet nos idem Hermannus. Et
A 1022. ſubjungit: *Poſteà verò pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti ipſos indigetes bello premere, injuſtum dominatum invadere, hæredibus legitimis caſtella, prædia, villas, domos, uxores etiam, quibus libuit, vi auferre, res Eccleſiarum diripere, poſtremò Divina & humana omnia, prout viribus plus poterant, jura confundere, nec jam Apoſtolico Pontifici, nec ipſi Imperatori, niſi tantùm verbo tenus cedere.* Non ſolùm utriuſque Siciliæ Dominatum, ſed ipſa etiam Apoſtolicæ Sedis ac aliarum Eccleſiarum avita patrimonia in ſuum Fiſcum redegerunt. Sanctus Leo nonus armato illos milite invaſit, verùm ſine fructu. Fuga enim ſe & exercitum ſalvare compulſus, quos ferro non potuerat, anathemate feriit, atque ita ferociores reddidit & audaciores. Et hinc de Nicolao ſecundo ſcribit liber Pontificalis: *Nicolaus in Apuliam profectus Nortmannos ab excommunicatione abſolvit, eoſque exacto juramento fidelitatis Romanæ Eccleſiæ devinxit, ut ea borum præſidio fulta & munita tyrannidem omnem & rapinam à Sede Apoſtolica profugaret.* Ab illis adversùs Antipapam Benedictum ac ejus fautores fuerat inſigniter adjutus. Quod & Alexandrum ſecundum adversùs Cadaloi Antipapæ violentias ſtrenuè adjuverint, teſtatur in Chronico Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Et hinc tam Nico- A. 1061.
laus quàm Alexander illis in beneficium dederunt terram illam, quam in Roberti inveſtitura laudavit noſter Gregorius: *Ego Gregorius Papa inve-* L. 2. Epiſt. 2.
ſtio te, Roberte Dux, de terra, quam tibi conceſſerunt Anteceſſores mei Nicolaus & Alexander. Quòd Epiſt. 21.
varia cum illis pacta etiam ante præſentem Synodum injerit idem Gregorius, lucet ex primo ejus Regeſti libro: Exſtat illic Richardi profeſſio, qua ſe Dei & Sancti Petri gratia titulat Capuæ Principem. Verùm de ipſorum perfidia ſcribit L. 3. c. 4.
Leo Hoſtienſis: *Robertus Campaniam expugnaturus ingreditur.* Quomodo poſt captum Salernum obſederit & Neapolim, & quomodo ipſam apparens Sanctus Januarius defenderit, edicit idem Leo. Hac ergò de cauſa Robertum & ejus fautores Gregorius excommunicavit. Qua ratione, quibus pactis, quo tempore ipſum poſteà humiliatum abſolverit, & ipſum in ſuis ab Henrico quarto Imperatore perſecutionibus ſummum defenſorem habuerit, ſuo loco eſt dicendum.

Huc etiam ſpectat quod in Piſcarienſis ſui Cœnobii Chronico ſcribit Monachus Joannes Berardi: *Venerabilis Papa Gregorius in univerſali Con-* A. 1073.
cilio, quod Romæ celebravit, contra Nortmannos & alios invaſores de prædiis & poſſeſſionibus Monaſterii Sancti Clementis ſpecialem ſententiam, multumque timendam taliter promulgavit. Hìc eſt ſententiæ tenor: *Si quis Nortmannorum, vel quorumlibet hominum, prædia Monaſterii Beati Clementis invaſerit, vel quaſcumque res ejuſdem Monaſterii injuſtè abſtulerit, ſi bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, donec reſipiſcat, & Eccleſiæ ſatisfaciat. Si quis prædia Beati Clementis ubicumque poſita in proprietatem ſuam uſurpavit, vel ſciens occultata non propalaverit, vel debitum ſervitium exindè Beato Clementi non exhibuerit, recognoſcat ſe iram Dei & Beati Clementis, velut ſacrilegus incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehenſus fuerit, eandem hæreditatem Beati Clementis reſtituat, & pœnam quadruplum de propriis bonis perſolvat. Quæcumque militum vel cujuſcumque ordinis, vel profeſſionis perſona prædia Eccleſiaſtica à quocumque Rege ſeu Principe ſæculari, vel ab Epiſcopis, invitis Abbatibus, aut ab ali-*

quibus

quibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſcepit vel ſuſceperit; vel invaſit, vel etiam eorum Rectorum depravato ſententioſo conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat.

DECRETUM IV.

A Diverſis Eccleſiarum ritibus quoſdam ſimplices fideles pati ſcandalum ſcripſit ad Decentium Eugubii Epiſcopum Sanctus Papa Innocentius primus. *Dum neſciunt*, inquit, *traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi aut Eccleſias non convenire, aut ab Apoſtolicis viris contrarietatem inductam*. Videntur hæſitare, num rituum diverſitas cum fidei unitate conſiſteret. Quin & eruditus Anglorum Apoſtolus Sanctus Auguſtinus, quod alios in Gallia, alios ritus videret in Italia, Sancto Pontifici, Gregorio propoſuit hanc quæſtionem:
Q. 3. *Cur una cùm ſit fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ? Et altera conſuetudo Miſſarum eſt in Romana Eccleſia, atque altera in Galliarum Eccleſiis tenetur?* Loqui videtur ex antiquis, quæ Innocentio primo adſcribenda cenſet Jacobus Sirmondus, Romanæ Eccleſiæ ad Galliæ Epiſcopos Capitulis: *Catholicorum Epiſcoporum unam confeſſionem eſſe debere Apoſtolica diſciplina*
C. 6. *compoſuit. Si ergo una fides eſt, manere debet & una traditio. Si una traditio eſt, una debet diſciplina per omnes Eccleſias cuſtodiri.* Ad Sanctum item Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcripſit Waleramus Naumburgenſis Epiſcopus: *Diverſitas in Eccleſia admodum eſt unitati contraria. Diu non poteſt ſtare quod partium in ſe graſſatur diſſenſione. De Eccleſiæ Sacramentis aliud Paleſtina, aliud Armenia, aliud noſtra Romana, & tripartita ſentit Gallia. Domini etiam corporis Myſterium aliter Romana, aliter Gallicana Eccleſia, & diverſiſſimè noſtra tractat Germania.* Quod & Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, miſerandi ſchiſmatis auctor, Latinam Eccleſiam ob diverſos à Græca ritus de diverſa etiam in Deum fide & Evangelii prævaricatione culpaverit, plurimùm queritur Nicolaus primus Pontifex in famoſa Epiſtola ad Hincmarum Remenſem, alioſ-
l. 1. c. 2. que Epiſcopos Gallicanos. Quod ipſum in libris adversùs Græcorum oppoſita lamentatur Ratramnus Monachus Corbejenſis. Iſtud ipſum urſit acerrimus ejuſdem ſchiſmatis fautor Marcus Epheſiorum Archiepiſcopus: Fuit unum ex ejus palmaribus adversùs factam in Florentina Synodo unionem fundamentis. Inter diverſorum rituum homines cenſuit non poſſe eſſe unam fidem, ideoque nec veram unionem.
Cap. 1. 2. At longè peſſimè. Etenim aliud eſſe fidei regulam, aliud rituum ac aliorum morum & conſuetudinum diſciplinam, & hos ſub ejus immutabili unitate poſſe mutari ac eſſe diverſiſſimos, in libro de velandis Virginibus nervosè demonſtrat Tertullianus. Ritus eſſe noſtrorum Sacramentorum ac totius Chriſtianæ fidei veſtimenta, ideoque uti ob horum apud varias gentes multam varietatem non variatur humana natura, ità & ob iſtos varios non variari fidem, inſigniter oſtendit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Eorum Epiſt. 86.
cauſa Matrem Eccleſiam eſſe Reginam varietatibus circumamictam ſcribit ad Caſulanum Presbyterum Sanctus Auguſtinus, ac in litteris ad Finardum inſigniter ampliat Sanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. Videndus item in laudato libro laudatus Ratramnus. Et adversùs Epiſt. 2.
Marci Epheſii nugas inſigniter ſcripſit Gregorius Hieromonachus & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Protoſyncellus: *Neſcit eximius hic vir varios in hac magna urbe etiam Conſtantinopolitana ſervari mores. Quid ergò? Dicimusne ſine etiam illos inter ſe diſſidere? In ritibus quoque Eccleſiaſticis conſuetudo eſt varia. Nam Conſtantinopolitana major Eccleſia in celebrandis officiis alio more utitur, alio majora Monaſteria, alio minora ad quietem accommodata, denique alio Sacerdotum Sæcularium Eccleſiæ.* Adducit plura ejuſmodi, & concludit: *Mirum fuerit, cùm iſte vir & linguæ diverſitatem, & varium indumentorum genus vitio non verterit.*

Quin tamen plena & univerſalis rituum unitas ſit longè melior, & adversùs omnia errorum ſcandala ſecurior, abundè lucet ex aſſiduo ſtudio, quo illam Romani Pontifices & plurimæ Synodi partim in omnem ſub cœlo Eccleſiam, partim in ſuas ſaltem Diœceſes, aut Provincias inducere ſemper ſategerunt. Ut Paſchalis feſtivitas eodem ubique die & ritu celebraretur, quid ante, & per, & poſt Nicænam Synodum non egit Romana Eccleſia? Et uni fidei unum Ritum penitus expedire jam nobis dixit Innocentii primi Capitulum ad Epiſcopos Gallicanos. Rituum diverſitatem non ab Apoſtolis aut Apoſtolicis viris, ſed ex poſteriorum Epiſcoporum ignorantia aut deſidia, aliave id genùs corruptela proveniſſe, ſcripſit idem Pontifex ad Decentium, & adjunxit: *Quis neſciat aut non advertat id, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari, nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quòd aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? Præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt: Ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Omnes Latinas Eccleſias aſſeverat à Sancti Petri aut Succeſſorum Pontificum diſcipulis fundatas, edoctas eundem ritum, ideoque ab iſta unitatem non poſſe citra prævaricationem deviare. Addit laudatarum Eccleſiarum Epiſcopos & Clericos, dum Romam veniunt, conſueviſſe cum Pontifice ad Miſſarum ſolemnia procedere: Ut nempè ex Romano ritu diſcant ſuum retine-

retinere aut reformare. Quæ fermè omnia repetit in litteris ad Sanctum Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, juxta hujus poſtulata mandans etiam reliquas Eccleſias Galliæ deduci ad Romanum ritum, aut veriùs reduci. Ex eodem fonte ad Dioſcorum Alexandriæ novellum Patriarcham
Epiſt. 30. ſcripſit Sanctus Leo Magnus: *Cùm Beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Eccleſia in ejus permaneat inſtitutis, nefas eſt credere, quod Sanctus Diſcipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus gubernavit Eccleſiam, aliis Regulis traditionum ſuarum Decreta formaverit, cùm ſine dubio de eodem fonte gratiæ unus Spiritus fuerit & Diſcipuli & Magiſtri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab Ordinatore ſuſcepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos eſſe corporis & fidei fateamur, in aliquo diſcrepemus, & alia Doctoris, alia Diſcipuli Inſtituta videantur.* Etiam ipſe Poſſidonium, Dioſcori Presbyterum ac Legatum, quò Romanos ritus non ſolùm auribus, ſed & oculis diſceret, frequenter fecit, & ad ſacrificia & ad ſacras Ordinationes ſecum procedere. Et huc omninò reſpexerunt Dioſcorus Presbyter & Chæremon Lector, Alexandriæ Eccleſiæ apud Imperatorem Anaſtaſium Apocriſarii, Conſtantinopoli dicentes ad Creſconium & Germanum Epiſcopos, Legatos Anaſtaſii ſecundi Pontificis: *Venerabiles Sanctæ Eccleſiæ Romanæ urbis atque Alexandrinæ, non ſolùm fidem rectam & immaculatam, ſed etiam in Divino Miniſterio ſemper concordiam tenuerunt.* Et id referunt in Petrum & Marcum fundatores. Hocce exordio ad exſtin-
Ep. 57. guendum inter dictas Eccleſias Acacianum ſchiſma fuerunt uſi.

Quam huic unitati per omnes ſibi ſubjectas Eccleſias traducendæ ſtuduerit etiam Magnus Baſilius, Ponticæ Diœceſios Primas, docet ejus Epiſtola ad Eccleſiam Neocæſarienſem. Cappadocem pſallendi ritum affirmat ab Ægypto,
Epiſt. 59. utraque Lybia, Thebaide, Palæſtina, Phœnicia, Syria, & à cunctis ubique concorditer ſervari Eccleſiis, ideoque à Neocæſarienſibus, licèt per ſuum Apoſtolum Gregorium Thaumaturgum aliter edoctis, refutari non poſſe, longè minus damnari. Et dat utriuſque cauſam: *Quod ea, quæ facimus, ſub præclaro Gregorio in uſu non fuerint, quibus teſtimoniis evincere poteſtis? Nihil eorum, quæ ille in uſu habuit, ad hunc uſque diem illibatum ſervatis.* Cappadocem ritum eſſe Gregorio ſeniorem aſſerit, & plures ejus ritus ab ipſis Neocæſarienſibus jampridem mutatos & correctos. Rationem edicit in libro de Spiritu Sancto: *Gregorii in hodiernum quoque diem magna eſt apud Neocæſarienſis Regionis homines admiratio, recenſque ac ſemper vigens memoria ſic infixa eſt Eccleſiis, ut nullo tempore obſoleſcat. Itaque non factum aliquod, non di-*
C. 29. *ctum, non figuram aliquam myſticam, ultra quam illis reliquit, Eccleſiæ adjecerunt. Immò hìc multa in his, quæ apud illos aguntur in ritibus, videntur imperfecta propter inſtitutionis antiquitatem. Neque enim ſuſtinebant, qui in Eccleſiæ adminiſtrationem ſucceſſerunt, additamenta, quæ poſt illum adinventa ſunt, recipere.* Gregorianos, licet ob auctoris reverentiam à nullo uſque huc Pontico Primate motos, ritus primus Baſilius judicavit imperfectos, ideoque ad unitatem reduxit, nullas timens iſtius Eccleſiæ contradictiones.

Eundem fuiſſe Africanæ Eccleſiæ ſenſum oſtendit apud Fulgentium Ferrandum, Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconum, hocce compendium Canonis Maridianenſis: *Ut una ſit in Sacramentis per* C. 110.
omne Byzacium Diſciplina. Et plenaria totius Africæ ſub Zozymo Pontifice Synodus ſtatuit: *Ut preces, vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſive manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omninò dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſi-* C. 12.
tum. Statuti cauſam adducit in libris de Baptiſmo Sanctus Auguſtinus: *Multi irruunt in preces, non ſolùm ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab hæreti-*
cis compoſitas, & per ignorantiæ ſimplicitatem eas L. 6. c. 25.
non valentes diſcernere, utuntur eis, arbitrantes quod bonæ ſint. Ad evitandam iſtiuſmodi confuſionem laudata Synodus ſanxit toti deinceps Africæ eſſe unicum, & uniformem librum ritualem. Hodierna Synodorum collectio Canonem hunc adſcribit ſecundo Milevitano Concilio ſub Pontificatu Innocentii: Verùm ſpectare ad laudatam ſub Zozymo univerſalem Synodum oſtendi in brevibus ſcholiis ad Synodos Africanas. Eadem de cauſa quartum Carthaginenſe Concilium præſcripſit ritum ſingulis ordinationibus.

Hiſpanicæ Eccleſiæ mentem habemus à primo Canone Synodi Gerundenſis: *Ut inſtitutio Miſſarum, ſicut in Metropolitana Eccleſia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconenſi Provincia, tam ipſius Miſſæ Ordo, quàm pſallendi & miniſtrandi conſuetudo ſervetur.* Et à prima Synodo Braca-
renſi: *Placuit ut eodem ordine Miſſæ celebrentur ab* C. 12.
omnibus, quomodo Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum. Item placuit ut nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & anteà tenuit Metropolitana Bracarenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum & ſibi directum à Sede beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcepit. Divina Sacramenta diverſo atque illicito modo in Hiſpaniarum Eccleſiis celebrari queritur & quarta Toletana Synodus, & ſancit: *Nihil ultra diverſum aut diſſonum in Eccleſiaſticis Sacramentis agamus, ne quælibet noſtra diverſitas apud ignotos ſeu carnales ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis exſtet in ſcandalum varietas Eccleſiarum. Unus ergo ordo orandi atque pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliciam conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in Veſpertinis officiis, nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia una fide continemur &*
Regno. Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, Cant. 2.
ut unaquæque Provincia & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem teneat. Antiqui hi Canones ſunt jam laudati Gerundenſis & Bracarenſis. Sub Romano Imperio in Præſides aut Conſulares, poſteà in varios, & quidem Arianos, Re-

ges diviſa fuerat, nunc in unicum Catholicum Regnum adunata erat Hiſpania, ideoque non ſingulis Provinciis, ſed toti genti & Diœceſi præſens Canon ſanxit eſſe unicum in Eccleſia officium. At verò decima ibidem Synodus, diverſum ritum fidei unitati non obeſſe præfata,
Can. 1. dumtaxat ſancit Dominicæ Annuntiationis feſtum uno ubique die celebrandum. Undecima eundem pſallendi ac miniſtrandi ritum mandat ſervari in quavis dumtaxat Provincia. Quin & Monachis permittit aliquid ſingularis officii. Nempe quod laudatum quartæ Synodi Canonem in plenam deducere executionem non valeret, ſaltem laudatum Gerundenſem voluit immobiliter vigere.

Etiam Gallicana Eccleſia ejuſdem unitatis fuit ſtudioſiſſima. Lucet ex Synodo Venetica: *Rectum duximus, ut vel intra Provinciam noſtram Sacrorum ordo & pſallendi una ſit conſuetudo. Et ſicut unam cum Trinitatis confeſſione fidem tenemus,*
C. 15. *unam & officiorum Regulam teneamus: Ne variata obſervatione, in aliquo devotio noſtra diſcrepare credatur.* Dicit, *Vel intra Provinciam noſtram:* Quod nempè optaret ſic fieri per omnem Galliam, ſed obtinere deſperaret. Hinc & univerſæ
C. 30. ferè Galliæ Synodus Agathenſis ſanxit: *Convenit Ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri.* Addit ſtudendum, ut variæ hinc inde Eccleſiarum diſcrepantiæ omninò corrigantur. Voces, *Convenit*, & *Studendum*, videntur dumtaxat conſilium continere ac preces, non Præ-
Can. 27. ceptum. Et Epaonenſis Synodus: *Ad celebranda Divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales obſervare debent.* Suis ſacrificii ritibus & aliis Divinis Officiis plura adjecit etiam
C. 3. 5. ſecunda Vaſenſis Synodus: Quod ita fieret apud Sedem Apoſtolicam, omnem Italiam, Africam,
Cant. 8. atque Orientem. Cunctis ſub Cœlo Eccleſiis voluiſſet eſſe unum ritum. Hinc illum & ſuæ ſaltem Provinciæ præſcripſit ſecunda Synodus Turonenſis. Et hæc ſub prima Regnum Dynaſtia. Poſt reparatam à Carolo Magno Diſciplinam fuit iſtic longè amplius ſtudium hujus unitatis.

Quin & de diverſis per Orientem Monaſteriis, quod diverſum Canonicæ orationis modum haberent, queritur in Monaſticarum inſtitutionum
L. 2. C. 2. 3. libris Joannes Caſſianus, Ægypti & Thebaidos Cænobia prædicans, quod avitam hac in re unitatem conſtanter retentarent. Avitam iſtic orationis normam edicit, atque adjungit: *Qui modus antiquitus conſtitutus idcircò per tot ſæcula penes cuncta illarum Provinciarum Monaſteria intemeratus nunc uſque perdurat, quia non humana*
C. 4. *adinventione ſtatutus à Senioribus affirmatur, ſed Cœlitus Angeli magiſterio Patribus fuiſſe delatus.* Factum id dicit ad primævos Ægypti Monachos, proditque totius rei ſeriem, quam etiam laudat & firmat memorata ſecunda Synodus Turonenſis. Etiam Sanctum Ignatium, Antiochiæ Patriarcham, ab Angelo didiciſſe pſallendi modum, eſt antiquiſſima & authentica traditio Græcorum Patrum. Rituum ergo unitas ex Deo, varietas eſt ex hominibus, ideoque hanc ſemper toleravit potiùs Eccleſia, quàm probarit.

Etiam in Monachis, ac præſertim Regularibus Clericis. Etenim litteras, quibus Sanctum Norbertum ob datum filiis ſuis ſingulare officium graviſſimè arguit neſcio quis Magalonenſis Epiſcopus, ſuo dè Canonum obſervantia operi in- C. 7.
ſeruit, multumque laudat Radulphus Decanus Tongrenſis. Monachis enim, quod ſoli olim intra clauſum Oratorium Divinæ Majeſtati pſallerent, ſua potuit permitti norma, verùm Regulares Clerici ad communes Eccleſiæ Canones ſingulariſſimè obligantur. Res hæc eſt alterius loci.

Quæſtio eſt, An ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Sanctus Papa Innocentius rectè ſcripſerit rituum diverſitatem nullatenùs eſſe ab Apoſtolis aut viris Apoſtolicis, ſed dumtaxat ab ignorantium aut negligentium Epiſcoporum poſterioribus corruptelis? Et quidem ex hoc fonte multam manaſſe diverſitatem, eſt manifeſtum. Etenim in libro de velandis Virginibus Tertullianus quaſdam ab Apoſtolis aut viris Apoſto- C. 2.
licis fundatas, quaſdam Eccleſias ſcribit eſſe poſteras, & iſtarum dumtaxat ritus & conſuetudines affirmat eſſe irrefragabilis auctoritatis. Etiam in ipſo ſacrificio apud quoſdam eſſe legitimæ religionis vacuos, ab omni Dominici aut Apoſtolici Præcepti auctoritate alienos, curioſi potiùs quàm rationalis officii, & Gentilibus C. 11. 12.
nimiùm vicinos ritus ſcribit in libro de oratione, ideoque corrigendos ac eliminandos. Eſſe affirmat non ritus, ſed ſuperſtitiones. Et in poſteriori ad Januarium Epiſtola ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Quod inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel Sanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis libris ſaluberrimè præcepta ſunt, minùs curantur, & tam multis præſumptionibus plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur qui per Octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepeliverit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omninò nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque Zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Plurimos partim probandos, partim improbandos Eccleſiarum diverſos ritus enumerat in Eccleſiaſtica hiſtoria etiam Socrates, atque adjungit: *Cauſæ & auctores iſtiuſ-*

modi diſcrepantiæ fuerunt Epiſcopi, qui vario tempore Eccleſiis præerant. Qui autem iſtos ritus accipiunt,
L. 5. c. 22. *eos tamquam legem ad poſteros tranſmittunt.* Similem Catalogum texit Hermias Zozomenus, ac pergit: *Multas conſuetudines per pagos ac urbes reperias, quas ob reverentiam vel eorum qui eos introduxerunt, vel eorum qui iſtis ſucceſſerunt, prævaricari ſibi nec licitum, nec tolerandum putent ei, qui his*
L. 7. c. 19. *innutriti ſunt.* Rectè interim de hac varietate ad Licinium ſcripſit & Sanctus Hieronymus: *Illud te breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas ut à Majoribus ſunt traditæ, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti. Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & Præcepta Majorum leges*
Ep. 28. *Apoſtolicas arbitretur.* Agit in illos, qui probabiles aut certè tolerabiles aliorum conſuetudines volebant mutari, ac damnari, atque ita turbabant Eccleſias. Iſtas conſuetudines non affirmat Apoſtolicas, ſed tamquam tales cum fraterna pace honorandas aut ſuſtinendas. Otioſas conſuetudines ſuſtineri potiùs, quàm charitatis lædi vinculum ſuadet in priori ad Januarium Epiſtola etiam Sanctus Auguſtinus. Et hac in re graviter exceſſit Sanctus Henricus Imperator, de quo ſcibit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldericus Epiſcopus Tornacenſis: *Imperator Ge-*
L. 3. c. 2 *rardo*, Cameracenſium Electo, *largitus eſt librum, conſecrationes Clericorum, & ordinationem Epiſcopi continentem, ut per hunc conſecratus, haud fortaſſe indiſciplinatis Rarlenſium moribus irregulariter ordinaretur.* Homo Germanus Gallicanos Clericalis ac Epiſcopalis conſecrationis ritus de irregularitate damnavit. Quod nempè à Germanicis admodum differrent. Et hujuſmodi differentiam non ſolùm ab ignaris aut negligentibus, ſed etiam ab hæreticis Epiſcopis frequenter proveniſſe, ſuprà audivimus à Sancto Auguſtino. Quod enim Donatus Carthaginenſis Epiſcopus, Donatiſtarum Princeps, & ſuo ſacrificio, & populi communioni novos atque inutiles ritus
Cap. 17 adjecerit, teſtantur Sanctus Optatus Milevitanus, ac in libro de Sectis Conſtantinus Harmenopulus. Et de Theodoro Mopſueſtienſi Epiſcopo ſcribit in libris adversùm Neſtorianos ac Eutychianos Leontius Byzantinus: *Theodorus audet aliud malum, non ſecundum ad ſuperiora. Aliam enim Miſſam effutivit præter illam, quæ à Patribus tradita eſt Eccleſiis, neque reveritus illam Apoſtolorum, nec illam Magni Baſilii, in eodem ſpiritu conſcriptam. In qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus Myſterium Euchariſtiæ opplevit.* Quod item Eugenius, Julianus, ac Hildephonſus, Sanctiſſimi Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi, Neſtorianum, qui Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eſſe Dei Patris adoptivum filium aſſerit, errorem inſeruerint ſacrificii ritibus, apud Francofordienſem Synodum allegavit ipſorum Succeſſor Elipandus, eademque Synodus meritò damnavit. Et in omnem iſtiuſmodi
Lib. 3. c. 21. varietatem fecit Gregorius octavus Pontifex, quod in Anglicana Hiſtoria laudat Guilielmus Neubrigenſis: *Urbano tertio ſucceſſit venerabilis Albertus ejuſdem Cancellarius, dictuſque eſt Gregorius, vir planè & ſapientia & vitæ ſinceritate conſpicuus, æmulationem Dei habens in omnibus ſecundùm ſcientiam, & ſuperſtitioſarum conſuetudinum, quarum in Eccleſia per quorundam ruſticam ſimplicitatem citra ſcripturarum auctoritatem multitudo inolevit, reprehenſor acerrimus. Unde à quibuſdam minùs diſcretis putatus eſt per nimiam abſtinentiam celebro laborare.* Cum Prædeceſſore ſuo Innocentio primo novit iſtam varietatem non eſſe Inſtitutum Apoſtolicum, ſed poſterioris ignorantiæ aut deſidiæ corruptelam.

Addo tamen omnem rituum varietatem non eſſe hujuſmodi. Aliqua eſt ipſorum etiam Apoſtolorum indulgentia, immò & inſtitutio. Quod enim de Paſchalis feſtivitatis die aliter Romanos & alios Latinos Petrus & Paulus, Epheſios, ac alios Orientales aliter docuerint Joannes & alii Apoſtoli, videtur certum ac exploratum. Quod ipſum conſtat de variis ritibus omnium ſeptem Sacramentorum. Apoſtolorum item Liturgiam laudari jam audivimus à Leontio Byzantino. Licet in litteris ad Joannem Syracuſæ Epiſcopum Sanctus Gregorius ipſos dicat ad ſolam Dominicam orationem conſecraſſe, in erudito tamen opuſculo de Divinæ Miſſæ traditione Sanctus Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus aſfirmat uſos longiſſima Liturgia, quam poſteà ob fidelis pietatis teporem compendiaverint Magnus Baſilius ac Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Quod ipſum in iſtius vita aſſerit Sanctus Amphilochius Metropolita Iconienſis. Et ex variis laudati Chryſoſtomi teſtimoniis poſſit firmari. Nec unica fuit iſta Liturgia. Alia fuit Petri, alia Jacobi, alia Marci, alia Clementis, alia aliorum. Diſcrepantem item, præſertim circa Domini feſtivitates, ab aliis gentibus ritum dudum habuit Armeniorum Eccleſia, ac de ipſo apud Clementem Galanum rectè ſcribit ipſorum, quarti decimi ſæculi anno octavo habita, Synodus Adanenſis: *Ratio cur in hujuſmodi feſtivitatibus celebrandis tanta priùs diverſitas profluxiſſet, ea eſt, quia nimirùm Apoſtolis, miniſterio verbi ac Evangelicæ prædicationis pro viribus inſtantes, intenti erant potiſſimum, ut homines ab erroribus ſimulachrorum ad unius veri Dei cultum converterentur.* Uni huic rei intentos addit de rituum unitate fuiſſe non omninò ſollicitos, ideoque permiſiſſe varias Eccleſias in vario ſenſu abundare. Permiſerunt plures ritus imperfectos, corrigendos ſuo tempore ac perficiendos. Quod ipſum à Sancto Gregorio Thaumaturgo actum audivimus ſuprà à Sancto Baſilio. Et de Neophytis Anglis ſcribit ad Mellitum Abbatem Magnus Gregorius: *Quia boves ſolent in ſacrificio Dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolemnitas immutari, ut die Dedicationis vel Natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illis reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent, nec Diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant, ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire faciliùs valeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere,*

dere, *impoſſibile eſſe non dubium eſt*. *Quia is, qui locum ſummum adſcendere nititur, neceſſe eſt ut gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus elevetur*. Qua prudentiſſima diſpenſatione etiam alii Apoſtolici viri ſunt uſi in dandis Eccleſiarum ritibus, atque ita Innocentii Pontificis effatum eſt cum aliquo diſcretionis ſale accipiendum.

Eodem modo accipiendum eſt, quod adverſus Photium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quoſdam Romanæ Eccleſiæ ritus damnantem, ſcribit ad Gallicanos Epiſcopos Nicolaus primus Ep. 70. Pontifex: *Non apparuit quiſquam per tot ſæculorum curricula, qui Romanæ Eccleſiæ traditionibus derogaverit, aut obviare præſumpſerit*. Etenim ad Sanctum Cyprianum, de dato extra Eccleſiam Baptiſmo errantem, ſcripſit ſimiliter errans Sanctus Firmilianus, Cæſarienſis in Cappadocia Archiepiſcopus: *Eos qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtrà Apoſtolorum auctoritatem prætendere; ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia Divinæ rei Sacramenta, videat eſſe apud illos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur*. Romanam Eccleſiam à variis Apoſtolicis ritibus deviaſſe affirmat, ideoque & circa repetendi Baptiſmatis dogma potuiſſe deviare. Quin & adversùm Romanos, Neophytis pedes lavari improbantes, ſcripſit in opere de Sa- L. 3. c. 1. cramentis Sanctus Ambroſius: *In omnibus cupio ſequi Romanam Eccleſiam, ſed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideò quod alibi rectius obſervatur, & nos cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius inhæremus devotioni. Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet?* Verùm Photius non tantùm improbavit, ſed & damnavit ſub anathemate ac peſſimo ſchiſmate. Et hoc præſertim ac meritò notavit Pontifex Nicolaus. Rectè addidit Romanæ Eccleſiæ ritus eſſe à Sancto Petro Apoſtolo: Quod ipſum ſuprà Innocentius primus & Magnus Leo conſtanter aſſeverarunt. Affirmant & alii plurimi, nec eſt dubitandi locus. Et de Paſchalis feſtivitatis die Firmilianum erraſſe oſtendit poſtmodò Synodus Nicæna.

Rectè item adjunxit Nicolaus Pontifex: *Romana Eccleſia, ex quo cœpit Chriſtiana Religio dilatari, quæ ſemel in Petro Patrono ac Inſtitutore ſuo ſuſcepit, immutilata tenuit, & incorrupta per alia mundi climata docuit. Nec viſa eſt unquam Eccleſia, cujus hæc doctrinam vel auctoritatem ſecuta ſit, cùm ipſa potiùs alias inſtituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit*. Et hinc adversùs Magnum Gregorinm, quoſdam Divinorum officiorum ritus per aliqua Conſtantinopolitanis moribus quaſi ſimilia additamenta meliorantem, fuiſſe à multis tamquam de læſa & acciſa Apoſtolicæ Sedis dignitate murmuratum graviter, retulit Joannes Syracuſæ Epiſcopus, & laudatus Lib 7. Ep 97. Pontifex reſpondit: *In nullo aliam Eccleſiam ſecuti ſumus. Nam ut Alleluja hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia, ex Beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ, traditur tractum, & ideò magis in hac Sede illam conſuetudinem amputavimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita*. Et poſt plura: *In quo Græcorum conſuetudines ſecuti ſumus, qui aut veteres noſtras reparavimus, aut novas & utiles conſtituimus, in quibus tamen alios imitari comprobamur?* Extat laudati Damaſi ad laudatum Hieronymum Epiſtola, hæc continens: *Peto tuam Charitatem, ut ſicut à Re-* Ep. 3. *verendo tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum Pſallentiam ad nos dirigere tua Fraternitas delectetur, quia tantæ apud nos ſimplicitatis indago eſt, ut tantùm in die Dominica Apoſtoli Epiſtola una recitetur, & Evangelii capitulum unum dicatur, nec Pſallentium mos tenetur, nec Hymni decus in ore noſtro cognoſcitur*. Et ipſam reſpicere ac laudare videtur Magnus Gregorius, affirmans Alleluja iſto tempore veniſſe Hieroſolymis Romam. Qua in re an circumſcriptus non ſit, meritò hæſitatur. Quidquid ſit, quis dicat Romanam Eccleſiam tunc ſine Pſalmodia fuiſſe? Quis tunc Hieroſolymis fuit Alexander Epiſcopus? Quis credat vocem *Pſallentia*, tunc fuiſſe Romanam? Proinde barbara, imperita, erronea, in Apoſtolicam Sedem injurioſa eſt iſta Epiſtola, ideoque palàm ficta. Et Hieronymi ad ipſam Reſponſum eſt multò abſurdius. Etiam Guntherii nugæ in opere de Geſtis Frederici primi Imperatoris, garrientis ſeptem horas Canonicas à Pelagio ſecundo, ipſarum exordium, *Deus in adjutorium*, & *Gloria Patri*, eſſe à Gregorio Magno. Hæc enim omnia ſunt antiquiſſima. An ipſorum hodiernam normam à prima Conſtantinopolitana Synodo, aut certè ab iſtius ſæculi Patribus cœpiſſe, rectè affirment Walafridus Strabo ac Honorius Auguſtodunenſis, eſt quæſtio alia & longa. Certum eſt Romanæ Eccleſiæ nobiliores ritus eſſe à Sancto Petro Apoſtolo datos, non ab aliis Eccleſiis mutuatos. Quòd tamen hymnorum unà cum pſalmis cantandorum ritum ab Orientali Eccleſia accepe- L. 9. c. 7. rint & Sanctus Ambroſius & ipſa Roma, teſtatur in confeſſionum libris Sanctus Auguſtinus. Poſterioribus item temporibus ſolemnem decantandi ſymboli morem, alioſque id genus optimos ritus admittere ab Hiſpanica aut Gallicana Eccleſia non fuit dedignata ſuprema iſta mater, ideoque & hocce Nicolai Pontificis dictum eſt cum moderamine accipiendum.

Quam libenter aliæ Eccleſiæ admiſerint ejus ritum, immò & expetiverint, lucet per ſuperiùs adducta ex Innocentio primo, Magno Leone, Synodiſque Bracarenſi ac Toletana. Etiam per Mediolanenſis populi vocem, de qua in litteris ad ſororem ſuam Marcellinam Sanctus Ambroſius: *Cùm Baſilicam dedicare vellem, multi* Lib. 7. Ep. 54. Cap. 36. *tamquam uno ore interpellare cœperunt dicentes, Sicut in Romana, ſic Baſilicam dedices*. Et in præſcriptionum libro Tertullianus: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas eſt*. Vocem, *Auctoritas*, accipit pro origine, & Romanam Eccleſiam affirmat Africanæ eſſe fidei & diſciplinæ principium & matrem. Et in litteris ad Moyſen, Orthodoxum Armeniæ Patriarcham, ſcribit ejuſdem gentis Doctor Schiſmaticus, ac Chalcedonenſis Synodi & Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimus hoſtis, Gregorius Cæſarenſis: *Armeniorum Eccleſiæ ritum conferendi ordines à Gregorio Papa ſuſceperunt, ut in noſtro Rituali*

manuum

manuum impoſitionis compertum habetur. Quoniam eo ritu accipimus eorumdem Ordinum poteſtatem. Et Cap. 11. hanc Ritualis iſtius partem ſuo de Romanæ, & Armeniæ Eccleſiarum unione operi inſeruit Clemens Galanus. An & alios Romanos ritus aliis dederit idem Magnus Gregorius, eſt alia quæſtio. De ejus item Diſcipulo, & ad Anglos Legatos S. Auguſtino, quòd Britonum Epiſcopos ad Romanum Paſchalis feſtivitatis & Chriſtiani Baptiſmatis ritum ſuſcipiendum compulerit ſub diſſociandæ communionis reatu, teſtatur in Anglo- L. 2. c. 2. rum hiſtoria Venerabilis Beda. Etiam Apoſtolo noſtro Sancto Bonifacio, cum ad reparandam Chriſtianitatem legavit in Franciam, injunxit Gregorius ſecundus: *Diſciplinam Sacramenti, quam ad initiandos Deo prævio credituros tenere ſtudes, ex formula Officiorum Sanctæ noſtræ Sedis Apoſtolicæ, inſtructionis tuæ gratia prælibata, volumus ut intendas.* Martiniano item Epiſcopo ac Georgio Presbytero, ſuis in Bavariam Legatis, præcepit ut in omnibus iſtic Eccleſiis cuncta Sacramentorum, Miſſarum, ac aliorum Divinorum Miniſteria diſponerent *ſecundùm traditum Apoſtolicæ Sedi antiquitùs Ordinem.* Exſtat hoc ejus Capitulare in tomis Conciliorum. Et Sigulphum Preſbyterum, Beati Alcuini Flacci ſocium, ab Eboracenſi Eccleſia miſſum fuiſſe Romam ad poſtulandos Romanæ Eccleſiæ ritus, teſtatur authentica; ex antiquo Remenſi codice publicata per Andream Quercetanum, vita laudati Alcuini. Et Walafridus Strabo Divinorum Officiorum per varias Eccleſias varietatem ſcribit eſſe ferè infinitam, antiquum Galliæ officium prædicat ex Romano fuiſſe plura mutuatum, atque adjungit: Cap. 25. *Privilegio Romanæ Sedis obſervato, & congruentia rationabili diſpoſitionum apud eam factarum perſuadente, factum eſt ut in omnibus penè Latinorum Eccleſiis conſuetudo & Magiſterium ejuſdem Sedis prævaleret, quia non eſt alia traditio æquè ſequenda, vel in fidei Regula, vel in obſervationum doctrina.* Etiam Sancti Benedicti officium laudat, & dat cauſam: *Quam diſpoſitionem ideò à Paſtoribus Eccleſiarum non interdici putamus, quia eſt vicina auctoritati Romanæ.* Romanum & Gallicanum Officium olim fuiſſe diverſum docet vel ſola relatio Sancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli ad Magnum Gregorium. Quod ipſum multis confirmat in libro de quibuſdam ad Miſſam ſpectantibus Berno Abbas Augienſis. Et ex Hilduini apud Sanctum Dionyſium Abbatis ad Ludovicum Pium Imperatorem litteris adducit hoc fragmentum: *Cui adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia vetuſtate penè conſumpti Miſſales libri, continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei uſus in hac Occidentali plaga eſt habitus, uſque quo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſcepit.* Gallicanæ Eccleſiæ Officium fuiſſe à fidei exordio diverſum à Romano errat Hilduinus: Lucet ex ſupra laudatis Innocentii primi ad Gallicanos Epiſcopos Capitulis, ac ex litteris ad Sanctum Victricium Epiſcopum Rothomagenſem. Rectiùs Walafridus Strabo affirmat poſtmodò fuiſſe immutatum à viris doctiſſimis, & dumtaxat quædam è Romano mutuatum. Quo tempore ad Romanum plenè redierit Gallia, edicit in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus Guido Micrologus: *Sciendum quemdam Albuinum,* Cap. 60. *Magiſtrum Caroli Magni, rogatu Sancti Bonifacii Archiepiſcopi, ut ajunt, Miſſales orationes varias compoſuiſſe. Et hoc ideò, ut Presbyteri illius temporis, nuper ad fidem converſi, nondum Eccleſiaſticis Officiis inſtructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent cum quo officium ſuum qualibet die poſſent explere.* Et infrà: *Fecit idem Albuinus in ſancta Eccleſia non contemnendum opus. Nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum collegiſſe aſſeritur, paucis aliis adjectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe judicavit. Deindè alias orationes ſeu præfationes, etſi non Gregorianas, Eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas collegit, ſicut Prologus teſtatur, quem poſt Gregorianas orationes in medio ejuſdem libri collocavit.* Quod ipſum in animæ Lib. 4. c. gemma memorat Honorius Auguſtodunenſis. 117. Merovingiorum Regum ignavia omnem Chriſtianitatem adeò deformaverat, ut Sanctus Bonifacius nec unum in Francia repererit Breviarium aut librum Miſſalem. Hinc novos compoſuit Alcuinus, non ſolius Bonifacii, ſed etiam laudati ſuperiùs Sigulphi, qui Romana officia detulit ad Eboracenſem Eccleſiam, familiaris amicus. Compoſuit partim ex Romano ordine, partim ex proprio judicio. Quæ mixtura quia diſplicuit, Can. 4. Carolus Magnus admitti juſſit totum ordinem Romanum. Baptiſmales præſertim ritus celebrari juxta Romanum ordinem ſanciunt ejus Capitularia, & ſub ejus Imperio facta Synodus Moguntina.

Et ita fuiſſe uſque ad patrata in Formoſum Pontificem ſcandala, ac translatum à Francis ad Theutones Imperium, affirmat ſeptimi noſtri Cap. 5. Gregorii præſens Decretum, cujus apud Gratianum in diſtinctionibus de conſecratione, & ex ſuprà laudatis litteris Magalonenſis Epiſcopi apud Radulphum Tongrenſem exſtat hoc fragmentum: *In die Reſurrectionis uſque ad Sabba-* Cap. 10. *thum in Albis, & in die Pentecoſtes uſque ad Sabbathum ejuſdem hebdomadæ, tres Pſalmos tantùm, tres Lectiones, antiquo more, & cantamus & legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem Pſalmos & novem Lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim Pſalmos & tres Lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim Pſalmos, excepto die Paſchæ & Pentecoſtes, & novem Lectiones celebramus. Illi autem, qui quotidianis diebus tres Pſalmos & tres Lectiones tantùm videntur legere, non ex Regula ſanctorum Patrum, ſed ex faſtidio & negligentia comprobantur facere. Romani autem diverſo modo facere cœperunt, maximè à tempore quo Theutonicis conceſſum eſt Regnum Romanæ Eccleſiæ. Nos autem & ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, ſtatuimus fieri ſicut ſuprà notavimus, antiquos Patres imitantes.* Dicto igitur tempore & ipſius Romanæ Eccleſiæ officium fuit alteratum, & apud alias Eccleſias inducta ſumma varietas, atque ita laudatus Pontifex fuit compulſus manum apponere. Quòd porrò iſtud ſit ſolùm Synodalis Decreti fragmentum, lucet ex laudati Gregorii ad Hiſpaniarum Reges Alphonſum & Sancium Epiſtola, qua fundatas à Sancto

Paulo Apoſtolo Eccleſias demonſtrat olim uſas Romano Officio, ad Priſcillianiſtarum, Gothorum, ac Saracenorum turbas mutari id cœpiſſe contra Apoſtolicum Canonem & Apoſtolicæ Se-
Lib. 1. Ep. 64. dis ſanctiones, ac pergit: *Quapropter vos ut filios chariſſimos adhortor & moneo, ut ſicut bonæ ſoboles, etſi poſt diuturnas ſciſſuras, demum tamen matrem reverà veſtram recognoſcatis Romanam Eccleſiam, ejus Ordinem & officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet alius, ſed iſtius quæ à Petro & Paulo ſupra firmam Petram per Chriſtum fundata eſt, ſicut cætera Regna Occidentis & Septemtrionis, teneatis. Unde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe religionis exordium, reſtat etiam ut indè recipiatis in Eccleſiaſtico ordine Divinum Officium. Quod etiam Epiſcopi veſtri ad nos nuper venientes juxta conſtitutionem Concilii facere per Scripta ſua promiſerunt, & in manu noſtra firmaverunt.* Itaque præſens Synodus Romani Officii ordine non ſolùm reduxit ad avitam normam, ſed & ipſum à cunctis per Sancti Petri Diſcipulos fundatis, & ad Apoſtolicæ Sedis Patriarchalem curam ſpectantibus, Occidentis ac Septemtrionis Eccleſiis ſanxit obſervandum. In litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ab Innocentio primo laudatum Canonem innovavit. Ita in ipſa Epiſtola Gregorius diſertè teſtatur. Et hinc in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus ſcribit Guido Mi-
Cap. 14. crologus: *Nos ab Apoſtolica potiſſimùm Sede ſacrorum rituum formam ſumere decrevimus, undè totius Chriſtianæ Religionis ordinem & originem ſuſcepimus. Nam & illi Sedi noſtro tempore talem Deus gubernatorem, Reverendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam impoſuit, qui ſub decem ſuis Anteceſſoribus à puero Romę nutritus ac eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curavit. Hunc ergò Doctorem, Religione & auctoritate pręcipuum, immò Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſecrandis Myſteriis potiſſimum imitari decrevimus.* Lucidè laudat præſens noſtræ Synodi Decretum, affirmans eſſe traditionem Apoſtolicam, & ad ipſam omnes Latinas Eccleſias obligari. Iſtud fortè reſpexit etiam Abſalon Lundenſis in Dania Archiepiſcopus, de quo in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis: *Domnus Abſalon vir religioſus fuit, & magni conſilii ſeu diſcretionis, & pręcipuę honeſtatis. Hujus induſtria omnes Eccleſię totius Danię, prius diſcordantes, uniformes in Divinis Officiis factę ſunt.* Quidqud ſit, lucet adductum à Gratiano & Radulpho Decretum eſſe dumtaxat fragmentum. Deeſt pars poſterior, quæ Romanum officium omni Latinæ Eccleſiæ imponit.

Romanum apud Hiſpanos officium fuiſſe Gothorum tempore mutatum, profitetur etiam in opere de Hiſpaniæ rebus Rodericus Archiepiſcopus Toletanus: *Littera Gothica, & translatio
Lib 6. c. 25. Pſalterii, & officium Miſſæ inſtitutum ab Iſidoro ac Leandro Pontificibus, quod cum translatione & littera dicitur Toletanum, per totam Hiſpaniam ſervabatur.* Utique temporibus Gregorii ſeptimi: De Ulphila, primo Gothorum per Eudoxium Conſtantinopolitanum ordinato, & in Arianiſmum ſeducto, Epiſcopo ſcribit in Chronico ad Valentiniani & Valentis imperium laudatus Iſidorus: *Ulphilas Gothorum Epiſcopus, ad inſtar Græcarum litterarum, Gothas tunc reperit litteras, & utrumque Teſtamentum in linguam propriam tranſtulit.* Et hæc omnia Gothi ſecum detulerunt in Hiſpaniam, atque ita ipſam non dumtaxat in duplicem fidem, ſed etiam in duplicem ritum diſtraxerunt. Etenim ipſi ſua Gothica, Hiſpani autem ſua latina littera & lingua perrexerunt uti etiam in Divinis Officiis. Nec dubium eſt, quin fuerint & aliæ differentiæ. Hinc illos ad Catholicam fidem perductos Sanctus Leander Hiſpalenſis Epiſcopus, ejuſque ſucceſſor, & frater Sanctus Iſidorus multa donarunt diſpenſatione. Quod ipſorum cauſa Apoſtolicos Baptiſmi ritus immutarint, & hanc œconomiam Magnus Papa Gregorius comprobarit, lucet ex hujus Epiſtola. Eodem modo tractarunt Divina Miſſæ & Pſalmodiæ Officia. Aliqua ex antiquis Hiſpanorum, aliqua acceperunt ex Gothorum libris, atque ita conflarunt novum Officium, quod alii Toletanum, alii titulabant Officium Leandri & Iſidori. Iſta mixtura conati ſunt diſſociatos uſque tunc Hiſpanorum & Gothorum animos etiam miſcere atque unire. Videntur etiam literam ac linguam Gothicam induxiſſe in Eccleſias.

Ita fuit uſque ad octavi ſæculi annum decimum ſeptimum, & barbaricam ſub Saracenis capti- An. 717.
vitatem, de qua in Hiſpaniæ Chronico Joannes Vaſæus: *Multi Chriſtiani, dulcedine Patriæ pellecti, in variis Hiſpanię civitatibus manſerunt, qui tributarii & vectigales permiſſi ſunt in Iſtituto & lege Chriſtiana vivere, atque omnibus uti ritibus Eccleſiaſticis.* Horum afflictiſſimorum fidelium Doctores & conſolatores laudat fuiſſe Urbanum Toletanum, Joannem Hiſpalenſem, Frodoarum Accitanum, & alios ſimilis pietatis Epiſcopos, atque adjungit: *Chriſtiani, qui inter Arabes hoc modo vivebant, Mozarabes, dicebantur, hoc eſt, miſti Arabibus. Undè & officium Eccleſiaſticum, quo illi per Sanctum Leandrum & Sanctum Iſidorum inſtituto tunc utebantur, & omnis Hiſpania uſa eſt uſque ad tempora Alphonſi ſexti, quo tempore auctoritate Papæ Gregorii ſeptimi mutatum eſt, etiam hodiè Mozarabe nuncupatur. Hoc officium hodie quoque ſervatur Toleti in ſex Parochiis, & in Eccleſia Cathedrali, in Sacello F. Franciſci Ximenii, Cardinalis & Archiepiſcopi Toletani. Salamanticę quoque ſtatis diebus Cap. 81.
in Sacello Doctoris Salabricenſis, quod eſt in periſtylio ſummi Templi.* De eiſdem Mozarabibus ſcribit in Orientalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Illi Chriſtiani, qui in Africa, & Hiſpania inter Occidentales Saracenos commorantur, Mozarabes nuncupati, Latinam habent litteram, & Latino ſermone in Scripturis utuntur, & Sanctę Romanę Eccleſię, ſicut alii Latini, cum omni humilitate, & devotione obediunt, ab articulis fidei vel Sacramentis in nullo deviantes.* An Latinam litteram & linguam ſtatim poſt ingreſſos Saracenos, an verò ad ſeptimi Gregorii juſſum receperint, non poſſum adfirmare. Rodericus Toletanus videtur adſerere hoc poſterius.

Circa

Circa S. Leonis noni tempora Hiſpani cœperunt caput erigere, & ejicere Saracenos. Etiam tunc cœperunt aliqui circa Mozarabum officium fluctuare. Etenim ad undecimi ſæculi ſexageſimum, & Nicolai ſecundi Pontificis ſecundum annum Dominus Cardinalis Cæſar Baronius laudat Jaccitanam Hiſpaniæ Synodum, enumerat ejus Epiſcopos, ac pergit: *Hoc in Concilio in primis ſacri ritus, temporum injuria depravati, vel aboliti, ſunt reſtituti, diſciplina Eccleſiaſtica reſarcita, moreſque ad ſacrorum Canonum normam revocati. Inſuper ne alio, quam Romano, more ſacræ preces in Eccleſia perſolverentur. Hæc ſummatim de Concilio ſcripta reperimus.* Verùm poſtremus hic Canon non habuit pacificam exſecutionem. Etenim ad Mantuanam Alexandri ſecundi Synodum venerunt Mavio Calaguritanus, Eximius Aucenſis, & Fortunius Alavacenſis Epiſcopus, detulerunt Gothicos ſuorum rituum ac officiorum libros, & ſupplicarunt approbari. Et fuiſſe à Pontifice ac Synodo approbatos, adfirmat ex vetuſtis Hiſpaniæ Scriptis Joannes Mariana. Pergit D. Cardinalis Baronius: *Poſt hæc Epiſcopi Hiſpani Legati, qui Mantuano Concilio interfuerant, reverſuri in Hiſpanias, duxerunt ſecum ab Alexandro Papa decretum Legatum à latere Hugonem Candidum, cujus auctoritate Barcinonæ Concilium adgregatum eſt, in quo leges Gothicas, quibus Catelani utebantur, idem Legatus penitùs abrogavit, novaſque ſanxit, quibus hodiè populus utitur. Ut autem & Gothici ritus, adhiberi in Sacris ſoliti, abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, neque cogere voluit, cùm eidem in Concilio Mantuano cogniti fuiſſent eſſe Catholici.* Proindè Alexander Pontifex Mozarabicum officium ſic probavit, ut tamen commendaret ac ſuaderet Romanum.

A. 1064.

Res ita manſit uſque ad Alphonſum ſextum, qui Toletanam Metropolim Saracenis eripuit, & de quo pergit Rodericus ejuſdem civitatis Epiſcopus: *Alphonſus ad inſtantiam uxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ, quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium Papam ſeptimum, ut in Hiſpaniis omiſſo Toletano Romanum ſeu Gallicanum officium ſervaretur.* Et infrà: *Gregorius ſeptimus, ad petitionem Regis Alphonſi, miſit quemdam Richardum, Abbatem Sancti Victoris Maſſilienſis, ut Eccleſias Hiſpaniæ, tot perſecutionibus perturbatas, Eccleſiaſtico moderamine ordinaret.* Hic igitur Richardus Gregorianum præſentis Synodi Decretum fuit in Alphonſi Regno exſecutus. Nec ſola Regina Conſtantia, ſed etiam Bernardus, poſt liberatam urbem primus Toleti Epiſcopus, bonum opus ſtrenuè adjuvit. Nam & ipſe erat homo Gallus, natus in Agennenſi territorio, profeſſus in Auxitano Sancti Aurentii, educatus in Cœnobio Cluniacenſi.

Lib. 6. c. 25. 26.

Cujus apud Hiſpanos faciendæ executionis Pontifex fuit adeò zeloſus, ut Paulum Movio, neſcio cujus civitatis Epiſcopum, Romam criminaliter evocatum, ac repertum innocentem, ad redeundum noluerit abſolvere, niſi ſub hac conditione: *Paulus Romanum ordinem in Divinis Officiis, ſicut cæteri Hiſpaniæ Epiſcopi, qui Synodo interfuerunt, ſe celebraturum, & ut meliùs poterit obſervaturum promiſit.* Ex quo vides huic Synodo Hiſpanos etiam Epiſcopos adfuiſſe. Et quidem quod Sancius Arragoniæ Rex præſens Decretum fuerit ſtatim exſecutus, lucet ex hoc Pontificis ad ipſum Reſcripto: *In hoc quod ſub ditione tua Romani ordinis officium fieri ſtudio & juſſionibus tuis aſſeris, Romanæ Eccleſiæ te filium oſtendis, & eandem concordiam, & eandem amicitiam ita nobiſcum habere, quam olim Reges Hiſpaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognoſceris.* Hiſpani enim Reges Apoſtolicæ Cathedræ ſingularem ſemper detulerunt reverentiam, ipſamque Gregorius rogat atque hortatur eſſe perpetuam. At verò ad Simeonem neſcio cujus Sedis Epiſcopum, ac Apoſtolicæ Cathedræ in omni Hiſpania Vicarium, hæc poſt biennium & poſt multis demonſtratam Romanæ Eccleſiæ infallibilem auctoritatem ſcripſit: *His fulta præſidiis Romana te vult ſcire Eccleſia, quod filios, quos in Chriſto nutrit, non diverſis uberibus nec diverſo cupit alere lacte, ut ſecundùm Apoſtolum ſint unum, & non ſint in eis ſchiſmata. Alioquin non mater, ſed ſciſſio vocaretur. Quapropter notum ſit tibi, cunctiſque Chriſti fidelibus, ſuper quibus conſuluiſti, quod Decreta, quæ à nobis, immò à Romana Eccleſia conſtat prolata ſive confirmata, de peragendis à vobis ejuſdem Eccleſiæ officiis, inconcuſſa velimus permanere, nec eis acquieſcere, qui luporum morſibus & veneficiorum molimine eos inficere deſiderant.* Omnem Romanum Patriarchatum vult etiam in Divinis ritibus eſſe unum, hujus unitatis adverſarios duriſſimè notat, in ipſos uſque ad ſanguinem & mortem adfirmat pugnandum, & concludit: *Procura ergo ut Romanus Ordo per totam Hiſpaniam & Galliciam, & ubicumque poteris, in omnibus rectiùs teneatur.* Dudum duravit hæc quæſtio. Etenim nono ſui Pontificatus anno ad Alphonſum Hiſpaniæ Regem hæc Gregorius reſcripſit: *Noverit Excellentia tua illud unum admodùm nobis, immò Divinæ Clementiæ placere, quòd in Eccleſiis Regni tui, matris omnium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo, quem hactenùs tenuiſſe videmini, quædam contra Catholicam fidem inſerta patulò convincuntur. Quæ cum relinquere, & ad priſtinam conſuetudinem, ſcilicet hujus Eccleſiæ, reverti deliberaſti, non dubiè beatum Petrum Apoſtolum optare Patronum, & ſubditorum tuorum ſalutem curare monſtraſti.* Hiſpanis Officiis tunc inſertos adhuc errores exiſtimo fuiſſe de Chriſti Domini adoptione. Quod à Sanctis crederentur inſerti Epiſcopis, etiam poſt Elipandi correctionem quidam forſan noluerunt ipſos expungi.

Lib. 1. Ep. 83. — Ep. 63. — L. 3. Epiſt. 18. — Lib. 9. Ep. 2.

Verùm Gregorius plenam ſui Decreti executionem in Hiſpania videtur non conſecutus. Etenim de Richardo Maſſilienſi ad Sanctum Victorem Abbate, quem in Hiſpanias Legatum, & ob quoſdam exceſſus revocatum putat ab Urbano ſecundo, ſcribit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus: *Verùm ante revocationem Clerus & populus totius Hiſpaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officium ſuſcipere à Legato & Principe cogebantur. Et ſtatuto die, Rege, Primate, Legato, Cleri & Populi*

Lib. 6. c. 26.

puli maximà multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, Clero, Militia, & Populo fortiter reſiſtentibus ne officium mutaretur, Rege à Regina ſuaſo contrarium, minis & terroribus intrante. Ad hoc ultimò res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumque duo milites fuiſſent electi, unus à Rege, qui pro officio Gallicano, alter à Militia & populo, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis illicò victus fuit, populis exultantibus quod victor erat miles officii Toletani. Sed Rex adeò fuit à Regina Conſtantia ſtimulatus, quod à propoſito non diſceſſit, duellum judicans jus non eſſe. Miles autem qui pugnaverat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Piſoricam, cujus hodiè genus exſtat. Cumque ſuper hoc magna ſeditio in Militia & populo oriretur, demum placuit, ut liber officii Toletani & liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus jejunio à Primate, Legato & Clero, & oratione ab omnibus devotè peracta, igne conſumitur liber officii Gallicani, & proſiliit ſuper omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii Toletani, illæſus omninò, à combuſtione incendii alienus. Sed cùm Rex eſſet magnanimus, & ſuæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit ut Gallicanum officium in omnibus Regni ſui finibus ſervaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inolevit proverbium: Quò volunt Reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum officium tam in Pſalterio, quàm in aliis, nunquam ante ſuſceptum, fuit in Hiſpaniis obſervatum. Licet Toletanum in aliquibus Monaſteriis fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam tranſlatio Pſalterii in plurimis Eccleſiis Cathedralibus & Monaſteriis adhuc hodiè recitatur. Romanum officium, ut ipſi invidiam faciat, Hiſpanus Epiſcopus vocat Gallicanum.

Lib. 8. Ep. 3. Cauſam, ex qua tot litteras debuerit in hanc rem ſcribere, exponit Gregorius in alia apud Alphonſum Regem Epiſtola: *Remove à te quantocius Conſiliarios falſitatis. Corrumpunt quippè mores bonos colloquia prava.* Ep. 2. Et in litteris ad Hugonem Cluniacenſis Monaſterii Abbatem: *Quanta impietas è Monaſterio veſtro per Roberti veſtri Monachi præſumptionem exierit, ex litteris Richardi Legati noſtri potes cognoſcere. Qui nimirùm Robertus, Simonis Magi imitator factus, quanta potuit malignitatis aſtutia aduersùs Beati Petri auctoritatem non timuit inſurgere, & centum millia hominum, qui laboris noſtri diligentia ad viam veritatis redire cœperant, per ſuggeſtionem ſuam in priſtinum errorem reducere.* Adfirmat Hiſpanienſem Eccleſiam ab illo inductam in periculum, Regemque ſeductum ad Apoſtolicum etiam Legatum malè tractandum. Nempè Robertus Regem ſeduxerat ad excutiendum Romanum officium, & Mozarabicum reſumendum. Et quia ipſum Pontifex vocat Simonis Magi imitatorem, videtur à pertinacibus hujus officii zelatoribus fuiſſe pecunia emptus. Quomodo homo Gallus Gallicanum officium aliter impugnaſſet? Hinc igitur hoc officium tot Apoſtolicis mandatis ac litteris debuit Gregorius in Hiſpania firmare.

Attamen iſta Roderici narratio in quibuſdam videtur vacillare. Etenim in litteris, quibus Pſeudo-Monachum expelli à Rege Alphonſo juſſit, Gregorius Papa addidit: *Illicitum connubium, quod cum uxoris tuæ conſanguinea iniſti, penitus reſpue.* Lib. 8. Ep. 3. Proinde mortua tunc erat Conſtantia, atque ita ſub Urbani Pontificatu nequit ſuperfuiſſe. Sex ſucceſſivè uxores habuit Alphonſus: Et quod Conſtantiæ Gallæ Bertha Thuſca, adeòque non conſanguinea ſucceſſerit, teſtatur ipſe jam dictus Rodericus. Nempè Pontifici Rex obediit, & adfinem ejecit. Et hinc in litteris, quibus illum laudat ob reſumptum Romanum officium, nullam aut illegitimæ uxoris, aut Roberti Monachi Papa fecit mentionem. Et ante Gregorii mortem Richardus Cardinalis Romam rediit. Etenim unà cum aliis Cardinalibus elegit Victorem tertium, & ob initas ſimul cum Hugone Lugdunenſium Primate adversùs illum factiones fuit ab eodem in Beneventana Synodo damnatus. Lucet ex Actis iſtius Synodi. Quocirca ſub Urbano ſecundo nequit fuiſſe in Hiſpania, nec per ipſum revocatus. Et hinc exiſtimo Romani officii in Hiſpania, uti exordium, ita & firmitatem eſſe opus ſeptimi Gregorii. De olim conſuetis per duellum aut ignem probationibus eſt ſuo loco dicendum.

DECRETUM V.

Quintum hujus Synodi Decretum edicit noſter Gregorius in Epiſtola ad Canonicos Sancti Hilarii Pictavienſis: *Notum vobis eſſe volumus, quod Canonici Pictavienſes in Synodo noſtra conqueſti ſunt, vos denegare, & contradicere illis conſuetudinem, quam in Eccleſia Sancti Hilarii habere debent. Videlicet ut in feſtivitate omnium Sanctorum & Sancti Hilarii, cùm illuc ex more cum proceſſione veniunt, ſi Epiſcopus aderit, ipſe Miſſam celebret, ſi autem non adſit Epiſcopus, Decanus aut aliquis de majoribus Canonicis Pictavienſis Eccleſiæ officium Vice-Epiſcopi peragere debeat. Quod cùm apud nos in publico Concilio agitatum fuerit, Gozelino Burdigalenſi Archiepiſcopo cauſam veſtram cum quibuſdam aliis defendente, ſcientes talem conſuetudinem in Romana Eccleſia per ſingulas ſtationes, & ferè per univerſum orbem in aliis Eccleſiis ritè & rationabiliter teneri, dijudicante Concilio juſtam eos requirere cauſam comprobavimus, & prædictum uſum eos obtinere debere, Apoſtolica auctoritate cenſuimus.* L. 1. Epiſt. 54. Synodale hoc judicium mandat deduci in pacificam executionem, ac plenè obſervari. Verùm quòd Sancti Hilarii Eccleſia non obedierit, lucere videtur ex Pontificis noſtri Epiſtola ad Iſembertum Pictavienſem Epiſcopum: Epiſt. 17. *Clerici congregationis Sancti Hilarii venere ad nos, conquerentes ſe ex antiqua conſuetudine cum Sanctis Reliquiis & Plebe ſua Matricem Eccleſiam in Rogationibus adiiſſe, & à Canonicis ſuis ad contumeliam ſibi clauſas portas Eccleſiæ, & introitum negatum fuiſſe.* Cauſam mandat tractari in Provinciæ Synodo, vel ambas partes accedere Romam.

Si-

Similem litem habemus in ejuſdem noſtri Gregorii litteris ad Udonem Archiepiſcopum Trevirenſem: *Confrater noſter Theodoricus Virdunenſis Epiſcopus habitatores loci apud Monaſterium quoddam Sancti Michaelis infra Parochiam ſuam, ad quaſdam novas conſuetudines ſua virtute & potentia flectere & coercere diu conatus eſt, videlicet ut cum Litaniis majorem Eccleſiam, hoc eſt, ſuam Epiſcopalem Sedem, ſimul congregati ſingulis annis* Epiſt. 81. *viſitarent. Quod cum illi inuſitatum, ne fortè alterius novæ exactionis occaſionem darent, pati renuerint, Divinum ibi officium fieri penitùs interdixit.* Compeſci mandat Theodoricum, aut Romam cogi ad reddendas ſui facti rationes. Ejus rationem edicit in Leodienſis ſuæ Eccleſiæ Hiſtoria Anſelmus Canonicus, ſcribens de Epiſcopo Wolbodo: *Wolbodus diligens decorem domus Domini, ſtationes inſtituit ſeu proceſſiones, quæ ab univerſo communiter Clero totius civitatis ad majorem Eccleſiam certis per annum ſolemnitatibus fiunt, quatenùs per hujuſmodi Conventus in Choro Leodienſi jugiter charitatis maneat conventus, hoc* C. 69. *eſt, ut majori Eccleſiæ à minoribus, tamquam matri à filiabus, privilegium ſervetur, competenſque ſubjectio ab eo modificata qui habitare facit unius moris in domo. Monente & Apoſtolo ſollicitè ſervari unitatem ſpiritus in pacis vinculo.* Eandem legem voluit Theodoricus in ſua Virdunenſi Eccleſia etiam à Sancti Michaelis Monaſterio obſervari.

Prima hìc quæſtio eſt; Ex quo fundamento Sancti Hilarii fratres Epiſcopum ſuum, ac ejus Cathedralem Clerum, ſolemniter Deo ſupplicantem ac procedentem, ad Eccleſiam ſuam & celebrandum iſtic Pontificale ſacrificium noluerint admittere? Reſpondeo ſe fundaſſe in plena ſua exemptione, & avita Monachorum Regula, ex qua de Ariminenſi Sanctorum Andreæ, & Thomæ Monaſterio ſcripſit ad Caſtorium ejuſdem L. 4. Epiſt. 45. civitatis Epiſcopum Magnus Gregorius: *Miſſas illic publicas per Epiſcopum fieri omni modo prohibemus, ne in ſervorum Dei receſſibus occaſio ulla præbeatur popularibus Conventibus, & ſimpliciores ex hoc animas plerumque in ſcandalum trahat.* Etiam Felicem Piſaurenſem Epiſcopum, quod fundatum à neſcio quo Joanne Monaſterium per publicas Miſſas, & erectam Cathedram dedicaſſet, graviter arguit idem Pontifex, & adjungit: *His vos hortamur affatibus, ut omni ex-* L. 5. Epiſt. 46. *cuſatione ceſſante, Cathedram veſtram exindè amoveri modis omnibus faciatis, nec denuò illic Miſſas publicas peragatis. Sed ſicut conſuetudo eloquitur, ſi Miſſas ibidem ſibi celebrari voluerint Monachi, à te Presbyter dirigatur.* Nec privatas Miſſas illic vult ſine Monachorum conſenſu celebrari. Et hinc quòd in Maſſilienſi Sancti Caſſiani Cœnobio permiſerit Epiſcopo quotannis in dedicationis etiam anniverſario Cathedram & Miſſam publicam, fuit ſingulare Indultum, L. 6. Epiſt. 12. habuitque hanc appendicem: *Epiſcopi Cathedra, niſi prædictis diebus, dum illic Miſſarum ſolemnia celebrat, non ponatur.* Ex eadem Regula ſcribit L. 4. Epiſt. 41. ad Luminoſum laudati Ariminenſis Monaſterii Abbatem: *Nec publica illic debeat eſſe proceſſio.* Utique ad tui Monaſterii Oratorium. Vetat proceſſionem, quam laudat & in litteris ad Felicem Meſſinenſem Epiſcopum, agens de Sancto- L. 12. Epiſt. 10. rum Stephani & Pancratii per Januarium Subdiaconum fundata Baſilica: *Enuntia ex more nihil illic conditoris juri ulterius jam deberi, niſi proceſſionis gratiam, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur.* Etiam ad Victorem neſcio cujus civitatis Epiſcopum ſcribit in litteris per Dominum Lucam Holſtenium publicatis Sanctus Papa Gelaſius: *Dudum de Sanctæ Agathæ Baſilica proceſſionem ſub noſtra conſultatione ſuſpenderas, aſſerens poſſeſſionis Dominum omnia quæ illi conferebantur* Ep. 35. *accipere, nec illic poſſe Miniſtrorum Dei aliquos ad proceſſionem venire, cùm nulla illic alimenta ſuſciperent.* Per proceſſionem manifeſtè intelligit Miſſas publicas, & publicum populi ad ipſas conventum. Ea ergo Gregorius voluit in Monaſteriis non celebrari. Et inter privilegia, quæ Gallicani olim Epiſcopi ſolebant ſuis Monaſteriis agnoſcere, etiam hoc referunt Marculphi formulæ: *Et niſi rogatus à congregatione illa vel* Form. 1. *Abbate pro oratione lucranda nulli Epiſcopo aut Archi-Diacono liceat Monaſterii adire ſecreta, aut finium ingredi ſepta. Et ſi ab eis illuc Pontifex poſtulatus pro lucranda oratione vel eorum utilitate acceſſerit, celebrato ac peracto Divino Myſterio, ſimplici & ſobria benedictione percepta, abſque ullo requiſitu, domo ſtudeat habere regreſſum.* Quod privilegium Rex confirmabat in hæc verba: *Epiſcopus nec ad ipſum Monaſterium, nec ad cellulas ejus, niſi tantum pro lucranda oratione, illud ipſum ſi fuerit cum voluntate Abbatis vel ejus Congregationis, abſque diſpendio eorum, aliter accedere penitùs non præſumat.* Et hinc in privilegio, quod Fuldenſi Monaſterio dedit Gregorius quartus, & nuper publicavit Jacobus Gretzerus, habemus & hunc articulum: *Nullus etiam Epi-* Epiſt. 1. *ſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, vel quoquo modo in Clero conſtitutus, temerè aut protervè, niſi à vobis accepta licentia, ſuper principale Altare veſtri Monaſterii, Miſſarum ſolemnia celebrare præſumat. Specialiter Epiſcopus, in cujus Diœceſi conſtructum eſſe videtur, niſi ab Abbate Monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ſolemnia illic celebrare præſumat.* Eundem articulum cum additamento habemus in privilegio, quod Vezeliacenſi Monaſterio dedit Nicolaus primus: *Nec Epiſcopus civitatis ipſius Parochiæ, niſi ab Abbatiſſa Monaſterii invitatus, ibidem publicas Miſſas agat, neque ſtationes in Cœnobio indicat, ne Ancillarum Dei quies quoquo modo populari Conventu valeat perturbari.* Quod ipſum eiſdem verbis confirmavit Joannes octavus: Dumtaxat pro Abbatiſſa Abbatem, & pro Dei Ancillis poſuit Dei ſervos. Nempè pro Monialibus fundatum Monaſterium fuit ex cauſis traditum Monachis, uti in ejus Chronico docet Hugo Pictavinus, Notarius Guilielmi Abbatis Vezeliacenſis. Etiam poſt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala, dum laxari cœpit diſciplina & Monachi populo magis miſceri, de Geberardo Conſtantienſi Epiſcopo ſcribit ejuſdem Eccleſiæ Chronicon: *Geberar-* Epiſt. 26. *dus Fratribus Eccleſiæ Conſtantienſis conſtituit, ut ter in anno cum ſolemni proceſſione.* Petershau-

ſienſe à ſe fundatum *Monaſterium adeant*, *ſingulisque vicibus pro ejus anima Miſſam cantent*, & *inſuper in feſto Sancti Gregorii publicam de eo feſto Miſſam decantent*, *Monachique Chorum regant*, & *ad Altare miniſtrent*. Fundatoris auctoritate imponit onus publicæ proceſſionis & Miſſæ, cujus tamen omne officium, uti & Chori regimen, vult per Monachos exerceri. Hujus ſuæ libertatis quam olim Monachi fuerint tenaces & zeloſi, oſtenderunt apud Guilielmum Nangiacenſem, in vita Philippi tertii Francorum Regis, Cœnobitæ ad Sanctum Dionyſium; Alphonſi Comitis Pictavienſis per ipſum laudatum Regem deducto cadaveri, quòd illud Pariſienſis Epiſcopus & Archiepiſcopus Senonenſis in Pontificali ornatu comitarentur, Eccleſiæ ſuæ portas clauſerunt. Epiſcopalem in iſto ornatu ingreſſum dixerunt adverſari exemptioni ſuæ, atque ita proprium Epiſcopum & proprium Metropolitam ad illum deponendum coegerunt. In hocce igitur privilegio etiam Sancti Hilarii Fratres, utpotè plenè exempti, adversùs ſuum Epiſcopum ſeſe fundaverunt.

Et hinc naſcitur ſecunda quæſtio, An hæc fundamenta pro iſtis fratribus fuerint legitima & firma? Reſpondeo non fuiſſe, ideoque ipſos à noſtri Gregorii Synodo rectè damnatos. Nec enim erant Monachi, ſed Regulares Clerici, quibus numquam fuit plena Monaſtici ſilentii quies, nec libertas à Miſſis publicis, ideoque nec à Cathedralis Eccleſiæ proceſſionibus. Suum item judicium conſuetarum in Romana ac pluribus aliis Eccleſiis ſtationum ſeu proceſſionum exemplo Pontifex rectè confirmat. Eſt exemplum antiquiſſimum. Etenim de Magno Gregorio ſcribit Joannes Diaconus: *Stationes per Baſilicas & Sanctorum Martyrum Cæmiteria, ſecundùm quod hactenus plebs Romana quaſi eo vivente certatim diſcurrit, ſollicitus ordinavit, per quas & ipſe ſimul diſcurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti homilias Evangelii coram Eccleſia diverſo tempore declamavit. Sequebatur exercitus Domini, ultra citraque Gregorium præeuntem, & audituræ verbum doctrinæ innumerabiles undique diverſi ſexus, ætatis, profeſſionis, voluntariæ profluebant cohortes*. Addit quòd quandoque Eques, plurimis Planetatis & Mappularis circumcinctus, ſoleret procedere, & per ſingulas ſtationes offerre ſacrificium, ac populus de ipſo communicare. Stationes ab ipſo aſſerit non inſtitutas, ſed ordinatas. Quid addiderit, videre poſſis apud Rupertum Abbatem
C. 41. in octavo libro de Divinis officiis.
45.

Ipſas enim eſſe longè antiquiores, lucet ex Orientali Alexandrinorum Patriarcharum Chronico: *Cyrillus major, Theophili Patriarchæ ex ſorore nepos, primus omnium Stationes in Eccleſiis conſtituit*. An apud Ægyptios inſtituerit, ignoro. Certum eſt ipſas in Latinis Eccleſiis eſſe multò vetuſtiores. Etenim de Anti-Papæ Novatiani ad Carthaginenſem Eccleſiam Legatis ſcribit ad Sanctum Papam Cornelium Martyr Cyprianus: *In Statione invidioſis conviciis & clamoribus turbulentis proruerunt*. Et in Reſcripto ad Sanctum Cyprianum Sanctus Cornelius:
Ep. 41. *Nicephorum Acolythum de Statione ad vos dimiſi*.

Et in ſua ad exhibitas Magno Imperatori Theodoſio preces præfatione ſcribunt Romani Presby- Ep. 46.
teri Fauſtinus, ac Marcellinus contra Felicem ſecundum Papam: *Felix Stationem in Julii Baſilica dare præſumit*. Et de Schiſmatico Anti-Papæ Urſicini populo: *Populus per Cæmeteria Martyrum Stationes ſine Clericis celebrabat*. Et in libro Pontificali vita Sancti Hilarii Papæ. *Hilarus in urbe Roma conſtituit Miniſteriales, qui circuirent* atque dirigerent *conſtitutas Stationes*. *Confecit item ſcyphum aureum anſatum ſeu Stationarium, penſantem libras octo.* Utique ad populi in Stationibus communionem. Hinc anſatus fuit; Et ſcyphus, non calix. Eumdem ſcyphum Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius laudat etiam in vita Leonis tertii: *Fecit Leo Antiſtes Beato Petro Apoſtolo calicem aureum, diverſis ornatum pretioſis lapidibus, qui præcedit per ſtationes, penſantem libras tredecim*. Et infrà: *Fecit Communicales ex argento puriſſimo per ſingulas Regiones, qui præcederent per ſtationes per manus Acolythorum, numero viginti quatuor*. Calix ad ſacrificium, Communicales videntur fuiſſe ad communicandum populum. Romanus Ordo laudat quoque Acolythum & Diaconum *Stationarium*, Primicerium, & Notarios *ipſius ſtationis*, ac *proximæ ſtationis* Subdiaconum. Quod nempe ſtatio numquam eſſet ſine ſolemni ſacrificio. Erat non qualiſcumque, ſed de Baſilica ad Baſilicam proceſſio: Nam & Litaniam à Sancto Laurentio in Lucina ad Sanctum Petrum laudat Gregoriana præfatio ad ſecundum Regeſti librum. Et de Honorio primo ſcribit idem Anaſtaſius: *Hic fecit Conſtitutum in Eccleſia, & decrevit ut per omnem Hebdomadam Sabbatho die exeat Litania ad Beatum Apollinarem, & ad Beatum Petrum Apoſtolum cum Hymnis & Canticis populus omnis occurrere debeat*. Et ad neſcio quem Archiepiſcopum ſcribit Sanctus Petrus Damiani: *In Aſſumptione Beatæ Dei* Lib. 3.
Genitricis Mariæ, nocturno tempore, Romanus Ep. 10.
populus juxta morem Orationibus ac Litaniis inſiſtit, & accenſis luminibus diverſarum Regionum Eccleſias perluſtrat. Quòd enim nocturnas etiam ſtationes Magnus Gregorius induxerit, laudato in loco affirmat memoratus Rupertus. Romanorum, uti & Conſtantinopolitanorum ſtationes laudat in hiſtorico Breviario etiam Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, de ſuo hæretico Anteceſſore Niceta ſcribens: *Nicetas Patriarcha in attinentibus* ad Eccleſias *domiciliis, ubi ſtationes in proceſſibus obiri ſolent, quæ Romani Secreta vocant, Sanctorum imagines eradit*. Secreta erant appendices ad Baſilicas Capellæ.

Et in populari ſermone ſcribit Petrus Bleſen- Serm. 11
ſis: *Ad acediæ torporem evacuandum etiam corporalem corporis motum inſtituit Eccleſia, ut ſcilicet fiant proceſſiones ab Eccleſia ad Eccleſiam. Quod quidem Pontifex Romanus ferè omni die Quadrageſimali obſervat, ſed aliæ Eccleſiæ quædam in pluribus, quædam in paucioribus diebus exire conſueverunt*. Qui mos etiam ipſis eſt antiquiſſimus. Etenim de Honorato Maſſilienſi Epiſcopo ſcribit in virorum illuſtrium Catalogo Gennadius Maſſilienſis: *Honoratus Litanias ad ſupplicandam Dei Cle-*

Clementiam cum plebe ſibi credita ſolemniter agit. Et de Sancto Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo laudatus Rupertus: *Quodam die, cum celebrata ſtatione apud Sanctum Severinum, reverteretur, multa Cleri & populi turba comitatus, tranſibat ignorans exiguum pauperis tugurium.* Et in Trudonopolitani Monaſterii Chronico ſcribit Abbas Rudolphus: *Eccleſia Sancti Pantaleonis ex privilegio Romano antiquitus hoc habuiſſe dicebatur, ut* Lib. 11. A. 1121. *Abbas loci illius Sandaliis & Dalmatica uteretur, viceſque ageret Archiepiſcopi per civitatem in ſuis ſtationibus. Sed Anno Archiepiſcopus Sandalia & Dalmaticam prohibuit; vices verò ſuas agere per ſtationes conceſſit. Sic uſque ad tempus Rudolphi Abbatis permanſit. Et quia erat homo pulchri, ut dicunt, perſonatus, & Divino adſiſtens officio decenter ſonorus, frequentabant ſtationes, quas agebat frequentiſſimè, Colonienſis populus, matronarumque plurium devotus Deo ſexus. Clerus verò ſine omni invidia ſollene ei exhibebat obſequium, tamquam ſi haberet præ oculis proprium Archiepiſcopum.* Scribit de ſemetipſo, pro Eccleſiaſtica libertate tunc Coloniæ apud Sanctum Pantaleonem exulante. Et in tertio de ſua vita libro ſcribit venerabilis Guibertus, Sanctæ Mariæ apud Novigentum Cap. 7. Abbas: *Feria ſecunda poſt Paſcha procedere moris eſt Clericos, ſtationem facturos apud Sanctum Vincentium.* Agit de civitate Laudunenſi. Quin immò quod Carnutenſis Epiſcopus cum populo ſuo & Clero uſque ad Aurelianenſis civitatis Eccleſiam procedere, & illic cum ſolemni haud dubiè ſacrificio ſtationem celebrare olim conſue- Ep. 62. verit, teſtatur in litteris ad Theodoricum Aurelianenſem Sanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. Peregrinum enim Epiſcopum ad ſolemne ſacrificii & verbi Miniſterium admitti atque invitari mandat Apoſtolica omnium Eccleſiarum conſuetudo, innovata atque confirmata per primam Synodum Arelatenſem. Nequaquam juriſdictionis, ſed fraternæ dumtaxat hoſpitalitatis eſt iſtud officium, ideoque ad ſtationem procedenti proprio Epiſcopo ipſum omninò debet quævis etiam exempta Eccleſia. Exemptio proprium Epiſcopum ſola poteſtate exuit, nequaquam ordinaria reverentia. Et hinc memorata Dionyſiani Cœnobii in ſuum Pariſienſem Epiſcopum ac Senonenſem Metropolitam audacia fuit omninò impudens. Et adversùs illam rectè ſtatuit in Viennenſi Synodo Clemens quintus: Lib 5. tit. 7. c. 2. *Archiepiſcopo per quævis loca exempta ſuæ Provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, ut crucem ante ſe liberè portari faciat, benedicat populo, Divina officia privatim vel publicè ibidem audiat, ut ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari, quovis privilegio contrario non obſtante, ſacro approbante Concilio, præſentis conſtitutionis ſerie duximus concedendum. Simili modo concedimus Epiſcopo, ut in eiſdem locis ſuæ Diœceſis poſſit populo benedicere, audire Divina Officia, & ea etiam celebrare, & in ſua præſentia facere celebrari.*

Antiqua Chriſtianorum Statio exponitur.

QUia Stationum incidit mentio, expediet ipſarum originem & variam per tempora formam paucis aperire. Vocabulum, *Statio*, à Romano Imperio venit ad Eccleſiam, ac in Imperio fuit variæ ſignificationis. Primò, ſignificavit ſtatum ſeu dignitatem Imperialem. Ita adeptum à Claudio Imperium Svetonius titulat *adeptam Stationem.* Et ad Diocletianum Impe- Lib. 5. c. 38. ratorem præfatur Ælius Spartianus: *In hac ſtatione, quam temperas.* Et ad eundem in Vero Imperatore Julius Capitolinus: *Ælius Verus ab Adriano adoptatus, primus Cæſar dictus eſt, & in eadem ſtatione conſtitutus periit.* In Avidio Caſſio Vulcatius Gallicanus vocat *Regiam ſtationem.* Eadem phraſi utuntur & alii antiqui Romanorum Scriptores. Secundò, ſignificat oppidum, caſtrum, aut quemvis munitum locum, cujus cuſtodiæ ac defenſioni imponebatur militare præſidium. Ita de Perſis, quod Niſibenam civitatem *uti vilem ſtationem* ſpernerent, ſcribit Ammianus Marcellinus. Et in quarto Hiſtoriarum libro Cornelius Tacitus: *Diſpoſitæ per omnem* Cap. 26. *Rheni ripam ſtationes Germanos vado arcebant.* Per ſtationes intelligit exſtructas munitiunculas. Et in Theodoſiano codice exſtat ſcripta ad Victorem Militum Magiſtrum Lex, qua Valen- Lib. 7. tit. 4. c. 12. tinianus & Valens Auguſti vetant cunctis militum per Provincias ſtationibus, ne deinceps à Provincialibus exigant Cænaticum. Per ſtationes lucidè intelligunt præſidia militaria. Apud Romanos Scriptores frequens eſt mentio agrariarum ſtationum, id eſt, munitionum exſtructarum in agris.

Eadem vocis ſignificatione frequenter utitur Procopius Cæſareenſis. Etenim in primo de Imperatoris Juſtiniani ædificiis libro ſcribit de ſanctis quadraginta Martyribus: *Hi Romani fuere* Cap. 1. *milites, legionis duodecimæ, quam quondam ſtationariam habuit urbs Armeniæ Melitene.* Et in tertio libro: *In Armenia collocati fuerant Romani mi-* Cap. 4. *lites ſtationarii. Ac locum quidem Melitenem vocabant.* Et in quarto libro: *Juſtinianus in Danubii* Cap. 1. *ripa ſtationarios milites, qui barbaros tranſitu prohiberent, conſtituit.* Et hoc ſenſu etiam noſtri Regum libri memorant ſtationem Philiſtinorum. Et hinc in lege ad Anthemium Honorius Lib. 7. tit. 16. c. 2. & Theodoſius Auguſti *ſtationes Navium*, ac in lege ad Poſthumianum Gratianus ac Valentinianus officinas, in quibus menſuræ & pondera publica elocantur, dixerunt ſtationes: Per analogiam. Famoſiſſima vocis ſignificatio importa- Lib. 12. tit. 6. c. 19. bat Militares in Palatio, in civitatum foro, in ipſarum portis, aut in aliis publicis locis cuſtodias atque excubias, de quibus Svetonius in Claudio Imperatore: *Statio Militum, quæ tunc* Lib. 6. c. 21. *excubabat.* Et infrà in eodem libro: *Ad mediam ferè noctem excitatus Nero, ut comperit* ſui cuſtodem *ſtationem Militum receſſiſſe, proſilivit è lecto.* Cap. 47. Et in primo Annalium libro Cornelius Tacitus: *Caſtrorum portas ſtationibus firmant.* Et in primo Cap. 25. Cap. 29. libro Hiſtoriarum: *Cohors quæ in Palatio agebat ſtationem.* Et de Imperatore Juliano ſcribit Am- Lib. 25. c. 12. mianus

m'anus Marcellinus: *Per ſemetipſum explorabat vigiliarum vices & ſtationum*. Et in alio libro:
Lib. 28. c. *Statio primis tenebris obſervata*. Erat & aliud
37. Stationis genus, de quo in lege ad Lollianum
Lib. 6. tit. Prætorio Præfectum Imperator Conſtantius: *Hi*
29. cap. 1. *quos Curagendarios, ſive Curioſos Provincialium conſuetudo appellat, proprio arbitrio, quos reos eſſe putaverint, feralibus carcerum tenebris mancipare non dubitant. Memorati igitur Curioſi, & Stationarii, vel quicumque funguntur hoc munere, crimina Judicibus nuntianda meminerint, & ſibi neceſſitatem probationis incumbere, non citra periculum ſui, ſi inſontibus eos calumnias nexuiſſe conſtiterit*. Eos
Lib. 16. tit. in lege ad Theodorum Prætorio Præfectum Ar-
2. c. 31. cadius & Honorius titulant *Apparitores Stationarios*. Et hinc in nonageſimi tertii Pſalmi Commentario ſcribit de occultis criminoſis Sanctus Auguſtinus: *Vivunt ſciente Deo, qui non viverent ſciente Stationario*. Et apud Sanctum Optatum Milevitanum Purpurius Limatenſis Epiſcopus
Lib. 1. Secundum Tigiſitanum, ſuum Primatem, quod à Stationariis detentus fuiſſet ac dimiſſus, infert tradidiſſe ſacros Codices aut Vaſa. Laudatus Optatus memorat & *Supra Stationarium*: Am-
Lib. 19. c. mianus Marcellinus appellat *ſtationi Præſiden-*
12. *tem*. Et in libro Apologetico Tertullianus:
Cap. 2. *Latronibus veſtigandis per univerſas Provincias militaris ſtatio ſortitur*. Hæc enim ſtatio, uti & omnis alia, habebat ſuas vices. Eamdem ſtationem, in ſcripta ad Theodorum Prætorio Præfectum lege laudant Imperatores Honorius ac Theodoſius, ſcribentes de publicis criminibus: *Quod* Stationarii *Apparitoris ſollicitudo exhibet abſentiæ Poteſtatum*. Et infrà: *A Notariis Apparitorum, quos Stationarios appellant, deferatur ad notitiam Poteſtatum*. Eſt in Theodoſiani codicis appendice lex quarta decima. Erat ſtatio per antiphraſim, à ſtato ac perpetuo diſcurrendi officio ſortita iſtud nomen. Hoc item ſenſu laudatus
Cap. 11. Tertullianus ſcribit unicuique Paganorum Deo fuiſſe *diſtributa ſuam ſtationem ac poteſtatem*. Habebat & certos limites, intra quos ſuam curioſitatem exercere debebat & circumſcribere. Et hi etiam dicebantur ſtatio. Hi Stationarii dicebantur & Frumentarii, quos propter graves ac frequentes innocentium oppreſſiones fuiſſe à Diocletiano Imperatore Aurelius Victor, & rursùm à Juliano exſtinctos affirmat Sophiſta Libanius, addens ipſos fuiſſe quaſi Principis oculos. Quòd poſteà iterùm reſtituti fuerint, lucet ex laudata lege Arcadii & Honorii, ac ex laudato loco Sancti Auguſtini.

De antiqua porrò Eccleſiarum Statione ſcribit in libro de oratione præfatus Tertullianus:
Cap. 14. *Statio de militari exemplo nomen accipit. Nam & militia Dei ſumus*. Ex ſtationis vocabulo argumentatur etiam in libro de jejuniis, atque ad-
Cap. 10 jungit: *Nam & milites numquam immemores Sacramenti, magis ſtationibus parent*. Militiam non poſſe à Chriſtiano ſuſcipi docet in libro de Coro-
Cap. 11. na militis, & addit cauſam: *Jam ſtationes aut alii faciet magis quàm Chriſto? Aut & Dominico die, quando nec Chriſto? Et excubabit pro templis, quibus renuntiavit? Et cœnabit illic, ubi Apoſtolo non placet? Et quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit, incumbens & requieſcens ſuper pilum, quo perfoſſum eſt latus Chriſti?* Quibus ex verbis rursùm vides Romanam ſtationem fuiſſe vigilantis & excubantis militis cuſtodiam, ipſamque etiam eorum templis ac ſtatuis adhibitam. Vides & Chriſtianam ſtationem fuiſſe jejunii ſpeciem. Hinc enim Dominica die non poterat Chriſto Domino impendi. Erat jejunium adeò ſtrictum, ut in laudato de oratione libro
pergat Tertullianus: *Stationum diebus non putant* Cap. 14.
plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quòd ſtatio ſolvenda ſit accepto Corpore Domini. Non neſcio qui pauci, ſed plures ita opinabantur. Opinionem non probavit tantus Doctor, quòd tamen nec damnare auſus fuerit, demonſtrat hoc ejus conſilium: *Nonnè ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad Aram Dei ſteteris? Accepto Corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & exſecutio officii*. Stationum diebus cenſet nullo modo intermittendum dum ſacrificium, immo nec populi communionem: Suadet acceptam iſtic Euchariſtiam non ſumi in Eccleſia, ſed reſervari ac domum deportari in privatam ſuo tempore communionem, atque ita affirmat ſacrificii ſolemnitatem & ſtationis rigorem poſſe conciliari. Qui tamen omne jejunium exiſtimant fuiſſe ſtationem, lucidè falluntur. Etenim in libro de jejuniis idem Tertullianus tamquam diverſa diſciplinæ ſpecies palàm diſtinguit jejunationes, Xerophagias, &
ſtationes, dicens eſſe *recuſati, reciſi, ac retarda-* Cap. 11.
ti pabuli officia. Quod ipſum lucidiſſimè facit in
ejuſdem libri exordio. Et infrà: *Stationibus quar-* Cap. 14.
tam & ſextam Sabbathi dicamus, & jejuniis Paraſcevem. Hoc eſt, ſextam feriam ſemptimanæ majoris. Et in libro de fuga in perſecutione ſcribit Gentilium perſecutionem eſſe nobis utilem, quod nos in jejuniis, ſtationibus, orationibus, ac omni Diſciplina faciat ferventiores.

Itaque jejunium olim erat recuſati cibi officium. Quòd nempe toto die nihil liceret alimenti ſumere, ſed omnem cibum & potum recuſare uſque ad exordium noctis. Xerophagia cibus reciſus, ipſumque exponit dictus liber de jejuniis: *Xerophagias obſervamus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus vel potemus*. Erat non ſimplex jejunium, ſed abſtinentia in ſolo fere pane & aqua. Statio ergo erat cibus dumtaxat retardatus, exponitque idem liber, dicens Pſychicis præter annuos Dominicæ paſſionis dies nullum placere ex Præcepto jejunium, atque adjungens: *Proindè nec ſtationum,*
quæ & ipſa ſuos quidem dies habeant quartæ feriæ Cap. 2.
& ſextæ, paſſivè tamen currant, neque ſub lege Præcepti, neque ultra ſupremam diei, quando & orationes ferè concludat hora nona de Petri exemplo, quod Actis refertur. Horam nonam vocat diei ſupremam ſeu ultimam, non horam, ſed militarem ſtationem. Uti noctem in quatuor vigilias, ita diem in quatuor ſtationes diviſit antiquitas, & omnes has octo toto anno in tres horas. Omnem toto anno diem & noctem in horas duodecim. Diſertè id docet in libro de temporibus vene-

venerabilis Beda: *Longiſſimis in bruma noctibus, vel item æſtate breviſſimis, quarum alias duodecim horarum ſpatium longè tranſcendere, alias nequaquam ad hoc pertingere poſſe conſtat, qua ratione Lunam duodecim horas lucere credamus, niſi fortè putemus non æquinoctiales horas intelligendas, ſed ſingulas quaſque noctes pro ſua menſura longitudinis aut brevitatis in duodecim particulas, quas horas vocitamus, æqua diſtructione findendas.* Et in opere de Divinis officiis Amalarius Fortunatus: *Non neceſſe eſt aliquem in hac diſcretione muſſitare propter diſparem longitudinem dierum & noctium.*
L. 4. c. 1. *Etenim calculatores horarum tempora ſic dividunt dierum & noctium, ut Luna per noctem luceat, ſive æſtivo ſive hyemali tempore, duodecim horis.* Quod ipſum in Tractatibus ſuper Sancti Joannis
Tract. 117. Evangelium lucidè ſupponit Sanctus Auguſtinus. Et ex eadem regula Dominus generaliter dixit: *Nonne ſunt duodecim horæ diei?* Statio itaque erat feria quarta & ſexta protractum jejunium uſque ad horam nonam, poſtremam diei partem, & tunc ſubſecutum ſolemne in Eccleſia officium. Hinc & in ſecundo ſuper Sancti Joannis Epiſtolam Tractatu ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Pſalmum vobis commendavimus quarta Sabbathi, prima ſtatione noviſſimæ hebdomadæ.* Palàm innuit non ſolùm jejunium, ſed & populi in Eccleſia Collectam fuiſſe partem ſtationis. Quod & ſupra in libro de oratione palàm dixit Tertullianus. Certè qui ex lædendi jejunii metu cenſebant non communicandum de horæ nonæ ſacrificio, non ad hujus exordium, ſed dumtaxat ad conſummationem credebant finiri ſtationem, adeoque & jejunium & ſacrificium cenſebant eſſe ipſius partes. Notanda ſunt hæc verba:
C. 8. *Si ſtatio de militari exemplo nomen accipit, utique nulla lætitia aut triſtitia obveniens caſtris ſtationes militum ſolvit.* Non de finita tunc ſtatione excipiunt, ſed affirmant Euchariſtiæ lætitiam illis poſſe ſupervenire, ideoque adhuc durare ſupponunt. Chriſtiana ſtatio erant Eccleſiaſticæ ante Divinam Majeſtatem excubiæ atque apparitio, adeoque hæc fuit principalior ipſius portio, prævium jejunium erat ejus dumtaxat paratura. Eadem de cauſa militiam aſſumi à Chriſtiano vetat idem Tertullianus in libro de Corona militis: Quòd nempè eadem die non poſſimus Chriſto Domino & homini Imperatori ſtationem facere, id eſt, certis per omnem promiſcuè diem horis militares excubias agere, & Eccleſiam frequentare. Et in ſecundo ad uxorem libro ſcribit de variis in diſparis cultus conjugio occurrentibus incommodis: *Si ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad balneas.* Hoc eſt, ſi per balneas diducat ab Eccleſia, atque ita impediat ſtationem. Et in Catholicæ fidei expoſitione ſcribit Sanctus Epiphanius: *Sacri Conventus & Synaxes ab Apo-*
C. 32. *ſtolis inſtituti ſunt his potiſſimùm diebus, quarta ſextaque feria, & Dominica. Item quarta ſextaque feria jejunium ad horam uſque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta ſublatus in Crucem.* Harum feriarum conventum affirmat hora nona celebrandum, & ita fieri toto anno præter tempus Quinquageſimæ. Palàm affirmat & jejunium & conventum eſſe partes ſtationis.

Opponi tamen poſſit Tertullianus in libro de anima: *Daniel trium hebdomadarum ſtatione caruit victu.* C. 48. Stationem lucidè uſurpat pro ſolo jejunio. Et quinto Monaſticarum inſtitutionum libro Joannes Caſſianus: *Monachus ante ſtationem legitimam, communemque refectionis horam* non ſumat cibum aut potum. Et infrà: *Nulla uſque ad præſtitutam jejunii horam refectionis regula ſervabatur,* C. 20. *ſed abſque legitimis quartæ ſextæque feriis quotidiana ſtatio ſolvebatur.* Utique in gratiam hoſpitum. Et in ſecunda collatione: *Hora nona, ſoluta jam ſtatione jejunii.* Stationem etiam pro ſolo jejunio ac legitimo ejus termino accipit, adfirmatque hora nona citra ullum Divinum officium exſpiraſſe. Ægypti enim Monachos docet ſolis Dominicis ac Sabbathis, nequaquam quartis ac ſextis feriis ad Eccleſiaſticam apparitionem conveniſſe. Et in ſecundo de Clericorum inſtitutione libro ſcribit Rabanus Maurus: *Diſcernunt quidam inter jejunium ac ſtationem, nam jejunium indifferenter cujuslibet eſt abſtinentia, non per legem, ſed ſecundùm propriam voluntatem, ſtatio eſt ob-* C. 18. *ſervatio ſtatutorum dierum vel temporum.* Hinc non ſolùm quartæ ac ſextæ feriæ, ſed omne omnino ab Eccleſia præceptum jejunium, ipſam etiam Quadrageſimam, vult eſſe ſtationem. Hinc dicit: *Statutorum dierum vel temporum.*

Reſpondeo adductum Tertulliani locum exponi in libro de jejuniis, ubi à captivo apud Babylonem Propheta Daniele urget in cinere & ſacco actam Deo exomologeſin uſque ad veſpertini ſacrificii horam, & adjungit: *Hęc erit ſtatio ſera, quę ad veſperam jejunans pinguiorem orationem Deo* C. 10. *immolat.* Affirmant orationem eſſe intrinſecum ſtationis complementum. Quòd tamen ſolum jejunium aliquando per Synecdochen appellet ſtationem, lucet ex hoc ipſo libri hujus capite: Durante adversùm Amalecitas, & poſtmodum adversùm Amorrhæos pugna ſervatum à Moyſe & Joſue, & pro ineundo adversùm Philiſthæos prœlio indictum à Rege Saule jejunium appellat ſtationem. Quod ipſum in duobus prioribus adductis locis facit Joannes Caſſianus. Nempè & juxta ſingulare Ægyptiorum Monachorum diſciplinam loquitur, & juxta mores ſui ævi, in quo avita ſtationum forma erat alterata & acciſa. Etenim ſupra numerum multiplicatæ Chriſtianitatis infirmitatem & quotidianas neceſſitates miſerati poſteriores Patres, quartæ & ſextæ feriæ uſque ad horam nonam jejunium retinuerunt, ſolemnis autem in Eccleſia tunc apparitionis Præceptum laxarunt, atque ita ſtatio contracta fuit ad ſolum laudatum jejunium. Poſt tertii ſæculi lapſum Latini ſolius diei Dominicæ, Græci Patres ſolius cum iſta die & aliquot feſtivitatibus Sabbathi apparitionem laudant ut Præceptum. Paulatim ſucceſſit hæc mutatio. Cujus alibi latius diſcutiendæ primum auctorem uſque nunc ignoro. Diverſo igitur tempore diverſa fuit Chriſtianæ ſtationis natura.

A Rabano Mauro adductum ſtationis à jejunio diſcrimen apud prima Chriſtianitatis ſæcula caruit omni fundamento. Etenim lapſi ad Montaniſtas Tertulliani fuit cum Pſychicis, id eſt, Catho-

Catholicis, duplex de ſtationibus pugna, per ipſum prodita in dicto libro de jejuniis: *Æquè*
C. 10. *ſtationes noſtras ut indictas, quaſdam verò & in ſerum conſtitutas, novitatis nomine incuſant, hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes, & non ultra nonam detinendum. De ſuo ſcilicet more.* Orandum & jejunandum prædicarunt quidem frequenter & ipſe Dominus & ejus Apoſtoli, neutri tamen functioni ullum præfixerunt diem. Apoſtolica Synodus collectis è Gentilitate fratribus cenſuit nullum imponendum onus, niſi abſtinentiam à contaminationibus ſimulacrorum, fornicatione, ſanguine, & ſuffocatis. Hinc ex Catholicorum dogmate & perſona pergit Tertullianus: *Volunt ſic & Apoſtolos obſervaſſe, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commu-*
C. 2. *ne omnibus obeundorum jejuniorum. Proindè nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant quartæ feriæ & ſextæ, paſſivè tamen currant, neque ſub lege Præcepti; neque ultra ſupremam diei, quando & orationes ferè concludat hora nona de Petri exemplo, quod Actis refertur.* De jejunii diebus nihil præcepit Dominus, niſi quod dixit diſcipulos ſuos ablato ſponſo jejunaturos. Hinc etiam nullum generali totius Eccleſiæ jejunio diem affixit prima Patrum diſciplina, niſi magnam ſextam feriam, & Sabbathum Sanctum. Hi enim ſunt dies, in quibus ablatus fuit ſponſus. Haud dubiè habuit & Quadrageſimam, & quatuor anni tempora, & quartæ ac ſextæ feriæ ſtationes, verùm quæ paſſivè ad cujuſque arbitrium currerent ſine lege Præcepti. Et hinc neſcio quis, licet interpolator, avitæ tamen diſciplinæ utcumque peritus, hæc interpoſuit Euſebiano Chronico: *Quadrageſimale jejunium*
A. 236. *à Teleſphoro Papa per hoc tempus inſtitutum ac præceptum quidam ſcribunt.* Scribit item liber Ponti-
A. 131. ficalis: *Teleſphorus conſtituit, ut ſeptem hebdomadis ante Paſcha jejunium celebraretur.* Et antiqua ignoti auctoris Hiſtorica compilatio: *Teleſphorus conſtituit, ut Quadrageſima fieret ante Paſcha.* Et Marianus Scotus: *Teleſphorus conſtituit, ut ſeptem hebdomadas plenas ante Paſcha omnes Clerici à carne abſtinerent.* Quod ipſum in Iſidori Mercatoris collectione ſancit ſecunda laudati Pontificis Epiſtola. Quo ſolo palàm profitetur
L. 2. c. 16 ſe eſſe ſpuriam & ſuppoſititiam. Etenim non Clericos ſolùm, ſed omnes omninò fideles à primo Evangelii exordio abſtinuiſſe carne, & vino per omnem Quadrageſimam, ex Philone Judæo oſtendit, & uti Apoſtolicam traditionem laudat in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſarienſis. Apud eundem antiquus & authenticus Eccleſiæ
L. 5. c. 17. Scriptor Apollonius ſcribit de Montano: *Hic eſt Doctor, qui novas jejunii leges ſanxit.* Et ad Sanctum Victorem Pontificem de Paſchalis feſtivitatis quæſtione ex totius Gallicanæ Eccleſiæ nomine Sanctus Irenæus Metropolita Lugdunenſis: *Non de Paſchatis die ſolùm, ſed etiam de jejunii ratione & modo eſt conſtituta iſta controverſia. Quidam namque unum diem ſe jejunare oportere, alii duos,*
C. 24. *non pauci plures, multi exiſtimant quadraginta.* Unicus ille dies erat magna ſexta feria. Hic ſolus erat apud omnes in Præcepto, reliqui erant variæ conſuetudinis, & quævis Eccleſia in ſuo ſeſu abūdabat.

Ita fuit uſque ad verſutum juſtitiæ hiſtrionem Montanum, qui novas Paracleti Prophetias ac revelationes fingere, & ex ipſis variam, ſpecie tenus ſanctiſſimam, novam diſciplinam cœpit ſancire, atque ita & legem de jejunanda tota Quadrageſima, & duabus per omnem hebdomadam ſtationibus, feria quarta & ſexta. Omnem ſibi adverſantem, ac de avita libertate excipientem, damnavit ac reum egit in novam Prophetiam, ejuſque auctorem Spiritum Sanctum. Et quia falſæ ſanctimoniæ non deerant & falſa miracula, ſeduxit plurimos, adeò ut in libro adversùs Praxeam ſcribat Tertullianus: *Praxeas* C. 2.
tunc Romanum Epiſcopum Eleutherum, *agnoſcentem jam Prophetias Montani, Priſcillæ & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeverando, & Præceſſorum ejus auctoritatem defendendo, coegit & litteras pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.* Adeò rectè fucata erat iſta fabula, ut ipſam circumſcriptus Eleutherus ab accuſantium impetu abſolutam cenſuerit cum ſuis novis legibus admittendam, aut potiùs retinendam in Catholica communione. Verùm fucos detraxit Praxeas, demonſtrans eſſe fœdiſſimos Hiſtriones, qui Curios ſimulent in publico, & in occulto vivant Bacchanalia. Avitam, ac à prioribus Pontificibus, ipſiſque Apoſtolis permiſſam jejunandi libertatem, aliaſque Eccleſiaſticas conſuetudines urſit ob novas has Hæreticorum præſtigias non eſſe mutandas. Quæ omnia eruditis Scriptis exſecuti ſunt etiam laudatus Apollonius, Apollinarius Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus, & alii plures. Ad evertendam fictæ ſanctimoniæ famam occulta iſtorum Erronum crimina liberè detexerunt. Porrò primævus fidelium fervor pedetentim refrixit, & jejunandi libertas apud multos tranſiit in licentiam quaſi abolendi jejunii. Hinc ergò illam tranſmutavit Eccleſia in legem, atque ita certa per annum jejunia, & duæ per omnem hebdomadam, excepta Quinquageſima, ſtationes cœperunt eſſe rigidum Præceptum. Præciſum tempus ignoro: Exiſtimò paulatim ab una Eccleſia ad aliam, atque ita tandem ad omnem Chriſtianitatem profeciſſe. Interim poſt Tertulliani tempora, atque ita nequaquam à Papa Teleſphoro. Non item propter Montaniſtas. Erronum enim litibus mores ſuos cedere nunquam conſuevit Catholica Mater, nec mutare. Et hinc vides quod à Rabano Mauro adducta inter jejunium & ſtationem differentia nullum ab antiqua Eccleſia habeat fundamentum. Licet tamen laudatarum ſtationum jejunia Eccleſia præceperit, ſubnexum tamen ad Divina Officia conventum permiſit libertati priſtinæ, & tunc Chriſtianæ ſtationis eſſentia ac diſciplina ad ſolum jejunium fuit contracta. Libertatem iſtam, & quidem ex Gnoſticis principiis, reſtitutam hodiè volunt Lutherani & Calviniſtæ. Adeò differunt à Montaniſtis. Verùm uti propter hos non abſtulit Mater Eccleſia, ita propter iſtos non reparabit. Lata eſt hæc materia & multos habet ſinus. Verùm non ſunt hujus loci. Altera Montaniſtarum ac

ipſo-

ipſorum vocaliſſimi Defenſoris Tertulliani cum Catholicis pugna fuit de ſtationalium jejuniorum fine ac duratione: Hi ad horam nonam ſemper finienda, & tunc ad Divina procedendum, iſti etiam ad noctem uſque quandoque extendenda aſſeverarunt. Sed neque hæc quæſtio facit ad præſens propoſitum.

Citra Divinum Officium & publicam Eccleſiæ Collectam ſtatio vix digna eſt iſto vocabulo. Statio enim eſt ſpecies excubiarum & apparitionis. Eam Innocentius tertius in libris de Miſſæ ſacrificio appellat *Stationalem ſolemnitatem*. Hinc antiquam formam, cum quadam tamen varietate, reſtituendam duxit Romana Eccleſia: Solemnem Pontificis cum Clero, & populo proceſſionem ex una Baſilica ad aliam, & ſolemnia apud hanc Divina Officia titulavit Stationem. Nec tantùm in jejuniorum diebus, ſed etiam in feſtivitatibus atque diebus Dominicis, quibus olim ſtationes non licuiſſe dixit ſupra in libro de Corona militis Tertullianus. Et tunc ſtationis eſſentia fuit ad ſolam iſtam Eccleſiaſticam Apparituram contracta. Jejunium fuit quarundam dumtaxat Paraturas. Hinc diſtingue tempora, & multa quaſi adverſa concordant. Quis Pontifex iſtud inceperit, ignoro: Eſſe rem valdè antiquam oſtendit in Hilari vita liber Pontificalis. Et haſce ſtationes dicitur ornaſſe ac ordinaſſe Magnus Gregorius. Eaſdem poſteà admiſit omnis Eccleſia. Ac de ipſis fuit præſens lis Epiſcopi & Cathedralis Cleri Pictavienſis cum Regularibus Clericis Sancti Hilarii. L. 2. c. 5.

Etiam lex illa, qua Walbodus Leodienſis Epiſcopus omnes ſuæ civitatis Eccleſias quotannis ſemel convenire juſſit ad Cathedralem Baſilicam, fuit Eccleſiaſticæ ſtationis ſpecies. Fuit enim generalis ac adunata totius Eccleſiæ ante Divinam Majeſtatem excubatio & Apparitura, qua longè ampliorem exegit prima Arvernenſis Synodus: *Statuit ut omnes villularum & in ipſis exiſtentium Oratoriorum Clerici, & cuncti Pagorum Primores Dominicum Natalem, Paſcha ac Pentecoſten, & reliquas majores feſtivitates agerent in civitate cum ſuo Epiſcopo, & omnis tunc in civitate eſſe deſpiciens communione pelleretur*. Quod ipſum firmaverunt quarta Aurelianenſis & prima Matiſconenſis. Non ſine cauſa Conſtantinopolitanum ſymbolum profitetur Eccleſiam eſſe unam. Rectè item Martyr Ignatius ſcribit Eccleſiam eſſe populum Epiſcopo adunatum. Hujus unitatis illa eſt adeò amans, ut cunctos ſuos ſub Cœlo filios vellet aliquoties ſaltem in anno adeſſe Romano Pontifici, univerſali ipſorum Epiſcopo; & plenè Œcumenicam ab illis celebrari ſtationem. Quod quia eſt impoſſibile, omnem ſaltem ſuam civitatem, immò & Diœceſim in unum cogi coram Divina Majeſtate, rectiſſimè ſanxerunt laudatus Walbodus, laudatæque Synodi Gallicanæ. Can. 15.

At ecce hinc oritur quæſtio, Quare Theodoricum Virdunenſem Epiſcopum, ſuos Sancti Michaelis Monachos cogentem ad hanc ſtationem, damnaverit noſter ſeptimus Gregorius? Cur item Sancti Hilarii Fratres à ſimili ſuæ Baſilicæ ingreſſu interdixerit Hembertus Pictavienſis Epiſcopus? Reſpondeo iſtud Gregorii judicium fundari in altiſſimo Monaſticæ profeſſionis ſilentio, de quo in litteris ad vacantem Vercellenſem Eccleſiam Sanctus Ambroſius: *Hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum Inſtituta? Hæc velut in quodam theatro, illa in Secreto. Hæc vita in ſtadio, illa in ſpelunca. Huic mundus crucifigitur, illi ignoratur*. Et in litteris ad Heliodorum Sanctus Hieronymus: *Interpretare nomen tuum. Quid facis in turba, qui ſolus es?* Et hinc ab Euſebio Doryleenſi Epiſcopo accuſatus de hæreſi, & à Sancto Flaviano Epiſcopo ſuo ac Patriarcha Conſtantinopolitano ad Synodum citatus Eutyches Archimandrita, Joanni Presbytero ac Defenſori reſpondit *apud ſe eſſe decretum, & definitione quadam ab initio teneri, ut nuſquam alibi egrediatur à ſua fraternitate. Quodammodo enim tamquam in ſepulchro degere in Monaſterio*. Hæc Diſciplina adhuc utcumque vigebat ſub Gregorio ſeptimo, ideoque totos Monachorum Conventus ad publicas Eccleſiarum proceſſiones aut ſtationes non permittebat evocari. Sancti Hilarii fratres, non tamquam evocati, ſed tamquam ſuo jure utentes volebant ad ſuam celebrandam ſtationem ingredi Cathedralem Eccleſiam: Hinc ipſos prohibendos cenſuerunt Canonici Pictavienſes. Reddiderunt illis talionem. Etenim nulli integro fideli claudi aut negari poſſit Eccleſia, quantò minùs ſolemni adeò ſtationi & proceſſioni? De ſimili tamen inter Bernardum Antipolitanum Epiſcopum & Guilielmum Lerinenſem Abbatem lite ob Graſſenſem Sancti Honorati Eccleſiam ſcripſit poſteà ad illos Innocentius tertius: *Nobis mediantibus hujuſmodi compoſitio intervenit, ut Abbati & Monachis liceat in memorata Eccleſia celebrare Divina & exercere cætera Eccleſiaſtica Sacramenta, ita videlicet ut circuitiones cum aqua benedicta, proceſſiones & etiam Litanias non faciant abſque Antipolitani Epiſcopi licentia vel aſſenſu*. Abſque facultate hac non ſolùm majorem non intrare Baſilicam, ſed nec per plateas poterant proceſſionem agere. Quas contentionum & tranſactionum, ex livore aut quovis alio humano die lucidè ſcaturientium, quiſquilias etiamnum hodie patimur, & ſimplicem Dei plebem non parum quandoque ſcandalizamus. Sunt miſeriæ noviſſimorum temporum.

Lib. 3. Ep. 27.

Epiſt. 1.

Lib. 1. Ep. 31.

DECRETUM VI.

Sextum hujus Synodi Decretum habemus in Gregorii noſtri litteris ad Clerum Eccleſiæ Lucenſis: *Cùm apud vos eſſemus, ſæpiſſimè vos per nos & per Confratres noſtros admonuimus, ut ſecundùm Privilegium Anteceſſorum noſtrorum, Sancti videlicet Leonis Papæ & Victoris, quod ipſorum tunc Canonicorum veſtræ Eccleſiæ rogatu ipſi fecerunt, communem regularemque vitam duceretis. Sed vos quæ veſtra ſunt quærentes, non quæ* JESU *Chriſti, noſtras admonitiones neglexiſtis. Cumque tantæ negligentiæ & inobedientiæ merito jure vos ſen-* Lib. 6. Ep. 11.

ſententia judicialis ferire deberet, Epiſcopi tamen veſtri & quorundam Fratrum veſtrorum precibus Apoſtolica Manſuetudo ſolita pietate ut filios uſque ad feſtivitatem omnium Sanctorum, deindè etiam interventu ejuſdem Epiſcopi uſque ad Synodum clementer vos ſuſtinuit. Ad quam præcepimus ut mitteretis aliquos de vobis, qui de veſtra nobis inobedientia reſponderent. Quod quia minimè factum eſt, ut decuerat, jam nunc æquitatis non poſſumus differre cenſuram. Proindè per veram obedientiam moneo, ut communem vitam vivatis, ſicut Sanctus Leo Papa noſtræ Eccleſiæ vos inſtituit, & ſicut Romana Eccleſia intelligit, id eſt, ut omnia Eccleſiæ bona in communem utilitatem redigantur, & communiter expendantur. Communem vitam averſantibus mandat, ut Præbendam ſuam reſignent ad manus Epiſcopi, & hanc reſignationem detrectantes jubet ab Eccleſiarum ingreſſu ſuſpendi. Dum ſacrilega Clericorum conjugia proſcripſit ex Italia Sanctus Leo nonus, durè tractavit recalcitrantes, manſuetus ac benignus in iſtos, qui à Sancto olim Rigoberto Remenſi Archiepiſcopo inſtitutam, & à Sancto Romualdo Abbate nuper reparatam, communem in Clauſtro vitam ſuſciperent. De futura enim horum continentia ſperabat ſe ſecurum. Hinc illi placere ſtudens Lucenſis Eccleſia ſponte ſuſcepit, ac ejus auctoritate firmari ſibi impetravit iſtud Inſtitutum. Egit hoc ipſorum Epiſcopus Anſelmus, qui poſteà in Romanum Pontificatum ſucceſſit Nicolao ſecundo, dictus Alexander ſecundus. Communem Clericorum vitam adeò hic dilexit, ut illis Romæ dederit ipſam Lateranenſem Baſilicam, atque ita fuerit auctor nobiliſſimæ congregationis Lateranenſis. Suis etiam Lucenſibus Clericis exſtruxit novam Sancti Martini Baſilicam, & cum adjuncto Clauſtro cunctas vitæ communis officinas. Uti Leo nonus priorem ſuum Tullenſem, ita hic factus Pontifex retinuit Epiſcopatum ſuum Lucenſem, atque ita ipſo vivo vita communis, quam & Victor ſecundus confirmaverat, ſecura illic ſtetit & firma. Chriſtiani undecimi ſæculi anno ſeptuageſimo tertio, qui illi fuit Papalis dignitatis tertius decimus, inter Henricum quartum Germaniæ Regem, ac inter Saxoniæ Epiſcopos & Proceres orta eſt ſumma diſcordia, atque hi illum apud laudatum Pontificem accuſarunt de peſſimis criminibus, præſertim de fœdiſſima in dandis Antiſtitum inveſtituris Simonia. Eorum Legati erant Sanctus Colonienſis, & Hermannus Bambergenſis Epiſcopus. Quòd Regem ad cauſam dicendam poſtularint citari Romam, teſtantur Abbas Uſpergenſis, & Otto Epiſcopus Friſingenſis. Senex tunc erat Alexander, ideoque dimiſit Lucenſem Epiſcopatum, ac ipſum dedit Anſelmo Monacho ſanctiſſimo, pro inveſtitura ipſum mittens ad dictum Regem. Etenim nec in hunc, nec in illam quidquam adhuc ſtatuerat Romana Eccleſia. Hic eſt ille Sanctus Anſelmus Lucenſis, qui in reformanda Eccleſiæ diſciplina ſtrenuè adjuvit Gregorium ſeptimum, & cujus eruditum opus exſtat in Patrum Bibliotheca. Ipſum ad Regem deduxit Mainardus apud Sanctam Ruffinam Cardinalis Epiſcopus, verùm in itinere ejus mentem immutavit Divina gratia: Odiſſe cœpit Laicam inveſtituram, & ipſam à Simoniaco Rege nec admittere voluit, nec poſtulare. Ejuſdem cum ipſo ſententiæ Cardinalis Hildebrandus interim ex Romanæ Eccleſiæ Archidiacono factus eſt Pontifex Gregorius ſeptimus, ſtatimque hortatus noſtrum Anſelmum, ut nonnihil differret inveſtituram, interim Romam veniret, ac ibi ſecum degeret.

Et tunc in vacante Lucenſi Eccleſia inimicus zizania ſeminavit. A Petro Subdiacono ſeducti caeteri Canonici vitam communem excuſſerunt. Lib. 1. Ep. 21.
Hinc inveſtituram admiſit, & conſecratus fuit noſter Anſelmus, ſcribitque de ipſo authentica ejus ab incognito olim viro edita, & per Conſtantinum Cajetanum nuper publicata vita: *Sancti Leonis Decreti quoties vidit aut recordatus eſt Præceptum Anſelmus, expavit nec tacere auſus fuit.* Sanctum Auguſtinum imitatus, à ſpontanea communis vitæ profeſſione lapſos Clericos potenter reduxit, omnem deinceps lapſurum minitatus radere de Clericorum tabula. Verùm ità diſcordia non ceſſit, ſed adeò crevit, ut per occaſionem adventans Lucam ipſe Papa Gregorius nec hanc componere potuerit, nec laudatam vitam reparare. Hinc ad præſentem Synodum citavit contumaces, quæ nec ipſa potuit optatum finem imponere. Quare Lucam miſſus tandem eſt Sanctus Petrus Igneus, Albanenſis Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus. Apoſtatæ enim conjuraverant in Sanctum ſuum Epiſcopum, & ab Henrico Rege adjuti tentabant alium intrudere. Quos omnes à laudati Petri apud Sanctum Geneſium Synodo fuiſſe excommunicatos laudata vita teſtatur. Et hanc excommunicationem per ſingulares litteras videtur noſter Gregorius confirmaſſe. Et neque ſic profecit. Quòd enim poſteà non ſolùm à communi vita, ſed etiam à matre Catholica ad Wigbertum Anti-Papam defecerint, & expulſo Anſelmo dictum Petrum Subdiaconum intruſerint, laudata rursùm vita deſcribit. Cur porrò communem Clericorum vitam adeò tunc promoverit Romana Eccleſia, diſcere poſſis ex binis Arnulphi Lexovienſis Epiſcopi litteris ad Alexandrum tertium Pontificem: Oſtendit quòd Sagienſis Eccleſia, quæ anteà dumtaxat tredecim ſæculares Canonicos poterat alere, à fratre ſuo iſtic Epiſcopo ad communem vitam translata aluerit ſex & triginta, doctiſſimaque evaſerit atque ſanctiſſima. Alias rationes ſuprà adduxi.

Nec tantùm Lateranenſi Baſilicæ hos Clericos Ep. 41.
Alexander ſecundus impoſuit, ſed & iſtud 42.
ipſum conatus fuit in Mediolanenſi Eccleſia. Etenim illi, in ſacrilega conjugia, Simoniam, & variam rebellionem relapſæ, legavit Mainardum Sanctæ Ruffinæ Epiſcopum, & Joannem Cardinalem Presbyterum, qui ad iſta ſananda vitia ediderunt varios Canones, & hic eſt ſextus: *Clerici juxta Eccleſias, ſi fieri poteſt, habitare cogantur.* Verùm hæc ſanctio nunquam iſtic fuit admiſſa. Antiquus Romanæ Eccleſiæ de ſuis Baſilicis & dignitatibus codex laudat quinque Patriarchales Baſilicas, ipſarum quintam adfirmat eſſe Sanctum Laurentium extra muros, & ad-

adjungit de ejus Præfecto: *Eccleſiæ Sancti Laurentii Præfectus eſt Abbas Cardinalis*. Et de Aldemario, Caſſinenſis Cœnobii Monacho, & novi apud Sardos Monaſterii Abbate, ſcribit in iſtius Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus: *Alexander ſecundus Pontifex Aldemarium in Eccleſia Sancti Laurentii, quæ foris muros dicitur, Cardinalem pariter Abbatemque ſacravit*. Et omnes, quæ Anti-Papæ Octaviano, ſeu Victori quarto fecerunt obedientiam, Romanæ cum ſuo Clero Baſilicæ enumerantur apud Radevicum Friſingenſem, & inter ipſas ponitur: *Abbas de Patriarchio Sancti Laurentii cum ſuis Monachis obedivit*. Nempè erat Monachale Benedictini Ordinis Cœnobium, cujus Abbas erat perpetuus iſtius tituli Presbyter Cardinalis. Agapetus ſecundus ipſum dedit congregationi Cluniacenſi, per iſtud tempus ſanctiſſimæ. Et in iſto Monaſterio Gregorius ſeptimus, quem non Suanenſem, ſed Romanum fuiſſe adfirmat Hugo Flaviniacenſis, ac
Fol. 206. item Paſchalis ſecundus creduntur fuiſſe profeſſi ac educati. Et ita manſit uſque ad Clementem tertium, de quo ſcribunt liber Pontificalis ac Nicolaus Trivettus: *Hic clauſtrum apud Sanctum Laurentium foris muros ordinavit*. Utique clauſtrum Regularium Clericorum. Nam & ab hiſce uſque hodiè poſſidetur. Per Commendatarios Abbates laxatum ac laceratum Monaſterium transferre in iſtos Clericos, quam in avitum Monachalis vitæ rigorem reparare Clemens maluit: Quòd apud iſtos Clericos Magnus tunc eſſet omnium virtutum theſaurus, Magnus in Eccleſia fructus. Imitatus eſt Eugenium tertium, qui per ſæculares Clericos deſtructum Sanctæ Genovefæ Pariſienſem Eccleſiam priùs addixerat Benedictinis Monachis, & mutata mente dedit Regularibus Clericis.

Nam & Gallicana Eccleſia hoc à Sancto Rigoberto, poſt Benedictinum Monachum Remenſi Archiepiſcopo, introductum, & ab aliis, quos inter fuiſſe etiam Heriboldum ac ejus in Antiſiodorenſi Cathedra ſucceſſorem Chriſtianum teſtatur à Philippo Labbæo vulgatus Antiſiodorenſium Epiſcoporum catalogus, Francorum Antiſtitibus promotum vitæ genus conſtantiſſimè olim fovit. Omnibus ſuis tunc Cathedralibus Eccleſiis impoſuit. Et etiam hocce ſeptimi Gregorii tempore læſum hinc indè aut everſum generosè reparavit. Hoc enim in ſua Cathedrali Eccleſia fecit Gerardus Caturcenſis Epiſcopus, procuravit media ad triginta Canonicorum victum, & addidit in ſuo teſtamento: *Si qui Regularis diſciplinæ ſtudium recuſaverint, & quod avertat Deus, jugum ipſum ferre detrectaverint, ut talibus non ſit participandi ſocietas, vel invadendi præſumptio in hac domo, per Dei tremendam omninipotentiam contradico, prohibeo, excommunico*. Adeò voluit Regulares Clericos denuò non demutari in Sæculares. Et expoſuit cauſam: *Quoniam à Canonicis ſæculariter, & non regulariter viventibus vaſtata & propè annihilata fuerant bona Caturcenſibus Canonicis ad uſum neceſſariæ ſuſtentationis pertinentia*. Hoc ſuum teſtamentum confirmari juſſit per plures Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac Abbates, ac iterùm ad ſuos ſucceſſores perre-

xit loqui: *Qui adverſari Præſcriptis tentaverit, Dei judicium incurrat & prædictarum perſonarum, donec perfectè reſipiſcat, & ſatisfaciat*. Teſtamentum fuit conditum anno nonageſimo undecimi ſæculi. Exſtat apud Lucam Dacherium.

Etiam venerabilem Arnaldum Magalonenſem Epiſcopum, quòd ſuis Clericis Sancti Auguſtini habitum ac regulam ſit conatus imponere, laudat in Magalonenſium Epiſcoporum ſerie Arnoldus de Verdala, ejuſdem Sedis Antiſtes, & adjungit de illius proximo ſucceſſore Godefrido: *Godefridus Epiſcopus, quòd ejus Prædeceſſor Arnaldus de Canonicis Regularibus inſtituendis in Magaloneſi Eccleſia, morte præventus, efficere non potuit, ipſe complevit*. Cœptum id fuit ſub Alexandro ſecundo Pontifice, & ſub noſtro ſeptimo Gregorio completum. Tunc enim Ludovici Pii Imperatoris Aquiſgranenſem aboleverat, & Sancti Auguſtini Regulam Clericis tradiderat Sanctus Petrus Damiani. Et non tantùm Gregorius, ſed etiam ſecundus Urbanus Godefredi opus magnis & ſpiritualibus & temporalibus donis adjuverunt ac ſtabilierunt. Etiam de Joanne Sagienſi Epiſcopo ſcribit in Sigeberti Gemblacenſis Supplemento Robertus Abbas Montenſis: *Iſte Joannes rem memoria dignam effecit. Canonicos enim* A. 1143.
ſæculares ſuæ Eccleſiæ regulariter & ſecundùm Sancti Auguſtini inſtitutionem vivere fecit, additis officinis congruentibus & clauſtro. Hoc idem Joannes Lexovienſis Epiſcopus avunculus ejus, & Gaufredus Carnutenſis Epiſcopus tentare in ſuis Eccleſiis voluerunt, ſed in ipſo conatu defecerunt. Joannis opus laudavi etiam ſuprà ex Arnulphi Lexovienſis Epiſcopi, qui tunc ejus erat Archidiaconus, lectu & conſideratu digniſſimis litteris. Pergit Robertus de Algaro Conſtantienſi Epiſcopo: *Algarus, vir admodum religioſus, Canonicos Regulares poſuit in Eccleſia Sancti Laudi de Conſtantia, & in Eccleſia Sancti Laudi Rothomagenſis, & in Eccleſia de Cæſaris Burgo*. In Wallia quatuor, in Anglia ſeptemdecim Epiſcopatus, & ipſorum quatuor Monachales, octo Sæculares, & unum eſſe Regularem ſcribit idem Robertus, additque hujus poſterioris originem: *Rex Henricus primus novum Epiſcopatum apud Carliul*, ſeu Carleopolim, *in finibus Angliæ & Scotiæ fecit, & poſuit ibi Epiſcopum primum Adanulphum, Priorem Canonicorum Regularium Sancti Oſvvaldi, cui ſolitus erat confiteri peccata ſua. Hic autem factus Epiſcopus Canonicos Regulares poſuit in Eccleſia Sedis ſuæ*. Eandem Sanctimoniam Cathedrali ſuæ Eccleſiæ imponere ſtuduit, aſt non potuit Venerabilis Laudunenſium Epiſcopus Bartholomæus, ideoque de ipſo ſcribit in opere de Sanctæ Mariæ ibidem miraculis Hermannus Monachus: *Bartholomæus, quamvis aliam religionem ibi ponere nequiverit, non enim facilè Canonici ejus antiquos mores mutare cogi poterant, tamen ſic eorum priores redditus ſtuduit ampliare, ut magna parte anni eos pariter in Refectorio comedere inſtituerit, quotidianumque eis victum ubertim ac ditiſſimè providerit*. Remenſis tunc Eccleſia, licèt communem in clauſtro vitam haberet graviter læſam, retinebat tamen commune Refectorium & Dormitorium. Ita lucet ex Stephani Tornacenſis Epiſcopi litteris ad illius

Eccleſiæ Decanum. Iſtam qualemcumq; ſuæ Metropolios diſciplinam æmulari ſaltem voluit Bartholomæus. Et hinc Sanctum Nortbertum, qui Canonicam vitam reparabat in plenam perfectionem, ambabus ulnis admiſit, fovit, atque donavit non tantùm Præmonſtrati Eremo, ſed & intra ſuam civitatem Eccleſia Sancti Martini. Epiſt. 16c.

Quod ipſum fecerunt & alii plures Epiſcopi. Etenim in noſtra Brabantia Collegiatas apud Grimbergam & Diligemium Eccleſias ipſi donavit Cathedra Cameracenſis. Apud laudatum Monachum Hermannum Burchardus Cameracenſis Epiſcopus peditem, diſcalceatum, viliſſimè indutum Nortbertum excipit honorificè cum lachrymis, & admiranti ac vilem mendicum cenſenti ſuo Secretario Hugoni reſpondet: *Si ſcires, quis fuerit, mirareris quòd nunc talis ſit. Quando enim Imperator dedit mihi Epiſcopatum Cameracenſem, huic Nortberto eum priùs obtulit, ſed ipſe eum ſuſcipere vel habere noluit.* Nortbertus enim ante omnia pro Chriſto dimiſſa fuerat nobiliſſimus ac opulentiſſimus Canonicus Colonienſis. Iſta de cauſa ejus Ordinem dilexit & largiſſimè promovit Cameracenſis Eccleſia. Etiam omnis Europa, itemque tunc Francis ſubdita Palæſtina, ac omnis Syria. Quòd videlicet iſte Ordo Canonicam Clericalis vitæ perfectionem, omni Eccleſiæ utiliſſimam, repararet lapſam, & reparatam cuſtodiret. Quod uſque hodiè omnis Europa cum fructu & gaudio experitur.

ALIA DECRETA.

Lib. 1. Ep. 42. A Synodo hac manaſſe plures Canones, lucet ex litteris, quibus Gregorius ad ipſam invitavit Sichardum Patriarcham Aquilejenſem: *Rectores & Principes mundi hujus, ſinguli quærentes quæ ſua ſunt, non quæ* JESU *Chriſti, omni reverentia conculcata, Eccleſiam quaſi vilem Ancillam opprimunt, eamque confundere, dum cupiditates ſuas explere valeant, nullatenùs pertimeſcunt. Sacerdotes autem, & qui Regimen Eccleſiæ accepiſſe videntur, legem Dei ferè penitùs poſtponentes, & officii ſui debitum Deo & commiſſis ſibi ovibus ſubtrahentes, per Eccleſiaſticas dignitates ad mundanam tantùm nituntur gloriam, & quæ ſpeciali diſpenſatione multorum utilitatibus & ſaluti proficere debuiſſent, ea aut negligunt, aut infeliciter in pompa ſuperbiæ & ſuperfluis ſumptibus conſumunt. Inter hæc populus nullo Prælatorum moderamine, nulliſque mandatorum frœnis in viam juſtitiæ directus, immò eorum qui præſunt exemplo quæcumque noxia, & quæ Chriſtianæ Religioni ſunt contraria edoctus, ad omnia penè quæ nefaria ſunt proni & ſtudio corruentes, Chriſtianum nomen, non dico abſque operum obſervantia, ſed penè abſque fidei religione gerunt.* Adversùm hos fœdiſſimos exceſſus indicta fuit præſens Synodus: Et quin ſanctiſſimas de ipſis leges ediderit, non eſt dubitandum. Synodi durationem colligere utcumque poſſimus ex Gregorii Epiſtola ad Geizan Hungariæ Ducem, data Romæ in Synodo, ſexto decimo Kalendas Aprilis. Iſto anno Paſcha occurrit vigeſima Aprilis die, ideoque prima, in qua fuit inchoata hæc Synodus; Quadrageſimæ Dominica erat nona dies Martii, & ſexto decimo Kalendas Aprilis erat dies decima ſeptima. Et neſcio an tunc fuerit finita. Quidquid ſit, novem iſtis diebus plura haud dubiè fuerunt ad reparandos Eccleſiæ mores conſtituta. Etiam ſingulares plurium Epiſcoporum atque Abbatum cauſæ acceperunt finem.

S.CTI GREGORII VII. SECUNDUM ROMANUM CONCILIUM.

Lib. 1. Ep. 43. LOngobardiæ Epiſcopis, ad primam ſuam invitans Synodum, ſcripſit noſter Gregorius: *Non incognitum vobis eſſe credimus in Romana Eccleſia jam dudum conſtitutum eſſe, ut per ſingulos annos ad decorem & utilitatem ſanctæ Eccleſiæ generale Concilium apud Sedem Apoſtolicam ſit tenendum.* Duas omni anno Synodos fieri mandans Nicænus Canon agit de Provinciis, de Patriarchalibus Diœceſibus nihil decidit. Permiſit arbitrio Patriarcharum. Laudatum porrò hic à Gregorio Decretum laudat & in litteris ad Carolum Calvum Francorum Regem Nicolaus primus, & pro ejus obſervantia adversùs Hincmarum Remenſem & quoſdam alios Galliæ Epiſcopos ſtrenuè pugnavit. Ex ipſo igitur proceſſit & hæc præſens Synodus, cujus deperdita aut latentia Acta habemus in ſecundo libro Gregoriani Regeſti: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto, Pontificatus verò Domini Papæ Gregorii ſecundo, indictione decima tertia, celebravit ipſe Dominus Gregorius Papa Romæ Synodum à ſexto Kalendas Martii uſque ad pridie Kalendas præteriti menſis. Ubi interfuit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum multitudo, atque diverſi Ordinis Clericorum & Laicorum copia, in qua inter cætera Decreta, quæ ibi geſta ſunt, quinque de familia Regis Theutonicorum, quorum conſilio Eccleſiæ venduntur, à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſeparavit, ita ut ſi inde uſque ad Kalendas Junii Romam non venirent, & ſatisfacerent, excommunicati haberentur. Philippus Rex Francorum, ſi Nuntiis Papæ ad Gallias ituris de ſatisfactione ſua & emendatione ſecuritatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum pro inobedientia ſuperbiæ ſuæ ab Epiſcopali officio ſuſpendit, & à Corpore & Sanguine Domini interdixit. Guarnerium Stratzburgenſem ab Epiſcopali & Sacerdotali officio ſuſpendit. Henricum Spirenſem ſuſpendit. Herimannum Bambergenſem, ſi ante Paſcha non venerit ſatisfacturus, ſimiliter ſuſpendit. Item in Longobardia Guilielmum Papienſem & Cunibertum Taurinenſem ſuſpendit. Dionyſium Placentinum depoſuit. Robertum Apuliæ Ducem jam anathematizatum, & Robertum de Loritello, invaſores bonorum Sancti Petri, excommunicavit.*

Habita fuit Synodus anno à Domini Incarnatione milleſimo ſeptuageſimo quarto, ab ejuſdem Nativitate milleſimo ſeptuageſimo quinto, qui fuit Gregorii noſtri ſecundus. Paſcha tunc incidit in quintam Aprilis diem, ideoque ſexto Kalendas Martii ſeu vigeſima quarta dies Februarii fuit feria tertia poſt primam Quadrageſimæ Dominicam, & ſic duravit Synodus uſque ad feriam tertiam poſt Dominicam in Palmis. Nam quis tot & tanta negotia pridie Kalendas Martii credat fuiſſe finita? Compendii compilator ſcripſit in Majo: Hinc Aprilem vocat menſem præteritum. Quòd magna Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Abbatum multitudo adfuerit, lucet ex litteris tractoriis ad omnes Anglorum Epiſcopos & Abbates, ad Udonem Trevirenſem Archiepiſcopum & Popponem ejus Suffraganeum Tullenſem, ad Iſembertum Epiſcopum Pictavienſem, ad Bennonem Oſnabrugenſem Epiſcopum & Abbatem Corbejenſem, ad Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum, ad Sigifridum Moguntinum Metropolitam & ejus Comprovinciales, ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum, ad Guilielmum Papienſem, ad Guibertum Ravennatem, ad Hugonem Dienſem, ad Dominam Comitiſſam Mathildim, & ad ipſum Imperatorem Henricum, juſſum adeſſe per Legatos. Hoſce omnes & alios plures, ut vel Synodo aſſiderent, vel coram ipſa civilem aut criminalem cauſam dicerent, evocavit Gregorius. Et plerique adfuerunt.

DECRETUM PRIMUM.

CUnctas à laudato compendio memoratas cauſas elucidare eſſet res longa: Et quædam ſunt ſingulares de perſonis. Primum itaque hujus Synodi Decretum ſuprà nobis edixit cum pluribus aliis Scriptoribus Marianus Scotus: *Plures Clerici ſub ſententia Interdicti Apoſtolici* A. 1075. *libentiùs eſſe voluerunt, quàm fœminis & uxoribus carere. Sed ut per alios caſtigarentur, decrevit Papa Synodica legatione etiam hoc anno, ut nullus Chriſtianus audiret Miſſam conjugati Presbyteri.* Voces, *Synodica legatione*, adfirmant præſens Decretum varia ad varias gentes legatione fuiſſe juſſum duci in plenam ac firmam executionem. Decretum exſtat apud Simeonem Dunelmenſem: *Gregorius Papa, qui & Hildebrandus, ſervorum Dei ſervus, per totum Italicum Regnum,*

& Theutonicum debitam Sancto Petro obedientiam exhibentibus Apoſtolicam benedictionem . Si qui ſint Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei, & auctoritate Sancti Petri, introitum Eccleſiæ, uſque dum emendent & pœniteat. Si qui autem in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrum officium eorum auſcultare præſumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, teſtante Domino per prophetam: MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS. Quod ipſum iiſdem verbis exſtat apud Rogerum Hovedenſem. An ſit ipſa Decreti formula, ignoro: Videtur dumtaxat eſſe illius compendium, & executrix Epiſtola, quæ à paribus miſſa ſit ad alias etiam Provincias & gentes. Quidquid ſit, ſucceſſivè & gradatim proceſſit Gregorius: Non niſi hoc anno, quòd anni prioris excommunicatio ac ſuſpenſio ſpernerentur, interdixit conjugatorum aut palàm concubinariorum Clericorum audiri aut percipi Divina.

Et hoc eſt Decretum, quod novitatis ac inconſiderationis arguit, atque antiquæ Sanctorum Patrum traditioni adverſum dixit Sigebertus Gemblacenſis. Majorum Clericorum conjugia aut pellices nequaquam probavit, ideoque nec prioris anni Decreto fuit ullo pacto adverſatus. Locutus eſt cum ſuæ Leodienſis Eccleſiæ Doctoribus, quorum pravo conſilio fuiſſe ad non exſtirpanda hæc ſacrilega conjugia circumſcriptum Theoduinum Epiſcopum retulit Gregorio, atque ità ipſum purgare conatus eſt Herimannus Epiſcopus Metenſis. Eodem errore laborarunt Cameracenſes Clerici. Quomodo enim aliter horum Decretorum laudatorem in rogum conjeciſſent? Putabant novi dogmatis profanum præconem. Etiam apud Colonienſes graſſatum errorem docet Papalis Epiſtola ad Sanctum Anno-
Lib. 2. Ep. 67. nonem iſtius civitatis Archiepiſcopum: *Novit Fraternitas tua, quia Præcepta hæc non de noſtro ſenſu exſculpimus, ſed antiquorum Patrum Sanctiones Spiritu Sancto prædicante prolatas, officii noſtri neceſſitate in medium propalamus, ne pigri ſervi ſubeamus periculum, ſi Dominicam pecuniam, quæ cum fœnore repoſcitur, ſub ſilentio abſcondimus. Quamquam huic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit ſemperque licebit contra noviter increſcentes exceſſus nova quoque Decreta atque remedia providere, quæ æquitatis ac auctoritatis edita judicio, nulli hominum fas ſit ut irrita refutare.* Ejuſdem fermè tenoris litteras ſcripſit ad Sichardum Aquilejæ Patriarcham, ad Wecelinum Magdemburgenſem Archiepiſcopum, & ad Burchardum Epiſcopum Halberſtadienſem. Adverſùm neſcio quos Epiſcopos ſcripſit & ad Albertum Comitem Na-
Lib. 2. Ep. 11. murcenſem: *Qui propter lucrandas animas Epiſcopi vocati & conſtituti ſunt, & ſubditos ſuos verbo & exemplo viam veritatis docere debuerant, his temporibus ſeducti à Diabolo non ſolùm legem Dei deſerunt, ſed & impugnare & omni conatu ſubvertere non deſiſtunt.* Et poſt plura concludit: *Quapropter quidquid illi contra nos, immò contra juſtitiam garriant, & pro defendenda nequitia ſua vobis qui illiterati eſtis objiciunt, vos in puritate & conſtantia fidei veſtræ permanentes, quæ de Epiſcopis & Sacerdotibus in fornicatione jacentibus ab Apoſtolica Sede accepiſtis, firmiter credite & tenete.* Quis non videat iſtos Epiſcopos fuiſſe in Sigeberti errore? Et quidem Sanctum Annonem, quem ferè unicum timebat Rex Henricus, grandi Eccleſiæ damno & luctu fuiſſe hoc anno mortuum teſtantur idem Sigebertus, ac Lambertus Schafnaburgenſis.

Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum, quòd huic Synodo non adfuiſſet, ad indicendam Provinciæ ſuæ Synodum, & novam ſuorum Decretorum executionem Gregorius fuit variè hortatus, at dudum permovere non potuit: A Saxonico Henrici Regis bello allegavit ille in Imperio turbata omnia, ideoque Synodum eſſe impoſſibilem. Tandem tamen variis Papalibus mandatis exſtimulatus reſumpſit animum, de quo laudatus Lambertus: *Sigefridus Synodum menſe Octobri Moguntiæ congregavit, ubi inter alios* A. 1075.
Epiſcopos aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis litteras ac mandata deferens, quibus ei ſub interminatione gradus & Ordinis ſui præcipiebat, ſicut anteà quoque multis legationibus præceperat, ut Presbyteros omnes, qui intra ſuam Diœceſim eſſent, cogeret aut in præſentiarum conjugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri Altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes qui undique aſſidebant Clerici ita eum verbis confutabant, & manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vita comite indè exiturum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſam, quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, quando & quomodo vellet, peroraret.

Et hujuſmodi violentias à ſuis Clericis paſſi ſunt plures Metropolitæ. Etiam per Angliam & Galliam. Et hinc Guilielmo Anglorum Regi, Rudolpho ac Bertholdo Sueviæ & Carinthiæ Ducibus, Roberto ac Alberto Flandriæ ac Namurci Comitibus, aliiſque ejuſdem pietatis Principibus Laicis Gregorius delegavit Decretorum ſuorum executionem, atque ita quibuſdam viſus eſt perſequi Clerum, & iſtas ipſas ſuſtinuit calumnias, quas Pelagius primus, dum pertinaces trium Capitulorum adversùs quintam Synodum defenſores Epiſcopos juſſit per Narſetem Comitem apprehendi, & deportari Conſtantinopolim. Et uti hic Narſes, ita & iſti Principes timuerunt notari de perſecutione in Clerum, ideoque & ipſi manum retraxerunt. Hinc Felicem tertium, qui ſua adversùs Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Decreta per Monachos publicare & exequi fuit compulſus, imitari debuit noſter Gregorius, facereque, quod ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Laici multi, qui magnis opibus relictis ultro ſe ad privatam ac tenuem vitam propter Deum contulerant, miſſi ſunt à Romano Pontifice, ut palam omnibus per Galliam conteſtarentur juſtis de cauſis excommunicatum eſſe Regem Henricum, & ad eligendum alium Apoſtolici conſenſus & auctoritatis ſuffragium pollicerentur.* Poſtremis in verbis certum eſt labi Lambertum. Quòd enim ſine Gregorii ſcitu, & præ-

ter ejus mentem electus ac intruſus fuerit Dux Rudolphus, ſuo loco oſtendetur. Rectiùs ergò ſcribit Schiſmaticus Auguſtenſis Chronici auctor hoſce, quos gyrovagos Monachos vocat, pios homines non ad procurandam novi Regis electionem, ſed ad Papalia in conjugatos Clericos Decreta divulganda, & abſtrahendum ab ipſorum obedientia populum, fuiſſe emiſſos. Attamen non dubitem, quin etiam Henrici Regis excommunicationem publicarint. Eos enim gyraſſe dicit non ſolùm hoc anno, ſed & ſequenti. Et ipſorum unus omninò fuit ille, quem Cameracenſes vivum combuſſerunt. Et hoc tempopore atque hac occaſione fieri cœperunt illa in conjugatorum Clericorum perſonas & Sacramenta violentiæ & ſcandala, quæ urget jam dictus Auctor, & latiùs exponit Sigebertus Gemblacenſis.

Obices, quos in Hungaria paſſum eſt Gregorii Decretum, demonſtrant Zabolchienſis Synodi, quam undecimi ſæculi nonageſimo ſecundo anno celebrari juſſit Rex Ladislaus, hi Canones: *Bigamos Presbyteros ac Diaconos, & viduarum ac repudiatarum maritos jubemus ſeparari, & peracta pœnitentia ad Ordinem ſuum reverti. Et qui noluerit illicita conjugia dimittere, ſecundùm Inſtituta Canonis degradari. Separatas autem fœminas parentibus reddi jubemus ſuis. Et quia non erant legitimæ, ſi voluerint, liceat eis maritari. Si quis autem Presbyter ancillam ſuam uxoris in locum ſibi adſociaverit, vendat. Et ſi voluerit, venumdetur. Tamen pretium ejus ad Epiſcopum transferatur. Presbyteris autem, qui legitima & prima duxere conjugia, indulgentia ad tempus detur, propter vinculum pacis & unitatem Spiritus Sancti, quouſque à nobis in hoc Domini Apoſtolici Paternitas conſulatur. Si quis autem Epiſcopus aut Archiepiſcopus ab illicitis conjugiis ſeparari nolentibus, ſpreto Synodali Decreto, conſilium & conſenſum præbuerit, aut Eccleſiam dederit, aut aliquid quod ad Ordinem pertinet agere permiſerit, à Rege & Coepiſcopis ſuis, ſecundùm quod rationabile videbitur, is dijudicetur.* Exſtant hæc apud Antonium Bonfinium in codice Hungaricorum Canonum.

Debent lucem accipere ex Synodalibus Decretis Laurentii Metropolitæ Strigonienſis: *Presbyteris uxores, quas in legitimis Ordinibus acceperunt, moderatiùs habendas, prævisa fragilitate, indulſimus. Qui Diaconatum vel Presbyteratum ſine matrimonio adepti ſunt, uxorem ducere non liceat. Epiſcoporum uxores Epiſcopalia prædia non inhabitent.* Uti Bulgari, ità & Hungari invaſerunt Romanas ad Orientale Illyricum ſpectantes, ideoque & Græco ritu viventes Provincias: Et ut iſti à Nicolao primo, ita hi à ſecundo Sylveſtro Chriſtianam fidem acceperunt. Et utroque tempore vigebat inter Romanos Pontifices & Conſtantinopolitanos Patriarchas lis de Patriarchico jure in Illyricianam Diœceſim. Et quidem Hungari vix leguntur à Conſtantinopolitanis Patriarchis eſſe paſſi violentias. Etenim vana erat ſine viribus ira. Attamen Græca diſciplina apud ipſos non fuit ſtatim in Latinam plenè tranſmutata. Quin immò utriuſque gentis vitia illi imbiberunt. Præſertim Clerus. Hinc & Presbyteri & Diaconi uxoribus, quas in legitimis, id eſt, in inferioribus matrimonium admittentibus, Ordinibus acceperant, ob præviſam infirmitatem uti permittebantur: Ipſas dumtaxat vetabantur ducere poſt Presbyteratum ac Diaconatum; uti ipſis more Græco. Et tunc ſacrilega non tantùm Presbyterorum, ſed etiam Epiſcoporum conjugia graſſabantur apud Latinos: Hinc etiam Hungarorum Epiſcopi habebant uxores, contra manifeſtum ac fundamentalem Orientalis Eccleſiæ Canonem.

Sacrilega hæc conjugia fuerunt exindè damnata per Sanctum Leonem nonum, ac ejus in Apoſtolica Sede Succeſſores, præſertim per ſeptimum Gregorium. Hinc novæ & variæ in Hungaria quæſtiones. Nam & quidam Epiſcopi impugnabant Gregorii Decreta, & luxurioſos Clericos adversùm illa defendebant. Hinc Zabolchienſis Synodus induxit hæc Græco-Latina temperamenta. Primò, Presbyteris interdixit omnem tam primæ quàm ſecundæ ſpeciei bigamiam. Quòd nempe ipſam & Latina & Græca Eccleſia concorditer damnaret. Deindè, ſecundum Presbyteri ac Diaconi conjugium cenſuit attentatum & irritum, ideoque & ipſorum uxoribus dedit licentiam tranſeundi ad alium maritum. Quòd nempè & Græci ita ſentirent. Tertio, huic decreto obedientes Presbyteros ac Diaconos diſpenſatoriè permiſit in miniſterio: contra utriuſque Eccleſiæ morem & Canonem. Quartò, Presbyteris ac Diaconis interdixit omnem fornicationem & concubinatum, indulſit autem primas ac legitimas nuptias, & contractas, & contrahendas, propter conſervandum pacis vinculum, & uſque ad conſultationem Sedis Apoſtolicæ. Et hoc non tantùm contra Latinæ, ſed & contra Græcæ Eccleſiæ Canones & mores. Etenim Græca Eccleſia Presbyteris ac Diaconis permittit ſolum contracti ante acceptum ſacrum Ordinem conjugii uſum, poſt illum contrahi rigidiſſimè vetat. Quintò, non primas ac legitimas, ſed ſolas illicitas Presbyterorum ac Diaconorum nuptias, utique ſolam bigamiam, mandat improbari per Epiſcopos, ac ſeparari. Et omnia hæc ſtatuit de ſolis Presbyteris ac Diaconis. Quare Subdiaconis & aliis inferioribus Clericis permittit etiam bigamiam. Nam & Græci id faciunt. Adeò paradoxa ac monſtroſa Decreta abortivit Hungarorum erga noſtri Gregorii Canones inobedientia. Illa omnino ſunt fœtus iſtius inobedientiæ. Lucet ex vita Sancti Gebehardi Archiepiſcopi Saliſburgenſis. Hujus cum Imperatore Henrico quarto pro Gregorii Decretis certamina, & Regias in ejus Eccleſiam violentias exponit Anonymus Scriptor, atque ſubjungit: *Tunc etiam magna pars Hungaricæ terræ, quondam Eccleſiæ Sancti Ruperti tradita, ab Epiſcopo defeciſſe dicitur.* Quòd nempè etiam Hungaria Gregorii Decretis adverſaretur. Nam & Salomonem Regem, quod Regni inveſtituram, quam ab Apoſtolica Sede debebat accipere, ab Imperatore Henrico accepiſſet, graviter increpavit Gregorius. Adeò hujus Decreta ille averſabatur.

An Ladislaus Rex, aut Zabolchienſis Synodus hæc

hæc monſtra retulerit Apoſtolicæ Sedi, & quid hæc ad ipſa reſcripſerit, ignoro. Quidquid ſit, ad Paſſavienſem Epiſcopum & Hirgauzienſem Lib. 8. Ep. 3. Abbatem, ſuos in Germania Legatos, reſcripſit noſter Gregorius: *Quod de Sacerdotibus interrogaſtis, placet nobis, ut in præſentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, ſcilicet quia pauciſſimi ſunt qui fidelibus Chriſtianis officia religionis perſolvant, pro tempore rigorem Canonicum temperando, debeatis ſufferre. De his namque pacis ac tranquillitatis tempore, quod Domino miſerante citò futurum credimus, convenientiùs tractari, pleniùſque poterit Canonicus Ordo ſervari.* Gregorius hæc ſcripſit nono ſui Pontificatus anno, dum Ex-Rex Henricus & Anti-Papa Guibertus apud Germanos ac Italos turbabant omnia, & fœdos Clericos multo adjutorio animabant. Hinc ille debuit ſanctiſſima ſua Decreta ad tempus ſuſpendere. Eadem Decreta reſpicere videtur in litteris ad Romanum Pontificem Joannes Metropolita Ruſſorum: *Tertius præterea maximus error eſt & peccatum de conjugio Sacerdotum, quod ab illis, qui uxores habent, ſumere Corpus Domini renuitis, cum Sancta Synodus, quæ fuit in Gangra, ſcribat in quarto Canone, &c.* Græcum ritum & Michaelis Cerularii ſchiſma ſectantur Moſcovitæ, ideoque Metropolita Joannes etiam impoſitam Sacerdotibus caſtitatem adſcribit noſtris erroribus. Palàm autem ducit oculos in noſtri Gregorii Decreta, quæ etiam fœdi quidam Latini clamabant adverſari Capitulo Paphuntii, & Synodo Gangrenſi. Sanctiſſima Decreta habuerunt tot adverſarios.

Etiam Poloni ac Bohemi fuerunt illa dudum averſati. Etenim Petrum Sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, Cæleſtini tertii in Polonia Legatum, ejuſque ibidem Acta laudat Joannes Longinus, ac proſequitur: *Id præcipuum in Eccleſia reformanda Petrus ſibi curæ adſumpſerat, quatenus Presbyteri à mulieribus & concubinis abſtinendo, continentem & caſtam, & quæ Laicos ædificare poſſet, ducerent vitam, cùm plures ea tempeſtate Sacerdotes uxoribus, velut jure legitimo, uterentur. Cujus uſus corruptelam Cardinalis ſummo ſtudio à Polonica eliminavit, abrogavitque Eccleſia. Et Presbyteris uxores accipere ac tenere, ſub graviſſimis pœnis interdixit.* Addit ſanctiſſimam hanc reformationem promptè admiſſam à Polonis, ac pergit de Bohemis: *A Bohemis tamen, Cleroque Bohemico, apud quos Cardinalis etiam Legationis officio fungebatur, non ſolùm repudiata fuit* reformatrix conſtitutio, *ſed parùm abfuit, quin Cardinalis ipſam promulgans, & Presbyteros ad caſtitatis votum compellens, violaretur. In cujus occiſionem Bohemici Sacerdotes graſſari Pragæ cœperant, niſi illorum improbos conatus Epiſcopus Pragenſis Henricus, Ducalem tunc in Bohemia obtinens poteſtatem, oppreſſiſſet.* Etiam Nortvvegiæ Clerus eadem Decreta fuit averſatus. Quod enim Innocentio tertio, caſtitatis profeſſionem volenti introductam, data ſibi per Apoſtolicam Sedem privilegia objecerit, eſt alibi demonſtratum.

Nec tantùm apud hos Septemtrionales, ſed & intra Gallicanam Eccleſiam viguit iſta impudica violentia. Etenim de Rothomagenſium Lib. 4. Metropolita Joanne ſcribit Ordericus: *Joannes multùm contra impudicos Presbyteros pro auferendis pellicibus laboravit, à quibus, dum in Synodo concubinas eis ſub anathemate prohiberet, lapidibus percuſſus aufugit, fugienſque de Eccleſia,* Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, *fortiter clamavit.* Quin & ipſum obſcœni Clerici apud Sanctum Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem accuſarunt, quòd Sanctorum Patrum de Clericali caſtitate ſanctiones pravè intelligeret, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ moderamina non benè tractaret. Et ejus querimoniis reſpondens, ac de data calumniis fide ſe purgans Lanfrancus addidit: *Ego aliquid de laudabili vita veſtra* Ep 17. *vel dixiſſe, vel dicenti adſenſum præbuiſſe me non memini. Immò veſtro, venerabiliumque Patrum exemplo provocatus, per totam terram Anglicam Paſtorali auctoritate prohibui, ne cujuslibet Ordinis quiſquam Canonicus uxorem accipiat, nec ductam anteà, ſi Presbyter aut Diaconus eſt, niſi Præbenda carere velit, habere ulteriùs liceat.* Nam & in Anglia adeò graſſabatur ſcabies, ut Arfaſtus Epiſcopus neſcio quem conjugatum tunc Ep. 21. ordinarit in Diaconum. Quin & Litifeldenſis Ep. 2. Epiſcopus publicè uxorem habuit, ideoque per Romanos Legatos fuit degradatus. Verùm per Alexandri ſecundi Legatos, ante præſens Gregorii Decretum. Ad eadem tempora ſpectat, quod in beati Herluini, primi apud Beccum Abbatis, vita ſcribit Gilbertus Criſpinus, Abbas Weſtmonaſterienſis: *Rarus in Normandia tunc recti tramitis index, aut pervius erat. Sacerdotes ac ſummi Pontifices liberè conjugati.* Barbaro Danorum more. Undè & apud hos fuit graſſata peſtis. Quòd Conquæſtor Rex Guilielmus & Joannem & Lanfrancum ſtrenuè adjuverit, teſtatur in litteris ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ſuum in Gallia Legatum, ipſe Gregorius: *Rex* Lib. 9. *Presbyteros uxores, quas detinebant, etiam ju-* Ep. 5. *ramento dimittere compulit.* At poſt ejus mortem Guilielmi Succeſſoris iniquitas reduxit lepram. Etiam de peſſimo Belluacenſium Clericorum in ſuum Epiſcopum Fulconem odio ſcribit ad Urbanum ſecundum Pontificem Sanctus Anſelmus, adhuc Abbas Beccenſis: *Canonici & Presbyteri* Lib. 2. *hoc Fulconi faciunt, quia eos à pravis conſuetudi-* Ep. 33. *nibus, & maximè à mulierum reproba converſatione vult prohibere.* Etiam in Cantuarienſem Cathedram evectus Anſelmus fuit paſſus à conjugatis Clericis, & compulſus ad multam diſpenſationem & conniventiam. Abundè hoc lucet ex ejus, per Lucam Dacherium nuper vulgatis, litteris ad Herbertum Thetfordenſem ſeu Norvicenſem Epiſcopum: *De Presbyteris, de quibus quærit veſtra Prudentia conſilium, reſpondeo quia nihil relaxandum eſt de his, quæ conſtituta ſunt in Concilio. Quoniam ipſi autem malunt dimittere quidquid pertinet ad Presbyteri officium, quàm fœminas, ſi aliqui inveniuntur caſti, faciant pro illis. Si autem nullus aut pauciſſimi tales inveniuntur, jubete ut interim Monachi Miſſas dicant populo, ubi ipſi fuerint. Et faciant Corpus Domini, quod per Clericos portetur ægrotis. Qui Clerici vice verſa,*

verſa, veſtra juſſione accipiant confeſſionem, & faciant abſolutionem, & ſepeliant corpora mortuorum. Quæ omnia etiam Monachis provectioris ætatis præcipere poteſtis, donec iſta duritia Presbyterorum, Deo viſitante, molleſcat. Non enim diu durabit, Deo propitiante, ſi in incœpto perſeveraverimus. Quomodò tandem pervicerit, paucis verbis non poſſit edici. Quòd etiam in Hibernia virus duraverit uſque ad Epiſcopatum Sancti Malachiæ teſtatur in ejus vita Sanctus Bernardus.

Sanctiſſima Gregorii Decreta plurimùm adjuverunt quidam Clerici, & Laici, adversùm quos Mainardus Sylvæ Candidæ Epiſcopus, & Joannes Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, Alexandri ſecundi ad reformandam Mediolanenſem Eccleſiam Legati, ſanxerunt: *Illos omnes Clericos & Laicos, qui contra incontinentes & Simoniacos Clericos, ut per rectam fidem, ne hæc mala fierent, operam darent, juraverunt, & per hoc incendia, deprædationes, ſanguinum effuſiones, multaſque injuſtas violentias fecerunt, omninò prohibemus ne hæc ulteriùs faciant.* Sanxerunt in ſolos Mediolanenſes Clericos & Laicos; Quòd tamen etiam alibi ſimiles adſultus ſint paſſi conjugati Clerici, teſtatur ac deteſtatur Sigebertus Gemblacenſis. Erat damnanda turbulentia: Nihilominùs veneno quandoque pellitur venenum.

Quæſtio eſt, An hæc adversùm conjugatos Clericos Decreta primus cœperit ultra montes extendere noſter Gregorius? Sic enim paſſim creditur. Reſpondeo tamen extenſionem eſſe antiquiorem. Lucet ex Sancto Petro Damiani in litteris ad Cunibertum Epiſcopum Taurinenſem: *In plenaria planè Synodo Sanctæ memoriæ Leo Papa nonus conſtituit, ut quicumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi Palatio adjudicarentur Ancillæ. Quod videlicet ſalutare Statutum, æquitatis juſtitiæque pleniſſimum, nos etiam per omnes Eccleſias propagandum eſſe decernimus, quatenus percepto priùs Apoſtolicæ Sedis Edicto unuſquiſque Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ vindicet famulas, quas in ſua Parochia deprehenderit ſacrilega Presbyteris admixtione ſubſtratas.* Epiſtolam fuiſſe Domini ſexageſimo quinto poſt milleſimum, quinto Alexandri ſecundi Pontificis anno ſcriptam exiſtimat Dominus Cardinalis Cæſar Baronius, ideoque pro *decernimus* videtur legendum *decrevimus*. Laudare enim videtur Nicolai ſecundi Decretum & litteras, quas nobis in Virdunenſi Chronico ſervavit Hugo Abbas Flavinia-
Fol. 193. cenſis: *Nicolaus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, & Laicis fidelibus, tam majoribus quàm minoribus, per omnes Gallias commorantibus, immò Aquitanicis & Waſconibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus poſt Inſtitutum beatæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri Leonis Papæ de caſtitate Clericorum concubinam palàm duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, auctoritate Beatorum Petri & Pauli, præcipimus & omninò contradicimus, ut Miſſam non cantet, neque Evangelium aut Epiſtolam ad Miſſam legat, neque in Presbyterio cum his, qui præfatæ conſtitutioni obedientes, maneat, neque partem ab Eccleſia recipiat, quouſque à nobis ſententia ſuper hujuſmodi procedat.* Et apud Gratianum exſtat hæc Alexandri ſecundi ad Dalmatiæ Regem Epiſtola: *Si quis amodò Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio* Diſt. 81.
gradu decidat, uſque dum ad ſatisfactionem veniat, nec in Choro pſallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus Eccleſiaſticis habeat. Ad quæ verba rectè ſcribit Dominus Cardinalis Cæſar Baronius: *Apparet Dalmatas nequaquam uſu Græcorum, ſed Latinorum more vixiſſe.* Etiam Leo- A. 1068.
nis noni Decretum fuiſſe anteà tranſmiſſum & publicatum per iſtas Provincias, lucidè Alexander ſupponit. Id non ſolùm pro Gallia, ſed & pro Hiſpania fecit in Tholoſana, per ſuos Legatos celebrata, Synodo Victor ſecundus. Canon eſt ſuprà relatus atque expoſitus. Verùm quia nullus fuit ſecutus effectus & fructus, & pro illo Romani tunc, reformandæ Italiæ magis intenti, Pontifices plenè non inſtiterunt, modica eſt iſtius extenſionis memoria, ideoque ipſam paſſim dicimus eſſe opus Gregorii ſeptimi. Et quòd anteriorum Pontificum Decreta modicam exſecutionem habuerint extra Italiam, ſuprà eſt abundè oſtenſum. Et hinc Gregorius etiam in Dalmatiam legavit Folcuinum Fori Sempronii Epiſcopum, & Gebizonem Sancti Alexii Abbatem, & in ipſorum Salonitana Synodo Demetrius Rex ſolenni ſuæ Profeſſioni inſeruit hunc articulum: *Vitæ Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, ut caſtè & regulariter vivant, providebo.* Quod nempè Alexandri Decretum non fuiſſet miſſum in plenam obſervantiam.

DECRETUM II.

Aliud hujus Synodi Decretum edicit Gregorius in litteris ad Sanctum Annonem: *Illud quoque Fraternitati tuæ notum eſſe volumus, contra Simoniacam hæreſim in Synodo confirmaſſe, nam à Sanctis Patribus longè antè ſtatutum eſt, ac vehementer prohibuiſſe, ut neque Eccleſiæ ullatenus vendantur, aut pro manus impoſitione pretium accipiatur. Quòd ſi hoc modo ordinatus aliquis fue-* L. 2. Epiſt. 67.
rit, eum à Miſſæ celebratione & Evangelii lectione omnimodis removimus. Et in litteris ad Sichardum Aquilejæ Patriarcham: *Mandamus ut in Diœceſi tua Simoniacos omnes deponas, & fornicatoribus Clericis, niſi à fornicatione abſtinuerint, officium & beneficium penitùs interdicas.* Conjugatos ſeu Concubinarios ſub pœnitentiæ & correctionis ſpe dumtaxat ſuſpendit, Simoniacè autem promotos Clericos, quòd iſtiuſmodi ordinationis valor tunc eſſet ſub quæſtione dubius, ſanxit irreparabiliter degradandos. Etiam hocce vitium erat pertinaciſſimum, & eliminari vix poterat. Nam & Tullenſis Poppo Epiſcopatum emerat, & quoſvis Eccleſiæ gradus vendebat. Etiam Herimannus Bambergenſis Epiſcopus, cujus facinoroſas inſolentias videre eſt apud Lambertum Schafnaburgenſem. Undè & ipſum degradavit

davit, atque ad perpetuam in Monaſterio pœnitentiam damnavit noſter Gregorius. Et plures ejuſmodi Epiſcopos atque Abbates tractavit ex eadem regula. Quin & quoſdam Henrici Regis Proceres, quod ſacrilegis his nundinationibus interventores atque etiam auctores fuiſſent, exuit Chriſtiana communione. Juvenem enim ac parvo Miniſtrorum conſilio circumſcriptum Principem duxit in hac Synodo dumtaxat terrendum. De horum quibuſdam ad annum ſequentem, quo ipſe Rex fuit excommunicatus, ſcribere videtur laudatus Lambertus: *Othonem Ratiſponenſem Epiſcopum, & Othonem Conſtantienſem Epiſcopum, & Burchardum Lauſanenſem Epiſcopum, Eberardum Comitem, Udalricum & alios nonnullos, quibus Rex potiſſimùm Conſiliariis utebatur, jam pridem Gregorius Pontifex excommunicaverat.* Eandem cum aliis vitiis lepram damnavit in Philippo Francorum Rege: Qui quam fuerit iſta maculoſus, docent variæ litteræ Sancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis. Nulla unquam Papalis Epiſtola graviores contumaciæ motus & contradictiones ſuſtinuit, quàm ab Eutychianiſtis dogmatica, illa qua Eutychetis factam à Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodo damnationem firmarat, & quam eſſe ſuum in Chalcedonenſi Concilio ſuffragium voluerat Sanctus Leo Magnus. Et pro ejus defenſione aliud non adduxit laudatus Pontifex, quam hunc firmiſſimum clypeum: *A Sanctorum Patrum confeſſione non receſſi.* Ita & pro ſuis, eoſdem à Simoniacis & impuris Clericis motus ſuſtinentibus, Decretis rectè dixit noſter Gregorius: *A Sanctis Patribus longè antè ſtatutum eſt.*

A. 1076.

DECRETUM III.

FUndamentalem hujus Synodi Canonem producit in Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Si quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenùs inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo vel Abbati audientia concedatur. Inſuper ei gratiam Beati Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus, quoaduſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientię, quod eſt ſcelus idololatrię, cepit, deſeruerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſi quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſecularium Poteſtatum aut perſonarum inveſtituram Epiſcopatus vel alicujus Eccleſiaſticę dignitatis dare preſumpſerit, ejuſdem ſententię vinculo ſe adſtrictum ſciat.* Eundem Canonem Decreto ſuo Gratianus, & ſuis adversùs Guibertum Anti-Papam libris inſeruit Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, addens editum in Synodo quinquaginta Epiſcoporum. Et uterque ipſum dividit in duos. Hæc verba, *Si quis Imperatorum*, ſunt exordium ſecundi. Eo anno, quo ad Papatum noſter Gregorius, laudatus Anſelmus ad Lucenſem, ad Dienſem Epiſcopatum aſſumptus fuit venerabilis Hugo, & de hiſce duobus pergit

16. q. 7. c. 12.

L. 2.

laudatus Abbas: *Cùm Romæ poſiti præſtolarentur diem conſecrationis ſuæ, venerunt Nuntii Regis Henrici Romam, rogantes ne contra morem Prædeceſſorum ſuorum Domnus Papa eos conſecrare vellet, qui Epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per Regiam acceperant inveſtituram. At ipſe convocatis Cardinalibus Legationem Regis aperuit, & quid ſibi ad hoc reſpondendum, quid eſſet faciendum admonuit. Quibus reſpondentibus uſum Eccleſiæ hunc eſſe, hunc haberi pro lege, cùm auctoritas nulla eis ad hoc ſuffragaretur, in Lucenſi tamen Electo eis acquievit, ut conſecrationem ejus differret, donec inveſtituram Epiſcopatus ex Regio dono accepiſſet, in Dienſi verò acquieſcere noluit, ſed eum prima Quadrageſimæ hebdomada Sabbatho in Presbyterum, & Dominica conſecravit in Epiſcopum.* Ex hac quæſtione aſſerit proceſſiſſe præſentem Canonem, & quidem in prima noſtri Gregorii Synodo. L. 5. Epiſt. 10.

Ac certum eſt, quod dumtaxat in ſecunda. Etenim prima Synodus ſecunda poſt primam Quadrageſimæ Dominicam feria cœpit, Dominica ſecunda conſecratus fuit Hugo, dilata adhuc Anſelmi conſecratio, atque ita hic inveſtituram accepit poſt primam Synodum. Non ergò ab ipſa, ſed à præſenti ſecunda prodiit præſens Canon. Gregorius ad tantam novitatem duxit pedetentim & gradatim procedendum. Et hinc ne totum Principi concedere, aut ſtatim in Papatus ſui exordio totum negare videretur, ex dictis Electis unum inveſtiri permiſit, alterum ſine inveſtitura conſecravit. Et nonniſi poſt hanc Synodum ad Henricum Regem ſcripſit gravem illam Epiſtolam, qua Decretum ſuum non eſſe novum, ſed avitæ diſciplinæ dumtaxat reſtitutorium demonſtrat, ac pergit: *Hujus autem Decreti, quod quidam dicunt, humanos Divinis honoribus præponentes, importabile pondus & immenſam gravitudinem, nos autem magis proprio vocabulo recuperandæ ſalutis neceſſariam veritatem vocamus & lucem, non ſolùm à te, vel ab his qui in Regno tuo ſunt, ſed ab omnibus terrarum Principibus & populis, qui Chriſtum confitentur & colunt, devotè ſuſcipiendam & obſervandam judicamus.* Quæ omnia quis non videat dici in Regias Antiſtitum nominationes ac inveſtituras? Hinc ſubdit Regiæ Majeſtatis honorem ſibi eſſe cordi, at longè magis reverentiam Regis æterni, & Matris Eccleſiæ libertatem. Nempè ante hanc Synodum de læſa Imperii ſui dignitate queſtus non fuerat Rex Henricus. Papalis Epiſtola data fuit ſexto idus Januarias, indictione quarta decima, affirmatque præſens Decretum ab iſtius anni Synodo emanaſſe. Nempè durarat hæc uſque ad pridie Kalendas Aprilis, atque ita ejus, à Dominica Incarnatione computatus, annus adhuc currebat. Conſtat igitur præſentem Canonem eſſe hujus Synodi.

Quàm porrò ipſum Henricus Rex fuerit averſatus, lucet ex conſequentibus Gregorii verbis: *Ut vulnus vulneri infligeres, contra Statuta Apoſtolicæ Sedis tradidiſti Firmanam ac Spoletanam Eccleſiam, ſi tamen ab homine tradi Eccleſia vel donari poteſt, quibuſdam perſonis nobis etiam ignotis, quibus non licet niſi probatis, & antè benè cognitis manum*

manum imponere. Henricus, ut inveſtituræ damnationem oſtenderet à ſe ſperni, Epiſcopos nominavit atque inveſtivit etiam ad Metropoliticùm Apoſtolicæ Sedis jus & Papalem conſecrationem proximè ſpectantibus Eccleſiis, quas ab hac ſervitute ſemper fuiſſe immunes eſt ſuprà demonſtratum. De eadem ejus contumacia ſcribit Pontifex ad cunctos Sancto Petro fideles Germanos: *Henricus Rex inflatus ſpiritu elationis, con-*
L. 4. Epiſt. 5. *ſuetudines ſuperbiæ contra libertatem Sanctæ Eccleſiæ inventas non defendat, ſed obſervet. Sanctorum Patrum doctrinam, quam pro ſalute noſtra eos docuit Divina Poteſtas*. Nullum enim à ſe non inveſtitum Epiſcopum permittebat conſecrari. Et hinc Gerardum Cameracenſem, & Henricum Spirenſem Electum, quòd ſe inveſtiri permiſiſſent, dudum à conſecratione ſuſpendit Gregorius. Quòd pœniterent, & præſentem Canonem docerent fuiſſe à ſe ignoratum, tandem conſecrari gratioſè permiſit.

Nec ſolum Henricum cum ſuis Succeſſoribus, ac alios Germaniæ Principes, ſed cunctos ubique Chriſtianos Reges Decretum adſtrinxit. Lucidè id ſcribit in laudata Epiſtola Gregorius, atque ita conſtat præſentem omninò Canonem ab ipſa laudari. Et quidem ipſum mox admiſit minoris Britanniæ Comes, atque ita ad ejus
L. 4. Epiſt. 18. preces, quidquid obmurmuraret Rudolphus Turonenſis Archiepiſcopus, Pontifex ambulare permiſit Archiepiſcopatum Dolenſem. Ejuſmodi beneficiis ad obedientiam deducebat. De Gal-
A. 1074. liæ Regno ſcibit Hugo Flaviniacenſis: *Hugoni Dienſi Epiſcopo Gregorius commiſit vices ſuas in Gallia, ubi plurimùm Simoniæ ſerpebat peſtis iniqua, quia perrari illic erant, qui non eſſent aut Simoniaci, aut à Simoniacis ordinati, aut per manum Laicam inveſtiti*. Fecerat id avaritia Philippi Regis. Adeò autem laudatus Hugo vitium iſtud oderat, ut dudùm, licet Lugdunenſis Eccleſiæ Canonicus & Camerarius, manſerit primæ dumtaxat tonſuræ Clericus, *deteſtatus Simoniacorum ordinationes*. Hinc ab ipſo generalem totius Galliæ Synodum cogi juſſit Gregorius, ſtatuitque *ut pro conſervanda deinceps in promovendis Epiſcopis Canonica & Apoſtolica auctoritate nullus Metropolitanorum, aut quivis Epiſcoporum alicui, qui à Laica perſona donum Epiſcopatus ſuſceperit, ad conſecrandum illum imponere manum audeat, niſi dignitatis ſuæ honore officioque carere & ipſe velit. Similiter etiam ut nulla poteſtas, aut aliqua perſona de hujuſmodi honoris donatione vel acceptione ulteriùs ſe intromittere debeat. Quod ſi præ-*
L. 4. Epiſt. 22. *ſumpſerit, eadem ſententia & animadverſionis cenſura, quam Beatus Adrianus Papa in octava Synodo de hujuſmodi præſumptoribus, & ſacræ auctoritatis corruptoribus, ſtatuit atque firmavit, ſe adſtrictum ac ligatum fore cognoſcat*. Lucidè laudat præſentem Canonem, mandatque Synodaliter mitti in executionem & obſervantiam. Et quòd Hugo Legatus id fecerit in Auguſtodunenſi Synodo, teſtatur Hugo Flaviniacenſis, addens fuiſſe ejus quartam Synodum, celebratam iſtius ſæculi anno ſeptuageſimo ſexto. Adducit & Manaſſis Remenſis Archiepiſcopi ad noſtrum Gregorium litteras: *Notum facio vobis, quòd duo Suffraganei mei Epiſcopi, Laudunenſis & Sueſſionenſis tertium Ambianenſem in Archiepiſcopatu meo, me neſciente, utpotè Romæ poſito, Epiſcopum conſecraverunt contra Decretum veſtrum, quo ſtatueratis, ne quis ſaltem Archiepiſcoporum eum conſecraret Epiſcopum, qui à Laica perſona accepiſſet Epiſcopi donum. Maximè cùm eidem ipſi interfuiſſent apud Auguſtodunenſe Concilium, ubi Domnus Hugo Dienſis Epiſcopus promulgavit & ſtatuit coram omnibus hoc veſtrum Eccleſiaſticum Decretum*. Laudunenſis ille Epiſcopus & Sueſſionenſis erant Heligandus & Theobaldus, Ambianenſis videtur fuiſſe Rudolphus,
inveſtitus à Rege Philippo. Exſtat & Papale L. 6. Epiſt. 2. 3.
Reſcriptum ad haſce litteras, aliudque ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, & Hugonem Cluniacenſem Abbatem, mandans diſquiri cauſam, & præſumptores exemplariter caſtigari. Eundem poſteà Manaſſem ob cauſas deponens Gregorius, Regi Philippo injunxit, ut Clero & populo liberam permitteret novi Epiſcopi electionem, nec ullam arte aut ingenio ipſam impediret. Ex quo lucet non ſolam inveſtituram, ſed etiam nominationem fuiſſe damnatam à præſenti Canone, ac Regibus interdictam. Nempè hæc erant duo famoſiſſima omnis paſſim Simoniæ vehicula: Hinc omninò oportuit exciſa.

DECRETUM IV.

Eodem in Simoniæ luto hærens Theoduinus Leodienſis Epiſcopus agebat tunc in extremis. Hinc illum apud Gregorium multis excuſavit, omnia in malos Conſiliarios traducere conatus eſt venerabilis Herimannus Metenſis Epiſcopus, & illi à Pontifice ac Synodo impetravit hanc gratiam: *Quia in extremo videris poſitus, fraterna compaſſione ducti, auctoritate Beati Petri*
Apoſtolorum Principis abſolvimus te à peccatis tuis, L. 2. Epiſt. 61.
& Dominum pro te exoramus, ut interventu Beatorum Apoſtolorum inter Electos æternum merearis conſortium. Laudatum Herimannum, uti ſtrenuum ac fidum Gregorii noſtri in reparanda Eccleſiæ diſciplina adjutorem, eximiè commendat antiquum Chronicon Monaſterii Gemblacenſis. Hinc per ipſum peccata ſua apud eundem Pontificem videtur Theoduinus fuiſſe confeſſus, atque ita abſens obtinuiſſe Viaticum Chriſtianæ & Sacramentalis reconciliationis. Apud antiquos hoc non fuit inſolens. Etenim Robertus Cenomanenſis, à Paganis Nortmannis obſeſſæ civitatis Epiſcopus agonizans, ad Collegas ſuos cum Carolo Calvo Francorum Rege excubantes apud civitatem Andegavenſem, miſit Epiſtolam, in qua totius vitæ peccata deſcripſit generatim, & concluſit: *Pietatis veſtræ miſericordiam implorare non ceſſo, quatenus poteſtate cœlitus vobis collata vincula meorum peccatorum enodetis, & precum veſtrarum ſtudiis commiſſa mea pietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potiùs veſtro interventu cœleſtia merear ſublimari ad Regna*. Divinam in peccatores & peccata miſericordiam exaltant in ſuo Reſcripto laudati Collegæ, & concludunt: *Quapropter Frater & Conſacerdos noſter,*

noſter, tibi peccata tua confitenti, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter JESUS *Chriſtus tradidit Diſcipulis & Apoſtolis ſuis dicens*, ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTENTUR EIS. *Et per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus, eandem poteſtatem donavit. Gratia & potentia ſua virtute Spiritus Sancti, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & Sanctorum Sacerdotum conſortium.* Videtur Robertus & petiiſſe & accepiſſe Viaticum Sacramentalis abſolutionis. Nec refert datam in forma deprecativa: Ita enim olim conſueviſſe eſt certum, multiſque demonſtrat in opere de pœnitentia Joannes Morinus. Laudatæ Epiſtolæ
Tom. 3. exſtant in Galliæ Conciliis apud Jacobum Sirmondum. Et de Hincmaro Remenſium Metropolita ſcribit in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria Preſbyter Flodoardus: *Hincmarus ſcripſit exhortatoriam Epiſtolam ad Hildebaldum Sueſſionenſem Epi-*
L. 3. c. 23. *ſcopum, corporea infirmitate detentum, in qua juxta petitionem litterarum confeſſionis illius, abſolvit eum reconciliando, licet abſentem.* Hildebaldus, quòd infirmitas urgeret, & tardaret Metropolita Hincmarus, iterato miſit *eundem ſuæ confeſſionis breviculum*, inſtans ſibi tranſmitti *abſolutorias litteras*, atque ita eas tandem accepit iſtis
Ep. 40. ipſis verbis, quibus & Robertus Cenomanenſis. Videnda eſt tota Hincmari Epiſtola. Etiam ad Remedium Lincolnienſem Epiſcopum ſcripſit noſter Gregorius: *Abſolutionem peccatorum tuo-*
Lib. 1. *rum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolo-*
Ep. 34. *rum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Et ad Beccenſis Monaſterii juniores Fratres Sanctus Anſelmus
Lib. 3. Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Illis, qui meam in*
Ep. 17. *litteris ſuis ſe ſignificaverunt velle abſolutionem, & illis, qui quamvis eam per litteras non petierint, tamen eam volunt, mando meam coram Deo abſolutionem & benedictionem, & oro ut Deus Omnipotens illos ab omnibus peccatis abſolvat, & in vitam æternam benedicat.* Quod ipſum ſcribit ad Idam Comitiſſam, & ad ſuæ Eccleſiæ Cathedra-
Ep. 58. les Monachos, & lucidiùs ad Monachos Sancti
Ep. 59. Edmundi: *Nullus veſtrum amet aut velit celare peccata ſua, ſed ea puro ac ſimplici corde Domino Priori, aut cui ipſe conceſſerit, confiteatur, & ſecundùm judicium ejus emundet, & de cætero ut ſeſe*
Ep. 118. *cuſtodiat, modis omnibus enitatur. Ego autem, qui hoc modo & hac voluntate ſua peccata confeſſi ſunt vel confitebuntur, quantum poſſum ea auctoritate, quam mihi Deus conceſſit, vice Beati Petri Apoſtolorum Principis abſolvo, & ut Omnipotens Deus indulgeat, ſuppliciter oro.* Et ad neſcio quem Laicum Goffredum: *Abſolutionem Dei & noſtram, ſi quid valet, ab omnibus peccatis veſtris vobis mit-*
Ep. 150. *to.* Ex iſtiuſmodi teſtimoniis quidam volunt Sacramentalem & confeſſionem & abſolutionem poſſe ex rationibus impendi abſenti per litteras, & olim frequenter fuiſſe impenſam. Et certè Hildeboldo Sueſſionenſi ac Roberto Cenomanenſi Epiſcopo data abſolutio fortiter id ſuadent.

Attamen non perſuadent. Etenim utriuſque confeſſio varium dumtaxat peccatorum genus, nullam expreſſit ſpeciem aut individuum, ideoque poſt datam Hildeboldo abſolutionem Hincmarus ſubjunxit: *Bonam devotionem tuam commoneo, ut præter iſtam generalem confeſſionem, quæ ab ineunte ætate uſque ad hanc, in qua nunc degis, te commiſiſſe cognoſcis, ſpecialiter ac ſingulatim Deo & Sacerdoti ſatagas confiteri, & dum unumquodque erroris tui inquinamentum ſingulariter confiteris & defles, ſimul te de omnibus actorum lachrymis mundes.* Lucidè mandat fieri Sacramentalem confeſſionem, atque ita & Sacramentalem abſolutionem obtineri: Ergo jam ſibi factam, & à ſe datam non habuit pro ejuſmodi. Nec tantummodò confeſſis, ſed etiam confeſſuris, immò & non petentibus ſuam abſolutionem miſit Sanctus Anſelmus, atque ita non duxit Sacramentalem. De iſtiuſmodi igitur abſolutione loqui videtur in litteris ad Goffredum Abbatem Vindocinenſem Sanctus Jvo Carnutenſis Epiſcopus: *Monachi benedictio non eſt manus impoſitio, vel alicujus Sacramenti ex Apoſtolica traditione celebratio. Nec aliam vim habere mihi videtur,* Ep. 41.
quàm ſuper pœnitentem abſolutio, vel ſuper populum Sacerdotis oratio. Videtur non fuiſſe aliud, quàm plenæ abſolutionis delegata poteſtas, in mortis præſertim articulo neceſſaria & fructuoſa. Hinc & Presbyterum ſuum cum Sancto infirmorum oleo legavit ad Hildeboldum Hincmarus, vice ſua facturum omnia, quæ ipſe præſens agere debuiſſet. Qui diſtinctam omnium peccatorum confeſſionem exciperet, ungeret, reconciliaret. Quidquid ſit, abſentium confeſſionem & abſolutionem rectè proſcripſit ac interdixit Clemens octavus Pontifex. Rex enim eſt admodum dubia, & in neceſſitatis Sacramentis ſententia probabilis nullum habet locum. Niſi forſan in extremo neceſſitatis articulo. Hinc laudatum Clementis Decretum quidam volunt ad illum non extendi.

DECRETUM V.

HAc item in Synodo fuit ſopita antiqua, & ante Alexandrum ſecundum nuper etiam agitata, quæſtio inter Guilielmum Ultrajectenſem Epiſcopum & Roboth Noviomenſem ſeu Tornacenſem de Eccleſia Sancti Donatia- Lib.
ni in Oppido Brugenſi. Qui Gregorii noſtri E- Ep. 58.
piſtolis præfixit titulos, opinatus eſt litem fuiſſe de juriſdictione; ad cujus Diœceſim dicta Eccleſia ſpectaret. Sed clarum eſt labi. Fuiſſe enim in Noviomenſi ſeu Tornacenſi Parochia, Gregorii ad Manaſſem Remenſem Metropolitam Epiſtola palàm affirmat. Et ita etiam fuit, dum per Paulum quartum fuit erecta in Cathedralem. Quæſtio igitur erat de ejus Dominio ac proprietate. Quòd enim tunc non ſolùm Epiſcopi & Clerici, ſed etiam Laici Reges ac ipſorum Proceres & Eccleſias & Monaſteria proprietario jure

re poſſiderent, ac pro arbitrio donarent, legarent, ac permutarent, apud omnes iſtorum temporum peritos eſt compertum. Et hinc famoſa Altarium donatio. Hujuſmodi poſſeſſor debebat Eccleſiæ aut Monaſterii Clericos aut Monachos alere, fabricam manu-tenere, & reliqua ſuſtinere onera, cæteri proventus erant ad ejus nutum. Ea hodiè vocamus beneficia unita & incorporata menſæ Epiſcopi, Capituli, vel Abbatis. Quodvis erit ſuo loco elucidandum. Laudatam igitur Eccleſiam *ad ſtipendiarios Canonicorum ſuorum uſus* poſſederat pacificè per ducentos ferè annos Ultrajectenſis Epiſcopus: Verùm ipſam in ſua Parochia ſitam conſiderans Roboth Tornacenſis violenter invaſæ ſe intruſit poſſeſſorem. Videtur cenſuiſſe Eccleſiam non poſſe eſſe in dominio alieni Epiſcopi. Verùm ſine fundamento, Etenim Torholtanam propè Brugas Cellam ex Ludovici Pii Imperatoris donatione fuiſſe dudum poſſeſſam à Sancto Anſchario Hamburgenſi Epiſcopo, poſteà ab ejus filio Carolo Calvo Rege datam Regniano Comiti, & hunc ea de cauſa punitum Divinitus, in laudati Anſcharii vita refert ejus diſcipulus & ſucceſſor Rembertus. Et hinc pro Trajectenſi Epiſcopo ſententiam dixit noſter Gregorius, ejuſque executionem delegavit Manaſſe Remenſi. Fuit dumtaxat poſſeſſoria recredentia: Cauſam principalem permiſit diſceptari in alia Synodo.

LATROCINALE
HENRICI IV. IMPERATORIS
CONCILIUM WORTMATIENSE.

SIne hoc latrocinio ſequentia noſtri Gregorii Concilia ac Decreta vix poſſint intelligi. Henricus Rex, quouſque illum de multis accuſantes, ideoque & obedientiam denegantes Saxonum Proceres & Epiſcopi armis prævaluerunt, humilem ſe geſſit apud Sedem Apoſtolicam, omniumque in Regio officio exceſſuum ac defectuum ſpopondit ſeriam correctionem. Verùm hoc anno factus in iſto felicior, leoninam mentem mox prodidit, noviſſimæ Papalis Synodi ſprevit Decreta, & facinora cumulavit facinoribus. Hinc ad ipſum Decreta eſt Apoſtolica Legatio, de qua Lambertus Schafnaburgenſis:
A. 1076. *Rex Natalem Domini Goslariæ celebravit*. Ejus illic Acta deſcribit, ac pergit: *Aderant præterea Hildebrandi Papæ Legati, denuntiantes Regi, ut ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ objicerentur, cauſam dicturus. Alioquin ſciret ſe abſque omni procraſtinatione, eodem die de corpore ſanctæ Eccleſiæ, Apoſtolico anathemate eſſe abſcindendum*. Non jam per Vicarios, ſed in propria perſona Henricum Gregorius Romam citavit.

Pergit Lambertus: *Quæ Legatio Regem vehementer permovit, ſtatimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes qui in Regno ſuo eſſent Epiſcopos & Abbates, VVortmatiæ Dominica Septuageſimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, ſi qua ſibi via, ſi qua ratio pateret. In hoc cardine totam verti ratus ſalutem ſuam, & Regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet Epiſcopus*. Reinerus Reineccius, qui Henrici quarti vitam & Bennonis Cardinalis in noſtrum Gregorium ſcommata vulgavit elapſo ſæculo, addidit & datas ad Sanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum litteras, quibus Pontificem Rex accuſat de variis criminibus. Primò, de violenta Apoſtolicæ Sedis invaſione. Secundò, quòd Imperialem dignitatem ſpernat. Tertiò, *quòd nullum ejus judicio licet eſſe Sacerdotem, niſi qui hoc ab ejus faſtu emendicaverit*. Hoc eſt, niſi ab illo fuerit prævië confirmatus. Quartò, quòd ipſum Regno, immò & vita ſpoliare ſtudeat, & minetur. Quintò, quòd Regios nuper *Legatos incarceraverit, carceratos nuditate, frigore, fame, ſiti, plagis contriverit, ſicque demum ad exemplum per medium civitatis circumductos omnibus ſpectaculum præbere juſſerit*. Sextò, omnem hanc perſecutionem fundari in eo, *quia me de Deo, non de ipſo regnare velle vidit, quia ipſe me Regem non conſtituit*. Et concludit: *Ne pigeat ut in Pentecoſten VVortmatiam venias, & quid agendum ſit doceas*.

At certum & clarum eſt Epiſtolam hanc eſſe fictam. Hoc enim tempore defunctum fuiſſe Sanctum Annonem, eſt ſuprà oſtenſum. Et hinc quòd in memorato Goslarienſi Conventu Henricus Rex ejus in locum voluerit Hildolphum, Canonicum Goslarienſem, animo & corpore obſcuriſſimum, intrudere Regia violentia, teſtatur laudatus Monachus Schafnaburgenſis, & adjungit cauſam: *Rex recolens Annonis Archiepiſcopi conſtantiam, & invictum adversùs omnes nefarios ſuos conatus ſpiritum, conſultò talem ei ſucceſſorem ordinari ſatagebat, cujus facilitate ad omnia quæ vellet, pro libitu ſuo abuti poſſet*. Abſit ergò ut Sanctum Annonem, etiamſi viveret, ad tale Conventiculum Rex invitaſſet. Deindè non ad Pentecoſten, ſed ad Septuageſimæ Dominicam indictus & factus fuit iſte Conventus: Romanam enim Synodum prævenire volebat Henricus, atque ita per degradatum Pontificem non poſſe excommunicari. Et quos ejus Legatos carceravit Gregorius, aut probroſè per urbem circumduxit? Nemo id ſcripſit: Nec ipſe Cardinalis Benno. Item uſque tunc de degradando

gradando Henrico Gregorius nec cogitarat. Nec ſibi unquam reſervavit Provincialium ubique Epiſcoporum præviam confirmationem. Longè poſterior eſt iſta reſervatio. Undè igitur mendaciſſimam Epiſtolam acceperit Lutheranus Reineccius, ignoro.

Pergit Lambertus: *Rex ſtatuta die venit VVortmatiam. Venerunt etiam Epiſcopi & Abbates ampliſſimo numero. Commodè quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam è Cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam ejus & mores inconditos Papa de ſtatione ſua amoverat, deferens ſecum de vita & inſtitutione Papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam: Scilicet unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate converſatus, quam perverſo ordine Sedem Apoſtolicam occupaverit, quæ ante quæ poſt acceptum Epiſcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiſerit. Hujus auctoritatem tanquam Divinitùs ſibi deſtinatam gratiſſimè amplexati, & promptiſſimè ſecuti, ſententiam promulgarunt, quòd Papa eſſe non poſſit, nec ullam juxta privilegium Romanæ Sedis ligandi aut ſolvendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris & criminibus commaculaverit. Cumque cæteri omnes damnationi ejus nihil hæſitantes ſubſcriberent, Adelbero VVirtzburgenſis, & Herimannus Epiſcopus Metenſis aliquamdiu reſtiterunt, dicentes incongruum valdè & contra Canonum ſcita eſſe, ut Epiſcopus aliquis abſens, abſque generali Concilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, necdum probatis criminibus quæ objicerentur, condemnaretur; nedum Romanus Pontifex, adversùs quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cujuſquam ſit recipienda accuſatio. Sed VVilhelmus Trajectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinaciùs tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ ſubſcriberent, aut Regi, cui ſub jurejurando fidem ſpopondiſſent, renuntiarent. Is eo tempore Regi admodum carus & acceptus erat, eique Rex omnium, quæ privatim aut publicè agenda erant, poſt ſe ordinationem delegaverat, vir ſæcularibus litteris apprime eruditus, ſed faſtu nimio inflatus vix ſe ipſe ferebat. Igitur ex nomine omnium, qui convenerant, Epiſcoporum & Abbatum plenæ contumeliarum litteræ Romam deſtinantur, quibus denuntietur Romano Pontifici, ut Pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatque poſt eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi.* Ex quo facinore hodiè quidam opinioni ſuæ, qua Papam Synodis ſubeſſe volunt, malè venantur fulcimentum. Nec enim Gregorium uti legitimè promotum habuit iſte Conventus, ſed de intruſione ac varia irregularitate damnavit. Nec extruſit è ſede, ſed exire dumtaxat juſſit. Atque ita tandem Adelbero etiam ac Herimannus ſubſcripſerunt. Nec totius Eccleſiæ Oecumenicus, ſed paucorum Epiſcoporum latrocinalis fuit iſte Conventus, cui certum eſt Papam non ſubeſſe. Fuit ſimilis Nicæno paucorum Ægyptiorum Epiſcoporum Conventiculo, in quo Dioſcorus Alexandriæ Patriarcha degradationis convitium latravit in Sanctum Leonem. Tentavit in Gregorium, quod poſteà in Bonifacium octavum Philippus Pulcher Rex Francorum.

Quæ omnia inſigniter elucidat in Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis, Henrici Regis crimina, paterna Gregorii noſtri ad ipſum monita, ac ejus in malo duritiam exponens, & pergens: *Henricus reprehendi à quoquam, aut corrigi iniquè ferens, occaſioneſque ab amico recedendi quærens, introitum Beatiſſimi Papæ Gregorii culpare cœpit, ut Simoniæ culpas, quas ab eodem in ſe puniri timebat, in illum reflecteret.* Addit ejus inſtigatores fuiſſe novos dogmatiſtas & contemptores ſacrarum litterarum, atque concludit: *Hi igitur Concilio VVormatiæ habito, ubi omnis quam patimur calamitas exorta eſt, abjecerunt à ſe jugum diſciplinæ, cùm nullam adhuc in illos Dominus Papa anathematis deſtinaſſet ſententiam, & ſanctæ obedientię libellum repudii conſcripſerunt, Prælationi Sedis Apoſtolicæ ſuperba & repentina temeritate abrenuntiantes. Primum hoc fermentum totam Eccleſiæ maſſam corrupit. Conventus hic inter Nativitatem Dominicam & ſequentem Quadrageſimam habitus eſt, ita diſtantibus ſpatiis, ut quæcumque ibi gererentur, Romam tempore Synodi referri poſſent. Die verò Natalitio Andreæ Apoſtoli, ante ipſam diei feſtivitatem, apud Bavenberch Henrico poſito, tanta adhuc inter Regnum & Summum Sacerdotium vigebat concordia, ut deſtitutio Pontificis urbis ipſius, & ſubſtitutio alterius, obedientia Domni Papæ deputaretur. Ille igitur, qui ante Nativitatem Dominicam tantæ in Eccleſia magnificentiæ erat, ut ad nutum illius mutationes ordinum fierent, paucis poſt Nativitatem diebus inconventus & inauditus proſcriptus eſt, & quantum ad illos depoſitus. Ex die enim, qua tanti ab hominibus habitus eſt, nullam eorum legationem accepit, uſque dum illa veniret, qua dictum eſt: Deſcende, deſcende, interdicimus tibi jus omne Papatus.*

Conſentit in libro de bello Saxonico etiam Bruno Merſeburgenſis: *Rex cum ſuis deceptoribus, VVortmatiam venit, & cum ſingulis illis binis conſilium iniit, qualiter dignam vicem rependeret illi contumeliæ, quam omnes audierant Romanum Pontificem ſibi feciſſe, quòd eum minatus ſit ſe excommunicaturum, cùm tale quid cunctis temporibus fuerit inauditum. Cumque multa multis modis diu volutarent, tandem quibuſdam eorum placuit, ut Epiſcoporum Concilio facto Papam quaſi Simoniacum communi conſenſu damnarent, eoque depoſito Rex in loco ejus unum de ſuis amicis conſtitueret, qui omnia, quæ Regi fuiſſent placentia, tota voluntate perficeret. Hoc igitur inito, confirmatoque conſilio fecit omnes Epiſcopos ſuos convenire, & coegit eos Hildebrando, qui Romanus Pontifex vocaretur & non eſſet, ſubjectionem & obedientiam interdicere. Et hoc ut poſteà nullus eorum poſſet negare, fecit unumquemque eorum, nomine ſuo prænotato, manu propria abnegationem Hildebrando chartis ſingulis inſcribere, hoc modo:* Ego N. Civitatis N. Epiſcopus, Hildebrando ſubjectionem & obedientiam ex hac hora & deinceps interdico, & eum poſt hac Apoſtolicum nec habebo nec vocabo. *Quod quidem pauci fecerunt: Ex animo, qui auctores illi fuerant conſilii; plures verò litteras quidem abrenuntiationis timore mortis ſcripſerunt, ſed invitos ſe feciſſe per hoc oſtenderunt, quod cum primùm data eis opportunitas, Apoſtolico ſuppli-*

eis

ces confeſſionis litteras dirigunt, & ſe reos ei agnoſcunt, ſed expurgationem neceſſitatis obtendunt. Reliqua prudenter legenda ſunt: Nam hujus Wortmatienſis Acta cum longè poſterioris Brixinenſis Latrocinii Actis confundunt, aut certè non ſatis diſtinguunt. Videri poſſit etiam Marianus Scotus.

Aliud hujus Latrocinii Decretum habemus in vita Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi: *Henricus Rex fecit deinceps Legationem in Italiam, eandem affirmans præſumptionem per Schiſmaticos ſibi complices Epiſcopos. Hujus Legationis lator fuit quidam Eberardus nomine, Theutonicus natione, filius ſæculi, hamus Diaboli, inventor omnis ferè mendacii. Hic circuivit & perambulavit terram, ut ſchiſmatica omnes inficeret contagione. Multos certè, qui propter Interdictum Domini Papæ Divino ab officio ceſſaverant, ipſe interdictus, & vinculo perditionis ligatus, inaudita temeritate ac ſuperbia reconciliavit, & ex parte Domini ſui Regis, ut officium more priori celebrarent, indixit.* In carmine de vita Dominæ Mathildis Domnizo Preſbyter aſſerit fuiſſe nomine Rolandum, Clericum Parmenſis Eccleſiæ. Quidam duos, quidam credunt fuiſſe unum binominem. Quidquid ſit, ut Clericis facrilega conjugii libertas, & cunctis hac de cauſa per Gregorium ſuſpenſis redderetur Miniſterium, decrevit etiam hic conventus, Regis partem conatus ita adjuvare. Nam & nuper Cadalous Parmenſis Epiſcopus, ut ſuum Antipapatum firmaret adversùs Alexandrum ſecundum, eandem libertatem reddiderat, ideoque ejus ſequaces Sanctus Petrus Damiani titulavit, non Nicolaitas, ſed Cadaloitas. Præfata igitur legatio & ad hocce Decretum exequendum, & ad degradationis judicium Gregorio intimandum fuit ſtatim profecta Romam, & impuros ubique per viam Clericos reddidit conjugio & communioni.

S. GREGORII VII.
TERTIUM ROMANUM CONCILIUM.

HUjus Synodi Compendium habemus in Regeſto noſtri Gregorii: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo quinto, indictione decima quarta, celebravit ipſe Domnus Gregorius Papa Romæ Synodum in Eccleſia Domini Salvatoris, quæ Conſtantiniana dicitur, ubi interfuit Epiſcoporum & Abbatum, atque diverſi Ordinis Clericorum & Laicorum copia.* Ejus primam actionem habemus apud laudatum Lambertum: Wortmatienſis Conventus *Legati, ut juſſum fuerat, ſummo conatu iter accelerantes, pridiè quam Synodus indicta celebraretur, Romam ingreſſi litteras tradunt. Tunc cæteram Legationem, ſi quid in mandatis habebant, verbo non minùs contumelioſo quam Scripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuntii, poſtera die, cùm Clerus & populus ad Synodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium litteras recitari fecit, & ſic cunctis, qui convenerant, id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiſcopum Moguntinum Sigifridum, Epiſcopum Trajectenſem VVilhelmum, Epiſcopum Bambergenſem Robertum; cæteris qui conſpirationis hujus participes exſtiterant, diem ſtatuit, qua niſi Romæ præſentati cauſam dicerent novæ hujus & inuſitatæ contra Sedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur.*

Synodalis in Regem ſententiæ hæc fuerunt verba palmaria: *Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra Romanam Eccleſiam inaudita ſuperbia inſurrexit, totius Regni Theutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecere & facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico.* Hæc eſt vulgata Epigraphe: *Depoſitio Regis Henrici, & abſolutio omnium qui ſibi præſtiterant juramentum.* Poſteà addita fuit à Regeſti compilatore, non aſſecuto mentem ſententiæ. Hac enim in Synodo Regem non degradavit, ſed dumtaxat excommunicavit Gregorius, nec illum tunc quis habuit pro degradato. Romanæ enim Eccleſiæ fideles Germanorum Proceres ipſum ſequenti dumtaxat anno cœperunt ad degradationem poſtulare ex laudata ſuperiùs Regula, quæ Regem toto anno in excommunicatione contumaciter ſordeſcentem cenſet indignum Chriſtiano Imperio. Quod ipſum agnovit in ſuis calumniis Cardinalis Benno: *Hildebrandus præter voluntatem & conſilium Cardinalium, extra ordinem judicandi ſacris Canonibus determinatum, Imperatorem in nulla Synodo Canonicè accuſatum præcipitanter excommunicavit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium ſubſcripſit.* Utique nullus Cardinalium qui adhæſerunt Henriciano facinori, & à Gregorii communione ſe ſepararunt. Quòd enim omnis Synodus in ſententiam conſenſerit, lucidè nobis dixit vir Germanus, & Scriptor graviſſimus Lambertus Schafnaburgenſis. Interim Benno profitetur Henricum fuiſſe excom-

excommunicatum dumtaxat, non degradatum.

Horrendum mendacium continent & hæc Bennonis verba: *Ut primùm ad excommunicandum Cæſarem de ſede ſurrexit Hildebrandus, ſedes ipſa noviter lignis fortiſſimis compoſita, ſubito Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes, ut manifeſtè daretur intelligi, quanta Seſſor ille tam periculoſa excommunicatione & præſumptione, quamque terribilia ſeminaret ſchiſmata contra Eccleſiam Chriſti, contra Sedem Beati Petri, quam crudeliter diſſiparet Cathedram Chriſti, conculcando leges Eccleſiæ, imperando cum potentia & auſteritate.* Hujus enim portenti nullus meminit Gregorii hoſtis, ne quidem Venericus Epiſcopus Vercellenſis. Quin & de Guilielmo Trajectenſi Epiſcopo ſcribit Lambertus: *VVilhelmus Trajectenſis Epiſcopus cauſam Regis contra æquum & bonum obſtinatè tuebatur, & ſtudio partium Regis multa in injuriam Romani Pontificis, omnibus penè diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia, rapido ore declamabat, perjurum eum, adulterum, & Pſeudo-Apoſtolum appellans, & tam à ſe, quàm à cæteris Epiſcopis ſæpè numero excommunicatum pronuntians.* Ad Regis excommunicationem coram ſimplici populo exſufflandam fingebat quidlibet, fractæ tamen Cathedræ prodigium numquam legitur adduxiſſe.

Cur primo poſt Regem loco Sigifridum Moguntinum cum jam dicto Guilielmo Synodus excommunicaverit, edicit laudatum Papalis Regeſti compendium. Quòd nempè hic latrocinii iſtius incentor, ille Præſes, atque ità ambo fuiſſent horrendi hujus ſcandali auctores. Addit & varios Lombardiæ & Germaniæ Epiſcopos fuiſſe variis ex cauſis damnatos. Adjungit item noſtri Gregorii vita: *Die altera*, utique poſt excommunicatum cum ſuo latrocinio Regem, *ab Epiſcopis Ultramontanis litteræ ad Pontificem ſunt allatæ, in quibus confitebantur ſe erraſſe, & nimiùm deliquiſſe, qui poſtulabant quoque veniam, & omnem de cætero obedientiam obſervaturos firmiter ſpoponderunt.* Horum Dux fuit Herimannus Metenſis, quem licet poſt multam pœnitentiam, ac ſtrenuam pro reformanda Eccleſiæ diſciplina operam, in Divino judicio fuiſſe graviter periclitatum, & Sancti Clementis primi Metenſis Epiſcopi interceſſione plurimùm indiguiſſe, oſtendit antiquum Metenſis Eccleſiæ Chronicon. Guilielmum Trajectenſem Epiſcopum impiiſſimè in mortis lecto deſperaſſe, & omnes ejus complices infeliciter objiſſe, oſtendunt laudatus Bruno, laudatus Lambertus, & alii graviſſimi Scriptores. Quin aliqua morum Decreta ediderit etiam hæc Synodus, non eſt dubitandum.

S. GREGORII VII.
QUARTUM ROMANUM CONCILIUM.

ANno Domini milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo Gregorius non fecit Synodum, quòd in Gallias iter inſtitueret. Verùm à Regis Henrici pœnitentia & occurſu accepit moras & obicem. Henricus per annum in excommunicatione ſordeſcere, atque ita Regno excidere metuens, per ſummos mediæ hyemis labores & pericula venit in Italiam, publicam iſtic egit pœnitentiam, & apud Canuſium eſt ab excommunicatione ſolemniter abſolutus. Latiùs hæc refert in opere de bello Saxonico Bruno Merſeburgenſis. Verùm ab humano metu extorta pœnitentia eſt rarò vera. Hinc à pravis ſuorum, Lombardorum præſertim Epiſcoporum, conſiliis circumſcriptus Henricus, intra ipſam Italiam rediit ad vomitum, ſuſpenſam Imperii adminiſtrationem propria auctoritate reſumpſit, cœpitque pejus quàm anteà inſanire. Hinc ad hunc annum ſcribit Lamberti
A. 1077. Schafnaburgenſis appendix: *Rudolphus Rex conſtitutus eſt in loco qui dicitur Forchena, & in media Quadrageſima apud Moguntiam unctus in Regem à Sigefrido Archiepiſcopo.* Henrici enim facinora ac flagitia, & ab ipſis periclitantem Eccleſiam atque Rempublicam pertæſi Germaniæ Epiſcopi & Proceres receſſerunt ab illo, & Rudolphum Sveviæ Ducem in ejus locum exaltarunt. Ipſum ad meliorem mentem reductus Sigefridus unxit & coronavit. Interim omnem hunc ferè annum in viſitandis & formandis Italiæ Eccleſiis Gregorius exegit.

De quarta igitur ejus Synodo habemus in Regeſto: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, Pontificatus verò Domni Gregorii Papæ ſeptimi anno quinto, celebravit ipſe Domnus Papa Gregorius Synodum, ubi interfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi diverſarum urbium ferè numero centum, Abbatum & diverſi Ordinis Clericorum, & Laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apoſtolica Conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmavit.* Edidit varia de perſonis judicia. Thedbaldum Mediolanenſem, & Guibertum Ravennatem

natem Archiepiſcopum, quòd Henricum Regem ad iterandum ſchiſma incitaſſent, ſuſpendit ab omni Sacerdotali officio, & olim in ipſos factum anathema innovavit. Arnulphum Simoniacè Cremonenſi Eccleſiæ intruſum degradavit ſine ſpe reparationis, & uſque ad ſatisfactionem inſuper anathemate percuſſit. Etiam Rolandum, nuper Wortmatienſis latrocinii Legatum: Ei enim Henricus Rex in facinoris mercedem dederat Epiſcopatum Tarviſienſem. Et addidit Gregorius: *Ut nullus Succeſſorum noſtrorum ſuæ conſecrationi aliquo modo conſentiat, modis omnibus prohibemus*. Eamdem cenſuram dixit in Hugonem Blancum Ex-Cardinalem, antiquum Cadaloi Anti-Papæ defenſorem, tertiò Apoſtatam, & multorum ſchiſmatum diſſeminatorem. Ut ſacrilega Clericorum conjugia permitteret Wortmatienſe latrocinium, haud dubiè fuit illius opus.

Ejuſmodi plura judicia hìc dixit Gregorius atque Decreta, è quibus adduco unum: *Quoniam nonnullos Diabolico inſtinctu collectos, Tyrannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri avaritia mancipatos, diſcordiam potiùs quàm pacem fieri & videre deſiderantes fore non ignoramus, ſtatuimus ut nulla unquam perſona alicujus potentiæ, ſive Rex, aut Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Comes, Marchio, ſive Miles, aliqua præſumptione, temerario auſu, fraude, dolo, ſive aliqua perturbatione, Legatis noſtris obſiſtere & contraire, ne juſtitiam & finem componant, pertentet. Quicumque autem temerario auſu, quod non optamus, hujus noſtræ conſtitutionis violator exſtiterit, Legatiſque noſtris ad hanc pacem componendam euntibus, fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, & non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam & in corpore, & in omni proſperitate hujus vitæ, Apoſtolica poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus. Ut ſic ſaltem confundantur, & duplici confuſione & contritione conterantur*. Quod Decretum Gregorius laudat, & compendio repetit in tribus ad Sancti Petri in Germania fideles Epiſtolis, quarum duæ in Regeſto, tertia exſtat apud Brunonem Merſeburgenſem in opere de bello Saxonico. Omnes hoc ipſo anno datæ ſunt, & quidem prima ſeptimo Idus Martias, & hæc habet: *In Synodo quam nuper Romæ celebravimus*. Paſcha tunc incidit in octavam diem Aprilis, adeoque Synodus cœpta fuit die vigeſima ſexta Februarii, & completa ante feriam quartam poſt Dominicam ſecundam in Quadrageſima. Hoc Decretum laudat etiam in litteris ad Cantuarienſis Eccleſiæ Suppriorem, agens de excommunicato ac degradato per Alexandrum tertium Pontificem Imperatore Frederico primo, Joannes Saresberienſis: *Alexander Frederico abſtulit etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnavit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas amodò in bellicis congreſſionibus habeat, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo ſecutus eſt exemplum Gregorii ſeptimi, Deceſſoris ſui, qui noſtra ætate Henricum Imperatorem, Eccleſiæ privilegia convellentem, deponens in Concilio Romano, ſimili ſententia condemnavit*. Uterque Pontifex imitatus eſt Lemovicenſem, undecimi ſæculi anno trigeſimo quarto celebratam Synodum, quæ Dei pacem violantes & contemnentes Lemovicenſes milites excommunicavit, atque addidit: *Maledicti ipſi, & adjutores eorum in malum; Maledicta arma eorum, & caballi eorum. Erunt cum Cain fratricida ubique pavidi & timidi, & in bello degeneroſi*.

Poſt Regiam Rudolphi promotionem miſerrimus fuit Germaniæ ſtatus. Pars enim Henricum, pars ſequebatur Rudolphum. Altera alteram oderat cane pejus & angue. Rudolphiani Henricianos prò excommunicatis & degradatis, hi illos habebant pro rebellibus & reis læſæ Majeſtatis. Omnia ardebant crudelibus bellis. Hinc Germaniam adire, audire partes, ac litem dirimere decrevit Gregorius, & per Bernardum, Maſſilienſem Sancti Victoris Abbatem, Eccleſiæ ſuæ Cardinalem Diaconum ac Legatum, vias ſibi aſſecurari juſſit, & neceſſaria parari. Verùm intervenerunt obices. Hinc Herimannum Metenſem, & Altmannum Patavienſem Epiſcopum legavit vice ſua, & præſenti Decreto ſanxit utramque illis partem obedire. Sanxit adversùs nuperam Liemari Bremenſis Metropolitæ, & aliorum Epiſcoporum audaciam, de qua Lambertus Schafnaburgenſis: *Romani Legati verbis Pontificis petierunt, ut Synodum tenere intra Gallias pace Epiſcoporum finerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi, tamquam inuſitatum, longèque à ſuis rationibus alienum, nec ſe hujus auctoritatis privilegium ulli alii, præterquam ipſi Romano Pontifici, umquam delaturos affirmabant*. Et infrà: *Synodum celebrare nequaquam permiſit Liemarus Bremenſis Archiepiſcopus, allegans vices Romani Pontificis ſibi, ſicut & Moguntino Archiepiſcopo, in Germania antiquis privilegiis eſſe conceſſas*. Quam audaciam gravibus etiam ad Liemarum litteris tunc Gregorius damnavit. Res eſt ſuperiùs elucidata. A. 1074.

Etiam alios obices paſſum fuit præſens Decretum. Et quidem ab ipſis Pontifici addictiſſimis Saxoniæ Epiſcopis ac Proceribus, apud laudatum Brunonem hæc reſcribentibus: *Mirandum cenſemus, quòd illius hominis*, Henrici Regis, *cauſam cum illis hominibus diſcutere jubemur, quos utroſque Legatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, veſtra juſſione, à liminibus Eccleſiæ Sanctæ ſeparavit. Si autem nihil horum obſtitiſſet, quid noſtra intereſt, ut jam dudum finitam Romanæ Synodi ſententiam retractemus, & denuò ad rationem ponamus? Quid ad nos, ut diſcutiamus, ſi illi juſtitia faveat ad obtinendum Regnum, cui vos Regni gubernacula jam ante triennium, Synodo judicante, interdixiſtis? Nonnè magis oportuit, ut judicium illud diſcuſſio præcederet, quàm nunc tandem ſubſequatur? Novimus intelligentiam veſtram, quod numquam de re indiſcuſſa Synodus, vobis præſidentibus, judicavit. Quæ ergo neceſſitas ſecundæ diſcuſſionis? Si autem prædictus ille necdum diſcuſſus eſt, ſed adhuc diſcutiendus, quare Regi alteri obedire ex veſtra auctoritate juſſi ſumus, priuſquam certum fuiſſet iſtum non poſſe regnare? Hujus rei teſtes ſunt apud nos litteræ veſtræ. Quippè quod Legatus Sedis Apoſtoli-*

ſtolicæ veſtra juſſione illi denuò Regni gubernacula interdicendo, à liminibus Eccleſiæ ſeparavit tam illum, quàm omnes ei conſentientes, alterum verò, qui in locum illius ſubrogatus eſt noſtra electione, in Regiam dignitatem Apoſtolica auctoritate confirmavit, omnibuſque in Regno Theutonico conſiſtentibus, ut ei obediant, ex parte Omnipotentis Dei præcepit. Numquid hæc omnia deſtruenda ſunt, & pro nihilo reputanda? Ut autem de reliquis omnibus taceamus, certè ſi ſola illa abſolutio Sacramentorum, quam in Synodo feciſtis, effectum habitura eſt, indubitanter conſtat, quod iſte Rex eſſe non poteſt. Soluta Sacramenta adfirmant non niſi per ſui iterationem atque innovationem poſſe reviviſcere, ad firmam in ſuis Decretis conſtantiam hortantur Pontificem, ac ne illis deſtructis aut ad novum examen devocatis infirmet Romanæ in judicando infallibilitatis privilegium, & ſemetipſum conſtituat prævaricatorem. Exiſtimabant Henricum Regem fuiſſe non excommunicatum dumtaxat, ſed inſuper degradatum.

Et quidem quod populi Sacramenta citra Regis degradationem ſolvi non poſſint, & non niſi per iterationem reviviſcere, lucidè errarunt. Patet ex Gregorii quarti Decreto, quod Conon Præneſtinus Epiſcopus, & Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinalis Legatus, innovavit in ſua Synodo Belluacenſi: *Prædeceſſorum noſtrorum Statuta ſequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento adſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à Sacramento abſolvimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, & ne eis anteà fidelitatem obſervent prohibemus.* Aliud eſt Regis excommunicatio, aliud Regis degradatio: Sic & aliud eſt Sacramenti exſtinctiva, aliud ſolutio dumtaxat ſuſpenſiva. Iſtam degradatio, hanc verò facit excommunicatio, ideoque per ſolam abſolutionem, citra iterationem, permittit reviviſcere. Ita palàm ſupponit laudatus quartus Gregorius. Porrò Henricus à Gregorii noſtri Synodo dumtaxat excommunicatus fuerat, ac proindè Sacramenta dumtaxat ſuſpenſa, ideoque anno ſequenti per abſolutionem, niſi ſingulariter ex cauſis retinuiſſet Pontifex, omninò revixiſſent. Quare hæc Saxonum poſtulatio non fuit fundata. Audiamus rem ab ipſo Gregorio in noviſſimæ Henricianæ excommunicationis ac degradationis Decreto: *Henricum ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de ſuæ vitæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauravi, nec fidelitatem omnium, qui ei juraverant, vel erant juraturi, à qua omnes abſolvi in eadem Synodo, uti ei ſervaretur præcepi.* In tanto negotio Pontifex cenſuit cum lubrico Principe gradatim procedendum. Depoſitionem latè accipit, pro ſuſpenſione. Et in Virdunenſi Chronico ſcribit Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Regi Henrico ſola eſt communionis gratia reddita, non tamen Regno reſtitutus, nec fidelitas omnium, qui ei juraverant vel juraturi erant, ut ei ſervaretur præ-*
Fol. 218. *ceptum eſt. Quod ideò retentum eſt, ut inter eum, & Principes Ultra-Montanos, qui ei cauſa juſſionis Apoſtolicæ reſtiterant, juſtitia fieret, vel pax componeretur, ſicut ipſe per duos Epiſcopos promiſerat. Verùm Epiſcopi & Principes Ultra Montani, audientes illum non ſervare quæ promiſerat, quaſi de eo deſperati, abſque Domini Papæ conſilio elegerunt ſibi Rudolphum Ducem in Regem.*

Altera Saxonum expoſtulatio, qua affirmant Rudolphum ante definitivam Henrici degradationem non potuiſſe eligi, longè minùs confirmari, habuit omninò fundamentum. Et ſanè Rudolphum Gregorii auctoritate fuiſſe electum & confirmatum teſtantur etiam Marianus Scotus, Albertus Stadenſis, & Presbyter Hemboldus. Verùm longè aliter ſcribit in noviſſimo Henricianæ excommunicationis ac degradationis Decreto ipſe Gregorius. Henrico inflictam excommunicationem, datamque poſteà abſolutionem exponit, atque proſequitur: *Epiſcopi & Principes Ultramontani audientes Henricum non ſervare mihi quod promiſerat, quaſi deſperati de eo, ſine meo conſilio, vobis Petro & Paulo teſtibus, elegerunt ſibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rex Rudolphus, feſtinanter ad me miſſo nuntio, indicavit ſe coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſeſe paratum mihi in omnibus modis obedire. Et ut hoc veriùs credatur, ſemper ex eo tempore eundem mihi miſit ſermonem, adjiciens etiam, filio ſuo obſide & fidelis ſui Bertholdi Ducis filio, quod promittebat ſervare. Intereà Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rudolphum adjuvarem. Cui reſpondi me libenter facere, audita utriuſque partis ratione, ut ſcirem cui juſtitia magis faveret. Ille verò putans ſuis viribus eum poſſe devincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe, ſicut ſperavit, agere, duo Epiſcopi, Theodoricus Virdunenſis videlicet & Benno Oſnabrugenſis, de conſentaneis ſuis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici me, ut ei juſtitiam facerem, rogaverunt. Quod & nuntii Rudolphi fieri laudaverunt.* Quod ipſum ſcribit ſummus Gregorii noſtri adverſarius, Anonymus Henricianæ vitæ Scriptor ac Encomiaſtes, addens Pontificem ad Rudolphi electionem tacuiſſe, ideoque fuiſſe apud quoſdam de colluſione ſuſpectum. In re manifeſta, quam etiam ab Hugone Flaviniacenſi jam audivimus, aliud non præſumpſit fingere. Itaque Saxones Sacramentorum ſolutionem exiſtimarunt non poſſe fieri ſine degradatione, & in Papali ſententia virtutem vocis, *Depoſitio*, non ſatis penetrarunt, atque ita ad variè arguendum prudentiſſimum atque juſtiſſimum Gregorium deviarunt. Quod non niſi poſt biennium degradaverit Henricum, ſuo loco oſtendetur. Et hæc ad præſentis Decreti intellectum atque expurgationem ſint breviter dicta.

Quod porrò excommunicatio non ſolam noſtram animam, ſed & corpus exuat Divinæ gratiæ viribus, ac inſuper in bello reddat enervem atque infelicem, pluribus affirmat Gregorius noſter in litteris ad Sancto Petro fidelem Germaniæ Clerum & populum, & in litteris ad Berenga- Lib. 5. Ep. 15.
rium Epiſcopum Gerundenſem. Et rectè. Ete- Lib. 6.
nim de Militibus à Sancto Wolſtano Vigornenſi Ep. 16.
Epiſcopo excommunicatis ſcribit Radulphus de Diceto: *Res miranda, & Dei virtus, & viri bonitas. Nam ſtatim hoſtes tanta membrorum percu-* A. 1088.

tiun-

tiuntur debilitate, *tanta oculorum attenuantur cæcitate, ut vix arma ferre valerent, nec ſocios nec hoſtes agnoſcere. Cæduntur Pedites, capiuntur Milites. Cæteris fuga elapſis, Regis fideles ſine ulla diminutione ſuorum remeant ad propria, gratias Deo & Epiſcopo referentes.* Quod ipſum eiſdem verbis ſcribit Joannes Bromptonus, & adjungit: *Oratio Sancti Wolſtani cum anathemate hoſtes vicit, & quinque millia occidit, ſive cepit.* Quomodo Hardebertus Ultrajectenſis Epiſcopus obſeſſam ſuam à Theodorico Hollandiæ Comite, & jam capiendam civitatem per ſolas excommunicationis minas liberaverit, multis refert Magnum Belgii Chronicon, & Wippo in vita Imperatoris Conrardi. Noverat Comes ſe ac omnem ſuum exercitum ab excommunicatione diſſipandum, ideoque non dumtaxat ſolvit obſidionem, ſed & flexis genibus poſtulavit veniam. Et ad Flandros noſtros cum excommunicatis Venetis in Terram Sanctam navigare compulſos ſcribit Innocentius tertius: *Verùm cùm vel in terram Saracenorum, vel Hieroſolymitanam Provinciam de navibus vos deſcendere contigerit, niſi Veneti ad ſatisfaciendum, & recipiendum juxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium inducti fuerint vel compulſi, cum eis nullatenùs præſumatis prœlium Domini prœliari. Ne ſi eis habentibus aliquid de anathemate, in crucis inſurrexeritis inimicos, non prævaleatis in eos, ſed terga vertentes fugiatis potiùs & cadatis.* Et multis authenticis teſtimoniis doctrinam hanc confirmat. Exſtat Epiſtola in ejus vita, quam publicavit Franciſcus Boſquettus. Ex eodem principio excommunicatos ab exercitu ſuo proſcripſit, & ad bellum procedere vetuit in ſelectis apud Jacobum Sirmondum capitulis etiam Carolus Magnus. (Tit. 2. c. 1.) Quod & Sanctus Eligius Tornacenſis Epiſcopus neſcio quem Ebroini, Regiæ domui Præfecti, militem, Eccleſiæ ſuæ bona invadentem, excommunicatione quaſi mortuum proſtraverit in terram, refert in ejus vita Sanctus Audoenus Archiepiſcopus Rothomagenſis. (Cap. 18.) Plura ſunt ejuſmodi exempla. Quod Ananiam & Sapphyram hoc modo etiam Sanctus Petrus Apoſtolus proſtraverit, videtur omninò credendum.

Alium admirandum excommunicationis effectum diſcimus ex antiqua, quam ſuis in excommunicatione defunctis Græci impendunt, abſolutionis formula: *Rogamus te Patrem omnis principii expertem, ut corpus in ea, ex quibus compoſitum fuerat, permittas diſſolvi, animam verò in Juſtorum cœtu ſedem reperire jubeas.* Et infrà: *Corpus in ea, ex quibus eſt compoſitum, reſolve.* Exponit in litteris ad Nauplii Metropolitam neſcio quis Alexandriæ Patriarcha Cyrillus, cujuſdam teſtamenti violatores excommunicans, atque adjungens: *A Deo Omnipotente ſint excommunicati, maledicti, & incondonati, & poſt mortem inconſumpti & indiſſoluti, in præſenti ſæculo & in futuro, & in tympani morem turgidi, quo uſque à dandis ſcandalis deſiſtant.* Excommunicatorum apud Græcos cadavera ſolent non diſſolvi, ſed ſordidiſſimè quaſi tympana intumeſcere, per plurimos annos ità jacere, nec reſolvi niſi ad datam abſolutionem. Et hinc quæcumque dudum integra cadavera Græci vident, vel inſigniter

Sancta judicant, vel excommunicata. Conſtantinopolitanæ urbis barbarus expugnator Mahometes ſecundus res Chriſtianas non tantùm indagavit curioſiſſimè, ſed & dilexit. Venerabilem Gennadium, primùm à capta urbe Patriarcham, audivit adeò libenter, ut multa per omnem mundum fama ferret ipſum eſſe, aut certè propediem fore Chriſtianum. De ipſo ſcribit Conſtantinopoleos Politica per Martinum Cruſium publicata hiſtoria: *Inter alia, quæ interrogans* Mahometes *diſcebat, etiam de anathemate ſeu excommunicatione audivit. Videlicet, quicumque à Pontificibus & Sacerdotibus Chriſtianis, juſta de cauſa ob peccatum aut ſcelus, è ſacro cœtu expellatur, hunc talem humatum non diſſolvi in terram, ſed manere corpus ejus indiſſolutum ac integrum in terra, conſpicique ſepulchro talis hominis aperto, cadaver inſtar tympani inflatum, & nigrum: Nullo membro amiſſo, ne ipſo quidem capillo. Rursùs ſi veniam precibus, & invocatione Divini nominis ei impetrent, diſſolutionem cadaveris in cinerem fieri. His auditis, accivit Patriarcham, ut ejus rei ſibi ab eo fides fieret. Qui veniens, audita Sultani poſtulatione, ſe planum ei facturum promiſit, ut primùm aliquis ſuccurreret aliquando anathematis vinculo immortuus. Reverſo in domicilium ſuum Patriarcha, cogitatione & diſpicientia, ſi quis præteritis temporibus ea mole preſſus obiiſſet, ſuſcepta, Patribus in mentem venit mulieris cujuſdam libidinoſæ, quæ de quodam Patriarcha, hunc cum ipſa conſueviſſe, famam ſparſerat. Cui famæ à non nemine fuerat habita fides. Is verò improbitate cognita, anathemati illam quodam die feſto ſubjecerat. Quæ mulier, cum longo antè tempore è vivis exceſſiſſet, Patriarcha exiſtimans eam, quia tantum virum infamaſſet, adhuc anathemate conſtrictam teneri, ſepulchrum ejus aperiendum curavit. Tunc illa, ò miraculum Dei, in eo ſtatu, quo depoſita, reperta fuit: Tumida, turgida, nigra, necdum crinibus etiam de capite amiſſis. Re ad Sultanum allata, miſit is ad illam contemplandam certos homines. Qui contemplati, admiratione obſtupuerunt. Cadavere deindè in arca poſito, hanc ſigillo Regio munierunt. Diem dixerunt, quo ad videndum reverterentur. Reverſis, rem Divinam Patriarcha fecit: Recitata & precatione, qua crimen illius aboleretur. Quam ut ſanctè, nec ſine lacrymis recitavit, en miraculum: Articuli manuum ac pedum disjungi, vincula ſolvi, ita ut ab adſtantibus etiam oſſium crepitus audiretur. Repoſito cadavere, & rursùm obſignato, cujus tantùm nexus omnes diſſoluti fuerant, obſignatam arcam, quæ id continebat, in Patriarchico Sacello depoſuerunt. Poſt triduum reverſis Regiis Miniſtris, arcaque reſignata ac aperta, apparuit corpus illud jam diſſolutum, de quo nihil reſtans, niſi cinis, homines in admirationem adduxit. Abeunt ad Regem. Quæ ſuis oculis viderant, nunciant. Admirari ille, ſtupere: Religionem Chriſtianam veram & admirandam confiteri.* Eamdem rem pluribus refert Patriarchalis per Emmanuelem Malaxum deſcripta hiſtoria. Aſt cum aliquo diſcrimine. Etenim adfirmat hæc contigiſſe ſub Maximo, octavo poſt captam urbem Patriarcha, & à libidinoſa muliere accuſatum Patriarcham fuiſſe laudatum Gennadium. Erat

libidinoſa Sacerdotis vidua, quæ ſibi per Patriarcham inflictæ excommunicationi reddidit hunc calumniæ talionem.

Addit Patriarchalis Hiſtoria de data excommunicationis abſolutione: *Nec corpori modò mulieris venia ac diſſolutio contigit, ſed animæ etiam, inferorum cruciatibus liberata, in Paradiſum venit. Illi namque, qui anathemate percuſſi ab Eccleſia exulant, cùm eorum corpora maneant indiſſoluta ac integra, indigent animæ abſolutione, eamque expetunt, ut liberentur vinculo relegationis. Nam quemadmodum eorum corpora ſunt vincta, nec à terra conſumuntur, ſic animæ quoque ipſorum vinctæ manibus Diaboli, ac pœnis obnoxiæ tenentur. Quando autem corpus veniam accipit, exſecrationis vinculo ſolutum, Deo benè juvante etiam anima de Diaboli manibus libera exit, & vitam æternam, lucemque illam veſperæ expertem adipiſcitur.* Aſt hæc Theologia non eſt vera. Etenim aliud eſt peccati, aliud excommunicationis ſolutio: Et una poteſt donari ſine alia. Et defuncto data poſterior non ſemper ſecum trahit priorem.

Alia ſimilia exempla adducit eadem Hiſtoria. Etenim Arſenium, Latinum Monembaſiæ in Peloponneſo Epiſcopum, uti intruſum adfirmat à Pachomio Patriarcha fuiſſe degradatum ac excommunicatum, & adjungit de ejus in vinculo defuncti cadavere: *Repertum eſt aliquando poſt miſerabile corpus ejus, nigrum, ad modum tympani turgens, ita ut omnes qui videbant, terrerentur & contremiſcerent.* Quod an verum ſit, ignoro. Etenim Arſenius fuit legitimus, utpotè Romani Pontificis auctoritate Monembaſiæ Epiſcopus, & Patriarcha Pachomius fuit nequam ſchiſmaticus, utpotè qui Papam ac omnes Latinos adſereret hæreticos, atque ita per ipſum inflicta excommunicatio fuit nullius ponderis. Attamen turbæ, quæ iſtic memorantur, poſſint per Arſenium fuiſſe concitatæ, atque ita & inflicta per iniquum Patriarcham excommunicatio fuiſſe rata in Divino Judicio. Quidquid ſit, etiam de intruſo Patriarcha Joannicio ſcribit eadem Hiſtoria: *Malus malè, & cum dolore periit. Anathemateque conſtrictus, ſeu tympanum inflatus, repertus eſt. Quandoquidem à quatuor Patriarchis propter iniquitatem ſuam Eccleſiæ conſortio ſpoliatus fuerat.* Et Nicolaum Coreſam, qui Mariæ Piliæ pium teſtamentum defraudabat, per Patriarcham excommunicari poſtulat neſcio quis hujus conſanguineus, & Edicto adjungi has exſecrationes: *Ipſe maneat excommunicatus, exſecratus, veniæ apud Deum expers, & poſt mortem indiſſolutus.* Exſtat Epiſtola in quarto libro Turco-Græciæ. Nec deſunt alia exempla.

(Fol. 151. — Ep. 38.)

Et huc reſpexiſſe omninò videtur in ſuis ſuper primam ad Timotheum Epiſtolam Commentariis, hæc Apoſtoli verba, *Tradidi Sathanæ*, exponens Theodoretus: *Hos tradidit Diabolo, non ut bonorum Magiſtro ſed ut ſævo carnifici. Ab Eccleſiaſtico enim corpore ſeparati, & Divina gratia nudati, crudeliter ab adverſario flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles afflictiones, & in alias ærumnas & calamitates. Hæc enim hominibus ſolet inferre, quia inimicus eſt & ultor, ut dicit Propheta.* Et hoc erat tradi in interitum carnis. Hinc pergit Theodoretus: *Conſentaneum erat illos caſtigatos mutare ſententiam, dum viderent damnum, quod oriebatur ex blaſphemia.* Contumaces, quos ipſe corrigere non poterat, hoc modo Diabolo corrigendos tradebat Apoſtolus, ut diſcerent non blaſphemare. Et per eorum, quibus vivis nec Diaboli vexatio dederat intellectum, portentoſa cadavera Divina gratia ſuperſtites adhuc prævaricatores ad meliora cogebat. Cap. 1.

Similia exempla reperimus etiam apud Latinos. Etenim de Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo, Anacletiani adversùs Innocentium ſecundum ſchiſmatis duriſſimo ac ſæpiùs excommunicato fautore, ſcribit in Sancti Bernardi vita Bernardus Monachus: *Gerardus impœnitens, & ſubitò mortuus ſine confeſſione ac viatico, de corpore egredientem ſpiritum reddidit ei, cujus miniſter uſque in finem exſtiterat. Corpus ejus à ſuis nepotibus inventum in lectulo exanime, & enormiter tumidum, in Baſilica quidem humatum eſt, ſed poſteà à Gaufredo Carnutenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato, indè extractum eſt, alioque projectum.* Et quod Petri de Luna, qui Anti-Papa ſe appellavit Benedictum decimum tertium, ad profanam terram jam dudum è ſancta projectum cadaver perſeveret adhuc integrum, ſcribunt oculati teſtes; Eſſe excommunicationis, in qua ſibi per Conſtantienſe Concilium inflicta contumax & ſchiſmaticus eſt defunctus, effectum affirmat in ejus vita Ciaconius. Neſcio quem apud Indos in excommunicatione defunctum militem, nec in mari nec in terra, quouſque abſolveretur, potuiſſe ſepeliri, ſed aſſiduè fuiſſe ejectum ſcribit in Indica Hiſtoria Petrus Maffeus. Ejuſmodi per Angliam cadavera conſueviſſe, per Diabolum deportata, comitante turba canum vagari per civitates & campos, vivis eſſe ſummo horrori, & non niſi per Epiſcopalem abſolutionem, aut certè per exuſtionem cogi ad quietem ac diſſolutionem, pluribus exemplis oſtendit in ſua Anglorum Hiſtoria graviſſimus Scriptor Guilielmus Neubrigenſis. Quoſdam utiles Canones edidit etiam hæc Synodus.

(Lib. 5. A. 1509. — Lib. 5. c. 22. 23.)

CANON I.

QUoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoſcimus, & eos quaſi legali jam jure, immò Diabolico inſtinctu, ab his quibus miſericorditer ſublevari & conſolari deberent, deprædari conſpicimus, ſtatuimus, & ſub anathematis vinculo, ut à Prædeceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, jubemus, ut quicumque naufragum quemlibet, & illius bona invenerit, ſecurè tam eum, quàm omnia ſua dimittat.

SCHOLION.

DE minoris Britanniæ Comite ſcribit ad Honorium ſecundum Pontificem Sanctus Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis: *Quidquid evadebat ex naufragiis, totum ſibi Fiſcus vindicabat Patriæ, paſſoſque naufragium violentia Principis miſerabilius ſpoliabat, quàm procella.* (Epiſt. 65.) Ad hanc conſuetudinem in ſuis manibus dimittendam & abjurandam coegit Comitem, & ad Pontificem pergit: *Illam manumiſſionem de naufragiis, quam Comes in manu noſtra depoſuit, vos non gravemini confirmatione Apoſtolica roborare, & prohibere ne quis omninò eam reſcindere, vel aliqua ex parte minuere præſumat.* Et Honorius reſpondit: *Conſuetudinem, qua illis, qui naufragium evaſerant, etiam quæ in portu poſtmodum inventa erant, auferebantur, damnamus, & ne quis eam futuris temporibus renovare præſumat, auctoritate Apoſtolica interdicimus. Iniquum enim eſſe cenſemus, ut quem Divinæ Clementiæ magnitudo à ſævientis Pelagi voracitate exuit, hominum ſæva rapacitas audeat ſpoliare. Piorum namque Imperatorum emanavit authoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempeſtate maris, levandæ navis cauſa, ejiciuntur, non amittant dominium. Non enim eas aliquis eo animo ejicit, quod habere nolit, ſed quò periculum effugere poſſit.* Adeò antiqua eſt hæc iniquitas, ut pro ipſa ſcripſerit Poeta: *Res Fiſci eſt, ubicumque natat.* Eam apud Romanos exſtinxit hæc lex, exſtans in Juſtiniani codice: (Lib. 11. tit. 5. c. 1.) *Si quando naufragio navis expulſa fuerit ad litus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, Fiſcus meus ſe non interponat. Quod enim jus habet Fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Vulgata Epigraphe ipſam adſcribit Conſtantino Magno, verùm Jacobus Cujacius, Dionyſius Gotofredus, & alii viri eruditi conſtanter affirmant eſſe Antonini Pii. Quidquid ſit, ad Digeſtum de Lege Rhodia exſtat ejuſdem Antonini ad Eudæmonis in Italia paſſi naufragium, & à Cycladum Publicanis direpti, libellum reſponſio, mandans factum iſtud lege Rhodia judicari. Rhodus enim, Cycladum Metropolis, excellebat in arte nautica, & æquiſſimis ipſam legibus adminiſtrabat. Ibidem habes hoc Juliani Reſponſum. *Qui levandæ navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant, quippè ſi invenerint eas ablaturos, & ſi ſuſpicati fuerint in quem locum ejectæ ſunt requiſituros; ut proindè ſint, ac ſi quis onere preſſus, rem in viam abjecerit, mox cum aliis reverſurus, ut eandem auferret.*

Quòd etiam ſub Chriſtianis Romanorum Imperatoribus revixerit iſta iniquitas, lucet ex Sancti Paulini Nolenſis Epiſcopi ad Nobilem virum Macarium Epiſtola pro naufrago nauta Victore, ejuſque Patrono Secundiano: *Ne patiaris invidia Diaboli, per hominem improbum Secundiano eripi, vel ereptum negari, quod illi de naufragio redonavit Deus. Procurator Chriſtiani viri, fratris noſtri Poſthumiani, eſſe dicitur, qui eam navem in Brutiorum litore, quo poſſeſſio Senatoris adluitur, adlapſam avarior mari, & ſine myoparone piraticam in terra agens occupavit, & captam vacuefecit.* (Ep. 36.) De Provinciæ Præfecto, quod interpellatus non adminiſtraſſet juſtitiam, graviter expoſtulat, atque ita ſupponit iſtam rapinam publicis legibus tunc fuiſſe omninò damnatam. Interim in Orientali Imperio revixit peſſima rapina. Et adversùs illam Michael Attaliates in ſua legum ſynopſi poſuit hoſce articulos: (Tit. 48.) *Si levandæ navis gratia, merces vectorum quorumdam projectæ fuerint, omnibus contribuentibus ſarciatur id, quod abjectum eſt. Res jacta non ſit nullius domini, ſed domini maneat, ſi è mari ejecta fuerit. Qui ex naufragio, ruina, vel incendio rapit, intra annum in quadruplum, poſt annum in ſextuplum tenetur. Competit & criminalis actio.* Ex quo vides Græcos tunc, non tantùm ex naufragio, ſed etiam ex ruina atque incendio crudeliter rapuiſſe. Michael Pſellus addit hunc commentarium: *Immò geminum quadruplum, mi Domine, jure ab illo exigitur, qui rem ex naufragio rapuit. Et unum quidem quadruplum Fiſco addicitur, alterum verò quadruplum habeat, qui naufragium fecit.* Loquitur juxta priores Romanorum navales leges: *Qui ex naufragio aliquid rapit, quadruplum reſtituat. Qui ex miſerabili naufragorum ſubſtantia quodvis rapiunt, injuriam paſſis quadruplum præſtent. Qui graviori præda & vi res aufert ex naufragio, poſt earum reſtitutionem, ſi liber eſt, ad triennium relegetur; ſin ſordidi quidam ſint, in opus publicum ad idem tempus uſque dentur; ſi denique ſervi, in gravius opus Fiſci ſimiliter deportentur.* Hæ leges duplici pœna iſtos raptores mulctant:

ſtant: Alia in naufragi, alia in gratiam Fiſci. Exſtant in ſecundo tomo juris Græco-Romani. Emanarunt ſub Imperio ac ex juſſu Michaelis Ducæ, cognomento Parapinacii, quem Gregorio noſtro & Romanæ Eccleſiæ conſtat fuiſſe ſingulariter addictum, ideoque poſſit ille præſentem Canonem fuiſſe hac via exſecutus. Sub ipſo floruit & Michael Attaliates, nec non & Michael Pſellus, & varia ſua opera ipſi inſcripſerunt.

At malum nec ſic ceſſavit. Duravit uſque ad Imperium Andronici Comneni, de quo Nicetas Choniates: *Cùm apud Romanos, eoſque ſolos, ut opinor, iniquiſſima conſuetudo valeret, ut naves tempeſtatibus in litus ejectæ non modò à nemine adjuvarentur, ſed ab accolis quovis turbine ſævioribus diriperentur, ſi qua fluctus reliqua fecerant, Andronicus iniquiſſimæ iſti rationi tam acriter eſt adverſatus, ita piraticam illam rapacitatem compeſcuit, ut hæc una res ampliſſimas ejus laudes complectatur.*
L. 1. c. 3. *Nam Aulici quidem Proceres id malum deploratum & immedicabile judicabant, & vetuſtate confirmatum. Ac multos ex ſuperioribus Imperatoribus, faſciculis litterarum in Provincias miſſis, extrema naufragorum ſpoliatoribus minitatos, ſed conatum illum fuiſſe irritum, & intra Scripta ſubſtitiſſe, rubricam Imperatoriam illius mali undis eluentibus, ut litteræ illæ plane in aqua ſcriptæ viderentur, & Edicta fruſtrà ſubnotarentur.* Hanc Procerum interceſſionem fuiſſe inſigniter ab Andronico refutatam demonſtrat laudatus Scriptor, & tandem ſubjungit hoc ejus Edictum: *Homines ex rapto vivere ſoliti ſciunto, niſi ultro appetere aliena deſierint, etiam ſua amiſſuros, & pauperum ſuſpiriis non ſecus ejectum iri, quàm pulvis à vehementi turbine diſſipatur. Eos præſertim, qui naufragiis inſidiantur, & ſarcinas diripiunt, & aliquando*
C. 4. *ipſas naves diſſecant & comminuunt. Si quis veſtrum igitur noſtra auctoritate Magiſtratum aliquem gerit, ſi quis fundos maritimos poſſidet, is primùm ſe ipſum, deindè ſubditos quoque ad juſtam Dei & Imperii noſtri obſervantiam ac reverentiam confirmet. Profectò pœna delicti ab eo multiplex exigetur, qui vel Provinciæ præeſt, vel agrum poſſidet. Quod ſi ipſe & animo à facinore abhorruerit, & manus abſtinuerit, ſed miniſtri ejus ſcelus id admiſerint, id ipſi imputabitur. Nam ſi ſceleratus dominus flagellabitur, ſervitia reſipiſcent. Et ut ſubditi in illaudatis rebus Principem imitari ſolent, ita etiam ſi is flagelletur, & publicæ utilitati ſervire cogatur, hi eum, ut matrem filius, ſequentur. Ut autem pœnæ quoque modum noveritis, quam Edicti mei contemptor luet, in malo navis pendebit. Sin eum fluctus marinus deturbarit, in alto litore editoque ſpeculatiſſimæ arbori, quæ in iis montibus cædi poterit, affigetur: Ut qui medio mari navigant, eum conſpiciant, velut de antenna velum, prominentem, atque in terra naufragium, ſuo exemplo cæteros monentem, ne naufragia invadant, & naves ſpolient. Quemadmodum Deus arcum ſuum in nubibus ſuſpendit, qui argumento eſſet non fore ampliùs diluvium.* Peſſimus Tyrannus fuit iſte Andronicus, hæc tamen ejus lex eſt digna omni encomio. Et per omnem ejus vitam fuit rigidiſſimè cuſtodita. Verùm poſt ejus mortem revixit iniquitas. Etenim Georgius Pachymeres, qui ſub Michaele & Andronico primis Palæologis floruit, ſcripſit librum ſub hoc titulo: *Accuſatio legis præcipientis naufragium paſſos, & appellentes in aliquem locum, ab iis qui ibi ſunt, ſpoliandos eſſe.* Et alium ſub hoc titulo: *Oppoſitum de eadem lege & oppoſitione.* Hæc doctiſſimi viri in utramque contradictionis partem diſputatio demonſtrat iniquitatem tunc non tantummodo viguiſſe, ſed & à quibuſdam fuiſſe defenſam.

Etiam in Occidente iniquitas per Romani Imperii laceratores Barbaros & frequenter revixit, & frequenter fuit exſtincta. Nam & antiquæ Viſegothorum leges habent: *Quidquid de incen-* L. 7. tit. 2.
dio, ruina, & naufragio raptum fuerit, & aliquis c. 18.
ex hoc quidquam ab alio ſuſceperit ſive celaverit, in quadruplum reformare cogatur. Eadem crimina horrendè damnat in primo Sicularum legum libro etiam Imperator Fredericus ſecundus, & adjungit: *Tales in rapinis hujuſmodi deprehenſos, aut ſponte confeſſos, capitali ſententia feriendos eſſe* Tit. 20.
cenſemus, ac de bonis ipſorum, quæ ad legitimos ſucceſſores pervenire debebunt, rapta in quadruplum reſtitui dominis debere mandamus. Addit naufragos à cunctis præſentibus adjuvandos, & hujus fraternæ pietatis negligentem mulctat pœna unius Auguſtalis. Et pergit in alia lege: *Item de his,* Tit. 58. c. 2.
quæ de naufragiis Curiæ noſtræ debentur, cum ex naufragio, quorum res ſunt, aliqui, vel ex eis ſucceſſores legitimi non ſuperſunt, nullus *intromittere ſe debebit.* Extra hunc caſum vult etiam à fiſco nihil prætendi. Et inter Henrici ſecundi Anglorum Regis laudes Guilielmus Neubrigenſis ponit & hanc: *Henricus antiquam inhumanam circa nau-* L. 3. c. 26.
fragos conſuetudinem in ipſis Regni ſui initiis eximia pietate correxit, atque hujuſmodi hominibus ab æquoreo diſcrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas ſanxit, qui fortè illis in aliquo moleſti eſſe, vel de rebus eorum quidquam uſurpare præſumerent. Confirmat Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis: *Henricus Rex, naufragorum perditionem* A. 1189.
eximia pietate miſerans, & eis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas ſanxit, qui fortè illis in aliquo moleſti eſſe præſumerent, vel de rebus quidpiam uſurpare. Ejus filius & ſucceſſor Richardus emiſit hoc Edictum: *Quod omnis naufragus, qui ad terram vivus pervenerit, omnes res ſuas liberè habeat & quietè. Si autem in navi mortuus fuerit, filii vel filiæ, fratres vel ſorores ejus res ſuas habeant, ſecundùm quod oſtendere poterunt ſe eſſe propinquiores hæredes illius. Et ſi defunctus filios vel filias, fratres vel ſorores non habuerit, Rex habeat catalla.* Frederici ſecundi adducta circa hoc punctum lex fuit multò caſtior. Ex his interim lucet hanc barbariem etiam in Hiſpania, Sicilia, atque Anglia fuiſſe graſſatam.

Quidam in Germania populi fuerunt longè barbariores. Etenim non ſola naufragorum bona rapuerunt, ſed & ipſas perſonas captivarunt in ſervitutem. Hinc habemus apud Albertum Abbatem Stadenſem: *Frederici avia & mater, de Anglia navigantes, in Comitatu Stadenſi naufra-*

gium

gium paſſæ ſunt, & ſecundùm priſci juris rigorem, tam homines quàm res, Regiæ ditioni ſunt mancipati. Et de quodam naufrago Olrico proſequitur: *Quæſivit in ſententia, an licitè poſſit ſibi vendicare mancipium ſuum, ubicumque reperiret. Et cùm lata eſſet ſententia, quòd poſſet, dedit magnam alapam Olrico.* Nempè iniquiſſimam ex naufragio ſervitutem Olricus effugerat, & à domino repertus eſt ad eandem judicialiter condemnatus. Et in eadem à domino confirmatus per alapam. Hoc enim charactere dominus mancipium vendicabat. Pergit Albertus: *Avia & mater ſub prætextu naufragii ſervituti ſunt addictæ.* Naufragium eſſe nauticæ artis imperitiam judicabat iſta barbaries, ideoque & naufragos non ſolùm tranſvectis rebus; ſed & ipſa libertate cenſebat indignos. Quòd liberos homines etiam ſine cauſa raperet aut cogeret in ſervitutem, lucet ex antiquis legibus Hungarorum.

Hanc igitur omnem barbariem damnat hìc, ac eliminare ſtudet noſter Gregorius. Etiam Conon Præneſtinus Epiſcopus, & Paſchalis ſecundi per Galliam Legatus, quarto decimo duodecimi ſæculi anno apud Belluacum in noſtro Belgio celebravit Synodum, & ipſi inſeruit hunc Canonem: *Quicùmque res naufragorum diripiunt, ut raptores & fratrum necatores ab Eccleſiæ liminibus excludantur.* Exſtat in ſpicilegio Lucæ Dacherii. Ab Honorio item ſecundo Pontifice & Sancto Hildeberto Turonis Archiepiſcopo eandem iniquitatem damnari, ſuprà audivimus. Et in ſua Lateranenſi Synodo ſtatuit Alexander tertius: *Qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundùm fidei regulam auxilio eſſe tenemur, damnanda cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere.* Tot Apoſtolicis, Synodalibus, ac Regiis Edictis peſſimam barbariem Eccleſia debuit oppugnare. Et oppugnat uſque hodie. Ipſam enim quotannis in Dominicæ Cœnæ ſancta feria excommunicat & diris devovet Romana Eccleſia.

CANON II.

ORdinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, ſanctorum Patrum ſequentes veſtigia, irritas fieri cenſemus.

SCHOLION.

DE hujus calamitoſi temporis exordio ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Jam ſolutus carcere ſuo Sathanas, non ſolùm corporali, ſed & ſpirituali armatura oppugnabat pacem Eccleſiaſticam. Et quorum corpora jugulabat, animas quoque,*
A. 1077. *ne in æternum viverent, exſtinguere ſatagebat. Udo Epiſcopus Trevirenſis, Roma nuper reverſus, communicare nolebat Epiſcopo Moguntino, Epiſcopo Colonienſi, & aliis quàm pluribus, qui apud Regem præ cæteris aſſidui erant, & quorum Rex omnia faciebat conſilio, obtendens & eos, & ipſum Regem excommunicatos eſſe à Romano Pontifice, ſibi tamen, quòd ipſum vix ſummis precibus extorſerit, indultum eſſe tantùm Regi colloquendi licentiam, nulla præter hæc in cibo, in potu, in oratione, vel in cæteris omnibus communione ejus permiſſa. Hujus auctoritate permoti complures alii, quorum & in Deum fides purior, & ad dignitatem Reipublicæ ſententia melior, paulatim ſe Palatio ſubtrahebant, ne videlicet ſupra dictorum communione macularentur. Et ad Regem, licet crebris juſſionibus evocati, redire nolebant. Satiùs judicantes Regem quàm Deum offendere, corporis quàm animæ diſpendium incidere. Illi è contra iraſci, fremere, inſanire; minas & convitia in omnes paſſim jaculari: Injuſtam, & idcircò nihili æſtimandam eſſe Romani Pontificis ſententiam, qui ſe nec Canonicè ad Synodum evocatos, diſcuſſos, nec objecti criminis juxta Canonum Scita convictos vel confeſſos, præcipiti furore potiùs quàm ratione excommunicaſſet. Epiſcopum Trevirenſem, & cæteros qui cum eo ad evertendum ſtatum Reipublicæ jam pridem conſpiraſſent, aliorſum intendere quam loquerentur, nec tam Apoſtolicæ Sedi auctoritatem deferre, quàm ut dignitatem Regiam ſubruant, occaſionem quærere, & inveterata adversùs Regem odia novo religionis vocabulo palliare. Eum rectè honori ſuo proſpicere, ſi in hoſtes ſuos gladium, quem juxta Apoſtoli vocem ad vindictam malorum acceperit, maturiùs diſtringat, & contemptis inanium occaſionum latibulis, manifeſtos Regni inſidiatores pœna, quam merentur, afficiat.* Quod peſſimum contumacis turbulentiæ conſilium ſecutus Henricus plurimos, etiam Apoſtolicæ Sedi ac diſciplinæ addictos, Epiſcopos ad ſibi aut ſuis complicibus communicādum ſeduxit, atque ita omne Imperium implevit excommunicatis. Quod enim etiam optimus Metenſium Epiſcopus Herimannus incurrerit eundem laqueum, ac per Hugonem Dienſem Epiſcopum, noſtri Gregorii in Galliis Vicarium, abſolutus fuerit, refert in Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. Contagioſa eſt hæc communio. Hinc quotannis crevit numerus excommunicatorum, tandemque non fuit numerus, ſed infinita multitudo.

Inter Palmaria, ob quæ Photium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ intruſum Epiſcopum eſſe irreparabilem ac omni venia indignum cenſuit olim octava Synodus, fuit ipſius per excommunicatum Syracuſæ Archiepiſcopum Gregorium facta conſecratio, adversùs quam ſcripſit ad omnes Conſtantinopolitanæ Diœceſis Epiſcopos Nicolaus primus: *Gregorius, qui tranſgreſſor factus eſt legis, ad iracundiam ſui magis, quàm ad conſecrationem alicujus, Spiritum Sanctum per impo-*

impoſitionem ſuæ manus ſine dubio provocavit, etiamſi is, qui ordinandus erat, nullas alias haberet ſibi Regulas obviantes. Iſtiuſmodi manus non conſecrare, ſed exſecrare, & ſatiùs eſſe à ſpinis, quàm ab ipſis capita noſtra tangi, paſſim declamant antiqui Patres. Et non ſolum Epiſcopum, qui damnatus aliquid ſacri Miniſterii attentarit, omni reparationis ſpe exuit, ſed & omnem ei in illo communicantem eadem pœna damnat quartus Canon Antiochenus. Sic ipſum exponit Aquiſ-
Cap. 7. granenſe Caroli Magni Capitulare: *Si quis eis communicaverit, ſimili ſententiæ ſubjaceat, ſicut & damnatus.* Quod in ſacris præſertim ordinationibus habet locum. Hinc de Ebbone Remenſi Archiepiſcopo, qui damnatus Clericos ordinaverat, ad ſecundam Sveſſionenſem Synodum di-
Act. 4. xit Immo Tornacenſis Epiſcopus: *Qui ab Ebbone viſi fuerunt ordinari in gradus Eccleſiaſticos, quod ille non habuit, nemo accipere potuit. Damnationem utique quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit.* Et ad quintam ejuſdem Concilii actionem ſcribunt Acta Synodalia: *Inventum & decretum eſt à ſacratiſſima Synodo, ut quidquid in ordinationibus Eccleſiaſticis Ebbo poſt damnationem ſuam egerat, præter ſacrum Baptiſma, quod in nomine Sanctæ Trinitatis perfectum eſt, irritum & vacuum habeatur.* Quòd omnes à damnato ſuo adverſario Giſlardo ordinatos Sanctus Arctardus Namnetenſis Epiſcopus etiam reordinaverit, teſtatur atque improbat in litteris ad
Ep. 56 Salomonem minoris Britanniæ Principem Nicolaus primus. At improbatio eſt admodum macilenta: *Licet non benefaciat Arctardus.* Quòd nempè ejus factum non caruerit probabilitatis fundamento, atque ita Pontifex noluerit plenè damnare. Quòd ejuſmodi ordines, non ſolùm quoad executionem, ſed etiam quoad ſubſtantiam eſſe irritos docuerint quidam præſentis Sy-
A. 1084. nodi tempore, lucet ex Bertholdo Conſtantien-
1085. ſi. Omne extra Eccleſiam datum, excepto Baptiſmate, Sacramentum duxerunt irritum ac profanum. Quod in ſecundo adversùs Guibertum Anti-Papam libro conſtanter docet etiam Sanctus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis. Et hinc de Hugone Dunelmenſi Epiſcopo, ejuſque Eboracenſi Metropolita Gaufredo ſcribit Rogerus Fol. 713.
Hovedenſis: *Archiepiſcopus Altaria, ubi Dunelmenſis Epiſcopus excommunicatus celebraverat, ſubvertit, & calices, in quibus celebraverat aliquis eo præſente in ſua Diœceſi, fregit.* Et ad Hugonem, Cantuarienſem Sancti Auguſtini Abbatem, ejuſmodi portatilia Altaria conſuetum frangere, ſcripſit Eugenius tertius: *De Altaribus geſtatoriis, in quibus excommunicati Divina officia celebrarunt, rigorem illum, quem tenere conſueviſtis, volumus obſervari.* Exſtat Epiſtola apud Guilielmum Thorne ejuſdem Cœnobii Monachum, qui & A. 1149.
ſcribit de Simone Wellenſis Eccleſiæ Archidiacono: *Archidiaconus Altaria diruit, Eccleſiam reconciliavit, ipſas etiam Pallas & Corporalia fecit comburi, & calices conflagrari.* Quod excommunicati in ipſis celebraſſent. Quòd excommunicati Euchariſtiam conficere non poſſint, disertè docet in quarto ſententiarum libro Petrus Lom- Dist. 13.
bardus. An validos dent ordines, etiam diſputat, & obſcurè omnia involvit. Quin immò Cardinalis Benno ſcribit: *Numquam etiam unius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua neceſſitate baptizari, vel ab excommunicatis baptizatus, & continuò mortuus creditur ſalvari.* Et aſſertionem ſuam firmat ex neſcio quo Canone Chalcedonenſi. Ejuſmodi errores tunc ambulabant per Eccleſiam, ideoque ipſos diſcutere ex cauſis nolens noſter Gregorius, datos ab excommunicatis ordines eſſe irritos ſanxit voce ambigua, non exponens an de ſubſtantia, an de ſola executione ſanciret. Quin ipſos quoad ſolam executionem crediderit irritos, non eſt dubitandum. Et in Sancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi Decreto exſtat Urbani ſecundi ad Geberardum Conſtantienſem Antiſtitem Epiſtola, lucidè illos, dummodò dans inſuper Simoniacus non fuerit, affirmans quoad ſubſtantiam valere. Plura hujuſmodi dubia elucidavit poſteà Doctor Angelicus. Et hoc eſt unum è beneficiis, quæ ab ipſo Eccleſia accepit.

CANON III.

SAnctorum Prædeceſſorum noſtrorum Statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à Sacramento abſolvimus, & ne eis fidelitatem obſervent, omnibus modis inhibemus.

SCHOLION.

PAternum Gregorii quarti Canonem produxit in Belluacenſi Synodo Conon Præneſtinus Epiſcopus, Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinalis Legatus: *Prædeceſſorum noſtrorum Statuta ſequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento obſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à Sacramento abſolvimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, & ne eis anteà fidelitatem obſervent, prohibemus.* Etiam iſte, ſi tamen ſit auctor Canonis, Gregorius profitetur eſſe paternum Canonem, ideoque à ſe auctore non promanaſſe. Etenim Joannem Patriarcham Antiochenum, ejuſque pro Hæreſiarcha Neſtorio complices, Epheſina Synodus excommunicavit in hanc formam: *Hi nullam omninò Eccleſiaſticæ communionis facultatem habeant, ut ex auctoritate Sacerdotali cuiquam nocere vel prodeſſe poſſint, quos ſancta Synodus communi Decreto ab omni Eccleſiaſtica communione alienos eſſe ſtatuit, & omnem Sacerdotii efficaciam illis ademit,*

per

per quam aliquibus vel nocere vel prodeſſe poterant. Similem priorem excommunicationem laudat Synodalis ad Cœleſtinum Pontificem relatio, atque adjungit: *Illos excommunicationi ſubjecimus, omnique Sacerdotali poteſtate exuimus, ut nullum ſuis ſententiis lædere queant*. Quòd eos non degradaverit Synodus, lucet ex hiſce verbis: *Hoc*, utique degradationem, *tuæ Pietatis judicio reſervavimus*. Et in priori adversùm illos ſententia: *Ab Eccleſiaſtica communione alieni ſint, nullam habentes facultatem, tamquam ex auctoritate Sacerdotali, qua aliquibus vel detrimentum vel adjumentum adferre queant; donec ſe ipſos condemnantes, proprium delictum confiteantur. Id interim pro certo habentes, niſi celeriter hoc præſtiterint, fore ut perfectam ſententiam juxta Canonum Decreta incurrant*. Joannis apud Epheſum factio arrogarat ſibi generalis Synodi nomen, atque ita in illius Præſidem S.Cyrillum attentaverat degradationem, affirmans ipſum per edita in Neſtorium famoſa duodecim capitula eſſe Apollinariſtæ blaſphemiæ reſuſcitatorem. Quod ipſum elogium jaculata eſt in ſtrenuum Cyrilli cooperatorem, Memnonem Epheſinum Epiſcopum. Acacius Melitinæ Epiſcopus, ſecundæ Armeniæ Metropolita, & alii cum ipſo Synodi Primates, clamabant eſſe non Eccleſiaſticum judicium, ſed turbidum contumeliæ convitium, ideoque nec curandum, nec authenticè exſufflandum. Reverendum tamen cenſuerunt & Cyrillus & Memnon, ſegregarunt ſe à Synodo tamquam degradati, & non niſi per novos Romanæ Eccleſiæ Legatos abſoluti ac reparati, ad ipſam redierunt. Reveriti ſunt antiquam Eccleſiæ Regulam, quæ & injuſtam cenſuram mandat timeri. Et hanc inſolentem audaciam frœnatura Cœleſtini Pontificis laudata Legatio, Joanni ac ejus factioni injecit excommunicationis capiſtrum, atque ita omnem deinceps nocendi aut prodeſſendi eripuit illi auctoritatem, adeoque & omnes ab ipſa abſolvit. Et hoc juxta Decreta Canonum, utique Apoſtolicorum. Addit, *Donec ſe ipſos condemnantes, &c.* Quòd nempè excommunicatio auctoritatem iſtam non auferat, ſed dumtaxat ſuſpendat, donec per legitimam abſolutionem revocetur. Et hinc ſeptimus noſter Gregorius, dum Henricum Regem ab excommunicatione abſolvit, ſingulari Decreto ſuſpenſam retinuit Regiam auctoritatem. Fuit abſolutio truncata & manca.

Fol. 430.

Et hunc Canonem reſpiciunt Vaticana Alexandri tertii Pontificis Acta, quæ de ipſo ac de Imperatore Frederico primo, omnes ad Anti-Papæ Octaviani obedientiam compellente, hæc ſcribunt: *Cùm Beatus Alexander Papa Imperatorem benignè ac frequenter admonitum, à ſua perfidia non poſſet ullatenùs revocare, cum Epiſcopis & Cardinalibus in Cœna Domini apud Anagniam ipſum tamquam principalem Eccleſiæ perſecutorem excommunicationis vinculo ſolemniter innodavit, & omnes qui cum eo juramento fidelitatis tenebantur adſtricti, ſecundùm antiquam Prædeceſſorum Patrum conſuetudinem, ab ipſo juramento abſolvit*. Hujus Paternæ conſuetudinis exemplum adducit etiam in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius, ſcribens de Pippino Francorum Rege, & ſecundo Papa Stephano: *Pippinus præficitur genti primus non ignorabiliter, ſolvente eum à perjurio in Regem commiſſo, Stephano, qui & attondit Deceſſorem ejus Regem Hildericum*. Et Sanctus Martyr Theophanes: *Pippinus in Francorum gentem imperium obtinuit, cùm Stephanus eum à perjurii in Regem admiſſi metu abſolviſſet*. Et de Latino, qui Imperatori Michaeli Palæologo ligiam perpetuæ clientelæ cum multis Sacramentis profeſſionem fecerat, Achajæ Principe ſcribit Georgius Pachymeres: *Princeps manſiſſet perpetuò in fide pactorum, niſi Papa re audita pactum illud diſſolviſſet, juramentaque irrita declaraſſet*. Princeps enim, ut vinculis exſolveretur captivus, fuerat profeſſus, ideoque Papa profeſſionem irritarat. Et orthodoxum Latinum ſchiſmaticis Græcis noluerat obligari. Et hanc Papalem auctoritatem Græci omnino probant. Etiam adſcribunt ſuo Conſtantinopolitano Patriarchæ. Etenim de Patriarcha Arſenio, ac ejus Synodo, quæ Michaelem Palæologum, puero Joanni Laſcari horrenda profeſſum, dedit in Auguſta dignitate Collegam, ſcribit idem Pachymeres: *Hæc nunc omnia*, utique dira profeſſionis Sacramenta, *cætus Præſulum, ut telas aranearum, diſrupit ac fecit irrita*. Synodum notat, non quod ſine auctoritate, ſed quod ſine competenti cauſa proceſſerit. Illa enim innoxium puerum paterna in plenum Imperium hæreditate nec ſpoliare poterat, nec mutilare. Quòd etiam Michael Cerularius Imperatori Iſaacio Comneno dixerit, *Furne ego te exſtruxi, ego te deſtruam*, hoc eſt, quod ipſum degradare, adeoque & ſubditos à Sacramentis abſolvere fuerit minatus, teſtantur Joannes Schylitza & Michael Glycas. Et de Imperatore Conſtantino Duca uterque adjungit: *Cùm ſpiritum extremum duceret, ab omnibus ſcriptam cautionem exegit, qua pollicerentur numquam ſe Imperatorem ullum admiſſuros, extra quam ſuos filios. Et ipſam Imperatricem promittere coegit numquam ſe reſpecturam ad alias nuptias. Scripta cautio fidei Patriarchæ* Joannis Xiphilini *credita, ejuſdem ſtudio cuſtodiebatur*. Et tamen omnia hæc Sacramenta Xiphilinus ſolvit, Imperatricem Eudoxiam junxit Romano Diogeni, ac ipſum unxit in Imperatorem. Et de Andronico Comneno, Auguſti pueri Alexii parricida, & Imperii invaſore, ſcribit Nicetas Choniates: *Andronicus à Patriarcha ſuo & Concilio aliam gratiam petit, ut jure-jurando, quod Manueli Imperatori, & infelici ejus puero*, trucidato Alexio, *dederat, ſolvatur, ac cæteri unà, quos Sacramenti oblivio ceperat. Illi verò, quaſi abſque ullo diſcrimine & vinciendi & ſolvendi quemlibet poteſtatem accepiſſent, ſtatim litteris publicè adfixis impunitatem ſcelerum perfidis conceſſerunt*. Etenim hæc poteſtas data eſt in ædificationem, adeoque judicium requirit atque juſtitiam.

Fol. 141. Fol. 337. Lib. 1. c. 31. L. 2. c. 2. L. 1. c. 1.

CANON

CANON IV.

ET quoniam multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſententiam ad tempus, prout poſſumus, opportunè temperamus. Apoſtolica namque auctoritate anathematis vinculo hos ſubtrahimus: Videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos, & ſervientes, & omnes alios, qui non Curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur. Et illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut Orator, ſive Peregrinus, aut Viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, vel non habet undè emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis pro ſuſtentatione, non ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum Romæ in Eccleſia Domini Salvatoris, quinto nonas Martii, indictione prima.

SCHOLION.

Par 24. c.15. HUnc Canonem adducunt etiam Hugo Abbas Flaviniacenſis, Decretum Sancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi, ejuſdem ad Laurentium in Charitatis Cœnobio Monachum Epiſtola, Ep. 186. nec non & Cardinalis Benno, cum hac tamen lectionis differentia: *Et ſi quis excommunicatis, non pro ſuſtentatione ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus.* Et ità videtur omninò legendum. Canonem Hugo inſigniter laudat, acerrimè autem damnat Benno: *Hildebrandus non ſolùm Eccleſiæ perturbavit pacem, ſed etiam Eccleſiaſticam ſcidit unitatem, & unicæ fidei veſtem inconſutilem, dum Cæſarem & Epiſcopos communicantes Cæſari abſque judiciario ordine excommunicabat, & tertio gradu communicantes eis ab excommunicatione excipiebat nova pietate, quos hujuſmodi artibus & Regi ſubducere, & ſibi allicere feſtinabat. Dicant nunc Hildebrandi diſcipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare poſſint, quod ipſe Hildebrandus in Synodo generali hæretica prædicavit, prædicando excommunicatis communicare conſenſit, prædicata ſcripſit, prædicatione & Scriptis alteram Catholicam, alteram Excommunicatorum Eccleſiam faciens, unitatem ſcidit, & Scripta per orbem terrarum diſſeminavit, prædicando, ſcribendo, Scripta diſſeminando ſeipſum Hæreticum manifeſtavit, & ore proprio & confeſſione hæreſios non extorta, Divino urgente judicio condemnavit, dum vulgus Erronem ſanctum exiſtimaret, & Apoſtolis æquaret ſpiritum tanti erroris, cùm etiam prudentiores ejus laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem, ſi fieri poſſet, etiam Electi. Dicant Hildebrandi diſcipuli, qua præſumptione Magiſter eorum unitatem Eccleſiæ in duas vel tres partes diviſit? Si enim Cæſarem injuſtè, & abſque judiciario ordine damnavit, ſeipſum potiùs ab Eccleſia ſeparavit. Si verò juſtè excommunicationis gladium in Cæſarem, vel Epiſcopos communicantes Cæſari exercuit, quare communicantes ipſis Epiſcopis tertio gradu per Scripturam excipiendo abſolvit?* Hi ſunt præſentis Canonis exceſſus, ob quos Benno illi appoſuit hanc Epigraphem: *Decretum Hildebrandi, in quo à doctrina & fide Catholica aberravit.* Addit quòd ejus cauſa Romanæ Eccleſiæ Primicerius, Archidiaconus, aliique Primates ab illius ſe communione ſeparaverint. Ejuſdem mentis fuit in litteris adversùs Paſchalem ſecundum Pontificem Clerus Eccleſiæ Leodienſis: *Hildebrandus Papa, auctor hujus novelli ſchiſmatis, primò indiſcretè Henrico Regi faventes excommunicavit, ſed reprehendens ſe intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant neceſſaria & debita ſubjectione, non voluntate faciendi vel conſiliandi malum. Et hoc pro Decreto ſcripſit.*

Benno culpat duos exceſſus. Primus eſt, quòd Gregorius uxorem, filios, ſervos, aliaſque in Decreto expreſſas perſonas excommunicatis permiſerit abſque ejuſdem vinculi & ſcabiei incurſu communicare. Aſſeverat eſſe hæreticam novitatem. Probat ex libro Pontificali, ſcribente de Anaſtaſio ſecundo Pontifice: *Multi Clerici & Presbyteri ſe à communione Anaſtaſii erexerunt, eo quod communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occul-*

tè

tè *volult revocare Acacium, & non potuit*. Acacius ille fuit Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ob contumaciſſimam in Romana excommunicatione inſordeſcentiam auctor ſchiſmatis Acaciani. Ex iſta facti ſpecie Benno vult excommunicationis contagium eſſe adeò efficax ac inevitabile, ut ab ipſo Romanus Pontifex nec alios nec ſemetipſum valeat eximere. Eſt enim ab Apoſtolico per quintum Nicænum confirmato Canone, adeoque omninò obligat etiam Epiſcopum Romanum. Hinc Julium Pontificem, quod damnatum à ſe Athanaſium reſtituiſſet, excommunicati communione pollutum cenſuit Philippopolitanus Euſebianæ factionis conventus, ideoque & degradavit. Eadem de cauſa Sanctum Leonem Magnum in ſuo Nicæno Conventiculo excommunicatum declaravit Dioſcorus Alexandriæ Patriarcha. Quòd nempè per ſuum Epheſinum latrocinium damnato Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo ille ſine Canonica abſolutione communicaſſet. Erant calumniarum fuci. Ex ipſis interim videmus, quod iſtorum temporum diſciplina à damnatæ communionis contagio nec Romanum exciperet Pontificem. Hinc enim ad componendum Acacianum ſchiſma Gelaſius & Hormiſda Pontifices, non ſolius Acacii, ſed & ſucceſſorum Euphemii atque Macedonii nomina voluerunt radi de ſacris Eccleſiæ tabulis. Licet quarumdam Civitatum in hoſce duos benevolentia videretur ſine fuſo ſanguine iſtud non permiſſura. Orthodoxi enim fuerant Euphemius & Macedonius, ſoloque Acaciani nominis contagio maculoſi. Nec ad acerbiſſimas Anaſtaſii Imperatoris minas, nec ad ſucceſſoris Juſtini inſtantiſſimas preces diſpenſare aut connivere voluerunt laudati Pontifices, aſſeverantes ex tali diſſimulata communione fore maculandam etiam Sedem Apoſtolicam, & à prima iſta radice omnem ſub cælo Eccleſiam. *Hoc eſt*, inquit in litteris ad præfatum Principem Anaſtaſium laudatus Gelaſius, *quòd Sedes Apoſtolica magnoperè cavet, ut quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla rima pravitatis, nulla prorsùs contagione maculetur. Nam ſi, quod Deus avertat, quod fieri non poſſe confidimus, tale aliquid proveniret, undè cuiquam reſiſtere auderemus errori? Vel undè correctionem*
Epiſt. 8. *errantibus poſceremus*? In litteris ad Dardaniæ Epiſcopos affirmat hanc non de moribus aut diſciplina, ſed eſſe quæſtionem de religione ac fi-
Epiſt. 11. de, ideoque diſpenſationi aut conniventiæ non eſſe locum. Quod ipſum repetit in litteris ad
Epiſt. 1. præfatum Euphemium. Et ante datam pacem omninò fuerunt laudati Juſtini juſſu deleta omnia in excommunicatione defunctorum nomina, omneſque ipſorum communicatores ſolemniter ab excommunicatione per Hormiſdæ Pontificis Legatos abſoluti. Eidem principio inhæſit trium Capitulorum ſchiſma. Omnis ferè Occidentalis Eccleſia Apoſtolicam Sedem damnatis Chalcedonenſis Synodi damnatoribus communicare indignata eſt, pollutam credidit, ideoque ejus communionem eſt averſata. Hoc item in cardine pependit ſchiſma Felicis ſecundi adversùs Liberium, Urſicini adversùs Damaſum, & Luciferi Calaritani Epiſcopi adversùs omnem Latinam Eccleſiam. Liberii enim fautores Felicem, hujus pars illum dixerunt damnatorum Arianorum communione maculatum, ideoque & Eccleſia excidiſſe. Liberio faventes Fauſtinus & Marcellinus, Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, huic Urſicinum, Damaſum autem dixerunt ſucceſſiſſe, & ſemper communicaſſe Felici, ideoque fuiſſe Apoſtaticum, non Apoſtolicum. Habes hæc in præfatione precum, quas illi exhibuerunt Imperatori Theodoſio. Romanam Eccleſiam, quòd apud Ariminum lapſos Epiſcopos reparaſſet in gradum, ab eadem ſcabie purgari non poſſe credidit Lucifer, ideoque veram Chriſtianitatem eſſe contractam ad ſolam maſtrucam Sardorum. Quod ipſum fuit palmare argumentum Donatiſtarum. Hiſce igitur argumentis ſibi etiam Benno perſuaſit excommunicationis contagium eſſe adeò validum & firmum, ut ab ipſo Romanus Pontifex nec ſe ipſum, longè minùs alios poſſit eximere aut præſervare.

Verùm toto Cælo erravit. Etenim ad octingenteſimum octogeſimum octavum Domini annum celebrata Metenſis Synodus excommunicatorum communionem vitari mandat rigidiſſimè, atque adjungit: *Servis autem ac propriis libertis, ſive beneficiatis, venerabiles Epiſcopi* Can. 12. *in communione Dominorum abſolutionem dederunt*. Et ad ſexti ſæculi ſeptuageſimum octavum annum habita Synodus Antiſiodorenſis: *Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo, excommunicatum abſque voluntate ipſius, qui eum* Can. 39. *excommunicavit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducaverit, vel colloquium habere decreverit, ſimili ſententia ſubjacebit*. Excommunicanti Prælato facit poteſtatem indulgendæ communionis cum ſuis excommunicatis. Et quadraginta ante hunc Canonem annis celebrata Magalonenſis Synodus Cathedrali ibidem Baſilicæ dedit hoc privilegium: *Epiſcopi firmaverunt, quòd ipſa Eccleſia habeat legitimè, ut ſi quis pœnitens ad ipſam venerit, & abſtinendi ab Eccleſiæ introitu Præceptum in pœnitentiam habuerit, ipſam Eccleſiam licenter introeat, pacis oſculum liberè accipiat, & ſi quæ ſint ſimilia, præterquam Sanctam Euchariſtiam, quàm minimè accipiat*. Ipſi etiam excommunicato Epiſcopi iſti dederunt privilegium. Exſtat Decretum apud Philippum Labbeum in Catalogo Epiſcoporum Magalonenſium. Quòd etiam Sancto Bonifacio Francorum Apoſtolo Gregorius ſecundus licentia cum excommunicatis ac maculoſiſſimis Epiſcopis & Clericis communicandi dederit, lucet ex ejus litteris: *Colloquium & menſam communem cum eis* Epiſt. 9. *agere non recuſes. Plerumque enim contingit, ut* c. 12. *quos correctio diſciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum ſedulitas & admonitio blanda ad viam perducat juſtitiæ*. Eodem modo agendum ſuadet cum maculoſis Proceribus. Profeſſionem, quam de vitanda ſimili communione juraverat ad Sancti Petri corpus laudatus Bonifacius, Pontifex ita temperavit. Quod & confirmavit ſucceſſor Zacharias. Et hinc præſens ſeptimi noſtri Gregorii Decretum meritò probat ac laudat Bertholdus Conſtantienſis,

ſis, addens non fuiſſe perpetuum, ſed dumtaxat ad tempus. Quod tamen Decreti verba diſertè non edicunt. Quidquid ſit, ipſum confirmavit, aut certè innovavit Urbanus ſecundus, etiam laudatus à Bertholdo: Confirmavit quoad omnes à Gregorio expreſſos, qui tamen prava voluntate non communicarent. Addit Bertholdus iſtam damnatam communionem, adeoque & factam exceptionem multis miraculis fuiſſe à Deo comprobatam. Urbaniani Decreti partem Decreto ſuo inſeruit Sanctus Jvo Carnutenſis. Inter ejuſdem Urbani Canones eſt & hic: *Quibuslibet ritè ad Confeſſionem venientibus Euchariſtiam non denegamus; quos ſolo corpore, non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum Sacramentis communicare cognoſcimus.* Agit de Sancti Petri fidelibus, habitantibus in terra excommunicatorum Principum aut Epiſcoporum. Quòd iſtiuſmodi Laici domos ſuas, Monachi Monaſteria paſſim dereliquerint, atque ita ipſorum plurimi extremam pauperiem & plurimas calamitates pro Eccleſiaſtica obſervantia ſuſtinuerint, conſtat multis exemplis. Eos ſolatur adductus Canon, permittens ſolo corpore iſtic habitari, mandanſque à ſolis excommunicatorum Sacris abſtineri. Canonem aliqui adſcribunt Claromontano, quidam Concilio Placentino. Et hinc ad Geberardum Conſtantienſem, ac Odericum Paſſavienſem Epiſcopum, omnemque Germaniæ Clerum & populum ſcripſit Paſchalis ſecundus: *Quoſdam audivimus veſtrum minùs ſecundùm ſcientiam zelum Dei habere, ut dum pravorum commixtionem vitant, etiam à regionibus veſtris diſcedere meditentur. Qui profectò nequaquam laude Apoſtolica digni ſunt, qui in medio nationis pravæ & perverſæ perſeverare non poſſunt, inter quos luceant velut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Ejuſmodi fugam penitus improbat, lucidè confirmat laudatum Urbani Canonem, adjungitque & laudem atque confirmationem noſtri Canonis præſentis. Videtur præſertim agere in fugam plenorum Cœnobiorum, quorum erat infirmas populi animas ſtabilire.

Par. 14. c. 45.

Ep. 12.

Hoſce omnes Canones reſpexit in litteris ad Cruceſignatos, exſtantibus in vita ejus publicata per Dominum Franciſcum Boſquettum, etiam Innocentius tertius: *Eſt cautum in jure, quod ſi quiſquam per terram Hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum tranſierit, neceſſaria emere ac recipere ab eiſdem poſſit. Præterea, ſi Pater familias domus excommunicationis ſententia fuerit innodatus, à participatione ipſius familia excuſatur. Licet ergo Dux Venetorum, Dominus navium, tamquam Pater familias in excommunicatione perſiſtat, vos tamen tamquam ipſius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipſius excommunicatio non continget, & excuſabiles eritis apud Deum, ſi in excommunicatorum navibus exiſtentes, cum dolore cordis, ſub ſpe pœnitentiæ, excommunicatis ipſis communicaveritis, in quibus communionem eorum nequiveritis evitare.* E præſentibus Canonibus educit, & ſancit Sancto Petro fideles Cruceſignatos potuiſſe cum excommunicatis Venetis ſine contagii periculo in terram ſanctam navigare.

Fol. 80.

Et ipſos ſupponit eſſe non temporalem, ſed perpetuam atque immobilem Eccleſiæ legem. Et hinc lucet Catholicos Galliæ, Germaniæ, Angliæ, ac Belgii incolas atque advenas cum habitantibus iſtic Hæreticis poſſe liberè in civilibus tractare.

Infeliciſſima erant iſta tempora: Præſertim poſt Guiberti Ravennatis, quem appellarunt Clementem tertium, Antipapatum. Tunc enim non ſolus Henricus quartus Germaniæ Cæſar, ſed & Philippus primus Francorum Rex erat excommunicatus. Et uti Catholici Guibertinos, ita hi iſtos ducebant implexos eidem vinculo, atque hinc ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Scandala in Eccleſia, & in Regno augeſcunt diſſidia, dum alter ab altero diſſidet, dum Regnum & Sacerdotium diſſentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicationem aut ex cauſæ, aut ex perſonæ præjudicio contemnit, dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex ſuo libitu, quàm ex juſtitiæ reſpectu abutitur, auctoritas illius, qui dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, omninò deſpicitur.* Quod ipſum in edito adversùs noſtrum Gregorium libro de conſervanda Eccleſiæ unitate lamentatur Venericus Epiſcopus Vercellenſis. Erant enim & quidam neutrales, ſpernentes omnem utriuſque partis excommunicationem. Hoc igitur tempore Laurentius, apud Antiſiodorenſes in Charitatis Cœnobio Monachus, à Sancto Jvone Carnutenſi Epiſcopo varia poſtulavit. Primò, an pravæ communionis contagium poſſit incurri ab ignorantibus? Secundò, an excommunicatis poſſet aliquid donari, vel ab ipſis aliquid accipi? Tertiò, an ab Eccleſia accipi poſſit ipſorum oblatio? Quartò, an poſſint hoſpitio excipi? Timoratæ piorum fidelium conſcientiæ erant plenæ ſcrupulorum. Et ad primum laudatus Jvo reſpondit: *Excommunicati communio vitanda tantùm eſt ab his, ad quorum aures excommunicatio illa pervenerit.* Et ad ſecundum: *De dandis autem vel accipiendis muneribus erga tales perſonas hæc ratio mihi ſervanda videtur, ut nihil eis detur, niſi intuitu & compaſſione humanæ indigentiæ, neque ab eis aliquid accipiatur, niſi inevitabilis cogat neceſſitas, quod minimè fieri videatur cauſa familiaris rei augendæ, ſed tantùm cauſa neceſſitatis implendæ. Sic Iſraelitæ in terra Ægyptiorum bona, ſic in terra Madian ad uſus neceſſarios acceperunt res Madianitarum.* Vult ab excommunicatis emi aut accipi non poſſe niſi res neceſſarias, ideoque cum ipſis exerceri non poſſe mercaturas. Quod qualiter cum Urbani ſecundi, ab iſtorum Sacris dumtaxat abſtineri mandante, Canone cohæreat, non ſatis video. Et ad tertium reſpondet: *Donationes & conceſſiones excommunicatorum, quibus nec dicendum eſt Ave, propter infirmos vitandas eſſe confidimus; non quòd Dei creatura ex eis immunda fiat, ſed ne ſimplicium ex hoc infirmetur conſcientia, cum talibus conjecturis exiſtimant bonis eorum malefacta placere, vel quæ priùs abhorrebant mala non eſſe.* Antiquiſſimus Eccleſiæ Canon eſt: *Excommunicati oblatio non recipiatur.* Et ad quartum Sanctus Jvo reſpondet: *De excommunicato hoſpitio recepto ſufficere videtur, ſi hoſpes*

A. 1088.

Ep. 186.

pes qui eum ſuſcepit, contineat ſe ab excommunicati menſa & oſculo. Hæc omnia confirmat ex præſenti Gregorii Canone, quem & de verbo ad verbum adducit. Nec obſtat hic in noſtri Pontificis Dictatu articulus: *Cum excommunicatis à Papa nec in eadem domo debemus manere*. Dictatus enim agit de manſione, quæ ſit extra hoſpitalitatis charitatem, aut neceſſitatem ſervitii, obſequii, vel cohabitationis.

Hæc præſentis Canonis verba, *Ab Anathematis vinculo liberamus illos, qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis*, excommunicationis contagium, anteà conſuetum traduci in infinitum, contrahunt ad ſolam immediatè communicantem perſonam, & in tertiam nolunt deinceps derivari. Et hoc eſt alterum ejus caput, quod de fidei prævaricatione Cardinalis Benno eſt calumniatus. Verùm ſine fundamento. Quod enim iſtud contagium non niſi juxta excommunicantis Prælati arbitrium ſerpat, ſuprà audivimus à Synodo Antiſiodorenſi. Et hinc præſens etiam caput Urbanus ſecundus, Paſchalis ſecundus, aliique Succeſſores omninò confirmarunt. Et in hoc fundatur Sancti Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi ſcrupulus, quomodo per Henricum primum Anglorum Regem de exilio revocatus ſe gereret cum excommunicatis ob Laicam inveſtituram, & Regio lateri aſſiduè adhærentibus Epiſcopis atque Abbatibus. Quomodo in futura præſertim Regis coronatione huic, & non illis communicaret. Ob iſtam enim dumtaxat cauſam excommunicato Regi communicare poterat, quoad iſtos autem Antiſtites Pontifex nullo modo voluerat diſpenſare. Erat omninò res perplexa. Certè licentiam illam, quam Udoni Trevirenſi Archiepiſcopo quoad excommunicatum Imperatorem Henricum fuiſſe à Gregorio ſeptimo datam lau-
A. 1076. dat Lambertus Schafnaburgenſis, Sancto Anſelmo quoad excommunicatos Prælatos dare potuerat & Paſchalis ſecundus.

Scabioſum contagium ſucceſſores Pontifices adhuc ampliùs mitigarunt & contraxerunt: A proxima, niſi ſit in ipſo crimine, excommunicati communione ſtatuerunt contrahi ſolam excommunicationem minorem, ſuo loco exponendam. Prima hujus miſericordiæ rudimenta ſunt ab Urbano ſecundo. Quòd enim ignorantes excommunicatorum communicatores excommunicari noluerit, cenſuerit tamen aliqua ſcabie maculari, ideoque & abſolutione indigere,
A. 1089. affirmat Bertholdus Conſtantienſis. Quod quid eſt aliud, quàm minor excommunicatio? Poſterior diſciplina addidit etiam non incurri excommunicationem minorem, niſi major illius, cui communicas, excommunicatio ſit per Prælatum ſolemniter denuntiata. Omnis hæc res non eſt dogmatis, ſed diſciplinæ, ideoque per Eccleſiam poteſt ex cauſis diſponi variè atque mutari. Nec obeſt prò Bennonis calumnia adductus Sanctus Gelaſius: Agit enim non de contrahenda, ſed de excommunicatione jam contracta, quam certum eſt ſine abſolutione non poſſe diſſimulari. Agit de Acacii, Euphemii & Macedonii, in ſchiſmate defunctorum, recipiendis nominibus: Quod etiam certum eſt Chriſtiano dogmati repugnare.

Hunc Canonem laudat etiam & confirmat in litteris ad Geberardum Conſtantienſem Epiſcopum, ſuum in Germania Legatum, Paſchalis ſecundus. Severus Canonum cuſtos Geberardus & nominatim in Henriciano ſchiſmate excommunicatos, & quoſcumque ipſorum communicatores tractabat eodem modo, cenſebatque æqualiter ſcabioſos. Hinc ad ipſum Paſchalis: *Diverſarum voluntatum diverſus eventus agnoſcitur. Si quis enim crimînoſus, juxta Apoſtolum, vocatur, hujuſmodi omninò cavendus eſt. Eadem etiam cautela vitandi ſunt, qui excommunicatis ipſis aut actione, cum poſſunt, aut cum nequeunt, voluntate ſe copulant. Qui verò hujuſmodi excommunicatis omninò inviti, vel ſervitio, vel cohabitatione junguntur, ſi hujuſmodi imperfectionis dolore tanguntur, non omninò vitandi ſunt, nec tamen ad communionem ſine correctionis medio admittendi. Hinc eſt, quod Prædeceſſor noſter Sanctæ memoriæ Gregorius ſeptimus Papa excommunicatorum uxores, filios, ſervos, ruſticos, quorum conſilio vel voluntate excommunicationis meritum non perpetratur, viatores quoque ob eandem neceſſitatem invitos excomcatis communicantes, excommunicationis vinculo non teneri conſtituit, ſicut Beatus Auguſtinus ad Auxilium ſcribens evidenter oſtendit*. Diſtinguit eos qui opere aut voluntate communicant in crimine, & eos qui inviti per aliquam neceſſitatem aut infirmitatem communicant extra crimen: A ſolis prioribus plenum contagium, à poſterioribus adfirmat contrahi ſolummodò quamdam illius portionem. Ponit fundamentum, ex quo poſteriores Pontifices, antiquum Canonem largiùs moderati, introduxere excommunicationem minorem, & ipſam ſolam jam dictis poſterioribus inflixerunt. Interim à Gregorio inductum, quod Geberardus videtur non probaſſe, pro variis perſonis temperamentum plenè confirmat. Hanc Epiſtolam ex Vaticano cenſuum libro vulgavit D. Cardinalis Baronius. A. 1106. n. 36.

S. GREGORII VII. QUINTUM ROMANUM CONCILIUM.

HÆc Synodus habita eſt eodem anno, & de ipſa habet Gregorii Regeſtum: *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ ſeptimi ſexto, duodecimo Kalendas Decembris, indictione ſecunda, celebrata eſt Romæ Synodus in Eccleſia Sancti Salvatoris pro reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ. In qua inter alia excommunicatus eſt Conſtantinopolitanus Imperator, aliique qui ſubſcripti habentur. Juraverunt quoque Legati Henrici & Rudolphi, quiſque pro ſuo Domino, quod nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Theutonico Regno habendum impedirent. Conſtituta etiam ſunt illic ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ quædam Capitula, quæ in ſequentibus denotantur.* Duodecim ex his Capitulis Virdunenſi ſuo Chronico inſeruit, ac plurimùm laudat Hugo Abbas Flaviniacenſis.

CANON I.

QUicumque militum, vel cujuſcumque ordinis vel profeſſionis perſona prædia Eccleſiaſtica à quocumque Rege, ſeu ſæculari Principe, vel ab Epiſcopis invitis ſeu Abbatibus, aut ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus ſuſceperit, vel ſuſcepit, vel invaſit, vel etiam de Rectorum privato ſeu vitioſo conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia Eccleſiis reſtituerit, excommunicationi ſubjaceat.

SCHOLION.

QUòd Eccleſiarum ac Monaſteriorum bona militibus ſuis in beneficium donare cœperit Carolus Martellus, ipſum cum anima & corpore ardere in perpetuis gehennis viderit Sanctus Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus, ideoque ejus filius Carolomannus ſit factus Monachus, & hujus frater Rex Pippinus eadem bona reſtituere cœperit, ſuprà oſtenſum eſt, conFol. 107. firmatque laudatus Hugo Flaviniacenſis. Eadem rapina poſt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala immaniter revixit, compeſcere conatus eſt Gregorius ſextus, & de ipſa ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſcribit Sanctus Petrus Damiani: *Inter omnia Eccleſiæ mala illud exLib. 1 Ep. 10. cedit, & Diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, quia prœdiis in militiam profligatis, omnique poſſeſſione terrarum, inſuper etiam & Decimæ ac Plebes adduntur in beneficium ſæcularibus. Quæ profectò liberalitas inhoneſta eſt, & indigentibus adimit undè vivant, & Diœceſanos etiam deterret, ut Decimas non perſolvant. Una ſcilicet res & illis ſubtrahit corporale ſubſidium, & iſtis periculum providet animarum. Quod totum in malè munifici caput redundare, nulli dubium eſt: Si tamen eum ad hoc propria vanitas trahat, non neceſſitas antiquæ compellat. Et quidem plurima ſuppetunt, quæ de Epiſcoporum multiplicibus ærumnis apponerem, niſi me epiſtolaris compendii regula prohiberet.* Agit in Epiſcopos laico Palatinorum patrocinio promotos: Hi enim in ſuos apud Principem Promotores cogebantur vel inviti ſuarum Eccleſiarum poſſeſſiones, immò & Decimas profundere, atque cum ſubditorum pauperum corporibus perdere proprias animas. Et de iſtis ipſis Palatinis pergit laudatus Petrus in alia ad eundem Pontificem Epiſtola: *Tam immanis preſſuræ calamitas* Ep. 25. *incumbit Eccleſiis, ut tamquam Babylonicæ legionis acies circumfuſa, & Hieruſalem cum ſuis civibus videatur obſeſſa. Sæculares enim quilibet Eccleſiaſtica jura corrodunt, ſalaria ſubtrahunt, poſſeſſiones invadunt, & ſic ſtipendia pauperum velut hoſtium ſe reportare manubias gloriantur.* Quam miſeriam lamentatur in variis Epiſtolis, aſſerens

etiam Abbates, ne Monaſteriorum bona diripiantur, eſſe quaſi ſæcularium ſervos. Adelaidem Lib. 6. Ep. 8. Sabaudiæ Comitiſſam, quòd Eccleſias non diriperet, mirificè extollit, atque ita profitetur iſtam rapinam fuiſſe aliis Principibus communem. Lib. 7. Ep. 16. Et de Wernero Comite, Henrici quarti Regis adhuc impuberis Rectore, ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: A. 1064. *Wernerus Comes villam Monaſterii noſtri, quæ dicitur Kirchberg, inconſulto Abbate, à Rege petiit & impetravit*. Et rursùm. *Meginardus Abbas Augienſis dignitate ſua ultrò ſe abdicavit, offenſus importunitate Regis, qui frequentibus eum Edictis urgebat, ut prædia Monaſterii, quæ tam ejus, quàm priorum Abbatum largitione dilapidata,* A. 1071. *vix jam ad uſus Fratrum ſufficere poterant, militibus ſuis in beneficium erogaret*. Et de Dedi filio Ducis Saxonum, miſerrimè occiſo: *Quis necis auctor fuerit, non ſatis conſtat.* A. 1069. *Illud haud dubiè liquet, Monaſteria & Eccleſias, moriente illo, magna formidine exoneratas eſſe, cum mentibus omnium certiſſima opinio inſediſſet, eum augendarum opum ſtudio, non Deo, non homini parciturum*. Et de præſenti inter Gregorium noſtrum & Regem Henricum diſcordia Chronicon Auguſtenſe: *Laici Clericorum & Eccleſiarum poſſeſſiones diripiunt, inter ſe prædas & mutua incendia exercentes*. A. 1077. De Guilielmo item primo Anglorum Rege ſcribit Guilielmus Thorne: A. 1067. *Guilielmus videns ſe in ſublimi poſitum, & in Regni ſolio confirmatum, ſubitò ad alium virum mutatus de Rege factus eſt Tyrannus, expulſiſque Regni Nobilibus, Epiſcopis, Comitibus, Abbatibus, & Clericis multis, eorum poſſeſſiones & prædia dietim ſuis diſtribuebat Normannis*. Et infrà: *Guilielmus in multis promiſſa violavit. Monaſteria totius Angliæ perſcrutari fecit, & pecuniam ſimul & chartas, in quarum libertatibus Nobiles Angliæ confidebant, & quas Rex in arcto poſitus obſervaturum ſe juraverat, ab Eccleſiis, ubi in ſecuro jacuerant, auferri præcepit, & in ſuum ærarium inferri*. Eandem violentiam fuiſſe in Gallia graſſatam teſtatur per varias Epiſtolas Sanctus Jvo Epiſcopus Carnutenſis. Et hanc omnem præſenti Canone damnatam noſter Gregorius eſt conatus eradicare.

CANON II.

SI quis Nortmannorum, vel quorumlibet hominum, prædia Monaſterii Sancti Benedicti Montis-Caſſini invaſerit, vel quaſcumque res ejuſdem Monaſterii injuſtè abſtulerit, & bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, donec reſipiſcat, & Eccleſiæ ſatisfaciat.

SCHOLION.

CAſſinenſe Cœnobium non ſolùm fundis & maſſis, ſed pluribus etiam civitatibus opulentum, ideoque ab iſtic hoc tempore dominantibus Nortmannis fuiſſe frequenter læſum, oſtendit in ejus Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus, Lib. 3. c. 45. 46. & addit de præſenti Canone: *Eodem tempore Roſellanæ Eccleſiæ Pontifex, ad hoc Cœnobium veniens, non parvam pecuniæ Summam in hoc loco depoſuit. Quod ubi Jordano Principi Capuæ relatum eſt, miſſis militibus, eam de Secretario Eccleſiæ abſtrahi, & ad ſe præcepit adferri. Ad hæc Fratres inquiunt, pecuniam quæ Patri Benedicto credita eſt, nos nulli omninò viventium damus; verùm in Secretario poſitam, qui præſumpſerit, tollat. Milites Diabolico furore debriati pecuniam de Secretario auferunt, ac abſtractam ad Principem deferunt. Tantum verò, & tam immane, inauditumque facinus dum Gregorii Papæ perveniſſet ad aures, hujus temeritatis noxam inultam eſſe non ferens, & verens ne hoc rurſus exemplo Eccleſia noſtra violaretur, Divinum officium in Eccleſia Patris Benedicti interdixit, Altariaque omnia nudari fecit, aſſerens in tanto ſcelere nimiæ negligentiæ & damnandæ formidinis Deſiderium Abbatem ac fratres argui meritò poſſe, ſeque adversùs congregationem noſtram ſeveriùs commovendum, niſi ea, qua ſemper locum iſtum dilexerat, charitate teneretur. Siquidem tolerabilius eſſe villas & caſtella juris veſtri in prædam & direptionem dari, quam ſanctum locum, ubique famoſiſſimum, tantæ ignominiæ ſubjacere. Sed non diu Divina ultio eſt dilata. Nam princeps tanti auctor ſceleris, poſtquam pecuniam tulit Eccleſiæ, lumen amiſit. Indè verò Gregorius in Concilio præſidens conſtituit, ut ſi quis Nortmannorum, vel quorumlibet hominum, prædia, villas, poſſeſſioneſque Monaſterii noſtri Caſſinenſis invaſerit, & ſecundò ac tertiò admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, quouſque ſatisfaciat*. Exſtat Gregorii noſtri graviſſima ad dictum Jordanum Epiſtola, hoc ipſum cum aliis facinus acerrimè damnans, jubenſque emendari. Et quòd Jordanus emendaverit, pluresque ſuas rapinas Sancto Benedicto reſtituerit, pluribus refert laudatus Leo. Et hunc Canonem, quòd univerſalem Eccleſiæ diſciplinam non tangat, prætermiſit Hugo Flaviniacenſis.

CANON III.

QUoniam inveſtituras Eccleſiarum contra Statuta ſanctorum Patrum à Laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Eccleſia oriri, ex quibus Chriſtiana religio conculcatur, decernimus ut nullus Clericorum inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus Laicæ perſonæ, viri vel fœminæ, ſuſcipiat. Quòd ſi præſumpſerit, recognoſcat inveſtituram Apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjacere.

SCHOLION.

Cap. 46. HUnc Canonem laudat etiam Leo Epiſcopus Hoſtienſis: *In eadem Synodo conſtitutum eſt, ut qui à Laico inveſtituram Eccleſiæ acciperet, anathemate uterque plecteretur, qui ſcilicet daret, & qui acciperet.* Conſtitutum, ſeu potiùs innovatum atque confirmatum eſt adversùs ignorantiam; quàm de primo Gregorii noſtri Decreto Gerardus Cameracenſis Electus, & alii hinc inde Epiſcopi ad purgandam acceptam inveſtituram allegabant. Et præſertim adversùs contumaciam, qua Henricus Germaniæ, Philippus Galliæ, Guilielmus Angliæ Rex, aliique Principes pertinaciter pergebant inveſtire. Quod enim non ſoli Reges, ſed & inferiores utriuſque ſexus Principes inveſtirent, lucidè affirmat noſter Canon, & ſuprà eſt latè oſtenſum. Nec eis deerant defenſores Epiſcopi, nec parati ad conſecrandum Metropolitæ. Hoc enim tempore Godefridi Ducis Capellani in Lotharingia, Waleramus Naumburgenſis Epiſcopus in Germania, Venericus Vercellenſis inveſtituras pertinaciſſimè tutabatur in Italia, quin & de Deſiderio Caſſinenſi Abbate, ac Romanæ Eccleſiæ Cardinali, jam in Gregorii noſtri Succeſſorem Victorem tertium electo, ſcribit ad Mathildim Comitiſſam Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis: *Decreta Domini ſui Papæ Gregorii, aliorumque ſanctorum Patrum, non ſolùm verbo apertè improbavit, verùm etiam manifeſtis operibus poſteà deſtruxit.* Et ſuprà: *Henricus Rex ad invadendas terras Beati Petri, niſi Deſiderii conſilio & perſuaſione animaretur, numquam tranſiiſſet.* Adeò illum non ſine fundamento Gregorius circa Roſellanæ Eccleſiæ rapinam habuit ſuſpectum de conniventia. Exſtat Epiſtola iſta apud Hugonem Flaviniacenſem. Et de Cameracenſi per Gerardi, qui acceptam ab Henrico quarto inveſtituram in Hugonis Dienſis Epiſcopi Auguſtodunenſi Synodo abjuraverat, Epiſcopi mortem vacante Eccleſia ſcribit ad Raynaldum Metropolitam Remenſem Urbanus ſecundus Pontifex: *Electum ſuum Manaſſem non niſi per ejuſdem Regis excommunicati atque hæretici manum ſuſcipere voluerunt.* Adeò fuerunt pertinaces, ut Atrebatenſem Eccleſiam à ſe diſmembrari, & proprio donari Epiſcopo maluerint, quàm damnatis inveſtituris renuntiare. Quin & rejecto Manaſſi poſt ſolemniter profeſſam Romani Decreti obedientiam ſubrogatus Gualterus ſe etiam inveſtiri fecit, atque ideò à Claromontana laudati Pontificis Synodo fuit degradatus. Quòd Ep. 66. item Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus, utpotè & ipſe à Philippo Francorum Rege inveſtitus, inveſtituræ damnationem improbaverit, lucet ex ejus litteris ad Hugonem Primatem Lugdunenſem. Hæc tanta Epiſcopalium ſententiarum circa rem tantam diſcordia concitavit motus, de quibus apud Lucam Dacherium Chronicon Epiſcoporum Metenſium: *Herimannus Epiſcopus in* Tom. 5. *Eccleſia Sancti Petri eſt ſepultus. Præſidente univerſali Eccleſiæ Gregorio ſeptimo, vacillante Imperio. Obiit quarto Nonas Maji. Et ceſſavit Epiſcopatus multis annis. Cum itaque more ſæculi velut Africo & Aquilone fluctuaret, Catholici Metenſes, terrorem poſtponentes Imperialem, ex Eccleſia Trevirenſi Domnum Popponem, perſonam nobilem, Catholicis conſentientem, elegerunt Pontificem, celebrata conſecratione ipſius à Legato Apoſtolicæ Sedis. Poteſtas Imperialis alium, ſcilicet Adelberonem, ſubinducere nitens; Metenſes firma fide reſtiterunt. Et ſicut pridem duos intruſos, Brunonem & Gualonem expulerunt, ſic & tertium Adelberonem non ſine multo labore ac periculo ſuarum rerum, excommunicatum depoſuerunt. Huic certamini velut ſignifer imperterritus, & in omni conflictu intrepidus Domnus Adelbero, poſt Trevirenſium Archiepiſcopus glorioſus, de gradu in gradum promotus, ab ipſa, ut ita dicam, pueritia pro fide Catholica in caſtris Eccleſiæ militavit, donec ex ſchiſmate trophæum pacis invexit Eccleſiæ.* De hoc motu exſtat apud Jacobum Gretzerum Henrici Regis Epiſtola ad Robertum Epiſcopum Bambergenſem: *Notum eſt tibi, quanto periculo tota fluctuet Eccleſia, quantus error in omni ſurgat Saxonia, quanta deſolatione nobilis illa Metenſis penitus deſtruatur Eccleſia. Et non ſolùm ibi, ſed & in diverſis partibus Eccleſia noſtri dividitur Imperii. Igitur conſilio noſtrorum fidelium ſtatuimus fieri Moguntiæ colloquium in Dominico die ante proximum Sancti Andreæ feſtum.* Indictum fuit iſtud colloquium *ad componendos novos errores*,

utique

utique de inveſtitura. Quales & quanti motus etiam in Anglia fuerint, docent plures Epiſtolæ Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis. Ad illos igitur componendos præſentem denuò Canonem emiſit noſter Gregorius.

Nec ſine fructu. Ex hujus enim Canonis reverentia Petrus Comes Melgorienſis Gregorio noſtro ac Sedi Apoſtolicæ dedit Comitatum Subſtantionenſem, ac Epiſcopatum Magalonenſem, & donationis inſtrumento indidit hunc articulum: *Sit in poteſtate Romani Pontificis, in Epiſcopatu Magalonenſi quem placuerit Epiſcopum juſtè & Canonicè ordinare, & per eam auctoritatem ei liceat Magalonenſi Eccleſiæ, juxta conſtitutiones & Decreta Sanctorum Patrum, perſonam probabilem & idoneam ad regendum populum & res Eccleſiaſticas; liceat, inquam, ex hoc & deinceps, qualem diximus, probabilem ſcilicet & idoneam perſonam in Epiſcopum eligere abſque ulla mei vel alicujus hæredum, aut Succeſſorum meorum contradictione.* Exſtat Decretum in Magalonenſium Epiſcoporum Catalogo, publicato per Philippum Labbeum. Ibidem habes Comitatum iſtum poſteà ab Urbano ſecundo datum Cathedræ Magalonenſi. Ex eadem reverentia fecit Flandrenſium Comes Robertus Hieroſolymitanus, quod ad ejus uxorem Clementiam ſcribit Sanctus Anſelmus: *Relatum mihi eſt, quoſdam Abbates in Flandria ſic conſtitutos, ut Comes vir veſter nullam eis manu ſua daret inveſtituram.* (Lib. 3. Ep. 59.) Clementia hæc fuit Guilielmi Burgundiæ Ducis filia, neptis Roberti Francorum Regis, ſoror Calixti ſecundi Pontificis, qui peſſimas de inveſtitura lites tandem cum Henrico quinto Imperatore compoſuit & exſtinxit. Roberti Comitis pietatem etiam alii Principes fuerunt imitati.

Quæſtio eſt, An hic ſit ille Canon, quem in ſecundo ſuo opuſculo, & in litteris ad Raynaldum Andegavenſem Epiſcopum laudat Goffredus Abbas Vindocinenſis? *Qui cognoſcere voluerit, quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia de inveſtitura ſenſerit, quid docuerit, quid judicaverit & conſtituerit, legat in primo Capitulo illius Concilii, quod tempore Gregorii ſeptimi Papæ factum eſt.* (Lib. 3. Ep. 11.) *Et ibi omnes Clericos, qui de manu Laici inveſtituram accipiunt, hæreticos vocatos, & ideò damnatos eſſe & excommunicatos inveniet. Licet enim alia hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca, iſta tamen, quæ de inveſtitura dicitur, contra Sanctam Eccleſiam fortiùs jaculatur. Ibi enim imprimis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc, quod unicuique à ſuo Conſecratore in Eccleſia cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, à ſæculari Poteſtate priùs accipitur.* Reſpondeo non eſſe. Nec enim primus hic eſt hujus Synodi Canon, ſed tertius. Et nullam hæreſeos facit mentionem. Nullam item facit ſecundæ Synodi ſupra adductus ex Hugone Flaviniacenſi, & infrà repetendus Canon, licet forſan fuerit alicubi primus. Quinimmò, licet in litteris ad Aquilejenſem Eccleſiam noſter Gregorius ſcribat inveſtitos Antiſtites non intrare per oſtium, ſed tamquam fures ac latrones aliundè inſilire, numquam tamen legitur accuſaſſe de hæreſi, nec inveſtituram ità titulaſſe. Ejuſmodi item Gregoriani Decreti nulla eſt apud Authenticos ſcriptores memoria. Doctiſſimum Goffredum in tanto ſui temporis negotio erraſſe quis vel ſuſpicetur? Ejus mentem colligo ex hiſce in laudatis opuſculo & Epiſtola verbis: *Hæc præterea hæreſis de inveſtitura, ſi rectè perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe, viva & vera ratione probatur.* Pluribus id conatur demonſtrare. Quidquid de Simonia dicitur, dici vult etiam de inveſtitura, ideoque hæreſim, quam Simoniæ frequenter impingit noſter Gregorius, impingi etiam inveſtituræ.

Et quidem Laicam Antiſtitis aut cujuſcumque Clerici inveſtituram eſſe veram hæreſim, conſtanter defendit etiam Bruno Caſſinenſium Abbas, & Signinus Epiſcopus. In datis ad Paſchalem ſecundum, qui Henrico quinto Imperatori apud Caſtellanam civitatem captivus reddiderat damnatas & à ſe & à ſuis Anteceſſoribus inveſtituras, litteris ſtudioſè ſe purgat de ſiniſtro in Pontificem adſectu & quavis maledicentia, adfirmat ſe de ipſo degradando non cogitare, atque adjungit: *Conſtitutio tua, qua videlicet inveſtituras ante damnaveras, & conſtitutio Apoſtolorum una eſt, & ipſa multùm laudabilis. Apoſtoli enim illos omnes damnant, & à fidelium communione ſegregant, quicumque Eccleſiam per ſæcularem Poteſtatem obtinent. Laici enim, quamvis Religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam habent poteſtatem. Similiter & conſtitutio tua, quæ de Apoſtolico fonte manavit, omnes illos Clericos damnat, & à fidelium communione ſeparat, quicumque de manu Laici inveſtituram ſuſcipiunt, & quicumque eis manum imponunt. Ea namque conſtitutio tua & Apoſtolorum ſancta eſt, Catholica eſt: Cui quicumque contradicit, Catholicus non eſt. Illi enim ſunt Catholici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei & doctrinæ non contradicunt. Sicut contrà illi ſunt hæretici, qui Catholicæ Eccleſiæ fidei & doctrinæ obſtinato animo contradicunt.* Urget è vulgaribus Apoſtolicis trigeſimum primum Canonem, adfirmat ipſum eſſe Apoſtolicum dogma, ideoque citra hæreſim non poſſe adversùs ipſum decerni, atque proſequitur: *Hanc igitur tuam & Apoſtolicam conſtitutionem, Pater venerabilis, iterùm confirma, hanc in tua Eccleſia, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, palàm & cunctis audientibus prædica. Hanc hæreſim, quam tu ipſe hæreſim eſſe ſæpè dixiſti, Apoſtolica auctoritate damna, & mox videbis totam Eccleſiam tibi eſſe placatam: Mox omnes videbis ad tuos pedes confluentes, & magna lætitia ſicut Patri & Domino obedientes.* Quotquot enim Laicam inveſtituram cenſebant hæreſim, à Paſchalis obedientia & communione ſe ſubduxerant, volebantque ejectum ac degradatum. Hæc omnia Bruno adfirmat non poſſe componi, niſi Papa ſuum factum circumducat, damnet, ac abjuret. Etiam ad Petrum Portuenſem Epiſcopum, qui cum Paſchali captivus fuerat, ſcripſit: *Audivimus quod quidam de fratribus noſtris non ſolùm non damnent ea, quæ modò contra Sanctam Eccleſiam facta ſunt, verùm etiam ſatis impudenter defendere conentur. Omnis autem, qui hæreſim defendit, hæreticus eſt. Nemo autem hanc non eſſe hæreſim dicere poteſt, quam ſancta & Apoſtolica Eccleſia in multis Conciliis hæreſim*

reſim nominavit. Et illæ quidem ſpecialiter dicuntur eſſe hæreſes, quæ in Conciliis judicatæ & damnatæ ſunt. Quidam inveſtituras adfirmabant non ſpectare ad dogma, ſed ad diſciplinam, eſſe rem adiaphoram, ideoque ſine perjurio non poſſe à Paſchali ſuum factum recantari. Paſchalis enim Imperatori Henrico non tantùm reddiderat inveſtituras, ſed inſuper jurarat ipſas non auferre deinceps, aut damnare. Iſtam ſententiam Bruno damnat de impudentia: Adfirmat inveſtituras non ſolùm ab ipſo Paſchali frequenter, ſed inſuper à generalibus Conciliis fuiſſe damnatas. Et omne à generali Concilio damnatum cenſuit eſſe hæreſim. Hinc addidit: *Undè & Guibertus non immeritò Hæreſiarcha dictus eſt, ſimulque cum ſuis ſequacibus damnatus & excommunicatus.* Anti-Papam Guibertum, quòd à Synodis damnatus eſſet, vult fuiſſe veraciter hæreticum. Haſce Epiſtolas è Caſſinenſis Monaſterii Bibliotheca vul-
A. 1111. gavit D. Cardinalis Baronius.

Ejuſdem ſententiæ fuit Guido Viennenſis Metropolita, Paſchalis ſecundi in Gallia Legatus, ac poſtmodò Papa Calixtus ſecundus. Etenim in ſua Viennenſi, cui Sanctus Hugo ex Carthuſienſi Monacho Gratianopolitanus Epiſcopus adſedit, Synodo hæc ſtatuit: *Inveſtituram Epiſcopatuum & Abbatiarum, & omnium Eccleſiaſticarum rerum de manu laica, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritatem ſequentes, hæreſim eſſe judicamus. Scriptum illud, ſeu privilegium, quod à Domino Paſchali Papa violenter Henricus Rex de inveſtituris non ſpontè extorſit, in virtute Sancti Spiritus damnamus, atque irritum eſſe judicamus.* Notanda ſunt verba: *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ſequentes.* Edicunt quòd Guido hæc decreverit ex mandato ipſius Paſchalis. Hinc enim habet Synodalis ad Paſchalem relatio: *Sanctæ Paternitatis veſtræ mandata ſequentes, apud Viennam convenimus.* Et infrà: *Igitur dictante Spiritu Sancto, inveſtituram omnem rei Eccleſiaſticæ de manu laica eſſe hæreſim judicamus. Scriptum illud, quod Rex à veſtra Simplicitate extorſit, damnamus.* Inveſtituram judicarunt hæreſim, & tamen ejus indultorem Paſchalem non judicarunt hæreticum: Quòd nempè non ſciens, ac pertinax, ſed per ſimplicitatem circumſcriptus deliquiſſet. Hinc pergit Synodalis Epiſtola: *Illud etiam cum debita reverentia veſtræ ſuggerimus Pietati, quod ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc, ſicut rogamus, confirmaveritis, ſi deinceps ab ipſius crudeliſſimi tyranni, & Nuntiorum ejus litteris, locutione, muneribus abſtinueritis, unanimiter nos, ſicut decet, habebitis filios ac fideles. Si verò, quod minimè credimus, aliam viam adgredi cœperitis, & noſtræ Paternitatis adſertiones prædictas roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtra ſubjectione & obedientia repelletis.* Adfirmat Paſchalem deinceps non ex ſimplicitate, ſed ex plena ſcientia & contumacia peccaturum, ideoque tractandum uti hęreticum, à cunctis deſerendum ſine communione atque obedientia, & tandem degradandum ac ejiciendum. Per omnia ſentit & loquitur cum Brunone Signienſi Epiſcopo. Ejuſdem ſententiæ fuiſſe etiam Joannem Lugdunenſem Archiepiſcopum, & alios plures Antiſtites ac Doctores, eſt alibi oſtenſum.

Reſpondeo tamen inveſtituram non eſſe hæreſim. Et ita conſtanter tenuit, etiam poſt relatam Viennenſem Synodum, Paſchalis ſecundus. Apud Caſtellanam civitatem captivus duo dederat Imperatori Henrico, & ſacramento firmarat: Ipſum ob hanc captivitatem numquam excommunicare, & ob inveſtituras numquam inquietare. Et in ſecunda ſua Romana Synodo ſuum factum circumduxerat ac damnarat, ſed adjunxit: *Ego tamen Henricum numquam anathematizabo, numquam de inveſtituris inquietabo.* Adſidentes Epiſcopi, licèt conſtantiſſimè adſeverarent iſtud juramentum fuiſſe & extortum & Herodianum, aliud non potuerunt extorquere. Certè Paſchalis, ſi inveſtituram credidiſſet hæreſim, debuerat Henricum ob ipſam inquietare, & declarare excommunicatum. Eadem repetivit in tertia Romana Synodo: *Feci ut homo, quia pulvis ſum & cinis. Fateor me malè egiſſe. Sed rogo vos omnes, Orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum Scriptum, quod in tentoriis factum eſt, quod pro pravitate ſua Pravilegium dicitur, condemno ſub perpetuo anathemate.* Et Bruno Signinus Epiſcopus repoſuit: *Gratias agamus Omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paſchalem, qui præſenti Concilio præſidet, audimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem & hæreſim continebat. Si privilegium illud hæreſin continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit.* Bruno perſtitit in priori ſua ſententia. Verùm Joannes Cajetanus Epiſcopus fuit ab iſto ſuffragio motus ad iram, ac repoſuit: *Tunè hîc, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum, quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, ſed hæreſis non fuit.* Aculeata Brunonis verba excitarunt & ipſum Paſchalem, ideoque pergunt Acta Synodalia: *At patientia Domini Papæ, horrendo hæreſis nomine pulſata, expergefacta eſt, & manu ſilentium indicens, diſſidentium clamores & murmura tali oratione compoſuit. Fratres & Domini mei audite. Eccleſia iſta numquam habuit hæreſin; immò hìc omnes hæreſes ſunt conquaſſatæ. Hìc Ariana hæreſis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata eſt. Ab hac ſede hæreſis Eutychiana & Sabelliana contrita: Photinus, cæterique hæretici deſtructi ſunt. Pro hac Eccleſia Filius Dei in ſua Paſſione oravit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Brunoni adſtipulabantur plures Epiſcopi: Et ipſos ex ſeptimi Gregorii pro Romanæ Eccleſiæ circa fidem infallibilitate Dictatu compeſcuit Paſchalis, atque ita Dictatum innovavit ac ſtabilivit. Et certè ſanctiſſimi etiam Epiſcopi atque Abbates per plura ſæcula permiſerunt ſe inveſtiri à ſuis Regibus: Nec ullus fuit illis ſcrupulus de hæreſi. Et apud Henrici Caniſii antiquas lectiones exſtat Epiſtola, qua proximus ſeptimi Gregorii Anteceſſor Alexander ſecundus permittit, ut Geberardus Saliſburgenſis Archiepiſcopus novum in ſua Diœceſi Epiſcopatum erigat, ſupponitque novum iſtic Epiſcopum *per inveſtituram, ut dici adſolet*, promovendum. Etenim primus, qui Laicam inveſtituram ſubire noluit, fuit Sanctus Anſelmus, proximus laudati Alexandri Succeſſor in Lucenſem Eccleſiam.

Et

Et tamen ipſam poſtmodò ſuſcepit. Et quidem ex adſenſu, non ſolius Alexandri, ſed & ipſius Gregorii. Adeò horum nullus cenſuit iſtic latere hæreſin.

Præterea, laudati Gregorii & Succeſſorum adversùs inveſtituram Decreta fuerunt pro ſola Occidentali Eccleſia, nequaquam pro Orientali. Apud hanc primus inveſtituræ auctor fuit Imperator Conſtantinus Caballinus, ipſamque omninò proſcripſit ac abolevit ſeptima Synodus. Verùm ſine effectu. Græcorum Auguſti perrexerunt Regiæ urbis Patriarcham inveſtire. Etiam poſt Gregorii Decreta. Etenim in opere de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ac Aulæ officiis Georgius Codinus exponit Patriarchæ electionem, Electi introductionem ad Principem, atque proſequitur: *Reperto autem intra ſeptum Patriarchali ſceptro, Imperator capit illud, & magna voce ita fatur; Sancta Trinitas per Imperium nobis ab ipſa conceſſum conſtituit te Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, novæ Romæ, & Œcumenicum Patriarcham.* Et infrà: *Ad eundem modum ſine ulla variatione peragitur aliorum Patriarcharum proclamatio & deſignatio. Nimirùm Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Quin & Archiepiſcopi primæ Juſtinianæ Acridis, & totius Bulgariæ.* Et iterùm: *Archi-Mandritæ, & Proto-Syncelli, ſed & Præfecti venerabilium Monaſteriorum, poſtquam à Patriarcha electi ſunt, abeunt & ipſi ad Palatium, venerantur que Imperatorem, & ab Imperatoris manu accipiunt Sceptrum.* Diſtinguit Archi-Mandritas & Monaſteriorum Præfectos quos Græcus textus vocat Hegumenos. Quod diſcrimen etiam eſt apud nos Latinos. Alia enim apud nos Monaſteria ſunt Abbatiæ, alia dumtaxat Prioratus. Et horum Præfectos, quod pedo careant, numquam inveſtierunt noſtri Principes. Ambos inveſtivit Græcorum Imperator. Nempè Conſtantini Caballini, qui à ſolo Regiæ urbis Patriarcha cœpit, audacia pedetentim ſic profecit. Quod etiam omnes ille inveſtiat Epiſcopos, licèt diſertè non exprimat, palàm tamen ſupponit Georgius Codinus. Videntur tamen non niſi poſt conſecrationem fuiſſe inveſtiti.

Hanc inveſtituram laudat etiam Nicephorus Gregoras, adfirmans Georgium Cyprium, quem in degradati Joannis Vecci trhonum intruſit Imperator Andronicus primus Palæologus, per pedum fuiſſe ab eodem inveſtitum. Ritum inſigniter exponit Georgius Phranzes: *Erat munus & conſuetudo Chriſtianorum Imperatorum, ut electo Patriarchæ pedum, ſeu virgam Paſtoralem, auream, lapillis & margaritis diſtinctam, & electum equum è Regio ſtabulo, ſella & phaleris Regificè & ſumptuoſè ornatum, albo & aureo Stratorio tectum, donarent. Et Patriarcha illi inſidens, è Palatio, toto Procerum collegio ſtipante, cum fauſtis adclamationibus in Patriarchium revertebatur, atque ab Epiſcopis pro lege & more conſecrabatur. Hoc modo è manibus Imperatoris futurus Patriarcha pedum accipiebat, ſedente eo ſuper ſolio Regio, & tota Procerum corona, nudatis capitibus, circumſtante.* Exponit variam adſtantis Cleri hymnodiam, ac pergit: *Accedit autem Candidatus, cujus unum latus Cæſar, alterum Heracleæ Metropolitæ tegit. Corpus tertiò omnibus inclinat. Deindè ad Imperatorem accedit, & conſueta adoratione illum proſequitur. Imperator paulò attollens pedum, orat: Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ deligit. Atque ita de manibus Imperatoris Patriarcha poteſtatem,* id eſt, Patriarchalis poteſtatis ſymbolum, *ſumebat, eique agebat gratias.* Eandem promotionem laudat in Florentini Concilii Hiſtoria Sylveſter Sguropulus. Etiam illic de præſentibus apud Florentiam Abbatibus dicit Imperator Joannes ſecundus Palæologus: *Satis memini me eorum ſingulis Paſtorale pedum in manum porrexiſſe. Undè qui acceperat, ubique pro Præfecto habebatur.* Et addidit Petrus Primicerius: *Id ab antiquo in more poſitum eſt, ut poſt traditum à Majeſtate tua baculum, Patriarcham adeant, & inaugurentur.* Lucidè adfirmat inveſtituram fuiſſe conſecratione anteriorem. Etiam Metrophanem Cyzicenum Epiſcopum fuiſſe ab eodem Principe, & quidem præſente Latino Romanæ Eccleſiæ Legato, inveſtitum de Patriarchatu, refert idem Sguropulus. Quod ipſum in libro de ſacris Ordinationibus firmat Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, adfirmans hanc eſſe conſuetudinem Patriarchalis promotionis.

Lib. 3. c. 19. (left margin, beside "ſigniter exponit Georgius Phranzes")
L. 9. c. 9. (right margin, beside "nem laudat in Florentini Concilii Hiſtoria")
Lib. 12. c. 5. Cap. 9. (right margin, beside "bus firmat Simeon Archiepiſcopus")

Eundem morem ſibi uſurpavit etiam Conſtantinopolitanæ urbis invaſor, ac infidelium Turcarum Sultanus Mahometes ſecundus, & cuncti ejus uſque hodiè ſucceſſores continuant. Omnia Chriſtianorum Imperatorum jura adſe cenſuit cum Imperio devoluta. De Gennadio ſecundo, primo poſt captam urbem Patriarcha, & dicto Mahomete ſcribit Politica Turco-Græciæ hiſtoria: *Electum Gennadium cùm ad ſe Sultanus in Regiam advocaſſet, ſuis ei manibus Patriarchale pedum magni pretii dedit. Baculum nempè argenteum, inauratum, artificiosè factum.* Uſus fuit hac formula: *Quòd fauſtum ac felix ſit, eſto Patriarcha, & utere noſtra amicitia, in quibus rebus voles, habens omnia jura, ac privilegia, ſicut ſuperiores ante te Patriarchæ habuerunt.* Elucidat per Emmanuelem Malaxum deſcripta Patriarchalis hiſtoria: *Gennadium ſtatim ut Patriarchæ dignitatem acceperat, Pontifices & Clerici, & populi Primores ad Sultanum deduxerunt. Quem etiam ille adoravit. Tum Clericos interrogavit Sultanus, Ecquam conſuetudinem habuiſſent Romani Imperatores in creatione alicujus Patriarchæ? Reſponderunt illi, quoties aliquis futurus eſſet Patriarcha, datum eſſe ei manu Imperatoris pedum, inſigne curæ Paſtoralis in gregem pium. Ita Sultanus, his auditis, pedum manu ſua accepit, idque in manum Patriarchæ dedit.* Quæ omnia latiùs adhuc refert Georgius Phranzes. Etiam de Dionyſio Patriarcha ſcribit dicta hiſtoria: *Poteſtatem & jus à Rege datum accepit.* Utique à Rege Solimanno. Et de Dionyſii ſucceſſore Joſepho: *Joſephus, manum Sultani oſculatus, inſigne poteſtatis accepit.* Et de Hieremia ſecundo, ac evecto in patris Selymi ſecundi Regnum Amurathe tertio: *Patriarcha abiit ad Regem, ei ſe ſubmittens. Qui Rex poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Patriarcha à Patre Sultano Selymo acceperat, eidem confirmavit.* Denuò inveſtivit. Et hæc fuit Turcica violen-

Fol. 108. (right margin, beside "pta Patriarchalis hiſtoria")
Fol. 168. (right margin, beside "jus à Rege datum accepit")

violentia. Semel enim inveſtitum Patriarcham nullus in Imperio Chriſtianus Succeſſor legitur poſtulaſſe ad novam inveſtituram.

Ex quibus omnibus lucet Laicam Antiſtitum inveſtituram nec à Latinis nec à Græcis fuiſſe judicatam hæreſim. Et ipſam à ſeptimo Gregorio pro ſolis Latinis fuiſſe damnatam. Ipſam omninò damnavit ſeptima Synodus: Verùm non de hæreſi. Et damnavit pro ſolis Græcis. Iſtius Synodi Canones Romana Eccleſia numquam confirmavit. Quin & ejus de fide Decretum, tamquam erraticum, Gallicana dudum damnavit Eccleſia, atque ita Francorum præſertim Reges non deſierunt ſuos Antiſtites inveſtire. Uti igitur iſta Synodus in ſolis Græcis, ita ſeptimus Gregorius inveſtituram damnavit in ſolis Latinis. Et hinc Leo nonus, Alexander tertius, Gregorius decimus, Eugenius quartus, & horum Lugdunenſis ac Florentina Synodi, dum à Græcis poſtularunt varios unionis articulos, & quoſdam in ipſis damnarunt abuſus, numquam meminerunt inveſtituræ. Nihilominùs Brunoni Signino Epiſcopo, & Vindocinenſium Abbati Goffredo, adfirmantibus ipſam & à ſeptimo Gregorio & à ſecundo Paſchali fuiſſe damnatam hæreſios, omninò credo. Nempè de inveſtitura juris, ſeu inveſtiendi jure ſunt locuti: Et perperam intellecta ipſorum verba, uterque Scriptor ad manualem inveſtituram malè detorſit. Quo vitio laboraſſe videtur etiam Synodus Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis.

Quidquid ſit, etiam manualem inveſtituram meliores Græci, licèt non damnarint, tamen omninò improbarunt. Inter ipſorum graviſſimos Scriptores omninò eſt Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. Ipſum vixiſſe poſt Barlaamum Gyracenſem Epiſcopum, Gregorium Palamam item Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, ac Doſitheum Patriarcham Conſtantinopolitanum, rectè adfirmat in libris de Occidentalis ac Orientalis Eccleſiæ concordia Leo Allatius. [Lib. 2. cap. 18.] Ejus enim tempore exſtincta erat Regia Conſtantinopolitani Patriarchæ nominatio, plenaque libertate fruebatur Canonica trium electio: Lex Imperatoris Juſtiniani. Hanc autem fuiſſe à ſe reductam, & ex iſto ſuo beneficio primum Canonicè Electum fuiſſe Doſitheum, lucidè teſtatur Imperator Joannes Cantacuzenus. Et iſte Simeon de Regia Patriarchæ inveſtitura ſcribit in opere de ſacris Ordinationibus: [Cap. 9.] *Non igitur Patriarcham creat Imperator, neque illi dat aliquid, ſed operi jam facto conſentit & obſequitur. Clarum eſt, quòd illi nihil det, ſed potiùs ab illo accipit, & veluti Miniſter eſt rerum Eccleſiaſticarum. Nam cum Electo virgam ſacram tradit, ad eum accedit, & ipſi caput inclinat, & aperit; & benedictionem accipit, oſculaturque Electi Patriarchæ manum.* Et infrà: *Præterea hoc facit Imperator, ut demonſtret ſe Eccleſiam honorare, non ut illi imperet. Nam Imperator Electum ad ſe venientem, antequam illum videat, blandè & amanter perſequitur, Pallium undulatum illi mittens, & crucem ſinu geſtari ſolitam, quæ ut pignus, velut miniſter & cuſtos, conſervat. Ideò virgam, ut honorabilius Paſtoralis poteſtatis ſymbolum, ipſe manu tradit propter honorem & ſeveritatem, atque ut demonſtret ſe Paſtorem, quem Deus elegit, charitate complecti.* Uti olim apud nos pedum & annulus, ita apud Græcos viduatæ ſedis pedum, undulata Mandya, atque Encolpion deferebantur ad aulam, cuſtodienda per Principem. Et apud nos per pedum & annulum, apud Græcos Princeps electum Antiſtitem inveſtiebat per ſolum pedum. Per Mandyan & Encolpion videtur Metropolita ſuos Suffraganeos atque item Heracleenſis Exarchus Regiæ civitatis Patriarcham inveſtiiſſe. Simeonis tempore per Græcorum civitates erant plures Latini Epiſcopi, Clerici, & populi: Et hi Regiam Antiſtitum inveſtituram, utpotè à ſuis tunc moribus alieniſſimam, videntur damnaſſe. Adversùm hos Simeon exſerit omnes ſuæ eloquentiæ vires: Adfirmat inveſtituram non eſſe Laicam poteſtatem in Eccleſiam, ſed merum miniſterium. Eſſe merum Principis de facta electione ac electa perſona conſenſum. Eſſe merum Canonicæ electionis honorem ac ſecuritatem: Qua nempè Patriarcha adversùm Laicas in ſuam electionem violentias eſſet ſecurus. Et hinc iſta inveſtitura meruit nomen confirmationis. Quod ipſum in litteris ad Hugonem Lugdunenſem Primatem docuit etiam noſter [Ep. 60.] Latinus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Quis autem non videat Simeonem laborare, ſudare ſanguinem, vexari à propria conſcientia? Ex eodem fonte ſcribit de electo in Patriarcham Niphone Patriarchalis apud Emmanuelem Malaxum Hiſtoria: *Heracleenſis Paſtorale pedum ei in manus tradidit. Et ipſe celſiſſima Patriarchica ſede conſcenſa, ſacro & laico bene precatus eſt ordini.* Etiam Simeonem Trapezuntium inveſtivit Heracleenſis Exarchus, & pergit eadem Hiſtoria: *His peractis, duxerunt illum Pontifices ad Sultanum.* Utique ut inveſtiretur. Etiam de Hieremia primo Patriarcha ſcribit: *Pedum ab Heracleenſi Metropolita, veteri Inſtituto & lege, accepit.* Hanc veterem legem exiſtimo eſſe illam, quam induxit profana audacia Imperatoris Conſtantini Caballini. Ipſam puto non niſi poſt captam urbem revixiſſe. Quòd enim Patriarcha ab Heracleenſi Epiſcopo priùs, quàm ab Auguſto Principe inveſtiretur, & quòd ante hanc inveſtituram inthronizaretur olim, nullo oſtendi poteſt teſtimonio. Hic eſt unus è fructibus Turcicæ captivitatis. Græcorum Epiſcopi viderunt Turcicam inveſtituram capitaliter adverſari Chriſtianis legibus, & tamen à ſe non poſſe excuti: Hinc ejus ſolam ſpeciem duxerunt Sultano exhibendam, illi præmiſerunt avitam Heracleenſis Antiſtitis inveſtituram, atque dixerunt iſtam eſſe antiquam legem & conſuetudinem. Quòd nempè iſtud ipſum orthodoxi olim Epiſcopi, dicti Conſtantini violentiam non valentes excutere, actitaſſent. Et hi & iſti viderunt in Laica inveſtitura latere aliquid indignæ ſervitutis.

Præſentem Gregorii Canonem omninò reſpicit in litteris ad Anglicanam Eccleſiam Alexander tertius Pontifex: *Ad audientiam noſtram pervenit, quòd poſt turbationem, quæ inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum, illu-*

ſtrem

ſtrem Anglorum Regem, & Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum emerſit, quædam prava conſuetudo in illis partibus inolevit, ſcilicet quòd Laici Eccleſias & Eccleſiaſtica beneficia ſoleant paſſim in Regno Anglorum quibus vellent conferre, & auctoritate ſua Clericos inveſtire. Undè quoniam id ſanctorum Patrum Inſtitutionibus adeò cognoſcitur contradicere, ut danti & accipienti de manu Laica ſit Anathema, & hoc in Eccleſiaſticæ libertatis perniciem non eſt dubium graviter redundare, nos univerſas donationes à Laicis de Eccleſiis hujus turbationis tempore factas omninò caſſamus, & irritas eſſe decernimus. Exſtat Epiſtola ad D. Cardinalem Cæſarem Baronium. A 1169. Nec mireris iſtam Laicorum Patronorum in Parochialium Eccleſiarum Clericos violentiam. Hoc ipſo enim tempore Imperator Fredericus, Octaviani ſchiſmate abuſus, etiam Epiſcoporum inveſtituram reſumebat: Quin & dictum Anti-Papam inaudita audacia præſumpſit inveſtire. Et Patrum Canon, qui & inveſtientem & inveſtitum ſubjicit Anathemati, manifeſtè eſt hic præſens noſtri Gregorii.

CANON IV.

SI quis Præbendas, Archidiaconatus, Præpoſituras, vel aliqua officia Eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter quàm Statuta ſanctorum Patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio ſuſpendatur. Dignum eſt enim, ut ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra ejuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.

SCHOLION.

CAnonis cauſam habes in Gregorii noſtri litteris ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, Apoſtolicum in Gallia Legatum, de cauſa Gerardi Electi Cameracenſis: *Illud commune malum* Lib. 4. Ep. 22. *penè totius terræ, videlicet quod Altaria venduntur, etiam iſte in ſui Archidiaconatus officio ſe feciſſe non denegat.* Quid ſint Altaria, exponit in Nemauſenſi Synodo Urbanus ſecundus: Can. 1. *Eccleſiæ vel Decimæ vulgari vocabulo in Galliarum partibus Altaria vocantur.* Altaria, inquam, erant Parochiales Eccleſiæ, ſeu cunctæ ipſarum temporales poſſeſſiones & jura. Eadem & Canon noſter per Præbendas, Archidiaconatus, Præpoſituras, aliaque Eccleſiaſtica officia intelligit, & vetat vendi. Denuò enim damnat graſſantem tunc errorem, qui officium diſtinguebat à beneficio, & hocce omninò poſſe vendi aſſeverabat: Quem etiam per Godefredi Lotharingiæ Ducis Capellanos prædicatum, & ab anterioribus Pontificibus jam ſæpiùs damnatum, Eccleſia dudum non potuit eradicare. Poſterior Canonis pars oſtendit hanc venditionem illis præſertim adhæſiſſe Epiſcopis, qui dignitatem emerant.

CANON V.

ORdinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio alicujus perſonæ ea intentione impenſo, vel quæ non communi conſenſu Cleri & populi ſecundùm Canonicas ſanctiones fiunt, & ab his, ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas eſſe dijudicamus. Quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium, id eſt, per Chriſtum intrant, ſed ut ipſa veritas teſtatur, fures ſunt, & latrones.

SCHOLION.

HUnc Canonem Gregorius noſter laudat in litteris ad Gebuinum Lugdunenſem Archiepiſcopum, quibus iſtius Eccleſiæ ſuper quatuor Provincias Primatum inſtituit. Ipſum confirmat his tantùm illius ſucceſſoribus, *qui nullo* Lib. 6. Ep. 34. *interveniente munere Electi vel promoti fuerint, videlicet à manu, ab obſequio, & à linguæ. A manu, ut nullum pretium prorsùs à ſe, vel ab alio tribuatur. Ab obſequio, ut nihil indè ſervitii faciat, ſicut quidam intentione Eccleſiæ Prælationis, potentibus perſonis ſolent deferre. A lingua, ut neque*

per

per ſe, neque per ſubmiſſam perſonam preces effundat. Et per erectum hunc Primatum Pontifex Decreta ſua per quatuor nobiliſſimas Galliæ Provincias fecit eſſe firma.

Oſtendit porrò Canon non ſolummodò per munus à manu, ſed etiam per munus à lingua vel ab obſequio committi atque compleri Simoniam. Munus à lingua rectè affirmat eſſe preces. Affirmat enim in litteris ad Nectarium etiam Sanctus Baſilius: *De electione eorum, qui ſunt præficiendi contubernio, ſi quid vel in gratiam hominum, vel precibus inflexus, vel metu fractus, aliquando determinarem, diſpenſator non fuerim, ſed caupo potiùs, ſi Dei donum ad humanam quorumcumque amicitiam permutarem*. Etiam conſuetas precibus miſceri adulationes aut laudes eſſe munus à lingua, ideoque illum, qui ex ipſorum appetitu aut oppoſiti vituperii metu judicat, eſſe ſui judicii cauponem ſcribit in ſecunda vigeſimi quinti Pſalmi expoſitione Sanctus Auguſtinus. Et ad Arnulphum Lexovienſem Epiſcopum, Senii cauſa volentem Epiſcopatui cedere, ſcribit Petrus Bleſenſis: *Dicitur, quòd ab adoleſcentia cœpiſtis Eccleſiaſticos honores olfacere, & ad hunc honorem, qui nunc onerosus eſt vobis, obſequiis atque interceſſionibus, & aliis ambitionis humanæ ſuffragiis adſpirare. Currite ergò ad conſcientiæ veſtræ teſtimonium, & ſi inveneritis vos minùs Canonicum habuiſſe ingreſſum, ſitis ſoliciti de egreſſu*. Adeptum per interceſſiones Epiſcopatum aſſerit illegitimum, utique ab Simoniam, ideoque & deponendum. Et Robertus Cardinalis Pullus: *Quicumque ordinatur, aut beneficium accipit in Eccleſia, vel præficitur in ea, caveat ne ſibi ipſe, aut per ſe, aut per alium, machinatione quadam hoc adipiſcatur. Quod ſi prece acceſſit, munus eſt à lingua*. Et infrà: *Quod ſi cujuſquam meritis admonitus, aut ab ipſius amicis perſuaſus Antiſtes, illum in Clero promovet, utique non peccat, tantùm ineptum ne promoveat. Item itemque diligenti indagatione veſtigans, utrùm perſona ſit provehi digna, quam cùm probaverit idoneam, tamen ſi illa de cauſa libentiùs admovet honori, quoniam aut pro ea eſt rogatus, aut illi ex rationabili cauſa eſt adſtrictus, non puto id malè fieri. Virum bonum, quoniam illi obligatus es, aut quoniam de eo tibi ſuaſum eſt, ab honore ſibi competente repelles? Hinc nimiùm te exhibebis durum, indè beneficii ingratum*. Robertus Pullus, quem multis encomiis atque eruditis commentariis illuſtravit Hugo Mathoud, fuit vir inſigniter probus & doctus, nec non & Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, ideoque hanc ejus doctrinam poſſimus omninò amplecti. Preces ergò, quæ Simoniam inducant, debent ab ipſo promovendo eſſe vel factæ vel procuratæ: Licet cætera ſit aptus, tunc omninò incurrit hanc lepram. Quod ipſum in laudatis ad Gebuinum Primatem litteris lucidè tradit noſter ſeptimus Gregorius. Nec ſolas quovis peccatoris oleo conditas, ſed & ſimplices damnat preces. Et ſanè etiam per haſce quivis ſe ipſum obligat, adeoque omninò offert munus. Rectè tamen addit Doctor Angelicus: *Licitè poteſt aliquis, ſi eſt indigens, pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petere ſine cura animarum*. Uti pauper Clericus nullius paſſim poteſtatis eſt, ita & ejus preces nullum pondus aut munus continent, ideoque Prælatus aut Patronus ipſas exaudiens, eleemoſynam facit, non Simoniam. Dico, *Clericus*: Etenim quòd Laicus ex paupertatis fuga Clericatum ſuſcipiens delinquat graviter, eſt conſtans Patrum doctrina. Quæ omnia notent ambitioſi.

Ep. 323.

Ep. 44.

Par. 6. c. 12.

De munere ab obſequio ad Joannem Pictavienſem Epiſcopum rectè in litteris, Miſſæ Canonem exponentibus, publicatis per Lucam Dacherium, ſcribit Venerabilis Iſaac Epiſcopus Lingonenſis: *Traditiones hodiernæ ferè omnes turpi lucro deſerviunt. Beneficium, quod quaſi gratis impenditur, ferè omne, etſi pretium antè non taxat, obſequium poſteà ſperat. Gravidæ ſunt hodiè gratiæ noſtræ: Sub prætextu virginis prægnantem nuptui damus*. Et adversùs Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum ſcribit Arnulphus Lexovienſis: *Cùm in Papam Innocentium ſecundum Cardinales conveniſſent, ipſi ſtatim de obedientia tua & debita ſubjectione ſcripſiſti. Poſtulaſti tamen illius honorari Reſcripto, & munus legationis habitæ confirmari. Viſum eſt Simoniacum, favorem tuum redimere Legationis officio: Et cum ipſe Innocentius partes illas viſitare ſub eodem tempore decreviſſet, nullus locus ſub ipſius præſentia poterat reſtare Legato*. Innocentii ſecundi electio fuit diſcors: Quorumdam enim Cardinalium factio elegit Petrum Leonis, appellavitque Anacletum ſecundum. Porrò Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus fuerat Calixti ſecundi ac ſecundi Honorii per Aquitaniam Legatus, ideoque Innocentii cauſam promiſit defendere, dummodò iſta ſibi legatio confirmaretur. Aſt hocce etiam ex naturali ac Divino jure debitum officium eſſe Simoniacum ab obſequio munus judicavit Romana Eccleſia, negavitque poſtulatam confirmationem. Et hæc eſt prima radix tot ſcandalorum & motuum, quæ in Gallia iſte Gerardus concitavit. Et de Sancto Ottone Bambergenſi Epiſcopo ſcribit Andreas ibidem Abbas: *Otto Paſchalis ſecundi Papæ genibus advolutus, curam Paſtoralem humiliter et reſignavit, ſe indignum & nullatenus tanto oneri aptum eſſe lacrymoſis ſingultibus vociferans. Verebatur enim aliquantulæ Simoniæ hæreſeos umbra ſe reſperſum, quia tanto tempore in Curte Regia fideli miniſterio deſudaverat, ne fortè Imperator pro mercede ejuſdem ſervitii Pontificatus eum infula ſublimaſſet, ideoque non ſine animæ periculo hujus Sacerdotii dignitate fungeretur. Undè maluit temporalis honoris ſubire diſpendium, quàm ſuperni arbitri oculos offendere, animæque ſuæ pati detrimentum*. Et reſignationem Pontifex omninò admiſit, ac non niſi poſt aliquot dies reddidit Epiſcopatum. Iſto illius temporis more ipſum abſolvit ad cautelam. Et hinc Epiſtola illa, qua ſuam in Senonenſis Archiepiſcopi familiam ac Miniſterium ſub certa tempeſtivi beneficii ſpe adſcriptionem videtur uti innoxiam laudare Petrus Bleſenſis, non eſt probanda. Et hocce ad munus noſter Gregorius ac ejus Succeſſores paſſim addiderunt: *Ea intentione impenſum*. Etenim Pontifici, Regi, Epiſcopo, aut cuivis Poteſtati ſervire, & ad res præſertim publicas obſequi, nullo modo

Tom. 1.

Ep. 72.

eſt

eſt crimen, nec illi obſequioſos ſuos adjutores vetantur exaltare: Ex altare jubentur & per leges & Canones. Verùm qui ſimplici oculo obſequitur, Deo obſequitur, non homini, defertque munus. Et nec implicitum, ſine quo nulla Simonia, init pactum.

Inter illos, qui data vel accepta à Simoniacis, dempto ſolo Baptiſmo, Sacramenta cenſuerunt eſſe ſubſtantialiter irrita ac nulla, fuit etiam in libris adversùs Guibertum Anti-Papam Sanctus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis. Regiam Antiſtitum nominationem acerimè exagitat, & pergit: *Quid plura? Si anathematizati & excommunicati, ut & vere hæretici Simoniaci & Neophyti, ab Eccleſia ſunt ſeparati, quis non videat, quòd hujuſmodi Sacerdotum Miſſæ & orationes Deum ad iracundiam ſuper populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum eſt enim: Veri Sacrificii locus extra Catholicam Eccleſiam non eſt. Et iterùm:* HÆRETICUM HOMINEM POST PRIMAM ET SECUNDAM CORREPTIONEM DEVITA. *Quando ergò tales Epiſcopos, vel Abbates, vel reliquos Clericos non devitamus, ſi eorum Miſſas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem ſubimus.* 1. 2. *Quos quidem Sacerdotes eſſe ſaltem credere, omninò errare eſt, cùm Petrus Simoni dicat:* PECUNIA TUA TECUM SIT IN PERDITIONEM, QUIA EXISTIMASTI DONUM DEI PECUNIA POSSIDERI: *Ubi enim,* EXISTIMASTI, *dicitur, non pro eo quòd fecerit, ſed quia ſe poſſe facere credidit, condemnatur, cùm minus ſit exiſtimare quàm credere. In hoc ergo quod ſubjungitur,* NON EST TIBI PARS NEQUE SORS IN SERMONE ISTO, *patenter oſtenditur, quia nihil ſacræ ordinationis in hac promotione percipitur.* Pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis iſtud confirmare nititur, & concludit: *Hæc itaque tam patentia, tam manifeſta ſunt, ut dilucidari non egeant. Patentiſſimè namque Simoniacorum Sacerdotium & ſacrificia eſſe irrita demonſtrant. Quamvis quidam ſcripſerit, quod ſicut in Baptiſmate Simoniacorum, ita & in eorumdem ſacrificio virtus Spiritus Sancti cooperetur, ſcilicet ut non eiſdem ſit verum & ſalutare ſacrificium, ſed his quibus exhibetur. Quod ex præmiſſis Patrum ſententiis apertiſſimè refellitur.* Solum à Simoniacis, vel quibuſcumque Hæreticis datum aut acceptum Baptiſma vult propter extremam ejus neceſſitatem eſſe validum ac ratum. Probabilem tunc opinionem nec probare Synodaliter, nec damnare voluit noſter Gregorius, iſtiuſmodi ordinationes ambidextris rurſùm verbis definit eſse infirmas atque irritas, non exprimens an quoad ſubſtantiam, an quoad ſolam executionem.

Nec in ſolas Simoniacas, ſed etiam in illas, quæ ſine Canonica Cleri & populi electione, aut ſine Metropolitæ aut alterius competentis Prælati confirmatione ad Regiam nominationem fiebant, tam inferioris quàm ſuperioris Cleri ordinationes fert eandem ſententiam. Hujuſmodi enim ordinationes eſſe etiam ſubſtantialiter nullas atque irritas conſtanter docuit laudatus Anſelmus. Et probavit ex trigeſimo primo Apoſtolico Canone inter vulgares, quorum quinquaginta priores ex Stephani quarti ac Joannis ſeptimi Edicto vult eſſe authenticos. Item ex ſexto Nicæno Canone, qui lucidè ſancit ſine Metropolitæ judicio nullum poſſe eſſe Epiſcopum. Etiam ex variis Sanctorum Patrum teſtimoniis, ac ex Dioſcori ſecundi in Alexandrinum thronum per Regiam Imperatoris Anaſtaſii nominationem intruſione, de qua Sanctus Theophanes in Miſcella hiſtoria: *Cùm Dioſcorus manus impoſitionem accepiſſet, receſſerunt multitudines Ruſticorum dicentes, quia niſi ſecundùm quod Sanctorum Apoſtolorum Canones continent fiat Epiſcopus, non recipietur. Principes verò inthronizaverunt eum. Dioſcorus verò venit ad Sanctum Marcum, & venientes Clerici induerunt ſecundò; & iterùm conſecraverunt. Et ita veniens ad Sanctum Joannem, perfecit Collectam.* Regiæ nominationis violentiam affirmat ab Eutychianiſtis Imperatoribus Zenone & Anaſtaſio fuiſſe attentari cœptam, ideòque adversùs Dioſcori intruſionem fuiſſe tantum ab Ægypti Ruſticis motum, ut Theodoſium Calliopæ Auguſtalis Præfecti, qui Principis juſſa executus fuerat, filium trucidarint, multoſque ipſorum Acacius Magiſter Militum. Motus enim eruperat in publicam cædem. Quin immò quòd violentiam nec Zeno nec Anaſtaſius inchoaverint, ſed à Conſtantio inchoata dumtaxat reſumpſerint, eſt ſuo loco oſtenſum. Eam interim tunc adeò averſati ſunt in Ægypto, non ſolùm Ruſtici, ſed etiam Patriarchalis Eccleſiæ Clerus & populus, ut Dioſcorus non potuerit in Cathedra ſua eſſe pacificus, niſi Canonicè electus ac denuò conſecratus. Datam ſine electione conſecrationem cenſuerunt eſſe inanem umbram & fucum. Ejuſdem ſententiæ videtur fuiſſe in opuſculo de ordinatione Epiſcoporum, & Laicorum inveſtitura Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Firmiter nos credere oportet, & nullatenus dubitare, ut quemadmodum Baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio & conſecratio facit Epiſcopum. Et ſicut impoſſibile eſt ſine Baptiſmate Chriſtianum fieri, ita eſt impoſſibile Epiſcopum ſine electione & conſecratione creari. In ordinatione Epiſcopi electio & conſecratio ſic eſt utraque neceſſaria, quod conſecratio ſine electione, & ſine conſecratione electio Epiſcopum facere ſola non ſufficit. Nam ſicut in Baptiſmate aqua & invocatio Spiritus Sancti ſunt neceſſaria, quæ faciant Chriſtianum, ita in ordinando Epiſcopo electio & conſecratio ſunt neceſſitate conjuncta, quæ creent Epiſcopum. Et ſicut aqua ſola, aut ſola invocatione Spiritus Sancti, nec Baptiſmus fieri poteſt, nec homo eſſe Chriſtianus, ita ſola electione aut ſola conſecratione nemo ordinari vel fieri valet Epiſcopus.* Nititur hæc pluribus confirmare. Laicam inveſtituram credidit eſſe hæreſim, atque ita ipſius odio fuit ad hęc dogmata pręcipitatus. Iſtam interim ſententiam, uti Synodaliter probare, ita & damnare noluit noſter Gregorius. Hinc nominatorum Epiſcoporum aut Clericorum ordinationes ambiguis dumtaxat verbis damnavit. Quòd etiam inferior Clerus, non à ſolo Epiſcopo, ſed etiam à Clero & populo debuerit olim eligi, antiquæ diſciplinæ peritis eſt compertum. Et hanc Canonis partem laudat etiam atque exponit in laudatis ad Gebuinum litteris

noſter Pontifex : *His nimirùm hanc Primatus dignitatem concedendam eſſe ſancimus, qui pura & ſincera electione tibi ſucceſſerint, & ita per oſtium intraverint, ſicut Fraternitatem tuam cognovimus intraſſe. His verò, qui aliter intraverint, videlicet qui juxta Dominicam ſententiam, non per oſtium, ſed aliundè ut fures & latrones aſcenderint, non ſolùm Primatum hujus dignitatis non concedimus, verùm etiam omni bonore Eccleſiaſtici regiminis indignos & alienos fore adjudicamus.* Et quòd Gebuini ſucceſſores adversùs Laicam inveſtituram ac Regiam nominationem ſtrenuiſſimè pugnaverint, lucet ex litteris Sancti Ivonis Carnutenſis.

C A N O N VI.

FAlſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus quòd ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat niſi conſilio Religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuſtè abſtulit reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur, ut faciat, ut Omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.

S C H O L I O N.

HUnc Canonem Gregorius noſter laudat, atque exponit in litteris ad minoris Britanniæ Clerum & populum, conquerens Sacerdotum imperitiam atque negligentiam fuiſſe dudùm apud ipſos graſſatam, & adjungens: *Ex* (l. 7. Epiſt. 10.) *qua re, quaſi ex peſtifera radice, innumera mala exorta ſunt, adeò ut uſque ad hæc noſtra tempora, inter cætera quæ malè pullulant vitia, falſæ nihilominùs pœnitentiæ conſuetudo inoleverit.* Hinc ad ipſos legavit Amatum Olorenſem Epiſcopum, qui Synodaliter ſtatueret varia, ac præſertim hunc articulum: *Si quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel hujuſmodi aliquid lapſus, in aliquo talium criminum permanſerit, aut negotiationi, quæ vix agi ſine peccato poteſt, operam dederit, aut arma militaria portaverit, excepto ſi pro tuenda juſtitia ſua, vel Domini, vel amici, vel etiam pauperum, necnon pro defendendis Eccleſiis, nec tamen ſine Religioſorum virorum conſilio ſumpſerit, qui æternæ ſalutis conſilium dare ſapienter noverint, aut aliena bona injuſtè poſſederit, aut in odium proximi ſui exarſerit, veræ pœnitentiæ fructum facere nullatenus poteſt. Infructuoſam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel ſimili, deteriori, vel parùm minori permaneatur. Undè quiſquis dignè vult pœnitere, neceſſe eſt ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptiſmo promiſit, Diabolo ſcilicet ac ejus pompis renuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo, mandatis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicumque ergò taliter pœnituerit, quoniam aliter ſimulatio dici poteſt, non pœnitentia, illi peccatorum ſuorum remiſſionem, Apoſtolica freti poteſtate, largimur; inſuper æternæ beatitudinis gaudia promittimus.* Data eſt Epiſtola octavo Kalendas Decembris, indictione tertia, anno uno poſt præſentem Synodum. Præſentem ergò Canonem Synodaliter publicari juſſit & recipi in obſervantiam.

Canon confirmat hanc vetuſtam Regulam: *Certam pœnitentiam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.* (Serm. 1. de temp. cap. 1.) Et hanc Sancti Auguſtini: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt.* Et quòd intra cor retento fratris odio nequeat eſſe vera pœnitentia aut vera cordis converſio, notiſſimum eſt omnibus Chriſtianis. Adeò tamen tunc obſcuratæ fuerunt ſordidorum fidelium mentes, adeoque graſſatæ indignæ iſtæ pœnitentiæ, ut præſentem Canonem in Synodis Placentina, Melphitana, & Claromontana Urbanus ſecundus, & in ſua Lateranenſi innovare debuerit ſecundus Innocentius. Aſt dubium movent hæc Sancti Auguſtini verba in libris de Baptiſmo: *Non impeditur Baptiſmi gratia, quo minùs omnia peccata dimittat, etiamſi odium fraternum in ejus, cui dimittuntur, animo perſeveret.* (L. 1. c. 12.) Diſtinguit duplicem peccatorum remiſſionem: Stabilem ſeu irrevocabilem, ac revocabilem ſeu momentaneam. Iſtam ſolis ſincerè ad Deum converſis, hanc etiam in fraterno odio vel alia peſſima voluntate perdurantibus impendi affirmat, & per

& per ipſam non ſola præterita, ſed iſtud etiam præſens dimitti peccatum, verùm pro unico dumtaxat momento, ſtatimque tunc omnia cum novo novi ſacrilegii reatu redire. Et hac diſtinctione ſolvit & exponit Dominicam parabolam de ſervo, qui omnium grandiſſimorum debitorum remiſſione donatus à ſuo Domino, modicum conſervo dimittere rogatus noluit, ideoque & Dominus exſufflavit ſuam gratiam, cunctaque exſtincta debita reduxit. Addit Auguſtinus: *Et hæc ſæpè contingunt in Eccleſia*. Et in alio libro: *De remiſſione peccatorum, utrùm per Baptiſmum*
L. 3. c. 13. *apud hæreticos fiat, quid mihi videretur, in alio jam volumine ſcripſi. Sed etiam hìc breviter commemoro. Si ſit illic remiſſio debitorum per Baptiſmi ſanctitatem, rurſus debita redeunt per hæreſis & ſchiſmatis obſtinationem, & ideò neceſſarium habent hujuſmodi homines venire ad Catholicam pacem, ut Hæretici & Schiſmatici eſſe jam deſinant, & eorum quæ in illos redierant peccatorum purgationem in unitatis vinculo*
C. 17. *tatis vinculo charitate operante mereantur*. Et iterum: *Sacramenti integritas ubique cognoſcitur, ſed ad peccatorum illam irrevocabilem remiſſionem extra Eccleſiæ unitatem non valebit*. Et in alio rursùs
L. 4. c. 12. libro: *Perfidus & blaſphemus, ſi in perfidia & blaſphemia permanſerit, nec extra nec intra Eccleſiam remiſſionem accipit peccatorum, aut ſi propter vim Sacramenti ad punctum temporis accipit, & foris & intùs eadem vis operatur, ſicut vis nominis Chriſti expulſionem Dæmoniorum foris etiam operabatur*. Et in quinto libro: *Remiſſio irrevocabilium peccatorum non conſequitur Baptiſma, niſi non ſolùm legitimum, ſed etiam legitimè habeatur. Si legitimè non habeatur, peccata vel non remittuntur, vel remiſſa replicabuntur*. Addit de permanenti-
C. 21. bus in fraterno odio homicidis: *Sive nulla eis peccata dimiſſa ſunt, ſi non in melius mutato corde baptizati ſunt, ſive continuò dimiſſa redierunt*. Et
C. 3. in ſeptimo libro: *Potuerunt accipere Baptiſmum & remiſſionem non accipere peccatorum, aut remiſſis peccatis continuò rursùs onerari*. Quæſtio eſt, Quæ & qualis ſit iſta revocabilis ac momentanea remiſſio, quod ejus fundamentum, & an ipſam probaverit Sanctus Auguſtinus?

Reſpondeo palmare Donatiſtarum principium fuiſſe, quòd nullum novi Teſtamenti Sacramentum poſſit eſſe ſimplex ſeu informe, ideoque omne extra Eccleſiam, quoniam iſtic formatum eſſe non valet, datum vel acceptum ſit irritum & nullum. Quæſtio præſertim erat de Baptiſmo. Hinc eis Auguſtinus Baptiſma, quod fornicatores, homicidæ, fratrum oſores, atque alii in ſuis malis voluntatibus pertinaces accipiunt intra Eccleſiam, oppoſuit. Ipſum enim nec exſufflabant, nec repetebant Donatiſtæ, ideoque validum agnoſcebant & ratum. Et formatum aſſerere non poterant, ideoque cogebantur ſimplex fateri. Erat firmum argumentum. Hinc ipſius eludendi cauſa finxerunt illam remiſſionem momentaneam ac revocabilem, ipſamque iſtis fictis dixerunt impendi. Et ita ſuum dogma peſſimè intricarunt. An enim ejuſmodi remiſſio ſubſiſteret, diſquirere Sanctus Auguſtinus noluit, permiſit tranſire, etiam dato atque accepto extra Eccleſiam Baptiſmo affirmavit adſcribendam ex eiſdem principiis, atque ita nullum eſſe fundamentum, ex quo ille exſuffletur aut repetatur. Et à ſe excogitatum nodum Donatiſtæ numquam potuerunt ſolvere. Ipſum Auguſtinus, iſto ad hominem argumento exuere ſe nolens impugnaſſe non legitur, quòd tamen nec probaverit, adducta ejus teſtimonia clarè demonſtrant. Et non de ipſa, ſed de ſola firma atque irrevocabili remiſſione ſancivit hic noſter Gregorius: Rectè ſanxit ipſam ſine vera pœnitentia non poſſe obtineri. Ex his interim lucet de Sacramentali operis operati virtute nec Catholicos olim dubitaſſe, nec Donatiſtas. Quin & hos in ipſam fuiſſe juſto liberaliores.

Vox, *Pœnitentia*, quandoque pro converſi ad Deum cordis contritione accipitur, quandoque pro ſatisfactione, quam antiqui Canones & Patres paſſim vocant pœnitentiæ actionem, nummumque non raſum, non ſcalptum, non adulterum, quo nos oporteat à Divina Clementia & Juſtitia emere culparum ac reatuum abolitionem. Ago hìc, uti & præſens Canon, de ſola ſatisfactione publica. Et quidem levium pro gravibus peccatis ſatisfactionum impoſitio etiam in antiqua Eccleſia eſt graſſata. Etenim eodem tempore, quo Romæ Novatianus quoſvis in thus aut libellum lapſos ad extremum uſque vitæ articulum pœnitere voluit, & ne tunc quidem Eccleſiaſtica pace donari, in Africa ortus eſt quinque Carthaginenſium Presbyterorum, Sancto ſuo Epiſcopo Cypriano rebellantium, error quoſvis ſub nulla aut ſub leviſſima certè pœnitentia admittens lapſos etiam ad pleniſſimam cum Oblatione Perfectionem, qua ipſos non purgari, ſed decipi, ſeduci, ac magis maculari glorioſus Martyr in pluribus Epiſtolis eſt proteſtatus. Quin & ipſum de nimio in lapſos rigore accuſavit apud Sanctum Papam Cornelium devia eorundem Presbyterorum factio, coegitque ad reſcribendam hanc Apologiam: *Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt non* Ep. 55.
pleno judicio religionis examino, delictis pluſquam oportet remittendis penè ipſe delinquo. Quoſdam nimia ſua facilitate ſuſceptos queritur fuiſſe pejus relapſos, & factos nequiores, ideoque ſe, uti ab iſta factione de rigore nimio, ita & à fideli ſuo populo accuſari de nimia clementia. De eadem clementia in Synodo ad Quercum accuſatus fuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Lucaniæ Epiſcopos, quòd grandes peccatores non ſolùm ad pœnitentiam non cogerent, ſed etiam exaltarent in Clerum, accuſat & Pontifex Gelaſius. Eadem de laxitate queruntur tertia Synodus Turonenſis, ſecunda Cabilonenſis, ſexta Pariſien- C. 22.
ſis, aliæque ſub Carolo Magno ac ejus filio C. 34. 35.
Ludovico Pio celebratæ: Per ipſam queruntur multorum animas decipi & perire, in Presbyterorum manibus graſſantes tunc pœnitentiales libros mandant comburi, aut ſaltem Synodaliter corrigi, ac pœnitentiam dari ſecundùm ſacras Scripturas, antiquos Canones, & avitam conſuetudinem. Et in libris de Laicali Inſtitutione ſcribit Jonas eodem tempore Epiſcopus Aurelianenſis: *Perrari ſunt hodiè in Eccleſia, qui talem*

L. 1. c. 10. *agant pœnitentiam, qualem antiquorum Patrum pœnitentium exempla, & auctoritas Canonica ſancit. Quis namque criminis reus, qui utique pœnitentia publica debuit mulctari, cingulum militiæ deponit, & à liminibus Eccleſiæ, cætuque fidelium arcetur, & à Chriſti Corpore ſeparatur? Quis porrò in cinere & cilicio, more pœnitentium antiquorum, lamenta pœnitudinis ſuſcipit?* Pernicioſum hunc & ſcandaloſum diſciplinæ lapſum multis deplorat, atque adjungit: *Illud etiam minimè prætereundum eſt, quod quidam peccatorum ſuorum conſcii imperitos animarum ſuarum medicos expetunt, ut ſibi ad votum ſuum pœnitentiæ tempora imponant, & peritos idcircò declinant, ne auſteriùs eos pœnitentiæ addicant.* Pœnitentialium Presbyterorum ignorantiam graviter damnat, ac pergit: *Sunt etiam plerique ſpiritales Medici, qui medendi animarum vulnera habent peritiam, ſed aut amoris proprii, aut adulationis cauſa, errata eorum, qui ſibi confeſſionem ſuorum peccatorum faciunt, ſaluberrimæ pœnitentiæ rigore ferire refugiunt.* Omnem hunc diſciplinæ lapſum duriſſimè exagitat, ſuadetque corrigendum. Quod ipſum eodem tempore fecerunt in ſuis Capitularibus Theodulphus Aurelianenſis, Hayto Baſileenſis, Hincmarus Remenſis, Herardus Turonenſis, Iſaac Epiſcopus Lingonenſis. Sub Merovingiorum Regum deſidia lapſam diſciplinam reſtaurarunt.

Ejuſdem poſt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala lapſum deſcribit in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem Sanctus Petrus Damiani: L. 1. Epiſt. 15. *Dum afflictio carnis à cunctis pœnitentibus penè reſpuitur in præfigendis pœnitentiam judiciis vigor Canonum penitùs enervatur. Quamobrem aut liber omninò claudendus eſt Canonum, aut à delegandæ pœnitentiæ laxatione ceſſandum. Quis enim ſæcularium ferat, ſi vel triduo per hebdomadam jejunare præcipias? Modò ſtomachi læſionem ſimulant, modò ſplenis ſive veſicę lamentantur exitium, modò marcidi pulmonis vitio intercludi ſibimet anhelitum conqueruntur.* Libertinam ſui ſæculi laxitatem plurimis lamentatur. Et in ſermone ad populum: Serm. 70. *In pœnitentiæ virtute caligant oculi plurimorum, qui vel diſcretione privati, vel aſſentatione ſeducti, aut neſciunt quid injungant, aut ſi ſciunt, privatam gratiam præferunt veritati.* Magnum iſtius ſæculi lumen fuit Sanctus Odilo Abbas Cluniacenſis, & tamen in ejus etiam vita ſcribit laudatus Petrus: C. 2. *In promulgandis judiciis ac modis pœnitentiæ præfigendis tam pius erat, & tanta merentibus humanitate compatiens, ut nequaquam diſtricti Patris Imperium, ſed maternum potiùs exhiberet affectum. Unde ſe reprehendentibus hujuſmodi verbis ſolebat eleganter illudere: Etiamſi damnandus, malo tamen de miſericordia, quam ex duritia vel crudelitate damnari.* Pati nolebat appellationem iſtam, de qua idem Petrus in vita Sancti Abbatis Romualdi: Ab impoſita per laudatum Romualdum pœnitentia refert Olibanum Comitem appellaſſe ad plures Epiſcopos & Abbates, ac ejus judicium fuiſſe nihilominùs ab illis confirmatum. Graſſabatur & alius abuſus, in quem rurſùs ad neſcio quem Monachum idem Petrus: *Ne implere valentis pœnitentiam ullatenùs inordinata charitate ſuſcipias. Quod ſi ſuſceperis, inſtantiſſima agilitate perſolvas.* L. 6. Epiſt. 20. Magni peccatores criminum ſuorum pœnitentias expleri curabant per Monachos, atque ita in illis ſecuri permanebant. Quare hanc Divini juris diſciplinam reparaturus noſter Gregorius, ſecundùm Sanctorum Patrum auctoritatem deinceps imponi atque agi juſſit pro criminum qualitate condignas pœnitentias. Hoc in ſolo condignitatis capite deficientes, Sanctum Cyprianum imitatus, dixit inutiles & falſas.

Quin quatuor avitas pœnitentium cum omni ipſarum paratura claſſes reparare optarit, non eſt dubitandum. Verùm iniquiſſimi & corruptiſſimi temporis ratio non patiebatur. Hinc ex ipſis ſaltem aliquid voluit reviviſcere. Primò voluit à pœnitente milite deponi arma, ſeu militiæ cingulum, nec ipſum niſi ex Epiſcopi facultate reſumi, & quidem ad ſolam juſtitiam defendendam. Loquitur cum Siricio Pontifice, qui in litteris ad Himerium Tarraconenſem Archiepiſcopum ſcribit eos, qui acta pœnitentia militare cingulum denuò appetunt, eſſe canes & ſues ad vomitum & volutabra redeuntes. Et in litteris ad Ruſticum Narbonenſem Archiepiſcopum Sanctus Leo Magnus: *Contrarium eſt omninò* Epiſt. 1. c. 5. *Eccleſiaſticis Regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, cùm Apoſtolus dicat,* NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SÆCULARIBUS. *Undè non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militia mundana voluerit implicare.* Et de illis, qui poſt acceptam in extremo vitæ periculo ſolemnem pœnitentiam convaleſcunt, ſtatuit duodecima Toletana Synodus: *Ne ad Militare cingulum redeant, religamus.* Can. 2. Et de redacto ad pœnitentiam Epiſcopi homicida Synodus Theoniſvillana: *Cingulum militare deponat.* Can. 4. Et de illo, qui dimiſſa vel interfecta uxore aliam duxerit, in ſuis Capitularibus Imperator Lodovicus Pius: *Armis depoſitis, publicam agat pœnitentiam.* Quod ipſum Decretum ſuo Capitulari inſeruit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis. Et habitum in Ticinenſi Francorum Regia Concilium ſtatuit de cunctis publicè pœnitentibus: *Nullo militiæ ſæcularis Concilio uti poſſint.* Tit. 2. c. 6. Quam Regulam in ipſo etiam Rege ac Imperatore obtinuiſſe docet laudati Ludovici publica pœnitentia: *Ad militiam ſæcularem non redeat!* C. 12. Ita ſuo Decreto diſertè inſeruit Compendienſis Synodus. Quòd publica pœnitentia ipſo, quoniam ſine armis geri non poteſt, Regno exuat, docet in chartula, Lotario Cæſari apud eandem Synodum oblata, Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis. Nec aliud cenſuit ipſe Ludovicus. Licet enim injuſtam atque invalidam accepiſſet pœnitentiam, arma tamen & Imperium reſumere non præſumpſit, niſi Synodaliter expurgatus & abſolutus. Et de Wimaro, ob occiſos tres filios redacto in publicam pœnitentiam, ad Rivobradum Epiſcopum ſcripſit Nicolaus primus: Epiſt. 5. *Arma niſi contra Paganos non ferat.* Et in litteris ad Rudolphum Archiepiſcopum Bituricenſem: *De his qui pro criminibus pœnitentiam* Ep. 39. c. 4. *gerunt, & ad cingulum militiæ revertuntur, con-*

ſtat

ſtat eos contra ſacras Regulas agere. Verùm quia crimina non æqualia ſunt, perhibeſque alios horum propter nimiam hebetudinem in deſperationem abiiſſe, alios ob hoc ad Paganos fugiſſe, tibi hoc committimus decernendum, nimirùm qui loca & tempus regionis illius, modumque culpæ, nec non & pœnitentiam & gemitus hominum ad confeſſionem venientium, præſens poſitus inſpicere vales. Franci ſemper arma pluſquam cibum & potum dilexerunt. Hinc illos ad ipſa poſt peractam pœnitentiam redire Nicolaus Pontifex diſpenſatoriè indulſit. Eadem de cauſa eandem gratiam fecit Wimaro: Verùm contra ſolos Paganos. Et ipſe eſt omninò primus, qui avitum Canonis rigorem legitur ſic mitigaſſe. Quare Remenſis ſub Joannis decimi Papatu per Seulphum Archiepiſcopum celebrata Synodus, quæ Sueſſionenſis inter Robertum & Carolum Reges civilis belli militibus publicam injunxit pœnitentiam, variaque jejunia, cum hac exceptione: *Niſi eum militia detentum eſſe contigerit.* Hæc, inquam, Synodus nimium receſſit ab antiqua diſciplina, & graſſantem ſuo tempore laxitatem ſecuta eſt, non auſa reparare. Ipſam ergò adhuc graviùs ubique graſſantem reparavit utcumque, nempè juxta Nicolai primi mitigationem, noſter hìc Gregorius. Quid per juſtitiæ defenſionem intelligat, ſuprà nobis edixit in litteris ad minoris Britanniæ Clerum & populum. Addidit & aliam mitigationem: Ut nempè militari cingulo non privet, ſed ipſum publica pœnitentia uſque ad ſui expletionem ſolummodò ſuſpendat.

Quòd publicus Pœnitens etiam negotiari non poſſit, ſcribit in laudata ad Ruſticum Narbonenſem Archiepiſcopum Epiſtola Sanctus Leo Ma-
Ca. 11. gnus: *Qualitas lucri negotiantem aut excuſat aut arguit. Quia eſt & honeſtus quæſtus, & turpis. Verumtamen Pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis adſtringi. Quia difficile eſt inter ementis vendentiſque commercium non intervenire peccatum.* Eadem de cauſa negotiationem Pœnitentibus interdicit Synodus Barchinonenſis. Et Herardi Turonenſis Archiepiſcopi Capitulare: *Pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere convenit.* Eadem verba Capitulari ſuo inſeruit Iſaac Lingonenſis Epiſcopus, & addidit poſteriora verba Sancti Leonis. Hanc igitur avitam diſciplinam hìc etiam reparat noſter Gregorius. Quin & negotiationi addidit: *Officium deſerat.* Utique illud, de quo in Lateranenſi ſuo Canone Innocentius ſecundus: *Falſa Pœnitentia eſt,* Cap. 22.
cum Pœnitens ab officio vel Curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet. Aut certè ſine peccati periculo. Ex lapſu enim læſus, quouſque curetur, non ſolùm ſcabroſis, ſed nec lubricis viis poſſit credi. Et hi Canones lucidè oſtendunt degradandi Principis poteſtatem eſſe in Eccleſia antiquiſſimam, ac non ſoli Romano, ſed olim cuivis competiiſſe Epiſcopo. Quivis enim Epiſcopus ſemper potuit publicam pœnitentiam imponere, atque ita & armis & militari baltheo, & omni Curiali, adeoque & Regio atque Imperiali officio etiam in perpetuum privare. Præſens tamen Canon dumtaxat ad tempus ſuſpendit. Interim arma reſumi non niſi de Epiſcoporum conſilio permittit. Quare in publicam pœnitentiam damnatus Princeps, etiam poſt abſolutionem, non niſi eadem via poſſit redire in adminiſtrationem Regni. Et ex hac Regula noſter Gregorius, dum Henricum quartum poſt expletam publicam pœnitentiam ab excommunicatione & culpis reconciliavit, populare fidelitatis Sacramentum non exemit à ſuſpenſionis vinculo, ideoque nec illum repoſuit in plenam ac liberam Regni adminiſtrationem.

CANON VII.

DEcimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe Canonica auctoritas demonſtrat, à Laicis poſſideri Apoſtolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuslibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.

SCHOLION.

DEcimas eſſe in Eccleſia antiquiſſimas, eſt ſuo loco oſtenſum. Lucet etiam ex Iſidori Peluſiotæ litteris ad Herminum Comitem:
Lib. 1. Ep. 317. *Præclarè Dominum ornas, cum nobis fructuum tuorum Primitias tribuis, Decimamque partem ex ubertate terræ tuæ, à quo eam accepiſti, pendis.* Et ex Sancti Auguſtini ad Caſulanum Presbyterum Epiſtola, laudante memoratum à Sancto Luca Phariſæum, quod omnium bonorum ſuorum daret Decimas, & adjungente: *Quod cupimus à* Ep. 86.
multis fieri Chriſtianis, & vix pauciſſimos invenimus. Eundem ab eodem facto laudat in libro de decem chordis, urget Evangelicam legem, *Ni-* Cap. 12.
ſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum, atque proſequitur: *Ergo illi dant Decimas, tu ſi centeſimam dederis, aliquid magnum te feciſſe gloriaris.* Et in trigeſimo de Domini verbis ſermone laudat hanc primam Eleemoſynam, *Miſerere animæ tuæ, placens Deo,* & pergit: *Hanc eleemoſynam ſi prætermittis, da quantum vis,* Cap. 4.

vis, retrahe de fructibus tuis, non Decimas, ſed dimidias, novem partes da, & unam tibi dimitte, nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pau-
Sermon. 215. 216. 219. *per es*. Eaſdem Decimas laudat in tribus de tempore ſermonibus: Et ipſorum poſteriorem, uti legitimum Auguſtini fœtum, laudat in libris de Laicali inſtitutione Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. Quin & omnes tres in decimi tomi corpore firmarunt Doctores olim Lovanienſes. Verùm omnes eſſe ſpurios, & Auguſtino longè juniores, eſt lucidum. Duos priores eſſe Sancti Eligii Tornacenſis Epiſcopi, demonſtrat in ejus vita Sanctus Audoenus Archiepiſcopus Rothomagenſis. Et de neſcio quo pio & caſto apud Ægyptios Ruſtico dicit in quarta decima
Cap. 7. Joannis Caſſiani collatione Abbas Neſteros: *Numquam de fructibus ſuis aliquid uſurpavit, niſi priùs Deo Primitias ac Decimas obtuliſſet*. Profecit hic poſteà in Abbatem Theonam, vigeſimæ primæ collationis Auctorem, & de ipſo ſcribit
Cap. 1. etiam hic laudatus Caſſianus: *Ad Beatum Joannem Abbatem, tunc Monaſticæ Diaconiæ Præſidem, cum piæ devotionis ſtudio Theonas juvenis adveniſſet, deferens religioſa munera inter cæteros poſſeſſores, qui certatim Decimas, vel Primitias frugum ſuarum de ſuis ſubſtantiis offerebant*. Et ad iſtos oblatores dixit ibidem laudatus Joannes: *Delector quidem, ò filii chariſſimi, pia veſtrorum mune-*
Cap. 2. *rum largitate, & devotionem hujus oblationis, cujus diſpenſatio mihi credita eſt, gratanter amplector, quia fideliter Primitias veſtras ac Decimas, indigentium uſibus profuturas, velut ſacrificium Domino bonæ ſuavitatis offertis. Harum ſcilicet oblatione plenitudinem quoque fructuum, univerſæque ſubſtantiæ veſtræ, ex qua hæc Domino delibaſtis, ubertim benedicenda credentes, voſque ſecundùm mandati illius fidem multiplici ubertate bonorum omnium etiam in hoc ſæculo cumulandos*. Oblationes iſtas addit eſſe imperfectam legis juſtitiam, quoniam omnia derelinqui & pauperibus donari debeant à Chriſtiana perfectione, quæ tamen dumtaxat ſit conſilii, non Præcepti. Ex quibus vides Decimas tunc, licet non ubique univerſaliter, apud varios tamen populos fuiſſe uſitatas. Suo necdum tempore fuiſſe affirmat diſertè, primos Judææ fideles laudans, in libro de Eccleſiæ unitate Sanctus Cyprianus: *Domos tunc & fundos venumdabant & theſauros ſibi in Cœlo reponentes, diſtribuenda in uſus indigentium pretia Apoſtolis offerebant. At nunc de Patrimonio nec Decimas damus, & cum vendere jubeat Dominus, emimus potiùs & augemus*. Nempè data Eccleſiis per Imperatorem Conſtantinum pax ipſas cœpit inducere, primùm ſuadendo & rogando, atque ita paulatim proficiendo in rigidum ac generale Præceptum. Ita demonſtrant graviſſimæ uſque ad effuſum quandoque ſanguinem contentiones, quas pro inducendis aut reducendis Decimis fuiſſe paſſim in variis regionibus Eccleſiam, ſuo loco oſtendemus. Undè & armato Regum brachio fuit ſubindè opus.

Eccleſiarum porrò Decimas militibus in beneficium dare cœpit Carolus Martellus, ac de iſto abuſu ſcribit in libris de Laicali inſtitutione Jonas Epiſcopus Aurelianenſis: *Hoc avaritiæ genus in tantum quoſdam obligaverat Laicos, ut hocce juſtè ac rationabiliter, immò inculpabiliter ſe-* Lib. 1. c. 19.
ctari poſſe putarint, donec glorioſus orthodoxus Dominus Ludovicus Imperator inter cætera pietatis ſuæ beneficia, quæ honore & amore Domini noſtri JESU *Chriſti contulit Sanctæ Eccleſiæ, ab hoc quoque eam immunem effecerit*. Prodit & alium ſui temporis abuſum, dicens de quibuſdam pagorum Domicellis: *Exiſtunt quamplures, qui Decimas non honoris Divini, ſed quæſtus ſui cauſa Sacerdotibus diſtribuunt, eoſque quibus præſunt diſtribuere compellunt. Scilicet ut id, quod datum fuerit, aut totum aut penè totum in ſuos ſuorumque extorqueatur uſus. Sunt plerique, qui poſſeſſionum limitibus coanguſtati, & reditibus carentes, aut in juris ſui proprio, aut certè ex munere alicujus Potentis habent Baſilicas, ad quas religioſa devotio fidelium magnam oblationum & Decimarum conferre ſolet copiam, ſuper quam hujuſmodi cupiditate ducti ſolent dicere: Ille Presbyter multa de mea acquirit Eccleſia, quapropter volo ut de eo, quod de meo acquirit, ad votum meum mihi ſerviat. Sin alias, meam ultra non habebit Eccleſiam. Sed & in talibus Baſilicis conſtitui non ſinunt Presbyteros, niſi ab eis munus, quod optant, acceperint*. Alodiales vel etiam Feudales Pagorum Domicelli volebant etiam ipſius Baſilicæ eſſe non dumtaxat Patroni, ſed & Domini, atque iſto fuco ab illius Presbytero extorquebant partem Oblationum ac Decimarum. Addit iniquitatem hanc non ſolùm in pauperibus, ſed & in opulentis Domicellis viguiſſe: *Sunt etiam plerique Potentes, qui obliti ordinis ac Miniſterii ſui, hujuſmodi Baſilicas poſſidentes rebus tenues, fidelium verò largiſſimis Decimis abundantes, contra fas ſuis aut Clericis aut Laicis beneficiario munere conferunt, ut de hujuſmodi oblationibus & Decimis ſibi ſerviant*. Decimas ſolis Baſilicis, Clericis, atque pauperibus deberi, & hinc impiam eſſe iſtam violentiam, inſigniter oſtendit.

Ex ipſa prodiit & alia Diſciplinæ ſcabies, adversùs quam edixit in ſuo Capitulari Atto Vercellenſis Epiſcopus: *Si quis Presbyter, vel quilibet è Clero, inventus fuerit alicui Laico deinceps munera dare aut promittere, ut Eccleſiam alterius Presbyteri ſubripiat, ſciat ſe pro hac rapina ac ſæva cupiditate aut gradum amiſſurum, aut in carceris* Cap. 33.
ærumna agendo pœnitentiam, longo tempore detinendum. Iſtarum Eccleſiarum Præfecturas non ſolùm citra Epiſcopi ſcientiam ac voluntatem dabant iſti Domicelli, ſed & palàm vendebant, atque ita novo & majori pretio corrupti frequenter expellebant non ſolum ab Epiſcopo inſtitutum, ſed & primum emptorem Presbyterum, & novum intrudebant. Quòd longo tempore adversùs hunc errorem pugnare debuerit Eccleſia, oſtendunt plurimi Canones, ſuo tempore adducendi.

Præſenti Canonis tempore graſſans iniquitas fuit æquè fera. Ipſam in alio apud Gratianum 1. qu. 3.
exſtante Canone exponit noſter Gregorius: *Per-* c. 13.
venit ad nos fama ſiniſtra, quòd quidam Epiſcoporum non Sacerdotibus propriæ Diœceſis Decimas atque Chriſtianorum oblationes conferant, ſed potiùs Laicalibus perſonis, militum videlicet ſive ſervitorum, vel quod gravius eſt, conſanguineis. Undè ſi

quis

quis amodò Epiſcopus inventus fuerit hujus Divini præcepti tranſgreſſor, inter maximos Hæreticos, & inter Antichriſtos non minimus habeatur. Et ſicut Nicæna Synodus de Simoniacis cenſuit, & qui dat Epiſcopus, & qui recipiunt ab eo Laici, ſive pretio, ſive beneficio, æterni incendii ignibus deputentur. An quintum, à quo Simonia, an duodecimum, à quo Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ alienatio vetatur Epiſcopis & Clericis, ſecundæ Nicænæ Synodi Canonem laudet, ignoro: Neuter habet adducta verba. Utriuſque junctim ſenſum exiſtimo laudari. Interim Gratiano, quòd inſignem iſtum Gregorii Canonem nobis cuſtodierit, debemus gratias: Non eſt dubitandum, quin plures perierint aut lateant. Eundem abuſum idem Pontifex damnat in litteris ad Herimannum Metenſem Epiſcopum: *Tuam volumus* [Lib. 6. Ep. 5.] *admonitam eſſe Prudentiam, ne alicujus magnitudine tribulationis coactus Eccleſiaſticas cuiquam hæreditates largiaris, unde multum te poſteà pœniteat, cum quod modò turbatus egeris, nullo modo emendare potueris.* Electiſſimus Eccleſiaſtici patrimonii defenſor fuit Herimannus: Et nihilominùs ab Eccleſiæ ſuæ Vaſallis, aut aliis militibus, ad ipſius, licet non Decimas, propriæ tamen Eccleſiæ poſſeſſiones infeudandas fuit per illatas violentias compulſus. Quod paſſim alii Epiſcopi etiam Decimas infeudare fuerint compulſi, immò & propria iniquitate conſueti, lamentatur Sanctus Petrus Damiani in litteris ad Alexan- [Lib. 1. Ep. 1c.] drum ſecundum Pontificem: *Inter omnia hujus temporis mala illud excedit, & Diabolicam propemodùm videtur æquare nequitiam, quia prædiis in militiam profligatis, omnique poſſeſſione terrarum, inſuper etiam Decimæ ac Plebes adduntur in beneficium ſæcularibus. Quæ profectò liberalitas inhoneſta eſt, indigentibus adimit unde vivant, & Diœceſanos etiam deterret ut Decimas non perſolvant. Una ſcilicet res & illis ſubtrahit corporale ſubſidium, & iſtis periculum providet animarum.* In aliis ad neſcio quem dilapidatorem Epiſcopum litteris inſigniter oſtendit hujuſmodi omnem Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ donationem fuiſſe in plenaria nuper Florentina Synodo damnatam juſtiſſimè à Victore ſecundo, & pergit: *Sunt etiam qui Plebes*, ſeu Pa- [Lib. 4. Ep. 12.] rochiales Eccleſias, *ſæcularibus tradunt. Hi nimirùm tanto graviùs delinquunt, quanto & ſacrilegium convincuntur committere. Quia & ſancta profanant, & his, quibus quaſi beneficium prærogant, venenum lethale propinant. Quid eſt enim Decimas in uſum ſæcularium vertere, niſi mortiferum eis virus, quo pereant, exhibere? Huc accedit, quod & Plebeſanis juſta datur occaſio, ut matricibus ſuis Eccleſiis obedientiam ſubtrahant, & legitima Decimarum tributa non perſolvant.* Eis paſſim militibus, quorum interceſſione atque auxilio ad Epiſcopatum pervenerant, donabant ambitioſi Epiſcopi, atque ita novo ſacrilegio complebant ſuam Simoniam. Eſſe novam, quæ nullo fuco aut titulo purgari poſſit, Simoniam docet inſigniter in litteris ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem. Eandem in Longobardiæ [Lib. 2.] Epiſcopis Adrianus primus, in Severo Patriar- [Epiſt. 3.] cha Antiocheno Conſtantinopolitana Mennæ Pa- [Ep. 7.] triarchæ Synodus, in Galliæ Epiſcopis Symmachus Pontifex, in Georgio Alexandrinæ Eccleſiæ invaſore culpat apud Africanos Epiſcopos Sanctus Athanaſius: Iniquitas eſt adeò antiqua. Quòd hocce tempore milites, aliique Laici Decimas ac Parochiales Eccleſias etiam ipſi invaderent, à Regibus ac aliis Principibus impetrarent, atque olim impetratas poſſiderent, eſt alibi oſtenſum. Et omnem hanc iniquitatem abolet præſens Canon. Quaſvis Decimas non ſolùm deinceps donari aut invadi vetat, ſed & quaſvis etiam ab Epiſcopis uſque huc donatas mandat reddi. Ex Gratiano productus Canon etiam vendi vetat, non tamen jubet reddi, ideoque uti imperfectiorem, ſic illum exiſtimo hoc noſtro præſenti eſſe anteriorem. Lapſam quippè diſciplinam gradatim in ſuis Synodis reparare ſolitus fuit noſter Gregorius. Sancit de ſolis Decimis: Quòd ſint res ſacra, ideoque nullo titulo valeant à Laicis detineri. Et omnes malè tunc uſque alienatos Eccleſiarum fundos ad reſtitutionem poſtulare erat res corruptiſſimo ſæculo nimis ardua.

Porrò præſens Canon non fuit omninò infructuoſus. Etenim de Guilielmo primo Anglorum Rege ſcribit ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ſuum in Gallia Vicarium, noſter Gregorius: *Rex Anglorum, licet in quibuſdam non ita religio-* [Lib. 9.] *ſè, ſicut optamus, ſe habeat, tamen in hoc quòd* [Ep. 5.] *Eccleſias Dei non deſtruit neque vendit, Presbyteros uxores, Laicos Decimas, quas detinebant, etiam cum juramento dimittere compulit, cæteris Regibus ſe ſatis probabiliorem, ac magis honorandum oſtendit.* Ejus veraciter Chriſtianam, qua præſentem Canonem executus eſt, legem habemus apud Henricum Cnygthonum: *De omni annona Decima garba Deo debita eſt, & ideò reddenda. Si gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum, qui unam tantùm vel duas habuerit, de ſingulis pullis ſingulos denarios. Similiter qui vaccas* [L. 2. c. 4.] *plures habuerit decimum vitulum, qui unam vel duas, de vitulis ſingulis obolos ſingulos, & qui caſeum fecerit, det Deo decimum, ſi verò non fecerit, lac decima die. Similiter decimum agnum, decimum vellus, decimum butyrum, decimum porcellum.* Eandem Regulam ſervari jubet in ſylvis, pratis, aquis, molendinis, hortis, negotiationibus, & omnibus rebus quas dederit Deus. Hanc affirmat eſſe avitam Sancti Apoſtoli Auguſtini doctrinam, neglectam olim per divites ac deſides Epiſcopos, ideoque poſt exindè multiplicatas ultra duplum in Anglia Eccleſias omninò reparandam.

Pergit Gregorius in laudata Epiſtola: *Præterea innotuit nobis, quòd multos milites, qui priùs ad Presbyteros fornicarios & Simoniacos coercendos favorem & auxilium vobis impenderant, propterea quòd Decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaveritis, quales nos anathematis vinculo alligare Synodali judicio per diſcretionem diſtulimus. Super his igitur conſulimus atque hortamur, ut nunc pro tempore Canonicum rigorem veſtra Sapientia temperet, atque hac turbationis tempeſtate quædam parcendo, nonnulla diſſimulando ita ſtudeat moderari, ut non ex ſeveritate juſtitiæ deteriorandi occaſionem ſumant, ſed ſuſpenſo nunc judicio ſpatium recognoſcendi æquitatem habentes, poſtmodum faciliùs ac-*

quie-

quieſcant, ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod citò futurum ſperamus, id quod nunc Apoſtolicæ Sedis diſcretio patienter differt, juſtitia dirimens ad ſtatum ſuum reſtauret. Præſens Canon nullam infligit excommunicationem, ideoque nec Gregorius voluit infligi à ſuo Vicario. Et quidem Henricianæ perſecutionis turbatio, & exindè nata varia neceſſitas hujus Canonis plenam executionem perſuaſit multis in locis diſpenſatoriè diſſimulari ac ſuſpendi.

CANON VIII.

Quia dies Sabbathi apud Sanctos Patres noſtros in abſtinentia celebris eſt habitus, nos eorumdem auctoritatem ſequentes ſalubriter admonemus, ut quicumque ſe Chriſtianæ Religionis participem eſſe deſiderat, ab eſu carnium eadem die, niſi majori feſtivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abſtineat.

Scholion.

Quòd ex Sancti Petri Apoſtoli, aut certè ex Sancti Sylveſtri Pontificis Inſtituto Romana olim Eccleſia omni extra Quinquageſimam Sabbatho jejunium ſervaverit, ipſamque tandem cuncta præter Hiſpaniam Occidentalis Eccleſia ſit imitata, ſuo loco eſt latè oſtenſum. Quòd Hiſpani numquam admiſerint, lucet ex Synodo Eliberina, primo Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi de Eccleſiaſticis officiis libro, ex Adriani primi Pontificis ad Egilam Epiſcopum litteris, & ex celebrata ſub Leonis noni Pontificatu Synodo Coyacenſi. Verùm laudata pietas paulatim adeò defecit, ut de ipſa etiam Romana Eccleſia ſcribat in libris de Eccleſiaſticis officiis Amalarius Fortunatus: *Solebant Romani omnia Sabbatha jejunare. Propterea dico præteritum, quia neſcio quomodo nunc agunt*. Quin & longè antiquior Ordo Romanus habet de ipſo etiam Sabbatho ſancto: *Papa & cæteri Romani ova manducant, & formaticum, id eſt caſeum*. Et apud Gratianum tertia de conſecratione diſtinctio habet Leonis quarti ad neſcio quos Reſcriptum, avitam quartæ & ſextæ feriæ à carnibus abſtinentiam laudans, mandanſque ſervari, aſt de Sabbatho nullam faciens mentionem, Et Romanum abſtinendi ac jejunandi morem poſtulantibus Bulgaris, quarta abſtinendum à carnibus, ac ſola ſexta feria inſuper jejunandum reſcribens Nicolaus primus, nullam Sabbathi fecit memoriam: Quòd nempè ejus obſervantia tunc penitùs exoleviſſet. Et de Sancto Romualdo ſcribit in ipſius vita Sanctus Petrus Damiani: *Contingit ut aliquando librum de vita Patrum legens, in illum locum incideret, ubi continetur, quòd quidam fratres per continuam hebdomadam ſingulariter jejunantes, Sabbathorum die pariter convenirent, ipſoque & Dominico die jejunii rigorem interponerent, & remiſſiùs victitarent. Quem vivendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit, & in eo quindecim ferè annis, vel eo ampliùs, continua auſteritate permanſit*. Et in ſequenti capite: *Poſt hæc autem Romualdus iterum legens, quia Sanctus Sylveſter urbis Romæ Epiſcopus, Sabbathorum diem jejunandum eſſe, ut reverà Sancti Paſchatis vigilias, inſtituerit, mox remiſſionem Sabbathi in quintam feriam commutavit.* Sabbathi pietas adeò tunc erat abolita atque oblitterata per omnem Italiam, ut hujus tunc doctiſſimus Abbas Romualdus ipſam etiam ignoraret, & æmulum ſequeretur morem Græcorum. Quòd quidam tunc alternis dumtaxat Quadrageſimæ diebus jejunantes, ipſo etiam Sabbatho ſancto eſſent ab hora tertia ebrii, queritur in primo ſermone de Quadrageſima Ratherius Epiſcopus Veronenſis. Quin & poſt eliminatam iſtam peſſimam licentiam nequiit apud Romanos plenè reparari Sabbathi ſancti jejunium: Rationes dat, ac diſſimulandum ſuadet in litteris ad ſuæ congregationis Eremitas Sanctus Petrus Damiani. Qui mos adeò irrepſit etiam in Gallias, ut Alcuinus Flaccus cenſeat Sabbathum iſtud omni veneratione debere eſſe jucundum. Et ita conſueviſſe in variis Eccleſiis, teſtatur in litteris ad ipſum Carolus Magnus.

Porrò ad undecimi ſæculi exordium de Triburienſis Synodi Epiſcopis ſcribit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Eorum unus cælitus ſibi delatas dixit eſſe litteras, quæ monerent jejunium in pane & aqua, omni ſexta feria obſervandum, & in Sabbatho à carne & pinguamine, ſoloque hoc contenti jejunio in omnium peccatorum ſatisfactione, nullam ſcirent ab eis aliam adjiciendam pœnitentiam, & hæc Sacramento ſe ſervare firmarent. Quòd qui nollet, Chriſtianitate privaretur, & de ſæculo exeuntem nullus viſitaret, nec ſepulturæ traderet*. Adverſùs edendum Canonem addit Gerardum primum Cameracenſem Epiſcopum longa oratione interceſſiſſe, quam in hocce compendium redigit Sigebertus Gemblacenſis: *Gerardus dixit jejunium in ſexta vel ſeptima feria nec omnibus unum eſſe imponendum, quia non eſt una omnibus poſſibilitas, nec omnes hoc uno jejunio contentos eſſe, quia non eſt una omnium pœnitendi qualitas; hæc Sacramento firmare, vel Sacramenti violationem perjurio augere non eſſe utile: his contradicentes excommunicari, infirmis viſitationem, vel mortuis ſepul-*

Marginal notes: Cap. 23. Ep. 95. — L. 4. c. 37. — Cap. 11. — Epiſt. 71. l. 5. — C. 8. — Lib. 6. Ep. 35. — Ep. 70. — Lib. 6. c. 52.

ſepulturam negari eſſe deteſtabile ; ſufficere authentica Patrum Decreta, & ſuper his neglectis impoſitum congruenter pœnitentiæ modum. Cæleſti Epiſtolæ cenſuit non adhibendam fidem. Interim plurimas tunc deſuper conveniſſe Synodos affirmat Glaber Rudolphus, quarum hæc fuit Summa : *Illud ſanè memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus ſanctione perpetua, ſexta die abſtineretur à vino, & à carnibus ſeptima, niſi fortè gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima ſolemnitas interveniret. Si verò effectio aliqua intercederet, ut hic tenor paulatim laxaretur, tres proindè pauperes victu ſuſtentaren-*
L.4.c.5. *tur.* Tunc enim & mos & Canon permittebant jejunia eleemoſynis redimi. Etiam à ſe iſtud jejunium fuiſſe tunc ſtrenuè commendatum atque promotum, necnon & miraculis confirmatum à Divina Majeſtate, teſtatur in litteris ad Gamugnenſis Cœnobii Eremitas Sanctus PetrusDamia-
L.6.Epiſt. 33. 35. ni. Et his fundamentis nixus noſter Gregorius edidit præſentem Canonem. Sabbathum non avito jejunio, immò nec vini, ovorum, aut lacticiniorum, ſed ſola carnis abſtinentia ſanxit ab omni ubique Latina Eccleſia honorandum. Plenam avitæ diſciplinæ reparationem corrupti tunc mores diſſuaſerunt.

Quæſtio eſt, in cujus reverentiam Gregorius hanc abſtinentiam reduxerit. Quidam exiſtimant quod in reverentiam Deiparæ Virginis. Et ita hodie plebs paſſim opinatur. Fundat ſe in litteris Sancti Petri Damiani ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, & Cardinalem ſanctæ Ro-
Lib. 2. Ep. 14. manæ Eccleſiæ : *Pulcher mos in nonnullis Eccleſiis inolevit, ut ſpecialiter ad Deiparæ Virginis honorem per omne Sabbathum Miſſarum celebrentur officia, niſi fortè feſtivitas, vel feria Quadrageſimalis obſiſtat.* Primus pietatis auctor fuiſſe videtur Alcuinus Flaccus, qui ſeptem Miſſas compoſuit pro ſeptem feriis, ac de Domina ſeptimam Sabbatho aſſignavit. Rationem addit laudatus Petrus : *Sabbathum, quod requies interpretatur, quo videlicet die Deus requieviſſe legitur, ſatis congruè Beatiſſimæ Virgini dedicatur. Quam nimirum ſibi ſapientia domum ædificavit, atque in ea per aſſumptæ humilitatis myſterium, velut in ſacratiſſimo lectulo, requievit.* Fidelium in ſacram Virginem devotio cœpit hocce tempore ſingulariter creſcere: Omni vacanti Sabbatho cœpit de ipſa non ſolum Miſſæ ſacrificium, ſed & totius diei celebrari officium, in quavis feria ac feſto ſimplici dici minores illius horæ, ac ejus Miſſis propriam Præfationem dedit Urbanus ſecundus. Ejuſdem ergo in honorem videtur noſter Gregorius induxiſſe hanc Sabbathinam abſtinentiam. Reſpondeo tamen plebem errare. Lucidè enim ad neſcio quem hujus abſtinentiæ obſervantem Mo-
Lib.6.Ep. 33. 35. nachum dixit apparens Angelus : *Heſterno Sabbathi die ſepulturam Dominicam, dum jejunaſti, veraciter adoraſti.* Uti rem Authenticam narrat in litteris ad ſuæ congregationis Eremitas, & ad iſtum ſcopum commendari à ſe hanc abſtinentiam profitetur laudatus Petrus Damiani. Eundem omninò reſpexit & noſter Gregorius. Avitum Sancti Sylveſtri Decretum non ſolummodò quoad officium, ſed etiam quoad finem reparavit. Dominicam ſepulturam, ac Deiparæ atque Apoſtolorum de ipſa luctum voluit per hebdomadariam iſtam abſtinentiam memorari à fidelibus atque honorari.

Verùm Canon paſſus fuit graves obices. Etenim ipſum, quòd utique non ſervaretur, innovavit ac ſuæ Belluacenſi Synodo inſeruit Conon Præneſtinus Epiſcopus, Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinalis Legatus. Exſtat Synodus in ſecundo Spicilegii tomo apud Lucam Dacherium. Quin & ad Cluniacenſes Monachos ſcribit ipſorum Abbas, qui iſto tempore floruit, Petrus Mauritius: *Abſtinent cauſa Dei ipſi mimi* Lib. 6. Ep. 15.
vel lixæ à carnibus omni Sabbatho, abſtinent inſuper plerique Laicorum omni quarta, abſtinent quidam ex ipſis etiam omni ſecunda feria. At Fratres noſtri Sancti Ordinis, cœleſtis Propoſiti Monachi, & hoc Cluniacenſes, ſpreto Deo, abjecto pudore, totum, ut dicitur, annum, nulla præter ſextam excepta feria, in abſumendis carnibus continuant, nec hoc ſaltem occultè, ſed palàm ac publicè facientes. Sancti Benedicti Regula, & avita iſtius ſanctiſſimi olim Monaſterii diſciplina nullo die permittunt edi carnem, ideoque venerandus iſte Abbas in hoſce carnivoros fuit meritò cum impetu invectus. Et Henricus Albanenſis Epiſcopus, Gregorii octavi ad inſtaurandum ſacrum bellum per Galliam Legatus, ſtatuit in Synodo Pariſienſi: *Ut à præſenti anno in quinquennium per omnes ſextas ferias eſſet fidelium populus in cibo Quadrageſimali, & ut quarta feria ac Sabbatho abſtinerent à carnibus omnes illi, qui eſſent incolumes.* Sabbathi abſtinentia lucidè ſupponitur necdum tunc in Gallia viguiſſe. Et in ſententiis ſuis circa eadem tempora ſcripſit Robertus Cardinalis Pullus: *Nec ea quæ comedi, nec quæ poſſunt bibi, omninò ulla dimitti lex Chriſtiana mandat, niſi fortè ſi quid hujuſmodi ſuboriatur, quare quod licitum eſt, tamquam illicitum fugere conveniat. Sicut ſexta feria, cum jejunii diebus, carnes edere minimè jam licet, quoniam id Eccleſiæ abſtinentia prohibet.* Nullam Sabbathi facit mentionem. Et ad Archiepiſcopum Bracarenſem reſcripſit apud Gregorium nonum Innocentius tertius: *Cum quæſieris de illis, qui propter debilitatem in* Lib.3. tit. 46. c.2.
Sabbatho carnes ſumunt, quod in partibus tuis nullatenùs fieri conſuevit, cum hoc ab aliis moleſtè feratur, & oriatur inde illis occaſio detrahendi; reſpondemus quod ſuper hoc conſuetudinem tuæ regionis facias obſervari, ſic tamen quod debilibus ac infirmis periculum propter hoc non emergat. Supponit eſſe variam Eccleſiarum conſuetudinem, & iſtiuſmodi abſtinentiam apud quaſdam non eſſe receptam. Et in Bulla, qua Benedictinis Monachis eſum carnis indulſit, hæc habet Benedictus duodecimus: *Statuimus & ordinamus, quod per to-* Cap. 26.
tum annum feria quarta & die Sabbathi omnes Regulares ejuſdem Ordinis ab uſu carnium ubique abſtineant. Sabbathum exprimit, tacet ſextam feriam. Quod nempè iſtud ad generalem ubique abſtinentiam conſuetudo non obligaret. Ejuſmodi conſuetudinem non eſſe in Francia, Cathalonia, ac aliis partibus affirmat in Summa Sanctus Antoninus. Et nos Belgæ in cunctis intra Domi- Part. 29. 6. a. 1. 2.
ni Natalem ac Deiparæ Virginis Purificationem

Sab-

Sabbathis carnes edimus, & omnes ferè Brabanti in cunctis extra Quadrageſimam & præceptas Sanctorum Vigilias Sabbathis veſcuntur pinguedine.

Gregorius ſeptimus, Gregorius octavus, ac Innocentius tertius ab hac lege & conſuetudine
Cap. 7. excipiunt infirmos. Quod ipſum faciunt Synodi, quas ſuprà laudavimus ex Glabro Rudolpho. Ita etiam à jejunio, & quidem in ipſo ſacroſanctæ Paraſceves die, parvulos, ſenes, ac languidos eximit quarta Synodus Toletana. Et in Ca-
Cap. 37. pitulari ſuo habet Sanctus Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus: *Præter infirmos ac parvulos quiſquis in Quadrageſima non jejunarit, pœnam ſibi acquirit.* Infirmis permittit ova, caſeum, piſces, vinum, ſed non carnes. Et in Canonum
Cap. 106. breviatione Fulgentius Ferrandus: *Quicumque ſanus corpore jejunia communia diſſolverit, anathema ſit.* Et poſt enumeratos jejunii dies addit Synodus Salegunſtadienſis: *Excepta infirmitate.* Et in Synodica ad ſuam Eccleſiam Epiſtola Ratherius Veronenſis Epiſcopus: *Quòd ſi pro infirmitate aliquis jejunare non poteſt, proficiat ei jejunium, quod generalis facit Eccleſia, omnes enim in Christo unum corpus ſumus.* Et in decima ſuper geneſim homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Si ſint aliqui præſentes, quos corporis vetat infirmitas jejunos vel impranſos permanere, eos hortor ut corporis infirmitatem curent, & ſpirituali hac doctrina non ſolùm non priventur, ſed & pranſi plus exhibeant ſtudii. Sunt enim, ſunt profectò viæ, quibus fiduciæ ad Deum viæ aperiri poſſunt, multo majores quàm ciborum abſtinentia. Igitur qui cibum accipit, & jejunare non valet, largiorem det eleemoſynam, ferventior ſit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis Divinis eloquiis, in quibus corporis infirmitas nihil obſtare poteſt, inimicis reconcilietur, omne odium & vindictæ cupiditatem ex animo effuget. Qui hæc fecerit, verum jejunium jejunabit, quod à nobis potiſſimum expoſcit Dominus.* Utrumque hoc jejunium laudat etiam in ſermone adversùs ebrietatem, & pergit: *Hoc melius eſt illo jejunium. Nec melius tantùm, ſed etiam levius. Illius jejunii tempore multi corporis imbecillitatem obtendebant, moleſtum pruritum: Scabie repletus ſum, inquit, illuviem non fero. Aquæ potus me enecat, olera deguſtare non poſſum.* Omnes has infirmitates videtur admittere pro legitimis.
Can. 111. Et in Canonum Synopſi habet Arſenius Monachus: *Jejunia omnia fideliter jejunare oportet, quæ ex traditione Eccleſiaſtica habemus, niſi propter infirmitatem impediantur.* Et in ſcholiis ad ſexageſimum nonum Apoſtolicum Canonem Theodorus Balſamon: *Excipe mihi eos qui ægrotant. Hi enim ſi per piſces jejunia ſervant, eis venia datur. Per carnem autem non ſolvet quis quemcumque quartum diem & Paraſcevem, exceptis Paſchalibus & aliis conceſſis, etiamſi extremum ſpiritum agat.* Et infrà: *Cùm autem ſolutionem audis, ne dicas eam quæ ſit per carnem. Propter corporalem enim imbecillitatem non permittetur cuiquam, etiamſi extremum agat ſpiritum, in magna Quadrageſima carnibus veſci. Vidimus enim hoc diverſis temporibus Synodicè petitum eſſe, & non eſſe conceſſum.* Quæ Græcorum pietas eſt antiqua.

Quòd enim Imperatori Juſtiniano, macellum ob publicam famem aperienti in Quadrageſima, reſtiterit Conſtantinopolitanus populus, & mori quàm paternam diſciplinam prævaricari maluerit, ideoque nemo emerit carnem aut comederit, teſtantur & laudant antiqui Scriptores. Ex eadem pietate infirmos à Quadrageſimæ jejunio excuſavit, verùm carnes nullo modo permiſit ſuprà laudatus Sanctus Theodulphus. Et neſcio quem Epiſcopum, dum infirmus ad evaden- Lib. 1.
dum vitæ periculum ex Collegarum conſilio car- cap. 23.
nes attingit, ſubitò tamquam Diabolica tentatione victum cecidiſſe in vitæ deſperationem, & tandem ſine carnibus convaluiſſe, ſcribit in Caroli Magni vita Monachus Sancti Galli. Apud Franciſcum du Cheſne exſtant breves & anonymi Francorum Annales, qui ob graſſantem ſub laudati Caroli Regno famem affirmant & exercitui & populo fuiſſe in Quadrageſima permiſſas carnes. Et de tali caſu apud Gregorium nonum reſcripſit Innocentius tertius ad Bracarenſem Archiepiſcopum: Lib 3. tit. 46. c. 2. *Cùm quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, quo tempore tantæ famis inedia ingruebat, quòd magna pars populi propter inopiam periret annonæ, carnes comedere ſunt coacti; reſpondemus quod in tali articulo illos non credimus puniendos, preces tamen Domino pro illis & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur. Quia bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur.* Ambiguam ipſorum cauſam Divino relinquit judicio. Et à nobili viro Publicola, an moriendum eſſet potiùs, quàm in extrema neceſſitate Idolothytum edere, rogatus Sanctus Auguſtinus reſpondit: *Meliùs Chriſtiana virtute reſ-* Ep. 154.
puitur. Id forſan verùm ſit etiam de carnibus in Quadrageſima. Ex his interim lucet antiquus rigor Chriſtianæ diſciplinæ.

Prima quæſtio eſt; Quanta ad jejunii excuſationem requiratur infirmitas? Quidam ſufficere volunt qualemcumque. Etenim in laudata ſuper Geneſin homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus omnes illos, quos ſervata uſque ad veſperam inedia debilitabat, ac concioni & Divinis ſub diei finem officiis adeſſe ſine incommodo non permittebat, hortatur ut prandeant: Eos prandere mavult, quàm deeſſe concioni. Jejunii defectum dumtaxat ſuadet aliis pietatis officiis compenſari. Et in laudato adversùs ebrietatem ſermone ſcabiem, oleris aut aquæ incongruitatem, aut ſimilem incommoditatem cenſet ſufficere. Et quarta Toletana Synodus excuſat omnes lan- Can. 7.
guidos. Reſpondeo ipſam exponi ab octava ibidem Synodo: *Quiſquis abſque inevitabili neceſſita-* Can. 9.
te atque fragilitate, & evidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit Reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejus diei ſancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quàm à Sacerdote permiſſum percipiant. Requirit gravem ac evidentem

dentem infirmitatem, ejuſque ſufficientiam mandat Epiſcopi vel Parochialis Presbyteri judicio probari. Hunc eſſe omnis Latinæ Eccleſiæ ſenſum teſtatur in libro adverſùs Nicetam Pectoratum Cardinalis Humbertus: *Quadrageſimam Domini noſtri* JESU *Chriſti quadraginta diebus diligenter obſervare contendimus, quam ut aliquis non accepta gravi infirmitate in aliquo infringat, ſufferre nequimus*. Etiam inſigniter gravem cauſam non ſufficere, ex Divinitus facto in Luitprandum Eremitam prodigio oſtendit in litteris
L. 3. Epiſt. 10. ad neſcio quem Archiepiſcopum Sanctus Petrus Damiani.

Eandem diſciplinam apud Græcos ſemper etiam viguiſſe docet Canonica Epiſtola Sancti Timothei Patriarchæ Alexandrini: *Mulier, ſi pepererit, debetnè jejunare Paſcha, vel vinum bibere, an à jejunio abſolvitur, & vinum bibere permittitur, eò quòd pepererit? Reſponſio. Excogitatum eſt jejunium, ut corpus humile reddatur. Si ergò corpus in humilitate & imbecillitate verſetur, debet cibi & potûs, quantum poteſt, eſſe particeps*. Quam Regulam paſſim extendimus etiam ad prægnantes atque lactantes. Pergit Timotheus: *Si quis ſit ægrotus, & vi morbi valdè liquefactus & attenuatus, & Sanctum Paſcha venerit, debetnè omninò jejunare, an eum abſolvit Clericus, ut accipiat quod poteſt, etiam oleum & vinum? Reſponſio. Abſolvi debet ægrotus, ut cibum & potum capiat, quantùm ferre poteſt. Eum enim, qui ſemel colliquefactus eſt, eſſe olei participem eſt æquum*. Lucidè requirit gravem infirmitatem, ipſamque vult Clerici judicio probari. Requiri Clerici diſpenſationem, in ſuo iſtic Scholio ſcribit Theodorus Balſamon. Nempè dum cauſæ ſufficientia eſt ambigua, ipſam diſpenſatione adjuvat Clericus, & ſupplet ejus defectum. Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, quo infirmis Monachis ſuadet à vino abſtinere in Quadrageſima, Canonem laudat ibidem Balſamon, & adjungit: *Quare ex contrario ſenſu, qui non ſunt infirmi, debent aquam bibere*.

Secunda quæſtio eſt, An apud Joannem Caſſianum vera ſit Abbatis Theonæ doctrina? *Cæterum juſti, quibus lex non eſt poſita, quique ſpiritualibus officiis non exiguam illam, id eſt, decimam partem, ſed totum ſuæ vitæ tempus impendunt, quia liberi ſunt à Decimarum legalium functione, idcircò ſi eos ſuperveniens honeſta & ſancta neceſſitas coarctarit, audent ſtationem Quadrageſimalis jejunii abſque ulla diſceptatione laxare*. Quadrageſimam dicit eſſe totius anni Decimam partem. Ejus jejunia, & alia pietatis exercitia eſſe pro ſolis imperfectis Chriſtianis, *qui per totum anni ſpatium deliciis & negotiis ſæcularibus implicantur*. Ad hanc etiam offerendam Deo Decimam Sanctos Monachos, qui toto anno præter Dominicas & præcipua feſta jejunant, exiſtimat non teneri, ideoque in quibuſdam tunc etiam diebus liberè poſſe ex cauſis prandere. Quam fuiſſe ipſius Caſſiani doctrinam affirmat in libris de Clericorum inſtitutione Rabanus Maurus, laudatque & comprobat. Et in quadrageſimo pri-
L. 2. c. 20. mo de Sanctis ſermone varias venialium peccatorum ſpecies enumerat Sanctus Auguſtinus, additque etiam de ſæcularibus ac imperfectis fidelibus: *Quoties, cum corpore ſanus ſit, aliis jejunantibus prandere voluerit*. Lucidè docet unius ſubindè in Quadrageſima aut alio tempore jejunii prævaricationem eſſe dumtaxat veniale peccatum. Et apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum in Apoſtolicæ ad Galatas Epiſtolæ commentariis quidam dicunt: *Labitur quis in jejunio, non eſt quid magni*. Quòd ſit inter minora peccata, laudatus Joannes videtur omnino cenſere.

Reſpondeo per minora peccata ab ipſo intelligi illa, quibus publicæ pœnitentiæ vindictam non imponit Eccleſia. Ea enim inter numerat apoſtatandi decretum, aliaque id genus lucidè criminoſa ac damnabilia. Et in Lauſiaca Palladii Helenopolitani Epiſcopi hiſtoria dicit de quartæ & ſextæ feriæ ad traditi & crucifixi Domini honorem inſtitutis jejuniis Abbas Apollo:
Qui ea ſolvit, Servatorem una tradit, & una cru- C. 52.
cifigit. Quæ verba palàm important lethale peccatum. Et neſcio quis apud Arſenii Monachi Synopſin antiquus Canon non ſolùm totam copulat Quadrageſimam, ſed & ſingulos jejuniorum dies ſervandos ſancit, atque concludit: *Qui non ita faciunt, ſi quidem Sacris initiati*
ſint, dejiciuntur, Laici verò anathemate feriuntur. C. 111.
Et apud Alcuinum Flaccum exſtat Epiſtola, qua Offam Anglorum Regem rogat Carolus Magnus, ut neſcio quem Scotum Presbyterum, qui Coloniæ Agrippinæ peregrinus carnes in Quadrageſima ſubindè comederat, ſecundùm Canones curet degradari. Et Urbani ſecundi
Beneventana Synodus ſtatuit: *Poſt cineris diem* Ep. 85.
nullus omninò Laicus carnibus veſci audeat. Et in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus Micrologus laudat hæc Sancti Leonis ad populum verba: *Qui in Quadrageſima unum diem prætermittit, totam Quadrageſimam violavit*. Quod verum eſſe affirmat etiam de quinta majori feria: *In hac die ſub anathemate interdicitur, ne quis ſolvat Quadrageſimale jejunium, ut Priſcillianiſtæ faciunt. Sic enim Sancti Patres noſtri in Laodicenſi, & in Toletano Concilio conſtituiſſe leguntur*. Agit in quorundam largas ac feſtivas in iſta feria epulas, quas & à Caroli Magni Capitularibus, aliiſque Canonibus & Legibus frequenter damnatas videmus etiam hodiè graſſari. Et hinc Joannis Caſſiani, quantumcumque laudetur à Rabano, ſententiam aliqui proſcribunt ad antiquum, & tunc adhuc graſſantem, & à paucis ſæculis per Beggardos & Begginas reſuſcitatum errorem Euchitarum ſeu Meſſalianorum, quos in Eccleſiaſtica hiſtoria, quòd perfecto viro neceſſaria non eſſe ampliùs jejunia dogmatizarint, notat & damnat Theodoretus. Verùm ſi- L. 4. c.
ne cauſa. Etenim Enthuſiaſtica Euchitarum de- 10.
liria nequaquam ſecutus eſt Caſſianus, ſed hanc Regulam: Ceſſante fine & cauſa legis, ceſſat & ipſius obligatio. Hinc carnis mortificationi ſtudentes toto anno Monachos credidit pleno Quadrageſimæ rigori non adſtrictos, ſed quandoque poſſe ex cauſis prandere. Quæ Regula eſt fallax, frequenter falſa, ideoque uti in multis caſibus, ita & in iſto non recipienda. Adductus

ſermo nullatenus eſt Sancti Auguſtini: Eſt neſcio cujus Franci Epiſcopi, non plenè puri ab aliis inſuper erroribus. Et quidem decimus Sancti Auguſtini tomus ſcatet ejuſmodi ſpuriis ac imperitis ſermonibus, atque ita diligentiori oculo eſt corrigendus.

Quæſtio tertia eſt, Qualis & quæ ætas excuſetur à jejunio? Reſpondeo antiquam Eccleſiæ Regulam in libro adversùs Nicetam Pectoratum L. 3. c. 83. exponi à Cardinali Humberto: *Excepta graviſſima infirmitate, ſollicitè cuncti jejunamus diebus Quadrageſimæ, adeò ut interdum decennes pueros faciamus nobiſcum jejunare.* Quin immò de Sabbatho Sancto ſcribit in Dialogis Magnus Gregorius: *Omnes & parvuli pueri jejunant.* Solos item parvulos à jejunio excipit in ſuo Capitulari Sanctus Theodulphus. Capto à Saracenis Balduino Rege, omnis Terra Sancta fuit in extremo periculo: Quòd tunc etiam lactentibus pueris, imò A. 1124. & beſtiis impoſuerit Eccleſia jejunium, ſcribit Robertus Abbas Montenſis. Quod ipſum in ſimili ejuſdem Terræ periculo fecit Gregorius octavus. Octava Toletana Synodus eximit eos ſolos, quos excuſat *ætatis impoſſibilitas*, ſeu quos *ætas incurvat*, & adjungit: *Non ante probibita violare præſumant, quàm à Sacerdote permiſſum* Cap. 2 *percipiant.* Hodiernam quorumdam Scholaſticorum Doctorum Regulam, quæ ante primum ac vigeſimum, ac poſt ſexageſimum annum expletum omnes eximit, certum eſt deviare. Quis enim dicat ſanos ac validos octodecim annorum adoleſcentes, in quibus bulliens ſanguis facilè ſpumat in libidinem, non obligari ad jejunium? Et plurimi ſenes ſunt ſimiles Martino Navarro, qui ſeſe nonagenarium profitetur nullam de jejunio ſenſiſſe difficultatem. Nec ſenibus nec juvenibus figi poſſit certa Regula, ideoque laudata Toletana Synodus rectè mittit ad judicium Sacerdotis.

Præſens Canon addit & hanc exceptionem: *Niſi majori feſtivitate interveniente.* Etenim in Catholicæ fidei expoſitione Sanctus Epiphanius, quarta & ſexta feria jejunandum ſcribens ex Apoſtolico Canone, adjungit: *Sed non Epiphaniorum die, quo Dominus ſecundùm carnem natus* C. 22. *eſt, tametſi quartam in feriam vel ſextam incideret.* Et de Sancto Ambroſio ſcribit Presbyter Paulinus: *Ambroſio prandendi numquam conſuetudo fuit, niſi die Sabbathi & Dominico, vel cum Natalitia celeberrimorum Martyrum eſſent.* Romanum enim Sabbathi jejunium Mediolanenſis Eccleſia tunc necdum admiſerat. Et in litteris ad Caſulanum Presbyterum Sanctus Auguſtinus: Ep. 36. *Jejunium certis diebus, & maximè feſtis non agitur.* Et iterùm: *Per diverſa loca diebus ſolemnibus Martyrum, & feſtis quibuſcumque prandetur.* Et ad Thuribium Aſturicenſem in Hiſpania Epi- Ep. 93 c. 4. ſcopum ſcribit Sanctus Leo Magnus de Priſcillianiſtis: *Natalem Chriſti, quem ſecundùm ſuſceptionem veri hominis Catholica veneratur Eccleſia, non verè iſti honorant, ſed honorare ſe ſimulant, jejunantes eodem die.* Veram enim in Domino carnem fabulones iſti non credebant. Et Romanæ Eccleſiæ morem poſtulantibus Bulgaris reſpondit Nicolaus primus: *Sexta feria Paſſionem Dominicam, & Apoſtolorum mæſtitiam recolentes, ab omnium carnium epulis & pinguedine guſtus noſter arcendus eſt, præter ſi Nativitas Domini & Epiphaniorum, aut feſtivitas Beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ, ſeu Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, atque Sancti Joannis Baptiſtæ, ſeu Beati Joannis Evangeliſtæ, necnon & Clavigeri cœli germani, Andreæ ſcilicet Apoſtoli, quin etiam & Beati Stephani Protomartyris, ipſo die fortaſſis evenire contigerit. Nam quod Sancta* Ep. 71. c. 5. *Eccleſia, ut fidelis anima, in feſtivitate eorum jejunium vel abſtinentias, quæ non ſunt perpetuo voto propoſitæ, ſolvere debeat, Dominus teſtatur in Evangelio dicens: Mulier, cum parit, triſtitiam habet, cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Mulierem illam eſſe Matrem Eccleſiam, ejus autem partum aſſerit eſſe Sanctorum Natales in vitam æternam, ideoque per iſtos dies nec jejuniis, nec abſtinentiis, nec ullis mœroribus vacandum. Ex quo principio pleræque Græcorum Eccleſiæ nec in occurrente intra Quadrageſimam Dominicæ Annuntiationis feſto conſueverunt jejunare. Et hæc omninò eſt una è rationibus, ob quas Hiſpana olim Eccleſia iſtud feſtum non in Quadrageſima, ſed in Decembri celebrarit. Jejunium cum tanto feſto cenſebat non combinandum. Et Canuti Anglorum Regis apud Joannem Brompronum leges habent: *A Natali Domini uſque ad octavas Epiphaniæ non ſunt* Cap. 18. *jejunia, niſi quis per pœnitentiam, aut ſponte jejunet.* Quin immò in jejuniis, quæ horrendis Burgandi facinoribus impoſuit laudatus Papa Nicolaus, Dominicæ Reſurrectionis ac Nativitatis dies excepit. Quod ipſum circa criminoſiſſimi Haſtulphi pœnitentialia jejunia fecit Stephanus 12. q. 1. c. 17. quintus. Et de Sancto Petro Damiani, ſextæ feriæ jejunium reparante, quod Paſchales & cæteros ſolemnes dies exceperit, ejus in vita teſtatur Joannes Monachus. Et in litteris ad ſuæ congregationis Eremitas ſcripſit ipſe Petrus: *Cum ſolemnitate jejunium convenire non poteſt.* Fatetur eſ- L. 6. Epiſt. 35. ſe antiquam Regulam, verùm quæ cum moderamine debeat accipi, ideoque adjungit: *Fatendum eſt feſtivitates, niſi præcipuæ ſint, non præjudicare jejuniis.* Et in doctiſſimo adversùs Marci Epheſini Archiepiſcopi in Florentinam Synodum calumnias Reſponſo Gregorius Hieromonachus ac Protoſyncellus: *Jubet Canon omnibus ſextis feriis eſſe jejunandum, nos quibuſdam non jejunamus, Latini verò numquam ejus diei ſolvunt jejunium, niſi Natalis Domini dies contingat.* Olim ergò omnia principalia feſta excuſabant à jejunio aut abſtinentia, & iſtum morem ſuo adhuc tempore viguiſſe laudat, ac deinceps vigere jubet per præſentem Canonem ſeptimus noſter Gregorius: at verò Florentini Concilii tempore excuſabat ſolum feſtum Dominicæ Nativitatis. Et hinc Flagellantium hæreſis, quæ ad quinti-decimi ſæculi exordium fuit graſſata, habuit & hunc articulum: *Nullum eſſe obſervandum jejunium, niſi feria ſexta, & in Vigilia Nativita-* Fol. 358. *tis Chriſti, & in Adſumptione Beatæ Mariæ Virginis. Et cum dies Nativitatis Chriſti incidit in feriam ſextam, ſuper jejunio illius diei diſpenſari non poſſe.*

Ita

Ita Magnum Belgii Chronicon. Solum iſtud feſtum illi noluerunt diſpenſari, quòd nempè ipſum ſolum tunc Eccleſia diſpenſaret. Quæ limitatio quo tempore, & qua occaſione cæperit, ignoro.

Quæſtio eſt, Quo igitur fundamento ille Græci ſchiſmatici repertus in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu Tractatus de nobis dicat: *Latinis, ſi feſta dies Nativitatis ſit, vel Epiphaniæ, non ſolvunt jejunium?* Ad tertiidecimi ſæculi medium repertus fuit iſte tractatus, adeoque eſt multo antiquior. Quod ergò habuit ſuæ calumniæ fundamentum? Reſpondeo Eccleſiarum olim, uti ex Sancti Auguſtini ad Caſulanum litteris audivimus, de excipiendis a jejunio feſtivitatibus fuiſſe varias ſententias, iſtamque varietatem poſterioribus ſæculis etiam fuiſſe circa feſtum Dominicæ Nativitatis. Nam quod Henricus, ex Fratrum Minorum Ordine primum Baſileenſis, deinde Moguntinus Epiſcopus, in iſto in ſextam feriam cadente feſto carnes comedens, quibuſdam conveſci detrectantibus curaret piſces apponi, ſcribit Chronicon Fratrum Prædicatorum Colmarienſium. Nempè tunc aliqui feriam ſextam abſtinentia, quidam tali relaxatione honorabant. Eadem differentia fuiſſe poſſit circà Epiphaniæ feſtum: Poſſint etiam aliqui in utroque, alii in altero dumtaxat feſto jejunium laxaſſe. Paternarum enim conſuetudinum mutationes paulatim ac per fruſta fieri conſueverunt. Præterea Priſcillianiſtæ ac alii ſimilium fabularum hæretici Dominicum Natalem ſemper jejunarunt. Porrò contumax & maledicus Schiſmaticorum ſpiritus infamandæ Eccleſiæ anſas non ſolùm ex communibus totius Chriſtianitatis, ſed etiam ex ſingularum gentium privatis moribus, immò & ex hæreticorum abuſibus eſt conſuetus venari. Et ita omninò fecit iſte calumnioſus Græcus.

A. 1279.

Exponitur Sabbathini jejunii origo.

SAbbathi jejunium eſſe apud Romanam ac alias Latinorum Eccleſias antiquiſſimum, immò forſan Apoſtolicum Inſtitutum, eſt alibi demonſtratum. Demonſtratum item eſt, quòd ipſum ad omnes Latinas Eccleſias extendere cæperit Sanctus Sylveſter. Inſuper demonſtratum eſt, quòd uti Dominicos dies, ita & quintas ferias, etiam intra Quadrageſimam, Latina Eccleſia dudum non jejunarit. Rationem adducit in ſuo Capitulari venerabilis Atto Vercellenſis Epiſcopus: *Quinta feria quiſquis non eſt jejunandus, ut inter jejunium Chriſtianorum & Gentilium, Catholicorum atque Hæreticorum, diſcretio ſit.* Et in nonageſimi octavi Pſalmi commentario ſcribit adversùm Paganos Sanctus Auguſtinus: *Putatis, fratres, quia illi, quorum heri organa concrepabant, non iraſcuntur de jejuniis noſtris?* Demonſtrat alia nobis ad honoranda Chriſti Domini Myſteria, alia ad evertendum Paganiſmum eſſe inſtituta jejunia, & pergit de ambobus: *Ergò*

Cap. 70.

ſi novimus mala illorum, utique Paganorum, *quia de ipſis malis & nos liberati ſumus, doleamus illos. Et ſi dolemus illos, oremus pro illis, & ut exaudiamur, jejunemus pro illis. Non enim nos noſtra jejunia celebramus per dies feſtos illorum. Alia ſunt jejunia noſtra, quæ celebramus per dies feſtos Paſchæ futuros: Per alia atque alia, quæ ſolemnia nobis ſunt in Chriſto. Per iſtos autem dies ad hoc jejunamus, ut quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus. Lætitia enim ſua admonent dolorem noſtrum, & faciunt nos recordari, quàm miſeri ſint adhuc.* Adfirmat Eccleſiam in impudicis & ſacrilegis Gentilium feſtis paſſim jejunaſſe. Hujuſmodi feſtum erant Kalendæ Januariæ, ideoque de illo pergit in alio ad populum ſermone idem Auguſtinus: *Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynam. Advocantur illi cantionibus luxurioſorum, advocate vos ſermonibus Scripturarum. Currunt illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam. Inebriantur illi, vos jejunate. Si vos hodie non poteſtis jejunare, ſaltem cum ſobrietate prandete.* Exſtat in Auguſtinenſium ſermonum appendice, reperta apud Bibliothecam majoris Carthuſiæ. Et quod iſtis olim Kalendis plures Eccleſiæ non ſolùm ex arbitrio, ſed omninò ex Præcepto ſervarent jejunium, apud antiquæ diſciplinæ peritos eſt exploratum. Eadem regula Majores noſtri tractarunt etiam Judaïcas feſtivitates: Promiſſivas ac adimpletas, ideoque jam inutiles ac mortuas, immò noxias atque mortiferas, Chriſtianæ veritatis & gratiæ umbras conata proſcribere ac ſepelire. Et ſacræ feſtivitates ſunt unum è ritualibus fidei veſtimentis: Hinc etiam quoad illas Eccleſia voluit diſcerni à Synagoga. Nam & Paſchalem feſtivitatem noluimus cum ipſa habere communem.

Ser. 27.

Porrò uti nos Chriſtiani non poſſumus Dominicam, ita olim Judæi non potuerunt jejunare Sabbathum. Hinc enim Sacer textus laudat Sanctam viduam Judith, quòd perpetuum atque continuum ſervaret jejunium, *præter Sabbatha, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.* Unico dumtaxat caſu, videlicet in hoſtili civitatis obſidione, licuiſſe jejunium, ſcribunt Judæorum Rabbini ac libri Rituales. Addunt purum jejunium, dum in Sabbathum caderet, fuiſſe anticipandum, & tranſponendum in quintam feriam. Et hinc Divinarum rerum imperiti Gentiles quidam crediderunt à Sabbathizantibus Judæis Saturnum, quidam coli Bacchum. Quòd nempè in ſuis Sabbathis largiùs ac lautiùs ſe reficerent. Ita in quarto convivalium ſympoſiorum libro cenſuit Plutarchus. Et in quinto hiſtoriarum libro Judaicos mores ac religionem exponit Cornelius Tacitus, atque adjungit alia Paganici erroris fundamenta: *Quia eorum Sacerdotes tibia, tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea templo reperta, Liberum Patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati ſunt.* Errat Judaicos Sacerdotes in ſacrificiis fuiſſe hedera coronatos. Pergit: *Longam olim,* in quadraginta annorum per deſertum itinere toleratam, *famem crebris adhuc jejuniis fatentur.* Judaicorum jejuniorum auſteritatem laudat etiam in litteris, exſtantibus apud Svetonii hiſtoriam, ad Tiberium Cæſar Auguſtus: *Ne Judæus*

C. 5.

C. 5.

L. 2. c. 76.

quidem tam diligenter Sabbathis jejunium ſervat, quàm ego hodiè ſervavi. Nempè Judæorum plures æmulabantur Phariſæum, qui apud Sanctum Lucam dixit: *Jejuno bis in Sabbatho.* Gentiles igitur, quòd variis per hebdomadam diebus abſtemios Judæos viderent Sabbathis largè curari, opinati ſunt ab ipſis coli Bacchum. Porrò Sabbathum ob Divinam à creationis opere requiem eſt omninò lætitiæ dies, verùm ob Judaica in Dominum facinora eſt mutatus in mærorem. Prætereà ne fideles Judaicis conviviis aut feſtis communicent, Apoſtolicus Canon & perpetua totius Chriſtianitatis diſciplina rigidiſſimè ſanxerunt. Hinc ergò Sanctus Sylveſter cenſuit nobis convenire Sabbathi jejunium, ejuſque Sanctiſſimum de ipſo Decretum tandem admiſit omnis fermè Latina Eccleſia.

Quæſtio eſt, Quomodò Cæſar Auguſtus ſcripſerit Judæos Sabbathis jejunare? Et ipſi conſonat ex Trogo Pompeio Juſtinus: *Moyſes ſeptem* L. 36. *dierum jejunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus, cùm tandem veniſſet, ſeptimum diem, more gentis Sabbathum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit. Quoniam illa dies illis famem, erroremque finierat.* Et de Judæis ſcribit Perſius: *Recutitaque Sabbatha palles.* Utique ex jejunio. Et Petronius: *Judæus licet & porcinum numen adoret, & cilli ſummas advocet auriculas. Ni tamen & ferro ſucciderit inguinis oram, & niſi nodatum ſolverit arte caput. Exemptus populo, grata migrabit ab urbe, & non jejuna Sabbatha lege premet.* De Judæis item Dio Caſſius ſcribit: L. 37. *Deo templum maximum & pulcherrimum, niſi quod apertum & ſine tecto ullo eſt, conſtruxerunt.* Exponit in ſuis ad Cornelii Taciti hiſtorias commentariis Juſtus Lipſius: *Quia ſub cælo, & in illud adſpicientes Judæi precabantur, rati ſunt cælum ipſum ab eis adorari. Hinc Juvenalis: Nil præter nubes & cæli lumen adorant. Et alius Satyricus: Et cæli ſummas advocat auriculas. Quaſi putarent cælum aures habere, idque invocarent.* Verùm in ſuis ad Svetonium commentariis L. 2. c. 76. Iſaacus Caſaubonus rectè ſcribit de poſteriori Petronii verſu: *Vulgò non ſine errore editur. Pro Cæli, legendum eſt, Cilli.* Quæſtio eſt, Quomodo hi omnes adfirment Judæos Sabbathis jejunaſſe? Certè ex his ſumitur grande pro Græcis adversùs Latina Sabbathi jejunia argumentum: Suadet non Græcos tunc epulari cum Judæis, ſed Latinos jejunare cum ipſis, & ſabbathizare.

Reſpondet præfatus Caſaubonus nullum iſtius Judaicæ obſervantiæ exſtare vel in Sacris litteris, vel in ipſarum commentariis veſtigium, & adjungit: *At Romani, qui norant crebra ab eis uſurpari jejunia, cùm præcipua caſtimonia Sabbathum ab eis celebrari viderent, ignari morum ejus gentis, iſtud ſibi temerè perſuaſerunt.* Verùm præcipua Sabbathorum caſtimonia non fuit jejunium. Etiam ipſe Caſaubonus diſertè hoc profitetur. Hinc aliter reſpondet Dominus Cardinalis Cæſar Baronius: A. 34. *Quid ad hæc certi reſpondeamus, haud facilè eſt invenire. Suppetunt tamen ejus moris nonnullæ cauſæ. Ut illa imprimis, quæ à Joſepho in ſua vita ponitur, conſueviſſe nimirùm Judæos jejunii temporè ferè feriatos eſſe, Synagogam adire, & cum aliis preces fundere: Qua fortaſſe ex cauſa eadem jejunia ab illis Sabbathinaria, ſeu Sabbatha dicerentur. Alia inſuper ratio occcurrit ejus nomenclaturæ: Quòd ſcilicet cùm Judæi dies omnes, adjectione tamen numeri, Sabbatha nominarent, videlicet primam Sabbathi, ſecundam Sabbathi, & ſic de cæteris, quacumque die jejunaſſent, Sabbatho jejunare putarentur. Uſitatus enim apud eos ſermo fuit, ut quod in hebdomadæ diebus ſingulis facerent, in Sabbatho ſe illud agere dicerent. Undè apud Lucam Phariſæus:* Jejuno bis in Sabbatho. *Duobus videlicet hebdomadæ diebus: Nempè ſecunda & quinta die.* Quod ipſum in ſuis ad quartum Martialis librum commentariis ſcribit Matthæus Raderus. Etenim in Epigrammate ad Baſſam ipſe etiam Martialis judaica jejunia titulat *jejunia Sabbathariorum.*

Verùm Judæi non ſingulos ſuos dies, ſed plenam dumtaxat ſeptimanam appellabant Sabbathum. Hinc non dixerunt primum aut ſecundum Sabbathum, ſed primam aut ſecundam Sabbathi. Et Phariſæus non dixit ſe jejunare in duobus Sabbathis, ſed bis in uno Sabbatho. De quo videatur eruditum Caroli Sigonii opus de Hebræorum Republica. Etiam unicum dumtaxat habuerunt legale, ſeu præceptum jejunium: Utique die decima decimi menſis, in feſto Expiationis. Reliqua omnia fuerunt voluntaria & privata, aut per Principem ſeu alium legitimum Superiorem populo ob cauſas indicta. Quam formam ſecuta dudum fuit etiam Eccleſia. Inducendis ſolemnium jejuniorum Præceptis primam apud nos anſam dederunt Montaniſtæ. Proindè alia eſt quærenda ratio, cur olim Gentiles omnia Judæorum jejunia dixere Sabbathinaria. Eos omnes ſimul erraſſe non facilè crediderim. Eſt interim res abſtruſa. In habitis adversùm Judæos ſermonibus Sanctus Joannes Chryſoſtomus Tom. 7. acerrimè invehitur in ſuos Antiochenos, quod ipſorum quidam agerent cum Judæis feſta judaica & jejunia: Adfirmat eſſe manifeſtam Apoſtaſiam. Agit præſertim de judaico Expiationis jejunio, at non de ſolo. Et in ſuis ſuper Epiſtolam ad Galatas commentariis declamat genaraliter: *Multi ſunt apud nos, qui eodem die jejunant quo Judæi; qui ſimiliter obſervant Sabbatha.* Lucem accipere hæc debent ex Sancto Auguſtino, qui hæc Sancti Joannis Evangeliſtæ de ſepeliendo Domino verba, *Ibi ergò propter Paraſceven Judæorum, quia juxtà erat monumentum, poſuerunt Jeſum,* Tract. 120. ſic commentatur: *Joannes acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret, quando jam propter Paraſceven, quam cœnam puram Judæi Latinè apud nos uſitatiùs vocant, facere tale aliquid non licebat.* Ad hunc Sancti Pauli de Galatis locum, *Dies obſervatis & annos,* ſcribit etiam in libris adversùs Marcionem Tertullianus: *Sabbatha, ut opinor, & cœnas puras, & jejunium, & dies magnos.* Et L. 5. c. 4. in primo adversùm Nationes libro: *Judæi feſti, Sabbatha, & cœna pura, & Judaici ritus lucernarum, & jejunium cum azymis, & orationes litorales.* C. 13. Quid ſint Judæorum dies magni, aliàs dixi ex Iſidoro Peluſiota. Sunt duplicatum feſtum: Pri-

Prima aut octava alicujus ſolennitatis dies incidens in diem Sabbathi. Hinc & de octava Scenopegiæ die ſcribit in Evangelio Sanctus Joannes: C. 7. *In noviſſimo die magno feſtivitatis*. Quod nempè iſto anno incideret in Sabbathum. De pura Judæorum cęna ſcribit in eruditis ad Tertullianum Commentariis Nicolaus Rigaltius: *Cœnas puras, id eſt, Paraſcevas. Sic interpretatur* L. 1. c. 20 *Irenæus*. Eodem modo intelligit Sanctus Auguſtinus. Etenim hæc Sancti Joannis verba, *Erat* Tract. 117 *autem Paraſceve Paſchæ*, commentatur. *Paraſceve Latinè præparatio eſt, ſed iſto verbo Græco libentiùs utuntur Judæi in hujuſmodi obſervationibus, etiam qui magis Latinè quam Græcè loquuntur. Erat ergo præparatio Paſchæ*. Hæc eſt omninò illa Paraſceve, quam Judæi Latinè vocant cœnam puram. Cœna pura eſt à gentilibus Romanis mutuata, & tam ad Synogogam quam ad Eccleſiam exinde derivata phraſis. Etenim & in libro de carnium eſu Plutarchus cœnam puram affirmat illam, quæ paratur ſine animatis. Et Apulejus ſcribit: *Convertimus ad puram, & ſine animalibus cœnam*. Proinde cœna pura erat jejunii, ſeu potius abſtinentiæ ſpecies, non abſimilis noſtræ Chriſtianæ, quam Tertullianus & alii veteres noſtri ſcriptores titulant Xerophagiam. Quòd Philo Judæus per Eſſenos intelligat Ægyptios ſub Sancto Evangeliſta ac Epiſcopo Marco Chriſtianos, adfirmant in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſareenſis, ac in illuſtrium virorum Catalogo Sanctus Hieronymus. Et non ſoli tunc Corinthii, ſed & alii fideles celebrabant veſpertinas Agapas, ac in ipſis conſecrabant & ſumebant Sacro-Sanctam Euchariſtiam. De ipſis habet Philo: *Menſa pura eſt à cruentis dapibus. Pro cibo panis apponitur, ſal pro obſonio, pro condimento hyſſopus, in delicatorum gratiam*. Addit potum fuiſſe ſolam aquam. Quod ipſum habemus in Clementis Alexandrini Chriſtiano Pædagogo, ac in Minutio Felice. Nempè horum Agape non laborabat vitio Corinthiorum, de quibus Apoſtolus: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*. Erat cœna pura, ſeu Xerophagia.

Et talis omninò fuit etiam Paſchalis Judæorum cœna. Etenim poſt comeſtum à ſtantibus agnum ſedebant ad menſam, & aliud ſumere non poterant quam embamma ex intybis & lactucis agreſtibus, & azymum panem. Ejus partem Pater-familias dividebat in tot particulas, quot habebat ſibi adſidentes: Et cuique dabat ſuam, agens Deo gratias. Exindè, gratias item agens, ſumebat vinum, & tunc dabat ſibi proximo. Et ſic omnes per ordinem. Ita habent vetuſti Judæorum Rituales libri. Quæ omnia fuerunt prænuntia, & promiſſiva præparamenta noſtræ ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Et ſola iſta cœna apud Hebræos non fuit iſtiuſmodi. Etenim Tertullianus lucidè laudat plures cœnas puras, pluraque jejunia. Videntur noſtro more habuiſſe & ſtrictiora & laxiora. Poſſit noſter mos eſſe ab ipſis traductus. Licèt Divina lex ipſos devinxerit ad unicum dumtaxat ſolenne jejunium, humana tamen Majorum diſciplina videtur illis ſuperpoſuiſſe & alia: Videtur omnibus majoribus feſtis impoſuiſſe præviam puræ cœnæ vigiliam. Et hæc poſſit eſſe origo noſtrarum etiam vigiliarum. Hinc item videtur proceſſiſſe non error, ſed vera phraſis Gentilium. Quod enim omnium paſſim Feſtorum, quæ dicebantur & Sabbatha, vigilias viderent jejunari à Judæis, dixerunt ab illis jejunari Sabbatha, iſtaque jejunia titularunt Sabbathinaria. Nam & nos hodie, quia quorumdam feſtorum vigilias jejunamus, dicimur jejunare iſta feſta, & ab his eadem jejunia titulamus. Prætereà, Judæos, quòd Sabbathum ſervarent, Pagani titulabant Sabbatharios: Eodem modo quævis ipſorum jejunia poſſint titulaſſe Sabbatharia, ideoque Sabbatharia jejunia apud illos poſſint fuiſſe idem, quod jejunia Judaica.

Quidquid ſit, lucet Latinum Sabbathi jejunium ex legitima cauſa fuiſſe à Sancto Sylveſtro inductum. Aſt naſcitur quæſtio, Quare & Græci ipſum non induxerint? Etenim hi non minùs quam Latini perpetua conſtantia oderunt Judaicam communionem. Reſpondeo rationem edici à Sancto Epiphanio: *Marcion Sabbatho ob eam* L. 42. c. 1. *cauſam jejunia ſanxit. Cum enim, inquit, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa ſit requies, cum die ſeptimo requieverit, eadem nos jejunare inſtituimus: Ne Judæorum Dei rebus uti videamur*. Quam impietatis regulam ſecuti ſunt omnes Gnoſtici, omnes duplicis Divinitatis profani fabulones. Et ſparſi erant per omnem Orientem. Hinc inter Sabbathinam exhæredatæ Synagogæ refectionem ac inter Sabbathinum Gnoſticæ blaſphemiæ jejunium, quaſi inter incudem & malleum, hæſit Orientalis Eccleſia: Et iſtam ſcyllam & hanc charybdim ſtudens evadere, ſed non valens. Hinc cum Judæis ſobriè ac religiosè refici maluit, quàm cum iſtis, & quidem Chriſtianum nomen præferentibus, impoſtoribus jejunare. Tria Gnoſticæ factionis famoſa & horrenda crimina omnibus Chriſtianis imponebat cœca Gentilitas. Hinc vera Chriſtianitas, quò ſibi nihil cum iſtis commune demonſtraret, à propriis, blaſphemis præſertim, ipſorum moribus voluit eſſe remotiſſima.

Quarta & ſexta feria jejunare eſt Apoſtolica, omnibus ſub cœlo Chriſtianis impoſita, lex atque traditio. Verùm poſteriorum ſæculorum Græci exemerunt ferias Paſchalis ſeptimanæ, dodecahemeri, apocrei, & tyrophagiæ. Etiam carnes tunc comederunt. Rationem dat in Reſponſis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Theodorus Balſamon: *Quia circa dodeca-hemerum jejunant* Q. 52. *Armenii propter Artziburium, in hebdomada carnis-privii propter Ninivitas. Et in hebdomada tyrophagiæ Tetraditæ hæretici jejunium magnum obſervant. Nos igitur contraria eis facientes frangimus, ne videamur cum eis conſentire*. In ſuo de Jacobitarum & Charitzariorum hæreſi Tractatu ſcribit Demetrius Cyzicenus de Jacobitis: *Veſcuntur carnibus, ipſa quoque hebdomada carnis-privii*. Et hinc Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus edidit hunc Canonem: *Jejunandum eſt Monachis quarta & ſexta feria tyrophagiæ. Et poſt Præſanctificatorum Miſſam edant caſeum & ova*. Et Anaſtaſius Cæſareenſis com-

commentatur: *Canon hic evertit Tetraditarum ac Jacobitarum hæreſim*. Res videtur non cohærere. Etenim Tetraditas in tyrophagiæ hebdomada Anaſtaſius manducare cum Jacobitis, Theodorus Balſamon adfirmat jejunare. Quidquid ſit, ex eiſdem olim principiis Orientalis Eccleſia noluit circa Sabbathi jejunium convenire cum Gnoſticis. At verò peſtilens hæc Secta non vexavit Occidentalem Eccleſiam: Hinc ipſa cum Judæis noluit Sabbathis prandere. Et hinc utriuſque diſciplina fuit ſancta, & juſtis fulta rationibus, ideoque Schiſmatici Græci ſine fundamento quærunt de hiſce litigare.

Notanda ſunt laudata Sancti Auguſtini verba, quibus ſexta Dominicæ mortis ac ſepulturæ feria adfirmat à Judæis fuiſſe actam cœnam puram, eamdem feriam fuiſſe Paraſceven, ſeu præparationem ipſius Paſchalis feſtivitatis. Lucidè adfirmat, non ipſam, ſed Sabbathi diem fuiſſe Paſcha judaicum. Sanctus Evangeliſta
C. 15. Marcus ſcribit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*. Et Sanctus Joannes: *Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta*. Ad hæc in ſpeciem adverſa loca concilianda Sanctus Auguſtinus advertit Sanctum Joannem non dicere fuiſſe diei, ſed Paraſceves ſeu præparationis horam quaſi ſextam. Advertit tunc duplex concurriſſe Paſcha: Umbraticum ac legale Judæorum, & Chriſti Domini reale ac verum, utique voluntariam ejus pro nobis mortem. Hinc Paraſceven non à præcedentis diei luce, ſed à præce-
Tract. 117. dentis noctis hora nona vult computandam. Et dat cauſam: *Tunc enim videntur Principes Sacerdotum pronuntiaſſe immolationem Chriſti, dicentes, Reus eſt mortis cùm adhuc in domo Pontificis audiretur. Undè congruenter accipitur indè cœpiſſe præparationem veri Paſchæ, cujus umbra erat Paſcha Judæorum, id eſt, immolationis Chriſti, ex quo à Sacerdotibus pronuntiatus eſt immolandus*. Et ex hiſce principiis proſequitur: *Profectò ab ea noctis hora, quæ tunc nona fuiſſe conjicitur, uſque ad horam diei tertiam, qua crucifixum eſſe Chriſtum Marcus Evangeliſta teſtatur, ſex horæ ſunt, tres nocturnæ, & tres diurnæ. Unde in hac Paraſceve Paſchæ, id eſt, præparatione immolationis Chriſti, quæ ab hora noctis nona cœperat, quaſi ſexta agebatur hora, id eſt, peracta quinta jam ſexta currere cœperat, quando Pilatus tribunal aſcendit. Adhuc enim erat ipſa præparatio, quæ ab hora noctis cœperat, donec fieret, quæ præparabantur, immolatio Chriſti: Quæ facta eſt ſecundum Marcum hora, non præparationis, ſed diei tertia, eademque ſexta, non diei, ſed præparationis, ſex utique horis à noctis nona uſque ad diei tertiam computatis*. Eadem latiùs docet in tertio libro de conſenſu Evangeliſtarum. Adfirmat Dominum ſextæ feriæ ſexta hora fuiſſe defunctum, & pro-
ſequitur: *Dicunt enim die quidem illo, quem dies Sabbathi ſequebatur, Paraſceven fuiſſe Paſchæ Judæorum, quod ab eodem Sabbatho jam inciperent Azima, ſed tamen verum Paſcha, quod in paſſione Domini gerebatur, non Judæorum, ſed Chriſtianorum, cœpiſſe præparari, id eſt, Paraſceven habere, ab hora noctis nona, in eo quod Dominus à Judæis occidendus præparabatur. Paraſceve quippè interpretatur præparatio. Ab illa ergo nona noctis hora uſque ad ejus crucifixionem occurrit hora Paraſceves ſexta ſecundùm Joannem, & hora diei tertia ſecundùm Marcum: Ut non Marcus horam illam recordatam recapitulando commemorarit, qua clamarunt Judæi, Crucifige, crucifige, ſed eam prorſus horam tertiam dixerit, qua Dominus eſt fixus in ligno. Quis fidelis non huic faveat ſolutioni quæſtionis? Si modò poſſit aliquis articulus conjici ab hora nona noctis, unde cœpiſſe Paraſceven Paſchæ noſtri, id eſt, præparationem mortis Chriſti, congruenter intelligamus*. Lucidè adſeverat & umbratici & veri Paſcehatis Paraſceven cucurriſſe ſimul, utrumque fuiſſe ſextam feriam, & Azymorum comeſtionem priùs à Sabbatho cœpiſſe. Adfirmat hanc eſſe plurimorum ſententiam. Ex quo vides ſententiam, quæ adſerit Judaicum Paſcha alio die à Chriſto Domino, alio fuiſſe celebratum à Judæis, non ſolis Græcis, ſed inſuper placuiſſe plurimis Latinis, ipſique etiam Sancto Auguſtino: Exiſtimo ante ſchiſmaticas Græcorum de Azymo & fermento lites fuiſſe communiſſimam in omni Eccleſia. Evangeliorum enim contextus eſt lucidus. Objici poſſit, quod Paſchali feſtivitati lex non adſcripſerit Paraſce-
ven. Rationem dat liber Exodi: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent*. Et iſtud argumentum quidam hodie magni faciunt. Reſpondeo ab hac regula excipi Paſcha, quod cadebat in Sabbathum.

(C. 13. — C. 12.)

CANON IX.

UT nullus Abbas Decimas & Primitias, & reliqua quæ ſecundùm Statuta Canonum ad Epiſcopos pertinent, ſine authoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu, in cujus Diœceſi habitat, detineat, Apoſtolica ſanctione firmamus.

SCHO-

SCHOLION.

E*ccleſiæ vel Decimæ*, inquit in Nemauſenſi Synodo Urbanus ſecundus, *vulgari vocabu-*
Can. 1. *lo apud nos Altaria nuncupantur*. Quod ipſum in litteris ad Ulgerum Andegavenſem Epiſcopum
L.3.Epiſt. 12. ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis. Eaſdem & Plebes fuiſſe appellatas audivimus ſuprà à Sancto Petro Damiani. Hinc & ipſarum Rectores etiamnum hodiè nuncupantur Plebani. Plebs habet Eccleſiam, Eccleſia Altare, Altare Decimam. Et quidem uti etiamnum Græcorum Baſilicæ, ita olim & Latinorum Eccleſiæ habebant, & habere debebant unicum Altare: Cauſa magni Sacramenti. Hinc igitur iſta quatuor, licet admodum diſtincta, ob laudatam unionem antiquitas, à principali deſumens denominationem, non malè titulavit Altaria. Porrò quòd illa invadere, ac militibus ſuis in ſtipendia atque hæreditariam poſſeſſionem diſtribuere cœperit præſertim Carolus Martellus, jam dictum eſt frequenter atque oſtenſum. Quòd ea filius Pippinus Rex, Carolus Magnus, ac Ludovicus Pius reddere cœperint, item oſtenſum eſt, ac ſuo loco largiùs oſtendetur. Nihilominus Sanctus Agobardus, qui Lugdunenſem Eccleſiam rexit ſub laudato Ludovico, in libro de Eccleſiaſticarum rerum diſpenſatione adhuc conqueritur: *Nunc non ſolùm poſſeſſiones Eccleſiaſticæ, ſed & ipſæ etiam Eccleſiæ cum poſſeſſionibus venumdantur*. Attentari id queritur non ſolùm ab Eccleſiarum fundatoribus ſeu Patronis, ſed inſuper ab aliis, qui nullum habeant cujuslibet juris vel fucum. Utique ab hæredibus aut ſucceſſoribus illorum, qui ipſas acceperant à Carolo Martello. Non ſolùm Parochiales cum Decimis, ſed & Cathedrales cum opimis poſſeſſionibus Eccleſias, nec non & Monaſteria poſſidebant tamquam bona patrimonialia, transfundebant in hæredes, commutabant atque vendebant. A ſanctis tandem ac zeloſis Epiſcopis partim per preces, partim per Canones, partim per varia cum Ludovici Pii ſucceſſoribus pacta & concordata malum fuit, licet non penitus evulſum, tamen inſigniter mitigatum. Et Monachorum & Regularium in Cathedrali aut Collegiato Clauſtro Clericorum diſciplina tunc florentiſſimè vigebat. Hinc plures Laici, dum Sæculares ſeu ſingulares Clericos averſantur, detentas Altarium Decimas illis donarunt, ex ipſis fundarunt nova Monaſteria ac Regularia Collegia, atque ita utramque iſtam profeſſionem opulentiſſimè ditarunt. Ipſas dederunt cum onere reparandæ & ornandæ fabricæ, & ſufficientis ad populi miniſterium Cleri ſuſtentandi.

Poſt exſtinctam Caroli Magni ſobolem, & patrata in Formoſum Pontificem ſcandala malum adeò reſurrexit, ut Laici in ipſis etiam Romanis Baſilicis devotas adventantium fidelium oblationes invaderent, & ipſos adventantes in via prædarentur. Medicinam adhibere iterùm cœpit Gregorius ſextus, Victor ſecundus, ac præſer-
A. 1049. tim Sanctus Leo nonus, laudatus ab Hermanno Contracto. Et tunc iterum varia, in quibus vigebat Regularis Ordo, Monaſteria non parùm profecerunt. Plurima tunc fuiſſe de novo fundata ſcribit Glaber Rudolphus. At ecce hinc natum eſt malum aliud, de quo ad Urbanum ſecundum Pontificem retulit ſtatim in ſui Epiſcopatus exordio Sanctus Ivo Carnutenſis: *Multa inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torqueant, maximè quod apud nos qui Altari non ſerviunt, de Altari vivant*. Decimas affirmat eſſe propriam ſolius privativè Altaris dotem, ideoque de ipſis non Monachos, ſed ſolos cum Epiſcopo Parochiales ſeu Plebanos Clericos debere vivere: Ex ipſis non poſſe iſtos incraſſari, & hos eſurire. Etiam in ſua ad quinti decimi ſæculi medium celebrata Synodo Triſtandus de Salazar, Archiepiſcopus Senonenſis, a poſſidentibus Altaria Monaſteriis atque Capitulis lamentatur Parochis non præſtari Canonicam competentis ſuſtentationis portionem, atque adjungit: *Propter hoc fiunt plures ex iiſdem Eccleſiis va-* C. 4.
cantes, & Paſtoribus viduatæ, in magnum animarum periculum. Et inter abuſus, quos reformandos Adriano ſexto Pontifici retulit Norimbergenſis Germanorum Procerus Conventus, fuit & hic: *Plerque Parochiales Eccleſiæ Monaſteriis, Prælatis, aliiſque Curatarum Eccleſiarum Rectoribus, incorporationis, ut vocant, ſeu alio quopiam jure ſubditæ ſunt, quas etſi ipſi juxta Canonum conſtitutiones per ſe providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas, beneficiorum dotem & Decimas plerumque ſibi ipſis reſervant, & præterea tam enormibus abſentiarum penſionibus gravant atque onerant, ut conductitii iſti Parochi, eorumque Vicarii, Vice-Plebani, Sacellani, Coadjutores, cæterique conductarum Eccleſiarum Adminiſtratores, competentem ſuſtentationem, decentiaque alimenta inde habere nequeant. Quo fit, nam undè conductitii iſti* C. 86.
Paſtores & Mercenarii vivant, habeant oportet, ut illicitis exactionibus locatas ſibi oviculas miſerè deprædentur, dilanient, omnemque ſubſtantiam tantùm non abſumant. Queruntur ab ipſis mercenariis nullum adminiſtrari Sacramentum ſine gravi ac fœda exactione. Quod ipſum in Germanicorum gravaminum facta ad Julium ſecundum relatione queſtus fuit Imperator Maximilianus. Et à Tridentino Concilio corrigi poſtulavit Francorum quoque Rex Carolus nonus. Altarium Decimas poſſidentia Monachorum Cœnobia aut Clericorum Collegia aſſeverabant ſe iſtic eſſe principales Paſtores, ideoque illis conductitium & manualem imponebant Vicarium, & non data competenti ſuſtentatione cogebant ad omnis generis Simoniam. Sic Altaris Miniſter ſordidè eſuriebat, & neſcio quis ejus detentor uſque ad animæ & corporis ebrietatem ex ipſo luxuriabatur. Quem ſuo loco exponendum abuſum fuiſſe etiam noſtri Gregorii ſæculo peſſimè graſſatum oſtendunt plurimi tunc editi Canones, vetantes Altaria dari ad firmam.

Et ad ejus exſcindendam radicem laudatus Gregorius edidit præſentem Canonem. Nequaquam aſſeverat aut ſancit Monachorum Cœnobia eſſe Decimarum incapacia, ſed dumtaxat haſce ab illis citra Epiſcopale judicium atque conſenſum non poſſe accipi, nec detineri. Iſta Cœ-

nobiorum capacitas inſigniter lucet ex vigeſima prima Joannis Caſſiani collatione, ubi Abbas Theonas laudat Ægypti poſſeſſores, quòd ad Joannem Monaſticæ Diaconiæ Præfectum certatim adferrent frugum ſuarum Primitias & Decimas: Laudat & dictum Joannem, *quòd eorum devotioni viciſſitudinem cupiens repenſare, eis ſecundùm Apoſtolum ſeminaret ſpiritualia, quorum metebat dona carnalia*. Et in litteris ad Henricum ſecundum ſcribit de ejus olim anteceſſore Edelulpho Alredus Abbas Rievallenſis: *Eleemoſynis ſanè ſic operam dabat, ut totam terram ſuam pro Chriſto decimaret, & partem decimam per Eccleſias ac Monaſteria divideret*. Et apud Gratianum extat Epiſtola, affirmans etiam pauperes alendos ex Decimis, atque adjungens: *Maximè curandum eſt Epiſcopis, ut de Decimis, & oblationibus, Cœnobiis & Xenodochiis, qualem voluerint & potuerint, ſuſtentationem impendant. Liberum eſt enim Monachis, & ſpiritualibus viris, Deum timentibus & colentibus, Decimas & oblationes cunctaque remedia concedere, & de jure ſuo in dominium illorum & uſum transferre, nec tam in pauperibus paupertatem, quam religionem attendere. Quod autem Beatitudo tua quæſivit, utrùm uſus Decimarum & oblationum Sæcularibus provenire poſſit, novit veſtra Sanctitas omninò non licere, proteſtantibus hæc Divinis auctoritatibus paternorum Canonum. Quamobrem ſi aliquando fuerint ab his malè detenta, quæ Divini juris eſſe noſcuntur, & in uſum tranſierunt Monachorum & ſervorum Dei, Epiſcopo tamen loci illius præbente conſenſum, conſtabunt eis omnia perpetua firmitate & ſtabilitate ſubnixa. Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſum talium judicium ſibi manducant & bibunt*. Eandem Epiſtolam apud Gregorium nonum laudat in litteris ad Bituricenſis Eccleſiæ Archipreſbyterum & Scholaſticum Innocentius tertius. Verùm peſſimè à Gratiano adſcribitur Sancto Hieronymo. Omninò enim ſcripta eſt longè poſteriùs in gratiam Monachorum. Ejus auctor, ut hos ad Decimarum poſſeſſionem redderet ſecuriores, cum Juliano Pomerio docet divites Clericos ex ipſis non poſſe ſuſtentari.

6. q. 1. c. 58.

L. 3. tit. 10. c. 7.

Et hanc noſtram aſſertionem in litteris ad Columbenſis Cœnobii Monachos inſiguiter confirmat Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus. Sancti Auguſtini varia, quæ bonis à malorum intra Eccleſiam communione nullum eſſe timendum contagium docent, teſtimonia adducit, & pergit in novos neſcio quos Dogmatiſtas: *Hæc & his ſimilia Præcones hujuſmodi non intelligentes aut non legentes, ſuadent Monachis, ut ſua Monaſteria deſerant propter Abbates ſuos & Procuratores Monaſteriorum ſuorum, qui aliquas Decimas, quæ jure pertinent ad diſpenſationem Epiſcoporum, Monaſteriis ſuis acquiſierunt. Dicant mihi tam ſubtiles Divinorum judiciorum ſcrutatores, quid ſalubriùs ſit Monachis, utrum permanere Cœnobitas ſub Præpoſitorum ſuorum obedientia, quæ melior eſt quàm victimæ, & ibi vivere de Decimis & fidelium oblationibus, quas Eccleſia lege charitatis communicare poteſt, non tantùm Monaſteriis, ſed etiam Xenodochiis, infirmis & peregrinis, an fieri Sarabaitas, ut in privatis locis proprio jure vivant, & victum ſibi de ſubſtantia pauperum per manus raptorum, & de fœnore negotiatorum accipiant: Licèt enim Decimæ & Oblationes principaliter Clericali debeantur militiæ, poteſt tamen Eccleſia omne quod habet cum pauperibus habere commune. Quantò magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angaria bajulantes Crucem Chriſti, ſequuntur pauperem Chriſtum? Eſt tamen in quo Abbatibus & Præpoſitis Monaſteriorum parcendum eſſe non exiſtimo, ſi ab illis ad quos non pertinent, id eſt, à Laicis Decimas & Oblationes accipiant, ſi inordinatè eas à quibuſcumque perſonis acquirant, ſi terminos tranſgrediantur antiquos, id eſt, ſi ſtipendia Presbyterorum antiquitùs inſtituta minorent, ac ſibi uſurpent. Nec tamen ideò Monachi, qui hæc ignorant aut non probant, debent ſuam collectionem deſerere, aut Abbatibus ſuis minùs obedientes exiſtere*. Quidam tunc Pſeudo-doctores aſſeruerunt Decimas eſſe Eccleſiaſtica ſolorum privativè Epiſcoporum & Clericorum ſtipendia, ipſarum Monachos non minus quàm Laicos eſſe penitus incapaces, ideoque ipſas detinentia Monaſteria eſſe in damnationis ſtatu, & à probis Monachis deſerenda. Palmares damnationis reos blaterarunt eſſe Abbates, & Præpoſitos ſeu Procuratores, ipſorum cohabitationem eſſe contagioſam, ideoque migrandum in ſolitudinem & Anachoreſim. Peſſimis hiſce ſibilis percuſſerunt multorum infirmorum imperitas conſcientias, & in Apoſtaſiam circumſcripſerunt.

Ep. 192.

Et quidem laudata Sancti Ivonis Epiſtola ſanavit & quietavit multos, attamen non omnes. Quis enim neſciat ſanctiſſimum Ciſtertienſem Ordinem prodiiſſe ex ſchiſmate & quaſi Apoſtaſia quorumdam fratrum è Moliſmenſi Monaſterio? Dixerunt hi Sancti Benedicti Regulam non ſervari, ſui temporis Monachos eſſe extra ſalutis viam, ideoque fugerunt in Ciſtertii eremum, & novum iſtic atque humile Cœnobium inchoarunt. Hac enim de cauſa venerabilis Albericus, ſecundus Ciſtertii Abbas, longo tempore, tamquam ſchiſmatis auctor aut incentor Moliſmenſem carcerem ſanctificavit. Eorum ſenſum exponit Sigebertus Gemblacenſis: *Abbas Ciſtertii & fratres ejus, non immemores ſponſionis ſuæ, Regulam Beati Benedicti in loco illo ordinatam unanimiter ſtatuerunt tenere, rejicientes à ſe quidquid Regulæ refragabatur. Exuti veterem hominem, novum ſe induiſſe gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in vita Sancti Benedicti legebant eundem Doctorem poſſediſſe Eccleſias vel Altaria, vel Decimas aliorum hominum, ideò hæc omnia abdicaverunt. Decimas ajebant à ſanctis Patribus, qui organa erant Spiritus Sancti, quorumque Statuta tranſgredi eſt ſacrilegium committi, in quatuor portiones diſtributas, unam ſcilicet Epiſcopo, alteram Presbytero, tertiam hoſpitibus ad illam Eccleſiam venientibus, ſeu viduis & orphanis, ſive pauperibus aliundè victum non habentibus, quartam reſtaurationi Eccleſiæ. Et quia in hoc computu perſonam Monachi, qui terras* A. 1107.

ſuas

ſuas poſſidet, unde & per ſe & per pecora ſua laborando vivat, non reperiebant, idcircò hæc veluti aliorum jus injuſtè ſibi uſurpare detrectabant. Quod ipſum eiſdem verbis apud Philippum Labbeum refert auctor incognitus de origine Ciſtertienſium. Et in litteris ad Robertum Pontiniacenſis Monaſterii Priorem ſcribit Stephanus Tornacenſis Epiſcopus: *Ciſtertienſes ſuis ac ſuorum manibus victum exquirunt & veſtitum, non veriti ſequi Paulum, qui cum licitè poſſet de Evangelio vivere, ac ſpiritualia ſeminans carnalia metere, maluit tamen manibus operari, ne quod offendiculum daret Evangelio Chriſti.* Affirmat Decimas à Ciſtertienſibus, non tamquam illicitas aut injuſtas, ſed tamquam ſuo ſtatui non congruentes fuiſſe dimiſſas. Avitam hujus Ordinis ſanctitatem inſigniter deſcribit & laudat. Apud Franciſcum du Cheſne exſtat inſignis Epiſtola, qua Alexander tertius Pontifex ad Decimas lapſum Ciſtertienſem ordinem conatur reducere ad antiquam paupertatem.

Epiſt. 1.

Ad Deſiderium Caſſinenſis Monaſterii Abbatem rectè ſcribit de hac rè Sanctus Petrus Damiani: *Ut copioſiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monaſteriis & Eremis Decimæ quorumcumque proventuum, & non modo pecorum, ſed etiam cornicum pariter & ovorum.* Laudat ac imitandas ſuadet largas quorumdam Monaſteriorum eleemoſynas, additque jam adducta verba, quorum ſenſus eſt dubius. Affirmare videntur, quòd ideò invaſas olim à Laicis Decimas transferri in Monaſteria atque Eremos jam permittat Eccleſia, ut Abbates & Præpoſiti, tamquam fideles diſpenſatores, ipſas dividant in pauperes. Et hocce omninò fine Laici ipſas in varia hinc inde Monaſteria tranſtulerunt. De Monachorum enim potiùs, quàm de Clericorum futura in pauperes pietate confidebant. Alii à Petro Damiani laudari exiſtimant quædam Monaſteria, quòd omnium ſuorum proventuum Decimas darent pauperibus. Quidquid ſit, certum eſt & clarum, quòd Decimas poſſidentia Monaſteria, ac etiam Clericorum Collegia ſeu Capitula ad largas eleemoſynas, non tantùm ex charitate, ſed omninò ex rigida juſtitia obligentur. Ad quartam enim Decimarum partem pauperes habent rigidum jus, immò pars iſta ſpectat ad pauperes, & res tranſit cum ſuo onore. Et Monachorum fidem à piis olim Laicis fuiſſe electam ad hoc opus, jam dixi, & rursùm dico. Quod ab ejuſmodi Monaſteriis eſt perpetua memoria retinendum. Electa ſunt ad ipſas diſpenſandas potiùs, quàm poſſidendas. Et de Regularium in Europa Clericorum auctore Sancto Rigoberto ſcribit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus: *Canonicam Clericis religionem reſtituit, ac ſufficientia victualia conſtituit, & prædia quædam illis contulit, nec non ærarium commune uſibus eorum inſtituit. Ad quod plures villas delegavit: Eccleſiam quoque Sancti Hilarii cum ſuburbio ad eam pertinente.* Communis vitæ cauſa dedit eis iſtius Eccleſiæ Decimas. Quod ipſum plures poſteà Epiſcopi fecerunt. Et plures item Laici. Sanctiſſima erat iſtorum Clericorum vita, ideoque per ipſos, quàm per Pagenſes Presbyteros viſæ ſunt Decimę fideliùs in pauperes, & Eccleſiæ fabricam diſpenſandæ. Eorum ſanctitati creditum fuit totum Decimarum onus: & honeſta Presbyteri alimentatio, & Eccleſiaſticæ fabricæ reparatio, & cura pauperum ac peregrinorum. Undè è regularibus hodie ſingulares & ſæculares Clerici, qui Decimalium fundorum pauperes negligunt, & Preſbyterum ad venandum ex ſcabioſis exactionibus victum compellunt, videant qualiter in Divino judicio ſint ſuam cauſam peroraturi.

Lib. 2. Ep. 14.

Lib. 2. c. 10.

Quæ doctrina eſt antiquiſſima. Etenim ad Ægyptios poſſeſſores, dum adferrent Decimas, apud Joannem Caſſianum dixit Diaconiæ Præfectus Joannes: *Delector quidem, ò filii chariſſimi, pia veſtrorum munerum largitate, & devotionem hujus oblationis, cujus diſpenſatio mihi credita eſt, gratanter amplector, quia fideliter Primitias veſtras ac Decimas indigentium uſibus profuturas, velut ſacrificium Domino bonæ ſuavitatis offertis.* Monaſtica Diaconia erat fraternum in pauperes miniſterium, cujus ſingularem, *qui pauperes aleret & indigentibus ſubſidia miniſtraret*, Præfectum fuiſſe etiam in Cluniacenſi Cœnobio ſcribit in Sancti Odilonis Abbatis vita Sanctus Petrus Damiani. Ægyptii Monachi nullum habebant Decimarum jus, ideoque ipſarum in pauperes dividendarum ſolam diſpenſationem ſibi competere, rectè dixit laudatus Joannes. Et quàm caſtam ac firmam hac in re fidem præſtiterint iſti Monachi, demonſtrat in Monaſticis Inſtitutionibus laudatus Caſſianus, ipſorum in manuali labore diligentiam laudans, atque adjungens: *Non ſolùm à nullo quidquam ad uſum ſui victus accipere patiuntur, ſed etiam de laboribus ſuis non tantùm ſupervenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verùm etiam per loca Lybiæ, quæ ſterilitate ac fame laborant, necnon etiam per civitates his qui ſqualore carcerum contabeſcunt, juvamen conferentes dirigunt alimoniæ victuſque ſubſtantiam, de fructu manuum ſuarum rationabile ac verum ſacrificium Domino tali oblatione ſe offerre credentes.* Et in libro de Catholicæ Eccleſiæ moribus Sanctus Auguſtinus: *Sanè quidquid neceſſario victui redundat, nam redundat plurimùm ex operibus manuum ac epularia reſtrictione, tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo modo namque ſatagunt, ut hæc ſibi abundent, ſed omni modo agunt, ut non apud ſe remaneat quod abundaverit, uſque adeò ut oneratas naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.* Quod ipſum pluribus oſtendit Hermias Zozomenus. Ipſos laudat quod meſſis tempore meſſores agerent, grana acciperent pro ſtipendio, ac ipſorum plenas naves etiam ad alienarum regionum pauperes deſtinarent. Laudatum item Abbatem Odilonem fuiſſe non dumtaxat largum in pauperes, ſed & prodigum, pro famem patiente Aquitania vacuaſſe omnia horrea, & ſacra vaſa, ac etiam donatam ab Imperatore Henrico auream coronam vendidiſſe, affirmat laudatus Petrus Damiani. Et de neſcio quo Paleſtinæ Monaſterio ſcribit in ſpirituali Prato Sanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus: *Conſuetudo fuit, ut in Cœna Domini pauperes omnes & pupilli regionis*

L. 10. c. 22.

C. 30.

L. 6. c. 28.

C. 85.

nis bujus confluerent huc, & acciperent medium tritici ſextarium, benedictiones tredecim & ſextarium vini, mediumque ſextarium mellis pro quolibet. Addit ante triennium ob ſummam annonæ caritatem fuiſſe intermiſſam eleemoſynam, ac pergit: *Non itaque, ut conſuetum erat, dederunt benedictionem in die Sancto Cœnæ & Paraſceves. Profectus poſtmodum, qui præerat horreis, aperuit oſtia, & reperit totum triticum germinaſſe. Quare coacti ſunt illud in mare projicere.* Similem Fuldenſis Monaſterii tenacitatem fuiſſe etiam Divi- [A. 1091.] nitus caſtigatam refert Matthæus Pariſienſis. Aſſiduas ſui Monaſterii orationes, & quotidianas [L. 5. Epiſt. 18.] pauperum recreationes in litteris ad Guilielmum Aquitaniæ Ducem inſigniter deſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis.

Quædam Monaſteria, quòd omnium ſuorum bonorum Decimas pauperibus largirentur, à Sancto Petro Damiani laudari quidam non ſine fundamento opinantur. Etenim ſub Paſchali primo Pontifice ad reformandum Sancti Be- [C. 19.] nedicti ordinem celebrata Synodus ſtatuit: *Ut de omnibus in eleemoſynam datis tam Eccleſiæ quàm Confratribus, Decimæ pauperibus dentur.* Et per [C. 15.] Sanctum Bernardum formata Templariorum Sanctiſſima Regula: *Decimum totius panis quotidiè Eleemoſynario veſtro dare jubemus.* Ut cuncta quotannis antiqua veſtimenta, & omnia menſæ reliqua in dies pauperibus dentur à cunctis Angliæ Monaſteriis, ſtatuit in ſua Oxonienſi Synodo Stephanus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Longè laudabilius fuit, quod in ſuis ſuper Sancti Matthæi Evangelium homiliis prædicat San- [Hom. 73.] ctus Joannes Chryſoſtomus: *Una in Monaſteriis menſa eſt omnibus, eædem epulæ. Cum mancis, cum pauperibus libenter converſantur, & his menſæ convivis plenæ ſunt quotidiè. Alius ibi vulnera permulcet læſi, alius cœcum ducit, alius portat eum, qui crus fregit. Non ſunt ibi paraſiti, aut adulantium multitudo.* Et hoc utcumque imitata ſunt illa Monaſteria, de quibus in laudata ad Deſiderium Abbatem Epiſtola Sanctus Petrus Damiani: *Nonnulla in noſtris partibus Monaſteria præclaram nuper inſtitutionis normam ſibimet indiderunt, ut præter cætera pietatis opera, etiam tres pauperes cum privata menſa juxta ſe ſemper Abbas habeat, eiſque ſingulis menſuram cibi, ut quivis habet frater, apponat. Nam cùm Regularis norma præcipiat, ut Abbatis menſa ſemper ſit cum hoſpitibus, hoc modo utrumque completur, ut & Abbatis menſa non ſuperbis ſæculi, ſed Sanctis hoſpitibus hæreat, & ipſe conveſci fratribus non omittat.* Quid Sanctus quidam Abbas de quotidiana in nobiles ac alios divites hoſpitalitate cenſuerit, & quomodo ejus cauſa deponere Abbatiam voluerit, deſcribit in litteris ad Hugonem Radingenſis Monaſterii Abbatem Petrus Bleſenſis: [Ep. 102.] *Quid de hoſpitalitate dicam? Quæ meritò hoſtilitas potiùs quàm hoſpitalitas cenſeretur. Chriſtus enim cauſam ei non præſtat, ſed inanis gloriæ obtentus. Divitibus quidem in hoſpitio cum honore & reverentia ſuſceptis in omni opulentia deliciæ apponuntur de patrimonio Crucifixi, Chriſtus autem ſemel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus ſuis crucifigitur & torquetur in luto. In quibus aut nudus omninò, aut in ſemicinctiis tabeſcens fame, & frigore tremens, de his quæ interiùs dantur canibus, ſolatium anguſtiæ ſuæ poſtulat, & non eſt qui moveatur ſuper contritione Joſeph. Ecce hoſpitalitas hodierna, in qua divites ad gloriam Dæmonum ſplendidè epulantur, & Chriſtus, qui charitas eſt, contemptu, inedia, & nuditate afficitur.* Hæc verba ſunt laudati Abbatis, qui & pergit: *Ego autem oblitus terribilium judiciorum Dei, & immemor animæ meæ, ſedeo tanquam Balthazar in medio convivarum, vaſis Domini abutens, & patrimonio pauperum ad contumeliam Chriſti. Interim exeunt de domibus hoſpitum garſiones cibariis onuſti & ebrii, ut de ſuperfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulatior doloris & tormenti materia. Sub hujus falſæ hoſpitalitatis prætextu Vicecomitibus, Foreſtariis, & cæteris Officialibus, aut potiùs officiperdi hominibus, tamquam Dominis & Magiſtris, omne humanitatis officium exhibemus. Proponetur tamen querela de inofficioſo, totamque hoſpitalitatis gratiam ingratitudo pervertet, niſi Architriclinus uſque ad nauſeam & vertiginem capitis cum hoſpitibus ſuis bibendi bella continuet. Hæc omnia judicabit, cujus judicia occulta ſunt, & ideò magis timenda. Sumptus tam deteſtabiles & enormes, non de labore aut patrimonio noſtro fiunt, ſed de eleemoſynis fidelium, de oblationibus atque Decimis, de tributis egentium animarum, de exactionibus & oppreſſionibus pauperum, de obventionibus etiam Placitorum. Qui in ſudore vultus pane noſtro veſci debuimus, labores miſerorum nobis uſurpamus ad delicias, atque in crapula & ebrietate ſudorem bibimus alienum.* Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis, aliiſque Decimas poſſidentibus, legenda eſt tota Epiſtola.

Aliam Monaſticæ eleemoſynæ antiquam ſpeciem laudat apud Matthæum Pariſienſem neſcio quis Fuldenſis Monaſterii Abbas, apparens poſt mortem, & dicens ad avarum in pauperes Cellarium; *Impium eſt, cùm Monachus omnem vi-* [A. 1091.] *tam in Eccleſiaſtico tranſegerit officio, illum ſaltem poſt mortem unius anni vitali defraudari ſubſidio.* Pro quovis defuncto Monacho voluit unum toto anno oraturum pro ipſo pauperem ali. Ita de Petro Sancti Benigni Divionenſis Abbate ſcribit apud Lucam Dacherium ejuſdem Monaſte- [A. 1105.] rii Chronicon: *Petrus fertur plurima nobis bona contuliſſe, & ideò cum præcipuis adſcriptus eſt, & habet in refectorio duodecim Prębendas. Poſt hunc pręfuerunt Richardus & Haymo, qui & duodecim Prębendas habent.* Utique pro pauperibus; & quidem perpetuas. Verùm in ſolo die anniverſario. Et de Hugone Sancti Auguſtini Cantuarienſis Abbate ſcribit Guilielmus Thor- [A. 1120.] ne: *Hugo inſtituit, ut ſingulis annis in perpetuum quinto nonas Julii fiat commemoratio pro animabus omnium benefactorum, parentum, & fratrum, & paſcantur triginta pauperes.* Et de Sylveſtro Abbate: *Sylveſter inſtituit, ut ſingulis annis in perpetuum in prima die Quadrageſimæ ſuſcipiantur in aula tot pauperes, quot habentur fratres in congregatione, & ibi per totam Quadrageſimam cibo & potu reficiantur. Et qui defuncti fuerint, infra annum ſimiliter habeant ſuum pauperem. In anniverſario obitus prædicti Sylveſtri & Hugonis primi,*

primi paſcantur triginta pauperes in aula pro animabus eorum, & animabus fratrum, & benefactorum iſtius loci, & omnium fidelium defunctorum. Et prædictus Abbas Sylveſter, qui hoc inſtituit, ſuum A. 1154. *habebit pauperem ſingulis annis in perpetuum.* Iſtiuſmodi eleemoſyna fuit & illa, de qua ad ſuos Beccenſes Monachos ſcripſit Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Conſtitutionem noſtram & veſtram de eleemoſyna pauperum nullo modo minui permittatis, ſed potiùs augete.* (L. 3. Epiſt. 26) Et de Udalrico Abbate habet Laurishamenſis Monaſterii Chronicon: *Quorumdam militum magnificam fidei devotionem pius Pater Udalricus dignè remunerans conſtituit eis, ſicut Carolo Magno & duobus Ludovicis, ſingulos pauperes in Cœna Domini ad Mandatum Fratrum perpetuò aſſignari.* Nempè Canonicæ electionis libertatem laudatus Carolus, ejus filius Ludovicus Pius, ac nepos Ludovicus Germaniæ Rex Monaſterio permiſerant, & laudati milites defenderant. Et de Cluniacenſis Monaſterii erga ſuos pro ipſo labores gratitudine ſcribit ad Hugonem Abbatem Sanctus Petrus Damiani: (L. 6. Epiſt. 2.) *Conventus tecum mihi promiſit, quòd per omnes ſuccedentium viciſſitudines temporum Anniverſarium mei obitus rediviva ſemper memoria coleret. Cui ſponſioni & hoc additum eſt, ut unum ſine intermiſſione pro me pauperem, & alimentis & indumentis jugiter ſuſtentaret.*

Eſt & alia hujus boni operis ſpecies, quam Abbates non ſpontè ſuſcipere, ſed ipſis Pontifex, Rex, aut Epiſcopus conſueverunt imponere, & titulare *Panem Abbatis*. Etenim de degradato Eccleſiæ Remenſis Archiepiſcopo Ebbone ſcribit ad Nicolaum primum Pontificem Synodus Tricaſſina: *Ebbo per diverſa Monaſteria commendatione Ludovici Imperatoris degit.* Et in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria Flodoardus: (Lib. 2. c. 20.) *Ludovicus fugitivum Ebbonem revocari fecit, & in Monaſterio Sancti Bonifacii ei, & Clericis ac Laicis qui cum ipſo erant, neceſſaria miniſtrari, & Synodum exſpectare præcepit.* Quod ipſum de Hildemanno Belluacenſi Epiſcopo præcepit apud Atrebatenſes Monaſterio Sancti Vedaſti. Et de ſuo nepote ad laudatum Hugonem Abbatem ſcripſit Apoſtolicæ Sedis legatione fungens in Gallia laudatus Petrus Damiani: *Rogo Sanctitatis veſtræ Clementiam ſuper adoleſcentulo iſto, ut illi magiſtrum ſimul & victum paterna pietate provideat.* Et ad Alexandrum tertium Pontificem, qui filio Laxii de Archerio ſimilem præſtari gratiam juſſerat, reſcripſit Stephanus Aureliæ ad Sanctum Evurtium Abbas, ac poſteà Tornacenſis Epiſcopus: *Superveniente nuntio mutatum eſt mandatum, & aggravatum præcepto, ut quotidianum victum in im-* (Ep. 67) *menſam pecuniæ ſummam converterem, & decem ſolidos Pariſienſes per ſingulos menſes puero numerarem. Factum ut imperaſtis, cùm hæc & alia quæcumque juſſeritis, ego & fratres noſtri parati ſimus & libenter ſuſcipere, & liberaliter adimplere. Sciat interim Paternitas veſtra nos in quibuſdam Clericis exhibendis per aliquos Dominos meos Cardinales conſimilia onera ſuſtinere.* Eum enim & Ærnando Clerioo gravaverat Cardinalis Albertus, Romanæ Eccleſiæ Cancellarius. Et de Ludo- (Ep 68.) vico ſeptimo Francorum Rege habemus apud Radulphum de Diceto: *Ludovicus Rex Francorum venit Pontiniacum, & ne quid in Anglia fieret in perniciem Ordinis Ciſtertienſis, Thomam Archie-* A. 1166. *piſcopum Cantuarienſem, cui jam per biennium Pontiniacenſes omnem exhibuerant humanitatem, Senonas ſecum deduxit, & in expendiis ſufficientiam apud Sanctam Columbam invenit per quatuor annos.* Sanctiſſimo exuli juſſit ab utroque Monaſterio dari Panem Abbatis. Et de Eduardi tertii Anglorum Regis in ſuſpenſum Walterum Vynkeburne, qui aut exſtinctus non fuerat aut revixerat, pietate ſcribit Henricus Knyghtonus: *Walterus ductus eſt in Eccleſiam Sancti Sepulchri per Clerum, & ibi diligenter cuſtodiebatur à Clero, ne fortè raperetur iterùm ſuſpendendus. Cui Rex Eduardus in Abbatia Leyceſtrenſi fecit gratiam, & conceſſit chartam, ita inquiens me audiente: Deus dedit tibi vitam, & nos dabimus tibi chartam.* Et Rudolphum Trudonopolitani Monaſterii Abbatem, pro vitanda Alexandri Pſeudo-Epiſcopi Leodienſis, & ipſum protegentis Godefridi Barbantiæ Ducis ſcabioſa communione ſpontaneè (Lib. 11.) exulem, Ruperto Tuitienſi Abbati impoſuit Fredericus Archiepiſcopus Colonienſis. Ita habes in laudati Cœnobii Chronico. Quæ eleemoſyna viguit apud Græcos. In ſuo ad quintum ſeptimæ Synodi Canonem commentario Theodorus Balſamon vocat ipſam jus fraternitatis, aſſeritque ſine Simonia & emi poſſe & vendi. In decimi noni Canonis commentario addit quibuſdam Monaſteriis poſſe ex cauſis imponi per Patriarcham. Fundatur in Sardicenſi Synodo. Hæc enim exules Epiſcopos ali juſſit à ditioribus Collegis. Et ita ſibi fuiſſe factum à Cucuſi Epiſcopo ſcribit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et multis per Barbaros expulſis fieri juſſit Magnus Gregorius. Hæc, inquam, Monaſteriorum eleemoſyna præſertim fundatur in Decimis.

Præſens ergò Canon à Monaſteriis & Capitulis permittit poſſideri Decimas, verùm de gratia. Hinc iſtam poſſeſſionem vult non eſſe nimis amplam, nec ſine Romani Pontificis, aut ſaltem proprii Epiſcopi conſenſu iniri. Monaſteriis enim atque Capitulis nimiæ divitiæ ſunt peſſimum venenum. Quod ipſum in ſecunda ſua Romana, Melphitana, & Claromontana Synodo firmavit Urbanus ſecundus: *Nullus Laicus Decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici juris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis, Monaſteriis aut Canonicis offerre præſumat. Quòd ſi quis Epiſcopus improbitatis cauſa & avaritiæ conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cùm ejus ſcientia quod offerendum eſt offeratur.* Quem Canonem in ſua Belluacenſi Synodo innovavit & publicavit Conon Præneſtinus Epiſcopus, Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinalis Legatus. Epiſcopi tamen aſſenſus eſt in prima inſtantia poſtulandus. Ejuſdem Paſchalis Cardinales Legati Joannes & Benedictus conſtituerunt item in ſecunda ſua Pictavienſi Synodo: *Ut neque Clerici, neque Monachi per pecuniam Altaria vel Decimas à Laicis ſibi acquirant, ſub excommunicatione interdicimus.* Quid enim de Decimarum nundinatione ſen-

ſenſerit antiquitas, lucet ex Hincmari Remenſis Archiepiſcopi litteris ad Wiligiſum, aliosque Sancti Dionyſii Monachos: *Abſit Fratres, ut alii Eccleſiaſtici & Religioſi viri hoc audiant, quia Monachi de Monaſterio Sancti Dionyſii Decimam vendere quærunt, ut de ipſo pretio infernum comparent. Multò magis autem abſit, ut Laici hoc audeant, quod nemo etiam peccatis publicis implicans in mea Parochia facere audet. Si enim aliquis de alio Monaſterio, quàm de noſtro hoc tentare, quantò magis facere præſumeret, ab omni communione illum de Parochia mea excommunicarem.* Epiſtolæ fragmentum exſtat apud Flodoardum. Decimarum enim jus eſt Eccleſiaſticum & ſpirituale, ideoque nec emi poſſit nec vendi. Et Laicus eſt ejus omninò incapax, ideoque ab illo id ſingulariter non poſſit fieri. Etiam Joannes Cardinalis de Crema, Honorii ſecundi in Anglia Legatus, in Londinenſi ſua Synodo ſtatuit: *Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omninò Monachus vel Clericus Eccleſiam ſive Decimam, ſeu quælibet beneficia Eccleſiaſtica, de dono Laici ſine proprii Epiſcopi auctoritate & aſſenſu ſuſcipiat. Quòd ſi præſumptum fuerit, irrita erit donatio hujuſmodi, & ipſe Canonicæ ultioni ſubjacebit.* Quæ verba deſumpſit ex Lateranenſi Synodo Calixti ſecundi. De vario Templariorum, Hoſpitalariorum, & aliorum Regularium in ſuam juriſdictionem exceſſu queſti ſunt etiam in Lateranenſi Synodo plures Epiſcopi, atque pro illis ſtatuit Alexander tertius: *Eccleſias igitur & Decimas de manu Laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum, tam illos quàm etiam quoſcumque alios Religioſos recipere inhibemus, dimiſſis quaſcumque contra tenorem iſtum aliquo tempore receperunt.* Templarii & Hoſpitalarii ob grandia ſua in Eccleſiam merita apud omnes Chriſtianos Principes & Nobiles erant gratiſſimi. Quin & iſtorum plurimi erant Templariorum præſertim Ordinem profeſſi. Hinc ex pauperrimis ſubitò evaſerunt opulentiſſimi: Quod Dei Eccleſiis Decimas ac Primitias ſubtraxerint, & Epiſcopis ſint facti moleſtiſſimi, teſtatur in ſacri belli Hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyriorum. Ipſis ultra ſeptem millia Conventuum fuiſſe affirmat Magnum Belgii Chronicon. Addit Regibus fuiſſe ditiores. Erant orti ex Hoſpitalariis, ideoque hi illis vix erant inferiores. Hinc ambos ad avitam paupertatem atque humilitatem reducere conatus eſt iſto Canone Alexander tertius. Eundem in ſua Lateranenſi Synodo laudavit & confirmavit Innocentius tertius.

Lib. 3. c. 25.

Cap. 18.

Lib. 12. c. 7.

Adductam Cononis Cardinalis Synodum laudat in ſui Maurigniacenſis Cœnobii Chronico Theulphus Monachus, & adjungit de ſuo Abbate Thoma: *Mordebat Abbatis & aliorum quorumdam Fratrum conſcientiam, quòd Anteceſſores noſtri Eccleſias & Decimas quaſdam, non ſolùm donis, verùm etiam pecuniis acquiſierant. Neque enim tunc, in initio ſcilicet conſtitutionis hujus Eccleſiæ, quæſtio de Simonia ſic ventilata erat, ſicut Poſterorum diligentia factum eſt. Sed ſi quid Eccleſiaſticum à ſæcularibus hominibus emeretur, non emptio, ſed redemptio vocabatur. Sed cum diutiùs ſuper hac re titubaſſent, Divina providentia factum eſt, ut rursùm Dominus Cono Præneſtinus Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, apud nos hoſpitandi gratia divertiſſet, habens apud ſe velut auxiliatorem Magnum Wilhelmum Catalaunenſem Epiſcopum, qui ſublimes ſcholas rexerat, & tunc zelum Dei habens, ſuper omnes Epiſcopos totius Galliæ ſcripturarum ſcientia fulgebat. Abbas igitur in manu Cardinalis illa omnia, de quibus ſcrupulum habebat, reddidit, ut in ejus diſpoſitione eſſet quidquid inde facere voluiſſet. Die ſubſequente viri ſapientes & Eccleſiaſtici Diſpenſatores ante præſentiam ſuam Abbatem vocaverunt, & ut ea de manu Beati Petri acciperet, ac ſecurò in Abbatia Deo ſerviret, per obedientiam injunxerunt. Hæc idcircò dicta ſunt, ut Poſteri noſtri & de talibus provideant, & de tranſactis timorem non habeant.* Iſta Monachorum mercatura admodùm tunc graſſabatur, & ex ipſa prodiit nimia quorumdam opulentia; ideoque ille Abbas fuit omni laude dignus. Aſt longè majorem ſui laudem ſcribit ad Paſchalem ſecundum Pontificem Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Monaſterium noſtrum noſtro tempore per Dei gratiam ampliùs crevit, quàm priùs devotio Fundatorum ei contulerit, licet numquam Eccleſiam, numquam alterius Eccleſiæ Decimam, vel quamlibet poſſeſſionem Eccleſiaſticam eo modo acquiſierim, quo faciunt quidam.* Laudatus Theulphus Decimalis juris nundinationem non ſolummodò affirmat iniquam, ſed & Simoniacam. Aliud enim ſunt Decimæ & Primitiæ, aliud Eccleſiaſtici fundi aut illis impoſiti cenſus. Iſtarum jus Eccleſiaſticis officiis eſt privativè ac indivulsè annexum, ideoque ſine ſimonia nequit in humana pacta deduci. Et ad hanc Sancti Anſelmi quæſtionem: *Si Rex habet terras Epiſcopatus vel Abbatiæ, quas nullo modo vult reddere, & pro eis vult dare aliquam Eccleſiam, quam tenet in ſua manu, non minùs utilem, ſi liceat accipere, ne judicetur emptio?* Ad hanc, inquam, quæſtionem reſpondit Paſchalis ſecundus: *Pro terris Eccleſiarum de manu Regis Eccleſias ſuſcipere minùs licet, ne ſacrilegii dari videatur aſſenſus. Divina enim in nullius bonis ſunt, & quod Deo ſemel oblatum eſt, in alienos uſus non expedit uſurpari. Porrò in hujuſmodi commutationibus Poteſtati ſæculari ſecuriùs indulgetur.* Pactum hoc, quòd in ipſo poſſeſſio deſeratur, adeoque & detur pro Decimis, affirmat eſſe de emptione ac ſimonia ſuſpectum; in Rege tamen, dummodò & poſſeſſio & Decima ſpectent ad eandem Eccleſiam, & abſit ſcandalum, poſſe diſſimulari: Quòd ſit ſaltem unius redemptio. Etenim Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem pro alienis Decimis deſerere, eſt emptio manifeſta.

Lib. 1. Epiſt. 9.

Ep. 45.

Lucet hoc ex alio ad hanc Anſelmi quæſtionem, *Si de manu Laici liceat Epiſcopo vel Abbati accipere Eccleſias, quas in ſuo dominio habent, cum eas non perſonæ, ſed Epiſcopatui vel Abbatiæ donent,* ejuſdem Paſchalis Reſponſo: *De manu Laici Epiſcopus jam conſecratus ſuſcipere non debet Eccleſias, ſi in aliena Parochia ſint, ſi verò in ſua ſint, licenter accipiat. Hoc enim non videtur dare, ſed reddere, cum Eccleſiæ omnes per ſingulas Parochias in Epiſcoporum eſſe debeant poteſtate. Abbates verò per Epiſcoporum manus ſuſcipiant.* Et

Al-

Albertus ac Theoduinus Cardinales, Alexandri tertii per Nortmandiam Legati, in ſua Rothomagenſi Synodo ediderunt Canonem, cui Rogerus Hovedenſis ac Joannes Bromptonus A. 1172 dant hoc compendium: *His qui Decimas hæreditario jure tenent, licentia ſit cui voluerint Clerico idoneo dare, eo quidem tenore, ut poſt eum ad Eccleſiam, cui de jure competunt, revertantur.* Et in ſuo Capitulari Odo Pariſienſis Epiſcopus: Tit. 3. c. 19. *Nullus Clericus poteſt ſibi retinere Decimas hæreditario jure poſſeſſas, ſed auctoritate Epiſcopi poſſunt Clerici fructus percipere, ita tamen quòd ſemper laborent, ut ad Eccleſiam revertantur.* Huc etiam ſpectat quod ad Laurentium in Charitatis Cœnobio Monachum ſcripſit Sanctus Ivo Carnutenſis: Ep. 186. *De emptionibus rerum Eccleſiaſticarum, quas Monachi à Laicis faciunt, hoc tuæ Fraternitati reſpondemus, quia ſi res Eccleſiaſticas de Laicorum ſervitute dato pretio liberarent, & juri Eccleſiaſtico ac Epiſcopali diſpoſitioni reſtituerent, non ſolùm non improbaremus, ſed vehementer laudaremus. Quia non videretur eſſe emptio, ſed à cunctis piè ſentientibus laudanda redemptio. Sic captivi fidelium pietate redimuntur, cum Redemptores ipſos redemptos non in ſuam redigunt ſervitutem, ſed in priſtinam reſtituunt libertatem. Verùm quia rarus eſt aut nullus, qui hæc emat, niſi ſuis aut ſuorum uſibus, non eſt hæc appellanda pia redemptio, ſed inter ementes & vendentes cupida & periculoſa coemptio.* Et in litteris ad Sueſſionenſe Capitulum Innocentius tertius: *Poſtulaſtis vobis à Sede Apoſtolica indulgeri licentiam redimendi Decimas, quæ infrà metas Parochiarum veſtrarum in feudum à Laicis detinentur. Nos autem volentes ſuper hoc Eccleſiis, quibus hujuſmodi debentur Decimæ, providere, præferri eas volumus in redemptione talium Decimarum. Quod ſi* Lib. 4. Ep. 9. *nolint, aut fortè non poſſint, redimendi eas ad opus illarum Eccleſiarum vobis concedimus facultatem, proviſo nihilominùs ut conſueta ſervitia, ad quæ Laici illis Eccleſiis pro Decimis tenebantur, etiam poſt contractum talis venditionis impendant, cùm ad eos pretium perveniat earumdem.* Ita poſſeſſiones ſuas, Decimas præſertim ac Primitias, de Laicorum manibus efeſtucare variis modis conata ſemper fuit Eccleſia, ea tamen lege ut ad propriæ Parochiæ redirent opus. Quod ubi non potuit, permiſſæ ſunt tranſire ad aliquod Monaſterium ſeu Capitulum: Verùm ex judicio & conſenſu Epiſcopi, aut certè Romani Pontificis. Et hinc ad Bituricenſis Eccleſiæ Archipresbyterum & Scholaſticum ſcripſit etiam laudatus Pontifex Innocentius: *Laicus, qui Decimam detinet, monendus eſt ut eam reſtituat Eccleſiæ ad quam ſpectat, qui ſi fortè induci nequiverit, & eam cum Diœceſani conſenſu alteri Eccleſiæ aſſignaverit, præſertim Religioſo Conventui, conſtabit ipſa donatio, perpetua firmitate ſubnixa.* Exſtat Epiſtola apud Grego- Lib. 3. tit. 10. c. 7. rium nonum. Privatus ergo Clericus Decimas non niſi ad vitæ ſuæ excurſum detinere poteſt: Et quidem in ſolo caſu laudati Concilii Rothomagenſis. Epiſcopi ſub Capitulo, uti caput ſub corpore, comprehenduntur, ideoque gaudent Capituli jure.

Verùm inter Monachos de Platea, qui quamdam à neſcio quo milite Decimam cum Epiſcopi venia acceperant, & inter Bituricenſe Sancti Stephani Capitulum orta eſt poſtmodum quæſtio, An venia iſta dari deberet à ſolo Epiſcopo, an etiam à Capitulo? Capitulum ſuſtinuit donationem iſtam eſſe alienationis ſpeciem, ideoque ſuum etiam requiri aſſenſum, atque ita memoratam Decimam tentavit Monachis auferre. Reſpondit vero laudatus Innocentius: *Sufficit conſenſus Epiſcopi.* Addidit etiam in Lateranenſi Alexandri tertii Synodo ſic fuiſſe ſancitum. Et cum aliis adductis præſens Canon lucidè requirit conſenſum ſolius Epiſcopi. Et ad Raynaldum ex Andegavenſi Epiſcopo Metropolitam Remenſem ſcripſit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Suppliciter & diligenter oramus, ut* Lib. 1. Ep. 31 *Benignitas veſtra Ulgerum Andegavenſem Epiſcopum, & ejus Archidiaconum aut monere aut rogare dignetur, ne conceſſionem Eccleſiarum, quam Monaſterio noſtro benignè feciſtis, perturbare conentur.* Et adversùs Manaſſen Aurelianenſem Epiſcopum, qui Vizeliacenſi Monaſterio datam à ſuo Anteceſſore Elia Decimam repetiverat atque invaſerat, ad Hugonem Senonenſem Archiepiſcopum ſcripſit Eugenius tertius: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs utraque parte ante tuam præſentiam evocata, cauſa diligenter audita & cognita, juſtitia mediante definias.* Et ad ipſum Manaſſen: *Mandamus ut Eccleſiam Abbati & fratribus in pace reſtituas.* Exſtant Epiſtolæ apud Hugonem Notarium Pictavienſem in dicti Monaſterii Chronico. Lucidè edicunt licentiam iſtam eſſe dandam à ſolo Epiſcopo, & ſemel datam non poſſe per Succeſſorem revocari. Hæc enim donatio nequaquam eſt alienationis ſpecies: Eſt rei alienatæ, licet non ad debitum membrum, tamen ad Eccleſiæ corpus revocatio, ideoque cunctis alienationis ſolemnitatibus non debet fulciri.

Alia quæſtio eſt, An Fratres etiam mendicantes poſſint Altaria & Decimas poſſidere? Suprà enim audivimus ipſa, uti avitæ paupertati adverſa, & primævæ ſanctitatis everſiva, fuiſſe ab Alexandro tertio interdicta Ordini Ciſtertienſi. Et revera ex quo ſanctiſſimus ille Ordo Decretis iſtis cœpit non obedire, cœpit etiam ejus aurum verti in ſcoriam. Reſpondeo tamen fratres illos eſſe capaces. Etenim ipſa à Patribus Prædicatoribus admitti & poſſideri diſertè permiſit ipſorum confirmator Honorius tertius, ea tamen lege, ut non ipſi, ſed per ipſos præſentatus Epiſcopo, & ab Epiſcopo inſtitutus Presbyter regeret iſta Altaria, fratribus de temporalium, Epiſcopo de animarum cura reſponſurus. Conſt. 47. Ut quem è ſuis fratribus præſentare poſſint, cunctis mendicantibus indulſit Pius quintus. Hoc in caſu derogavit ſaluberrimæ conſtitutioni Joannis vigeſimi ſecundi: *Profeſſorem cujuslibet mendicantium Ordinis ad inferiores Cathedralibus Eccleſias poſtulari, Edicto perpetuo prohibemus.* Quod etiam Hugo Lugdunenſium Primas, ac Apoſtolicæ Sedis in Gallia Vicarius, omnem Mona- A. 1094. chum ſanxerit ad Parochialis Eccleſiæ regimen

eſſe inhabilem, teſtatur Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Pius quintus præſertim loquitur de exiſtentibus intra aliquem Conventum Altaribus, quæ revera non convenit per ſæcularem Presbyterum gubernari. Verùm hæc ſunt alterius loci.

CANON X.

Nullus Epiſcopus gravamen, ſeu ſervile ſervitium, ex uſu contra Eccleſiaſticam normam Abbatibus, ſeu Clericis ſuis imponat. Interdictum Sacerdotale Officium pretio interveniente non reſtituat. Quod ſi fecerit, officii ſui periculum ſubeat.

Scholion.

Monaſteriorum bona olim ſubfuerunt huic Can.41. communi Apoſtolicorum Canonum Regulæ: *Præcipimus ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique ſollicitudine miniſtrentur.* An ſit Regula Apoſtolica, ignoro; ipſam interim firmavit Antiochena Synodus, cuncta Eccleſiarum bona cum omni fide & diligentia ſervari Can.24. mandans, atque adjungens: *Ea gubernari & diſpenſari oportet cum judicio & poteſtate Epiſcopi, cui totius plebis animæ videntur eſſe commiſſæ.* Jubet ipſa omnibus eſſe manifeſta, ac diſpenſari cum conſcientia Presbyterorum atque Diaconorum. Et denuò ſancit: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei.* Eamdem Regulam prædicant, & pluribus exponunt Apoſtolicæ conſtitutiones Clementis Romani. Erat Regula ſanctiſſima, quam uſque ad Theodori Archiepiſcopi Herfordenſem Synodum permanſiſſe in Anglia teſtatur in Cantuarienſium Pontificum Actis Gervaſius ibidem Monachus: *Aſſeritur quòd in pleriſque locis, & maximè in Ec-* L.4.c.5. *cleſia Cantuarienſi, Theodorus inſtituerit, ut ad majorem Epiſcoporum excellentiam, & ad Monachorum tranquillitatem, Eccleſiæ datas partirentur poſſeſſiones, ut pars utraque ſingulas ſibi aſſignatas ſortiretur & regeret portiones.* Laudatæ Synodi Canon exſtat apud Anglicanam venerabilis Bedæ Hiſtoriam: *Ut quæque Monaſteria Deo conſecrata nulli Epiſcoporum liceat in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abſtrahere.* Eandem bonorum ſub plena Epiſcopi poteſtate communionem uſque ad Sancti Fulconis Epiſcopatum in Remenſi Parochia duraſſe affirmat Flodoardus: Cuncta iſtius Parochiæ villas ac facultates affirmat in Clerum, Monaſteria, pauperes, ac fabricam fuiſſe à Fulcone diviſas, iſtamque diviſionem à Formoſo Pontifice confirmatam. Et de Epiſcopo ſuo, qui eodem ſæculo floruit, Cap.56 Notgero ſcribit Anſelmus Canoninus Leodienſis: *Nec hoc ſilendum, quod inter cætera pietatis opera, prudenti admodùm uſus conſilio, in tres æquas portiones prædia Eccleſiaſtica diviſit, quarum unam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus retinuit, alteram Eccleſiis & Monaſteriis impertiit, tertiam militibus, qui Eccleſiam armis protegerent, habere conceſſit.* Communem vitam, quam impoſuere omnibus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ fidelibus Apoſtoli, à cunctis aliarum gentium Clericis ſaltem ac Monachis utcumque ſervari primæva Patrum diſciplina ſanxit.

Verùm pluribus in locis ſanctitas iſta dudum anteà defecit. Etenim in Conſtantinopolitana Sancti Flaviani Patriarchæ Synodo adversùs Eutychetem, Archimandritam ibidem atque Hæreſiarcham, dixit accuſatör Euſebius Doryleenſis in Phrygia Epiſcopus: *Metuo Eutychetis concuſſionem. Ego pauper ſum, nihil poſſidens. Minatur mihi exilium, divitias habet.* Utique Cœnobio ſuo proprias, & ab Epiſcopi poteſtate exemptas. De nimia Monachorum opulentia queſtus tunc fuit non ſolùm Paganus homo Zozymus, ſed etiam Sanctus Hieronymus, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus, graviter culpans illos, quorum ad Monaſticam profeſſionem adſpirantium prima erat quæſtio, An Monaſterium eſſet commodum & opulentum. Quod etiam Africana Cœnobia habuerint proprios proventus, docent varia loca Sancti Auguſtini. Avara quorundam Epiſcoporum rapacitas, ac in Monachos duritia coegerunt Eccleſiam ad dividenda horum bona, eximenda ab omni iſtorum poteſtate, & Abbatum fidei ac diligentiæ credenda. Ita de novo per Gratioſam Abbatiſſam exſtructo Monaſterio ſcripſit ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum Sanctus Gregorius Magnus: *In eodem Monaſterio neque Fraternitas tua, neque Presbyteri præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiarum inferant. Aut ſi quid pro diverſorum devotione commoditatis acceſſerit, ſibi æſtiment vendicandum, ſive aurum, ſive argentum, ſive prædium, ſive veſtimentum, omnibus modis conſtructio præfata poſſideat, cùm Ancillis Dei in eodem loco ſervientibus debeat proficere quidquid offerri ibidem contigerit.* Et mobilia & immobilia iſtius Cœnobii bona vult ab omni Epiſcopi poteſtate & adminiſtratione eſſe exempta. Et de novo Maſſilienſi

ſilienſi Sanctimonialium Monaſterio ſcribit ad Reſpectam Abbatiſſam: *In rebus vel in diſpoſitione Monaſterii neque Epiſcopum, neque Eccleſiaſticorum quempiam decernimus aliquam habere poteſtatem.* A Vigilio Pontifice datam Arelatenſi Monaſterio liberam bonorum adminiſtrationem confirmat in litteris ad Virgilium iſtic Epiſcopum, mandatque nullius præſumptione turbari. Quod ipſum privilegium dedit & aliis Monaſteriis. Dederunt & alii Pontifices, Metropolitæ item, atque Epiſcopi. Ita Turonenſi Sancti Martini Monaſterio *Monachicam libertatem, id eſt, liberam diſpenſandi licentiam* dedit Crotbertus ejuſdem civitatis Archiepiſcopus, ipſamque Adeodatus Pontifex confirmavit. Et in libertatis, quam Corbejenſi Monaſterio dedit Berthefridus Ambianenſis Epiſcopus, privilegio hæc poſuit: *Quidquid ibidem offertur, ipſi Abbates vel Monachi abſque contrarietate, vel repetitione Epiſcoporum liberè poſſideant.* Quam conceſſionem vigere dicit etiam in Monaſterio Agaunenſi, Lerinenſi, Cabilonenſi, ac Lexovienſi. Eandem Sancti Dionyſii Monaſterio fecit Landericus Epiſcopus Pariſienſis. Exſtant inſtrumenta in Galliæ Conciliis apud Jacobum Sirmondum. Simile, quod ſuo ad Sanctum Remigium Monaſterio fecit Aldricus Senonenſis Archiepiſcopus, privilegium nuper publicavit in Spicilegio Lucas Dacherius. Eorundem privilegiorum formulas habes apud Monachum Marculphum. Data fuerunt adversùs quorumdam Epiſcoporum in Monaſteria violentiam, de qua quartum Toletanum Concilium: *Nuntiatum eſt præſenti Concilio, quòd Monachi Epiſcopali imperio ſervili operi mancipentur, & jura Monaſteriorum contra Inſtituta Canonum illicita præſumptione uſurpentur, ita ut penè de Cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam, ſervitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, qui Eccleſiis præſunt, ut ultra talia non præſumant, ſed hoc tantùm ſibi in Monaſterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id eſt, Monachos ad converſationem ſanctam præmonere, Abbates aliaque officia inſtituere, atque extra Regulam facta corrigere. Quod ſi aliquid in Monachos Canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quidpiam de Monaſterii rebus tentaverint, non deerit illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſuſtulerint ab illicitis.* Nequaquam ſubſtantiæ, ſed ſolius Monaſticæ diſciplinæ directionem affirmat ſpectare ad Epiſcopos, idque ex generali Eccleſiæ Canone, utique edito per tertiam Magni Gregorii Synodum: *Interdicimus ac prohibemus, ut nullus Epiſcoporum ultra præſumat de reditibus, rebus, vel chartis Monaſteriorum, vel de Cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo, vel qualibet occaſione minuere, vel dolos vel immiſſiones aliquas facere. Si qua fortè inter terram venientem ad partem ſuarum Eccleſiarum & Monaſteriorum quæſtio evenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud Electos Abbates, & alios Patres timentes Dominum, ſive voluntaria delatione, mediis ſacroſanctis Evangeliis finiatur.* Et infrà: *Deſcriptiones rerum & chartarum Monaſterii ab Epiſcopo Eccleſiaſticas fieri omninò vetamus. Et ſi quando res exigit, Abbas loci cum aliis fratribus cauſas rerum inventarum faciat, & eorum conſilio & judicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Epiſcopus in deſcribendis providendiſque rebus Monaſterii, vel datis perquirendis nullatenùs ſe permiſceat.* Monaſteriorum bona vult adeò eſſe exempta, ut de ipſis ortas cum Eccleſiis quæſtiones nolit per ſolos Epiſcopos judicari. Qui Canon quia ſtatim ab omni Latina gente non fuit admiſſus, ſingularibus privilegiis plura hinc inde Monaſteria dudum adhuc poſteà indiguerunt.

Lib. 6. Ep. 22.

Lib. 7. ind. 2. Ep. 117.

Tom. 2. Cap. 1. 2.

Can. 50.

Notanda ſunt laudati Gregorii verba in litteris ad Joannem Epiſcopum Scillitanum: *Quia Monachi Caſtillienſis Monaſterii queſti ſunt Fraternitatem tuam quædam de Monaſterio ſub Xenii quaſi ſpecie abſtuliſſe, neceſſe eſt, ut ſi quid te indecenter recolis accepiſſe, ſine dilatione reſtituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga Monaſteria Sacerdotalis magis debuerat munificentia demonſtrare.* Monaſticæ ſubſtantiæ adminiſtratione privati Epiſcopi dixerunt ſe gratis non obligari ad diſciplinæ cuſtodiam, ſed ſibi ad minus in ſubjectionis characterem deberi quoddam annuæ penſionis xenium: Et iſtud laudatus Pontifex in iſto Joanne damnavit. Ita adversùs quorumdam Epiſcoporum rapacem in Parochiales Eccleſias violentiam ſtatuit quarta Toletana Synodus: *Non ampliùs quàm duos ſolidos unuſquiſque Epiſcoporum per ſingulas ſuæ Diœceſis Baſilicas annua illatione ſibi expetat conferri, Monaſteriorum Baſilicis ab hac ſolutionis impenſione ſejunctis.* Eſt antiqua Hiſpanorum in Monaſteria pietas, de qua Ilerdenſe Concilium: *Ea quæ in jure Monaſterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur.* Dummodò tamen ſint non ſolo nomine, ſed in rei veritate Monaſteria, habentia competentem numerum Fratrum. Et hanc pietatem vix reperias apud alias gentes. Etenim Sancti Galli Monaſterio liberam bonorum adminiſtrationem donans adversùs Conſtantienſium Epiſcoporum violentias Carolus Magnus addidit: *Excepto cenſu, qui de Monaſterio ad Epiſcopatum perſolvi debet ſingulis annis, id eſt, equus unus, & auri uncia una.* Ita habes in Chronico Conſtantienſis Eccleſiæ. Et in plenæ, quam Corbejenſi Monaſterio dederunt, exemptionis privilegio addiderunt Benedictus tertius ac Nicolaus primus: *Epiſcopus Ambianenſis nullam ex bonis vel accipiat vel expoſcat portionem.* Quod ipſum de plenè exempto Sancti Carilephi Monaſterio ad omnes Galliæ Antiſtites ſcripſit idem Nicolaus adversùm Epiſcopos Cenomanenſes. Quod nempè è ſubjecti Monaſterii bonis quidam portionis cenſus Epiſcopo conſueviſſet pendi. Et de ſuo Sancti Quintini Monaſterio ad Gaufredum Belluacenſem Epiſcopum ſcribit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Sciat Sollicitudo veſtra, quia fundator dictæ Eccleſiæ Domnus Guido Belluacenſis Epiſcopus nullam mulctam pecuniæ, nullam exactionem, nullam conſuetudinem ſibi vel ſucceſſoribus ſuis retinuit.* Adfirmat Gaufredo nullam deberi penſionem, quòd ejus Anteceſſor illi in ipſa Cœnobii fundatione in perpetuum renuntiaſſet. Quòd exempta item Monaſteria Sedi Apoſtolicæ pro

Lib. 7. Ep. 33.

Ep. 17.

Ep. 24.

Ep. 192.

Cathedratico xenio aliquid annuè conſueverint pendere, plurimis exemplis poſſit oſtendi. Verùm modico non contenti quidam Epiſcopi non ceſſabant ſub hoc fuco duriſſimè Monaſteria gra-
Lib. 3. Ep. 5. vare. Etenim de nimia Wigberti Ravennatis Archiepiſcopi in ſuum Monaſterium duritia lamentatur graviſſimè Sanctus Petrus Damiani. De eadem in Sancti Remigii ac Sancti Michaelis Monaſterium acerbitate Manaſſen Remenſem, & Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum arguit noſter ſeptimus Gregorius. Similibus querimoniis referti ſunt plerique antiqui Annales Monaſteriorum. Et adversùm illas edidit noſter Gregorius præſentem Canonem, de
18. q. 2. cap. 31. quo apud Gratianum Urbanus ſecundus: *Servitium, quod Monaſteria, aut eorum Eccleſiæ à tempore Gregorii ſeptimi uſque ad hoc tempus fecerunt, & nos concedimus.* Videtur Gregorius non dumtaxat damnaſſe penſionis exceſſum, ſed & ipſi modum ac limitem fixiſſe. Ejus deò amantes fuerunt quidam Epiſcopi, ut ipſam etiam à Fratribus mendicantibus exegerint, debuerintque
Lib. 5. tit. 31. c. 17. compeſci per Gregorium nonum. Plurimas item inter Epiſcopos & Monachos de ipſa lites legimus, & varias Apoſtolicas ab ipſa exemptiones. Hodie quaſi abiit in diſſuetudinem.

Apoſtolica ad Galatas verba, *Fratres obſecro*
Cap. 4. *vos*, ſic commentatur Sanctus Hieronymus: *Verba hæc & nos ad humilitatem provocant, & ſupercilium decutiunt Epiſcoporum, qui velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtituti vix dignantur videre mortales, & alloqui conſervos ſuos. Diſcant ab Apoſtolo errantes & inſipientes Galatas fratres vocari.* Et ſuper hæc ad Epheſios verba, *Subjecti*
Cap. 5. *invicem in timore Chriſti*, declamat: *Audiant hæc Epiſcopi, audiant Presbyteri, audiat omnis ordo Doctorum, Subjectis ſuis ſe eſſe ſubjectos. Imitentur dicentem Apoſtolum:* CUM ESSEM LIBER EX OMNIBUS, OMNIBUS MEIPSUM SERVUM FECI, UT OMNES LUCRIFACEREM. *Salvator quoque formam ſervi accepit, ut ſerviret Diſcipulis ſuis: Et pedes eorum lavit. Hoc intereſt inter Gentium Principes & Chriſtianorum, quòd illi dominentur ſubditis, nos ſervimus: Et in eo majores ſumus, ſi minimi omnium fueri-*
Epiſt. 2. *mus*. Et in litteris ad Nepotianum: *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non Dominos. Honorent Clericos quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis, quaſi Epiſcopis, honor deferatur.* Et in litteris adver-
Ep. 61. c. 2. ſùs Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum: *Tu Beatiſſimus Papa, & faſtidioſus Antiſtes, ſolus dives, ſolus ſapiens, ſolus nobilis & diſcretus, conſervos tuos & redemptos ſanguine Domini tui, rugata fronte & obliquis oculis deſpiciens.* Et hinc inter articulos, de quibus in Synodo ad Quercum accuſatus fuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, erant & hi: *Quòd Berenium Sacerdotem contumeliis multis malè acceptum dediderit. Quòd Epiſcopis à ſe ordinatis pecunias largiatur, ut per illos Clerum laboribus opprimat. Quòd Clericos inuſitatis injuriis & contumeliis affecerit.* Et adverſùs Joannem Ravennæ Archiepiſcopum ſcribit
Lib. 4. Ep. 15. Magnus Gregorius: *Diſciplina ad vitam Clericorum cuſtodiendam nulla eſt, ſed Fraternitas tua ſe Clericis ſuis tantummodo Dominum exhibet.* Et adversùs noſtrum Gregorium Imperator Henricus quartus: *Rectores ſanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, non modò non tangere ſicut Chriſtos Domini non timuiſti, quin ſicut ſervos, neſcientes quid faciat Dominus eorum, ſub pedibus tuis calcaſti, in quorum conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparaſti, quia omnes nihil ſcire, te autem ſolum omnia noſſe judicaſti, qua utique ſcientia non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem uti ſtuduiſti.* Et adversùs ſimilium Epiſcoporum faſtum ſtatuit quarta Carthaginenſis Syno-
dus: *Ut Epiſcopus in quolibet loco ſedens, ſtare* Can. 34.
Presbyterum non patiatur. Ut Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum verò collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat. Et ſecunda Synodus Bracarenſis:
Parochiales Clerici ſervili onere in aliquibus operibus Can. 2.
Epiſcopis ſervire non cogantur. Quia ſcriptum eſt: NEQUE UT DOMINANTES IN CLERO. Et ſexta Synodus Pariſienſis: *Quia ſunt plerique,*
qui non paternum affectum circa gregem ſibi commiſ- Lib. 1. c.
ſum, ſed quemdam exercere videntur dominatum, 21.
eumque non ut Dominicum, ſed flatibus ventoſæ arrogantiæ inflati, ut ſuum proprium tractare non verentur, quantum Paternitatis officio aberrent, ſubter collecta documenta declarant. Adducit laudatum Sancti Petri Apoſtoli locum, item aliarum Scripturarum ac Sancti Fulgentii teſtimonium, atque concludit: *Qua ergò temeritate, immò præſumptuoſa vanitate, quilibet Prælatorum dicere præſumit, Illa congregatio mea eſt, aut ille Presbyter vel Clericus meus eſt, cùm non illius ſit, ſed illius cui dicatus eſt? Proindè quia is inolitus uſus Eccleſiaſticæ non convenit Regulæ, corrigatur neceſſe eſt.* Et Alexandri tertii Synodus Lateranenſis: *Epiſcopi Presbyteros, quaſi filios & fratres, benigna ac fraterna debent charitate fovere.* Hinc ergò & præſenti Canone noſter Gregorius, non tantùm Monachos, ſed & Clericos ſanxit non gravari ab Epiſcopis, nec ad incompetens ſervitium cogi. Quam verò ipſe ab iſta in Epiſcopos violentia fuerit alienus, eſt longè notiſſimum. Eam in ipſo nec Cardinalis Benno notavit. Exercita in Simoniacos & Concubinarios Epiſcopos & Clericos vindicta Henrico Regi dedit anſam calumniæ.

Quid de cenſurarum pro pecunia abſolutionibus ſemper judicaverit Eccleſia, eſt ſuprà in proœmialibus expoſitum. Quare juſtiſſima nuper fuit Germanorum Procerum apud Adria-
num ſextum Pontificem querimonia: *Si fortè* Cap. 50.
ſine armis, pugnis tantùm & lapillis, in Cœmiterio duo pluresve manus conſerant, aut rixam habeant ad ſanguinis uſque, quantumvis modici, effuſionem, tunc ad interdictorum ſeveritatem recurrunt Eccleſiaſtici, nec priùs publica Chriſtianorum redintegrant officia, quàm civium univerſitas Cœmiterium denuò magna pompa, gravibuſque nec minoribus profectò impenſis conſecrari curaverit, quàm primùm ex profano redditus ſit ſepulturæ is locus ſacer. Quæ omnia in caput tandem redeunt Laicorum. Cunctas hujuſmodi ſordes meritò hìc damnat noſter Gregorius.

CANON

CANON XI.

SI quis prædia Beati Petri Apoſtolorum Principis in proprietatem ſuam uſurpaverit, vel ſciens occultata non propalaverit, vel debitum ſervitium exindè Beato Petro non exhibuerit, recognoſcat ſe iram Dei & Sanctorum Apoſtolorum, velut ſacrilegum incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehenſus fuerit, eandem hæreditatem Beati Petri legitimè reſtituat, & pœnam quadrupli de propriis bonis perſolvat.

SCHOLION.

DE Apoſtolici patrimonii injuriis ſcribit Guilielmus Monachus Malmesberienſis: *Gregorius ſextus Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam Anteceſſorum ſuorum ita diminutum invenit, ut præter pauca oppida urbi vicina, & oblationes fidelium pœnè nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. Civitates & poſſeſſiones in longinquo poſitæ, quæ ad jus Eccleſiæ pertinebant, à prædonibus ablatæ.* Henricus tertius quidem multa reſtituerat, ſed non omnia. Et utraque Sicilia adhuc gemebat ſub jugo Nortmannorum. Ad hæc tandem reparanda prodiit præſens Canon.

CANON XII.

SI quis Epiſcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum, vel crimen incæſtus, in ſua Parochia, precibus vel pretio interveniente, conſenſerit, vel commiſſum ſibique compertum auctoritate ſui officii non impugnaverit, ab officio ſuſpendatur.

SCHOLION.

SUa adverſùm conjugatos Clericos Decreta eſſe è ſanctis Patribus hauſta oſtendit inſigniter in litteris ad Ottonem Conſtantienſem Epiſcopum noſter Gregorius, ac pergit: *Cùm hæc omnia Paſtorali providentia obſervanda tranſmitteremus, tu non ſurſum cor, ſed deorſum in terra ponens, ſacris Ordinibus libidinis frœna laxaſti, ut qui mulierculis ſe junxerant, in flagitio perſiſterent, & qui necdum duxerant, tua interdicta non timerent. O impudentiam, o audaciam ſingularem! Videlicet Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ* Decreta *convellere, Præcepta ſanctorum Patrum contemnere, immò verò Præceptis contraria, & fidei Chriſtianæ repugnantia de ſuperiori loco, & de Cathedra Pontificali ſubjectis ingerere.* Eadem Decreta ſua purgat & firmat in litteris ad Conſtantienſis Eccleſiæ Clerum, & proſequitur: *Sed Epiſcopus veſter neque reverentia Præcepti Beati Petri, neque officii ſui ſollicitudine attractus, quæ paternè ſuaſeramus perficere curavit. Et ut non ſolùm inobedientiæ, verùm & rebellionis offenſam incurreret, palàm Clericis ſuis juſſioni noſtræ, immò Beati Petri contraria permiſit, ita ut qui mulierculas habent, retinerent, & qui non habent, illicita temeritate ſubintroducerent.* Nec ſolum Ottonem, ſed & plures Germaniæ Epiſcopos fuiſſe ejuſdem negligentiæ atque audaciæ, lucet ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad omnem Imperii Clerum & populum: *Audivimus quòd quidam Epiſcoporum apud vos commorantium, ut Sacerdotes & Diacones & Subdiacones mulieribus commiſceantur, aut conſentiant aut negligant. His præcipimus vos nullo modo obedire, vel illorum Præceptis conſentire, ſicut ipſi Apoſtolicæ Sedis Præceptis non obediunt, neque auctoritati ſanctorum Patrum conſentiunt. Teſtante ſacra Scriptura, facientes & conſentientes par pœna complectitur.* Ejuſdem criminis notat Flandrenſium Epiſcopos in litteris ad Robertum Comitem: *Ex parte Omnipotentis Dei te rogamus, & omninò tibi præcipimus, ut ubicumque potes fornicariis & ſimoniacis reſiſtere & contradicere, nullius ratio vel gratia te poſſit retorquere. Plurimi enim eorum, qui vocantur Epiſcopi, non ſolùm juſtitiam non defendunt, verùm etiam ne clareſcat, multis modis obſcurare nituntur. Tales ergo non Epiſcopos, ſed Dei habete inimicos. Et ſicut illi non curant Sedi Apoſtolicæ obedire, ita & vos nullam eis obedientiam exhibete.* Quòd Hubertus Morinenſis Eccleſiæ Archidiaconus damnata illa con-

Lib. 4. Ep. 11.

conjugia palàm ac impudenter defenderit, apud Monaſterium fuerit ab Huberto Romanæ Eccleſiæ Legato convictus, ac poſteà in apertam hæ-
Ep. 10. reſim lapſus, teſtatur Epiſtola ad Comitiſſam Adelam. Plures hujuſmodi Epiſcopos habuit Gallicana Eccleſia. Anglicana, quòd Guilielmus Rex Gregorii Decreta ſtrenuè exſequeretur, videtur non habuiſſe. Habuit tamen neſcio quos alios, de quibus ad ſuum Archidiaconum Gui-
Lib. 3. lielmum Sanctus Anſelmus: *Illos, qui Presbyte-*
Ep. 13. *ros propinquas ſuas*, id eſt, ſuas uxores, *dimittere prohibent, ſicut eos qui contra Deum, & contra Chriſtianitatem agunt, arguite, & totum peccatum fornicationis Presbyterorum illis imputandum oſtendite, & noſtram omnium Coepiſcoporum noſtrorum excommunicationem illis promittite.* Hinc erant illic & *Presbyteri, qui timore non audebant fœminas ſuas relinquere.*

Porrò adverſus nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ſcribit Hincmarus Me-
Ep. 33. c 35. tropolita Remenſis: *A diffamatis Presbyteris, ne diſcuterentur, redemptionem accipiebas.* Eum arguit, non de peccandi licentia, ſed dumtaxat de vendita jam commiſſorum peccatorum impunitate. At verò laudati Anſelmi, per Simeonem Dunelmenſem laudata, Londinenſis
A.1108 Synodus habet & hunc Canonem: *Jurabunt Archidiaconi omnes, quòd pecuniam non accipient pro toleranda tranſgreſſione hujus* adverſùm conjugatos Clericos *Statuti, nec tolerabunt Presbyteros, quos ſcient fœminas habere, Miſſam cantare, vel Vicarios habere. Similiter Decani facient. Qui verò Archidiaconus vel Decanus jurare noluerit, Archidiaconatum vel Decaniam perdet.* Quod ipſum eiſdem ferè verbis refert Joannes Bromptonus. Et adjungit de Rege ſuo Henrico primo: *Henricus Rex Concilium magnum de uxoribus*
A.1103. *Sacerdotum prohibitis, & de Sacerdotibus fornicariis, & de eorum concubinis, apud Londonias celebravit.* Enumerat omnes hujus Synodi Epiſcopos, ac pergit: *Qui improvidi per Regem & ſuos,*
A.1125. *Wilhelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi ſimplicitate decepti, juſtitiam Regi de Sacerdotibus fornicariis. & eorum uxoribus & concubinis conceſſerunt. Quod poſteà, cùm Rex pecuniam quaſi infinitam à Presbyteris pro redemptione accepiſſet, pœnituit Epiſcopos, ſed fruſtra: Nam Rex ut pecuniam à Presbyteris extorqueret, Epiſcopos ſub colore correctionis cautè decepit.* De eodem Rege ſcribit ad Sancti Anſelmi Archiepiſcopatum Guilielmus Malmesberienſis:
Presbyteros, qui poſt Londinenſe Concilium mulierculas domibus ſuis vel intruduxerant vel revocaverant veteres, Rex diſcrimine pecuniæ mulctare meditabatur. Id verò Anſelmus ferendum non arbitratus, Regi ſcripſit ut ab hac exemptione temperaret. Quòd Eccleſiaſticorum Miniſtrorum vitia Epiſcoporum, non Sæcularium corripi debeant inſtantia. Exſtat Fol. 229.
graviſſima laudati Anſelmi ad eundem Regem Lib. 3. Ep.109.
Epiſtola, demonſtrans cogitationes iſtas eſſe Eccleſiaſticæ libertati penitùs adverſas: Item ad Ep.110.
Ernulphum Cathedralis Monaſterii Priorem alia, laudans Regem ab iſta præſumptione receſſiſſe. Quòd in conjugatos Sacerdotes dormirent ac diſſimularent quidam Epiſcopi, ipſorum expulſionem atque vindictam Roberto Flandrenſium Comiti, Bertholdo Carinthiæ, Rudolpho Sueviæ Duci, aliiſque id genus electis Principibus delegarat noſter Gregorius: Hinc eandem poteſtatem aſſumere, aut à Sancto Anſelmo extorquere conatus eſt avarus ac doloſus Rex Henricus. Fuiſſe enim doloſiſſimum, habes Tom. 8.
in litteris Henrici Lincolnienſis Archidiaconi ad neſcio quem Waltherum, exſtantibus apud Lucam Dacherium. Verùm expertus eſt Anſelmum eſſe Epiſcopum. Quod interim tunc non extorſit, poſteà obtinuit à Guilielmo Archiepiſcopo, ejuſque Londinenſi Synodo. Excipe venerabilem Radulphum Ciceſtrenſem Epiſcopum, de quo laudatus Monachus Malmesberienſis: *Radulphus Religioſam contumaciam mandatis Henrici Regis exhibuit, volentis per totam* Fol. 257.
Angliam à Presbyteris pecuniam exigere. Id aliis vel concedentibus, vel metu ſilentium tenentibus, in ſolo Radulpho vigor Pontificalis emollire nequivit. Per totam ſiquidem Diœceſim Divina vacare officia, Eccleſiarum januas obſtrui præcepit, Monachorum cantum non inhibens, ſed tamen Laicis adytum arcens. Facti atrocitas Regem inflexit, ut ei ſoli, quaſi mentis inconſideratæ homini, cenſum Presbyterorum indulgeret. Fecit Henricus quod hinc inde fieri videbat à quibuſdam Epiſcopis aut ipſorum Officialibus. Et in hujuſmodi ſordes noſter Gregorius emiſit præſentem Canonem.

CANON XIII.

Ut omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & duci ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Etenim in Collectis Sanctorum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu Sanctorum Patrum debent.

Scho-

SCHOLION.

Populi ad Miſſæ ſacrificium oblationem eſſe longè antiquiſſimam, lucet ex Tertulliani [Cap. 3.] libro de Corona militis: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Eſſe affirmat *inveteratam, quam conſuetudo corroboravit, obſervationem.* Nec ſolam Sacerdotis, ſed etiam populi oblationem omninò laudat, de qua ſcribit in exhortatorio ad caſtitatem libro: *Pro de-* [Cap. 11.] *functa* uxore *oblationes annuas reddis. Offeres ergo* [Cap. 10.] *pro duabus?* Et in libro de Monogamia: *Offert viduus annuis diebus dormitionis ejus.* Utique dona pro defunctæ uxoris refrigerio per Sacerdotem ſanctificanda. Et in libro de eleemoſyna Sanctus Cyprianus: *Locuples & dives es & Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* Et in litteris ad criminoſum Imperatorem Eugenium Sanctus Ambroſius: *Quomodo offeres dona tua Chriſto? quomodo Sacerdotes Chriſti tua* [Lib. 2. Ep. 15.] *munera diſpenſabunt?* Et in litteris ad Imperatorem Theodoſium, qui ob ſublatam occiſi Eugenii Tyrannidem Deo oblationes & gatiarum actiones fieri per Sacerdotes juſſerat: *Epiſtolam* [Ep. 58.] *Pietatis tuæ mecum ad Altare detuli, ipſam Altari impoſui, ipſam geſtavi manu cum offerrem ſacrificium, ut fides tua in mea voce loqueretur, & apices Auguſti Sacerdotalis oblationis munere fungerentur.* Fieri voluit ab Epiſtola, quod faciendum fuerat à Principis perſona. Magnus quippè Theodoſius omninò ſervavit hanc à nepotis ſui Theodoſii lege laudatam conſuetudinem: *Ad ſacra Altaria munerum tantùm offerendorum cauſa accedimus, & cum circumſeptum Sacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur, nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis arrogamus.* Quòd ſolius oblationis cauſa ad Mediolanenſis Eccleſiæ ſacrum adytum ſeu chorum admiſſus, & ſtatim exire juſſus fuerit à Sancto Ambroſio, teſtatur & laudat Hermias Zozomenus. [Lib. 7. c. 24.] Laudata porrò lex exſtat ad calcem Epheſini Concilii. Et de Valente Auguſto ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoretus: *Ad Divinum templum venit, & Altari conſueta munera obtulit.* Et ad Heliodorum ſcribit Sanctus Hieronymus: *Clerici de Altari vivunt, mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non defero. Nec poſſim obtendere paupertatem.* [Epiſt. 1.] Et in libro adversùm Luciferianos: *Sacerdos pro Laico offert,* ſive conſecrat, *oblationem ſuam.* Rectè enim in antiqui Teſtamenti quæſtionibus ſcribit Hilarus Diaconus: [Cap. 2.] *Obtulit Deo ſacrificium Samuel, ſed non inde vicem Sacerdotis egiſſe cognoſcitur: Ipſe enim ſemper dicitur offerre, cujus oblationes ſunt, quas ſuper Altare imponit Sacerdos. Et Saul obtulit. Hoc utique genere, id eſt, per Sacredotem, ſicut & nunc offertur. Et David* [Cap. 46.] *obtulit, & Salomon obtulit, & cæteri ſimiliter obtulerunt. Numquid omnes vicem Sacerdotis egerunt? Quamvis enim proprio Sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos: Ipſi enim imputatur, cujus munera offeruntur.*

Ex quo vides ritum hunc eſſe Apoſtolicum, è Synagoga mutuatum per Apoſtolos, & Eccleſiis impoſitum. Quod ipſum in præſenti Canone advertit noſter Gregorius ex verbo legis: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Etiam de piiſſima matre ſua ſcribit in confeſſionibus Sanctus Auguſtinus [L. 5. c. 9.]: *Nullo die prætermiſit oblationem ad Altare tuum.* Et extrema laudatæ matris ad filios verba fuerunt hæc: *Ad Altare Domini, memineritis mei, ubi fueritis.* [Lib. 9. c. 11.] Utique faciendo oblationem. Et in Lauſiaca Palladii Helenopolitani Epiſcopi hiſtoria transfigurans ſe in lucis Angelum peſſimus Dæmon dicit ad Abbatem Nathanaelem: *Ego ſum hujus Monachi miniſter, &* [Cap. 18.] *fero panes. Quoniam eſt Agape tui noti fratris, & cras illuceſcente Sabbatho eſt opus oblationibus.* Quòd nempè ſolis Dominicis & Sabbathis ſynaxim facerent Monachi & offerrent. Et in antiquiſſimis Eccleſiæ Canonibus diſtinguitur duplex Peccatorum reconciliatio: Una ad Conſiſtentiam, ſeu communionem in ſolis orationibus, altera ad Perfectionem, ſeu communionem cum oblatione. Hoc eſt cum jure panem & vinum ad Altare offerendi. Addit quarta Carthaginenſis Synodus: [Cap. 93.] *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur.* Loquitur cum Sancto Cypriano, à quo jam audivimus reprehendi divites, quod & Corbonam ſeu Gazophylacium non reſpicerent, & quòd ad Dominicum ſine ſacrificio, ſive ad ſacrificium ſine facienda ad Altare intra Sacrarium oblatione veniret.

Iſtos divites, qui de pauperis ſacrificio ſeu oblatione partem ſumerent, meritò increpat idem Cyprianus. Pauper deberet ſumere de ſacrificio divitis. Hinc enim in ſermonibus de tempore declamat ſub Sancti Auguſtini nomine Sanctus Eligius Tornacenſis Epiſcopus: *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui quando ad Eccleſiam venit,* [Serm. 216.] *& oblationem quæ in Altari mittatur exhibet, & pauperibus, ſecundùm quod vires habet, argentum porrigit aut buccellam.* Utique à Sacerdote conſecrandam buccellam, aut argentum ad ipſam emendam. Sermonem hunc non eſſe Sancti Auguſtini, evincunt plura: Eſſe laudati Eligii, demonſtrat in ejus vita Sanctus Audoenus Archiepiſcopus Rothomagenſis. Interim antiqua eſt iſta divitum in pauperes pietas, ipſam in Sancti Marci Apoſtoli Liturgia reſpicit hæc Sacerdotis oratio: *Euchariſteria ſuſcipit Deus eorum, qui multum & parum, clam & palàm, liberè offerre volunt, & non habent; & eorum qui hodierno die oblationes obtulerunt.* Et Sancti Jacobi Liturgia habet: *Meminiſſe digneris, Domine, eorum qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad Sanctum Altare tuum, & pro quibus unuſquiſque obtulit, aut in mente habet.* Et infrà: *Pro quibus unuſquiſque obtulit, vel cogitat offerre.* Et Sancti Baſilii Liturgia. *Memento eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt.* Et infrà: *Memento Domine eorum qui hæc dona tibi obtulerunt, & pro quibus, & per quos hæc obtulerunt.* Quod ipſum habet Liturgia Sancti Joannis Chryſoſtomi. Et Romani hodie Miſſalis Canon habet: *Memento Domine famulorum tuorum pro quibus tibi offerimus,*

vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis. Exponit antiquus Ordo Romanus, dicens de parvulis Neophytis; *Per totam hebdomadam Paſchæ omni-* Fol. 84. *bus diebus ad Miſſam veniant, & parentes eorum pro ipſis offerant, & communicent*. Et de Competentibus ad Baptiſma electis; Fol. 38. *Offeruntur oblationes à parentibus, vel ab his qui ipſos ſuſcepturi ſunt. Et ponit ipſas Sacerdos ſuper Altare*. Quod ipſum fiebat in quolibet ſcrutinio, ideoque Ordo pergit: *Annuntiat Presbyter ut Sabbatho Sancto revertantur ad Eccleſiam, & tunc catechizantur & reddunt ſym-* Fol. 45. *bolum, & baptizantur, & complebuntur ſeptem oblationes eorum*. Pro quovis proximo poterat quis offerre.

Rectè tamen adjungit Walafridus Strabo: Cap. 22. *Sciendum quoſdam inordinatè offerre, qui attendentes numerum oblationum potiùs quàm virtutem Sacramentorum, ſæpè in illis tranſeunter offerunt Miſſis, ad quas perſiſtere nolunt. Rationabilius ſiquidem eſt ibi offerre, ubi velis perſiſtere, ut qui munus Domino obtuliſti, offeras pariter pro eodem munere ſuſcipiendo poſtulationem devotam. Non enim fruſtra in actione dicitur*; Qui tibi offerunt. *Non dicit*, Qui obtulerunt: *Ut intelligamus eos perſiſtere debere in offerendo, donec oblata ad hoc perveniant, ad quod oblata ſunt. Sed & in hoc error non modicus videtur, quòd quidam ſe non poſſe aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant, vel pro vivis & defunctis ſimul non æſtimant immolandum, cùm verè ſciamus unum pro omnibus mortuum, & unum Panem eſſe & Sanguinem, quem univerſalis Eccleſia offert*. Qui olim quavis ex cauſa Euchariſtiam non poterat ſumere, etiam offerre non poterat. Hinc enim Chriſtianitatis Perfectionem, ſeu Euchariſtiæ percipiendæ jus, antiqui Canones titulant communionem cum oblatione. Omnis item offerens debebat & ſumere: Nec enim uti Conſiſtens ſolis orationibus, ſed uti Perfectus debebat ipſi ſacrificio communicare. Hinc quoque ex ejus, qui Perfectus non erat, nomine non licebat offerre. Non enim ſine cauſa habet Liturgia Sancti Jacobi: *Pro quibuſcumque obtulit, aut in mente habet*. Uti hodiè pro excommunicatis, ita olim pro cunctis necdum Perfectis offerri non poterat, nec ipſorum nomen ad Altare recitari. Præcipitatam hanc nominis recitationem graviter in pluribus Epiſtolis damnat Sanctus Cyprianus. Uti tamen hodiè iſtos, ita olim hos potuit offerens habere in mente. Quòd enim oblatio noſtra etiam Hæreticis atque Paganis prodeſſe, & pro ipſis poſſit ad Divinam Clementiam dirigi, eſt lucida doctrina Apoſtoli & totius Chriſtianitatis. Walafridi Strabonis tempore defecerat hæc diſciplina: Hinc omnes offerentes non jubet participare de ſacrificio, ſed dumtaxat ipſi uſque ad finem adeſſe. Secunda Matiſconenſis Syno- Cap. 4. dus habebat hunc Canonem: *Decernimus ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quàm vini*. Quod ipſum in ſuis Capitularibus inculcarunt Theodulphus Aurelianenſis, Hincmarus Remenſis, Herardus Turonenſis, aliique plures ſub Carolo Magno ac ejus poſteris Gallicani Epiſcopi ac Synodi. Et hinc quidam exiſtimant fidelem populum ſingulis tunc Dominicis communicaſſe. Verùm ipſos labi jam lucet abundè, confirmatque Namnetenſis Synodus: *Ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Presbyter convenienter par-* Cap. 9. *tes inciſas habeat in vaſe nitido, ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominica, & in diebus feſtis exindè accipiant*. Lucidè ſupponit Euchariſtiam tunc ab omnibus non conſueſſe ſumi.

Laudati omnes Canones non Gazophylacio, ſed Altari oblationem injungunt, mandantque eſſe panem & vinum. Elucidat in Magni Gregorii vita Joannes Diaconus: *Matrona quædam* L. 2. c. 41. *Beato Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolemnia celebranti, ſolitas oblationes obtulerat. Cui poſt Myſteria traditurus cùm diceret*, Corpus Domini noſtri JESU Chriſti conſervet animam tuam; *laſciva ſubriſit. Ille continuò dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici Corporis ſuper Altare depoſuit. Expletis verò Miſſarum ſolemniis Matronam coram populo exquiſivit, quamobrem Corpus Dominicum ſumptura ridere præſumſerit. At illa diu muſſitans tandem prorupit, Quia panem, inquiens, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu Corpus Dominicum perhibebas*. Panem in carnem à Deo verti impetravit Gregorius, atque ità mulieris perfidiam ſanavit. Panem ergò offerebant fideles, ut quiſque de proprio, nullus de alieno elemento Euchariſtiam ſumeret. Quod ipſum lucet ex ſupra laudatis verbis Sancti Cypriani. Et Ordo Romanus habet: *Archidiaconus accipiens Oblatas per* Fol. 19. *Subdiaconos hinc indè porrigentes eas, ponit tantas ſub Altare, quantæ poſſint populo ſufficere*. Addit de ordinandis Clericis: *Offerant oblationes ad manus Epiſcopi, & ab eo conſecratas accipiant*. Fol. 100. Eaſdem numero. Hinc enim ipſas certo ordine diſponit Archidiaconus. Quod ipſum ſervari à Græcis oſtendit Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis: *Particula cujuſdam nomine Sancto pani adjacens, quando conſecratur, & fit Corpus Chriſti, continuò ſanctificationis & ipſa fit particeps, in calicem verò miſſa ſanguini unitur. Quare & animæ, pro qua oblata eſt, gratiam confert*. Panis particulam, quæ majorem hoſtiam quaſi Regem Aulicus ſtipet in Altari, quiſque pro ſe offert: Per ipſas Beata Virgo, Sancti Angeli, Juſtorum animæ, totumque Chriſto capiti adhærens Eccleſiæ corpus ſignificantur. Et perfectæ unionis ſignificandæ gratia, ſingulæ illæ particulæ communionis tempore commiſcentur in calice, & ſic populo dantur. Quare videtur quiſque ſuam non poſſe recipere. Longus eſt Græcorum ritus & varius, nec hujus loci.

Tractant Græci haſce particulas, quomodo olim Latini tractabant oblatum vinum, de quo Ordo Romanus: *Archidiaconus ſuſcipit amulas,* Fol. 14. *& refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiacono Regionario, quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam Acolythus, in quo calix impletus refunditur*. Affirmat & Epiſcopo & Presbyteris,

ris, & Diaconis, & Subdiaconis, cunctiſque Clericis atque Laicis ad offerendum vinum fuiſſe ſuam amulam. Has omnes offuſas & mixtas in calicem, cujus pleni in grandem ſcyphum aliqua effuſione etiam reſtantium recipiendis amulis fiebat locus. Conſonat antiqua Miſſæ expoſitio: *Amulæ, cum quibus offerimus, noſtram devotionem ſignificantes puram, in calice ſuſcipiuntur à Diacono, quia Chriſtus factus Diaconus ait, Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, cùm quiſque in ſuo calice, hoc eſt, paſſione, eandem devotionis noſtræ ſuſcipit puritatem.* Et in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis. *Unus Cantor Oblatam cum fanone, & vinum cum ampulla offert, alter aquam vino admiſcendam præbet. Ampulla ſignificat noſtram devotionem, quæ in vaſculis cordis portatur.* Et hinc vides quid ſint amulæ, quas in Romanorum Pontificum vitis frequenter laudat Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius, totuſque liber Pontificalis. Quòd amularum commixtio non in plures, ſed in unicum debuerit fieri calicem, docet Gregorii ſecundi Reſcriptum ad Sanctum Apoſtolum noſtrum Bonifacium: *In Miſſarum ſolemniis illud obſervandum eſt, quod Dominus noſter* JESUS *Chriſtus ſanctis ſuis tribuit Apoſtolis. Accepit namque calicem, dicens: Hic eſt calix novi teſtamenti in meo ſanguine, Hoc facite quotieſcumque ſumitis. Undè congruum non eſt duos vel tres Calices in Altari ponere, cùm Miſſarum ſolemnia celebrantur.* Amularum enim commixtio repræſentat omnium Sanctorum cum Chriſto capite unionem. Quem ritum viguiſſe etiam apud Græcos, docet Canonica Theophili Patriarchæ Alexandrini ad Ammonem Lycopolitanum Antiſtitem Epiſtola: *Quæ in ſacrificii rationem offeruntur, poſt ea quæ in Sanctorum uſum conſumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex eis bibat vel comedat, ſed ſolùm Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres.* Hæc oblata ſunt panis & vinum. Sola communicaturis neceſſaria & Latini conſecrabant & Græci, ideoque reliqua in Clerum dividi, & non ſumi à Catechumenis meritò juſſit Theophilus. Non niſi poſt ejectos Catechumenos fiebat oblatio, ideoque hanc illi videre non poterant, longè minùs ſumere. Quam reverentiam ſemper etiam apud Latinos viguiſſe, ex Decretali Sancti Papæ Clementis apud Iſidorum Mercatorem Epiſtola oſtendit in libro adversùs Nicætam Pectoratum Cardinalis Humbertus. Quinimmò à fidelibus etiam Laicis ſumi iſta ſuperflua vetat laudata Epiſtola, nec ſine fundamento. Affirmat enim ipſa eſſe ſanctiora Judaico propoſitionis pane, ideoque in veſcente requiri munditiam à mulieribus. Conſonat Herardus Turonenſis Epiſcopus: *Mulieres ac Laici Sacramenta & panes Sanctorum, exceptis quæ offerunt, non tangant.* Adeò edi ab illis noluit. Quòd ejuſmodi panes paſſim in eulogiam conſecraret Gallicana Eccleſia, ſuprà audivimus à Synodo Namnetenſi. Proſequitur Cardinalis Humbertus: *Veſtri reliquas oblationes, velut communes panes, nonnumquam ad faſtidium ſumunt. Et ſi ſumere non ſufficiant, ſubterrant, aut in puteum projiciunt.* Ipſos arguit quòd laudatum Theophili prævaricentur Canonem, ex eodem Clemente adjungens reliquias iſtas in ſequentis diei ſacrificium ſine iterandæ ſanctificationis periculo poſſe ſervari. Iſtos tamen Presbyteros, qui panem hunc adeò dudum ſervabant, ut anteà fieret mucidus, quàm ſanctificaretur oblatus, rectè in litteris ad neſcio quem Epiſcopum culpat Sanctus Petrus Damiani. Quod repletum amulis calicem olim & Græci exoneraverint in ſacrum ſcyphum, diſcimus ex hoc ejuſdem Humberti adversùs Michaelem Patriarcham improperio: *Subterrare vel infundere Sanctam Euchariſtiam, ſicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna eſt, & nullus timor Dei.* Græcos arguit, quòd non in ſacrum vas, ſed in uſuales lagenas immitterent non tantùm oblati vini reliquias, ſed & conſecrati: Quòd à piis Majorum ſuorum moribus deviaſſent.

Honorii Auguſtodunenſis laudata verba, *Unus Cantor Oblatam & vinum offert*, largiùs exponit Amalarius Fortunatus, dicens oblationis tempore cantandum, & pergens: *Omnis populus intrans Eccleſiam debet Sacrificium Deo offerre. At Cantores, qui ſunt de genere Levitarum, propter inſtantem neceſſitatem cantandi non habent licentiam huc & illuc diſcurrendi, ut ſingulis offerant cum cæteris: Statutum eſt eis, ut penitus ſint extorres à ſacrificio, cuſtodire aquam, & hanc unam offerre pro cæteris. Populus offert vinum, Cantores aquam. Sicut vinum & aqua unum fiunt in calice, ſic populus & Cantores in corpore Chriſti. Cantores more Levitarum antiquorum, qui omnia neceſſaria tabernaculi providebant, quærant aquam ad fontem, & ſervent eam coopertam uſque ad tempus ſacrificii, & tunc mundam eam offerant.* Antiqua Miſſæ expoſitio aſſerit Offertorium eſſe memoriam & figuram illorum, qui Domino obviantes, & Oſanna filio David cantantes, ramos & veſtimenta ſua ſternebant in via, & proſequitur: *Quod primùm maſculi offerunt, ſignificat primitivam Eccleſiam ſub Imperatoribus necdum Chriſtianis multas injurias paſſam. Et hinc mulieres offerunt, Eccleſiam deſignantes ducentem nunc vitam tranquilliorem.* Ab ambobus affirmat & panem offerri & vinum, ac pergit: *Noviſſimè Sacerdotes ac Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, ſignificantes plurima noviſſimè Eccleſiam paſſuram ſub Antichriſto tormenta. Ad ultimum verò Archidiaconus, aut quicumque vicis ſuæ ordine legerit Evangelium, complet orationem cunctorum, infundenſque aquam in calicem ex amula Pontificis offert.* Et Amalarius Fortunatus: *Dein tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas populi oblationes. Suſceptis oblationibus, revertitur ad Altare, diſponente Diacono Oblatas ſuper Altare, more primorum ſeptem Diaconorum. Deindè ſuſcipit oblationes Sacerdotum ac Diaconorum, quibus licitum eſt accedere ad Altare: Accipit etiam ab Archidiacono duas. Unam pro ſe, & alteram pro Diacono.* Quòd nempè cunctis Oblatis diſponendis diſtentus miniſtrans Diaconus nequiret ipſi offerre. Qui mos an ubique viguerit, ignoro. Eundem interim offerendi ordinem laudant Honorius Auguſtodunenſis, & antiquus Ordo Romanus, etiam addens à Sacerdotibus & Diaconis ſolum panem offerri. At verò in

Lib. 1. c. 38.

Cap. 24.

Lib. 4. Ep. 14.

L. 3. c. 19.

L. 5. c. 19.

L. 1. c. 28. 43.

in verſu de Miſſæ Myſterio ſcribit Sanctus Hil-
debertus Epiſcopus Cenomanenſis: *Hinc eſt quòd
poſt hæc offert ſervanda Miniſter dona, dehinc po-
pulus quod ſibi lege licet*. Et in Eccleſiæ ſpeculo
Hugo de Sancto Victore: *Sacerdos ſtatim offert*
Cap. 7. *dona conſecranda, & hinc munera ſua populus*.
Quæ varietas non in varios Eccleſiarum mores,
ſed in varium diſciplinæ tempus eſt referenda.
Hildeberti enim tempore non ampliùs per Sacer-
dotem conſecranda panis & vinum, ſed denarii
cœperant offerri à populo, ideoque oblationis
ordinem omninò convenit mutari.

Quòd etiam circa offerendi locum ac modum
olim fuerit multa varietas, oſtendunt laudata
Amalarii verba: *Tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas
oblationes*. Prima diſciplina videtur populum
uſque ad ipſum Altare admiſiſſe. Etenim in ſex-
ta contra Judæos homilia exclamat adversùm
profanos phylacteriorum uſitatores Sanctus Jo-
annes Chryſoſtomus: *Qua conſcientia ingredieris
Eccleſiam? Quibus oculis videbis Sacerdotem? Qua
manu ſacram attinges menſam?* Lucidè laudat
oblationem populi, atque ita aſſerit hunc ad
ipſum Altare obtuliſſe. Alia item populi ad Ga-
zophylacium, alia ad Altare fuiſſe oblata, ſu-
prà audivimus à quarta Synodo Carthaginenſi.
Et vulgares, quos antiquos eſſe conſtat, Apo-
ſtolorum Canones frumenti & uvarum Primirias
permittunt offerri in ipſo Altari: Quantò igitur
magis conſecranda panem & vinum? Quòd Im-
perator Theodoſius, non ſolùm Conſtantinopo-
li, ſed etiam Mediolani, intraret Sacrarium ſeu
Chorum, & ipſi Altari ſua dona imponeret,
teſtantur Theodoretus & Hermias Zozomenus.
Hinc & ipſius abſentis vicariam Epiſtolam San-
ctus Ambroſius poſuit in ipſo Altari. Et illius
ex filio nepos Theodoſius ſcribit in lege de Ec-
cleſiæ aſylo: *Ad Sacra Altaria munerum tantùm of-
ferendorum cauſa accedimus, & cum circumſeptum
Sacrorum adytum ingreſſi ſumus, ſtatim egredimur,
nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis arro-
gamus*. Et de ſeipſo Monacho Sanctus Hierony-
mus: *Munus ad Altare defero*. Et filios ſuos mo-
nens Sancta Monica eſt obteſtata: *Mei ad Domi-
ni Altare memineritis*. Et omni populo mandat
ſecunda Synodus Matiſconenſis: *Sacris Altaribus
admoveant hoſtias*. Et in ſuo Capitulari Sanctus
Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis: *Fœminæ
nequaquam accedant ad Altare, ſed ſuis locis ſtent,
& ibi Sacerdos earum oblationes accipiat*. Quocirca
viri Altare accedebant. Et de Walderamo, Bre-
menſis Eccleſiæ Electo, ac per Innocentium ter-
tium excommunicato, ſcribit in Sclavorum
Chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis: *Bremen-*
L. 8. c. *ſes hoc ad tempus ignorabant, quia litteras Apoſto-*
12. *lici nemo eis porrigere præſumebat, donec in quadam
Miſſa publica à quodam, quaſi cum cæteris offeren-
te, in Altari poſitæ ſunt*. Ergò uſque ad iſta tem-
pora populus ſuam oblationem ipſi Altari impo-
nebat. Et quidem ſecunda, quæ hoſtiam Alta-
ribus admoveri jubet ab omni populo, Matiſco-
nenſis Synodus diſertè loquitur etiam de fœmi-
nis. Et de Sancta ſua matre Monica audivimus
ſuprà loquentem in confeſſionibus Sanctum Au-
guſtinum: *Nullo die prætermiſit oblationem ad Alta-
re tuum*. Et de Sancta Imperatrice Cunigunde
habet apud Jacobum Gretzerum auctor incogni-
tus: *Poſt lectionem Evangelii ſuo ſolemni more ſa-
crificatura accedebat ad Altare*. Ad vocem, *Sacri-
ficatura*, laudatus Gretzerus rectè appoſuit hoc
marginale Scholion: *Oblationem factura*.

At longè aliud ſancit Trullanus Canon: San-
cit nullum Laicum oblationis ergo *admitti in-
tra Altaris ſepta*, niſi ſolum Imperatorem *ex
antiquiſſima traditione*. In hujus Canonis Scho-
lio per ſacri Altaris ſepta intellexi Sacrarii can-
cellos, ſeu totum Clericorum Chorum, ſed vi-
deor lapſus. Videtur intelligendum ſolum Ci-
borium. Alios enim cancellos Sacrarium habuit,
alios Altare. Et Græcorum Eccleſia Imperato-
rem intra iſtos, non ſolius oblationis, ſed to-
tius Divini officii tempore admiſit ex antiquiſſi-
ma traditione. Quòd autem ipſum offerentem in-
tra ipſum Ciborium admittere ſit etiam antiquiſ-
ſima traditio, demonſtrat à Theodoreto lauda-
tum Sancti Baſilii factum: *Imperator Valens ad
Divinum templum venit, Magni Baſilii doctrinam
ſuſcepit, & Altari conſueta munera obtulit. Quin
etiam intra ſacra vela, ubi ſedebat, advocans Baſi-* L. 4. c.
lius multa de Divinis rebus verba fecit, ipſum Va- 16.
lens auſcultavit. Textus originalis habet, *In ipſo
Altari dona obtulit*, adeoque in ipſo Ciborio. Et
ſic tunc conſueverant Imperatores. Quòd inſu-
per intra ſacra ſui throni & Altaris vela Baſilius
ipſum admiſerit, fuit ſingularis gratia. Iſtam
conſuetudinem fuiſſe ſoli Auguſto Principi tunc
propriam, in laudata lege affirmat lucidè etiam
junior Theodoſius, cujus notanda ſunt hæc ver-
ba: *Nec quidquam ex propinqua Divinitate nobis
arrogamus*. Affirmat Ciborium eſſe ſanctiſſimum
totius Eccleſiæ locum, propriumque Divinæ
Majeſtatis thronum, ejus ingrediendi privile-
gium eſſe inter Laicos ſoli Auguſto Principi,
& tamen ipſum non poſſe armatum apparere in
Eccleſia, ideoque longè minùs cuiquam alteri
licere. Ex tunc Græcorum populus ſervabat of-
ferendi modum, quem in ſua Liturgiæ expoſi-
tione laudat Nicolaus Cabaſilas: *Dona ſua fideles
in manibus Sacerdotum ponebant, hi autem ſuſcipie-
bant, & offerebant, vel ſacrificabant*. Ponebant Cap. 5.
Sacerdotes in Diaconio, & exindè ad Altare al-
lata conſecrabant. Non igitur Ciborium intra-
bat populus, ſed circa ejus cancellos ad Sacerdo-
tis manum offerebat. Quòd tamen non ubique
ſic fieret, evincit ſuprà laudatus locus Sancti Jo-
annis Chryſoſtomi. Pedetentim invaluit hæc
mutatio, cujus accuratam originem & ſucceſ-
ſum ignoramus.

Offerendi modum etiam jam pridem apud La-
tinos fuiſſe mutatum docet in originum libris
Sanctus Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis: *Sub-
diaconi oblationes in templo Dei à fidelibus ſuſci-
piunt, & Levitis ſuperponendas Altaribus defe-* L. 7. c. 12.
runt. Quod ipſum ſcribunt Amalarius Fortuna- L. 2. c.
tus, Rabanus Maurus, necnon & prima Syno- 11.
dus Aquiſgranenſis. Mandant non populum ad L. 1. c.
Altare, ſed Subdiaconos ad populum accedere, 11. L. 1. c.
& quemque in ſuo loco offerre. Aurelianenſis ta- 6. 7.
men Eccleſiæ morem fuiſſe utcumque alium,
lucet ex Capitulari Sancti Epiſcopi Theodul-
phi:

phi: *Fœminæ, Miſſam Sacerdote celebrante, nequaquam ad Altare accedant, ſed locis ſuis ſtent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat.* [Cap. 6.] Solarum fœminarum oblationes mandat accipi in ipſarum locis, non à Subdiaconis, ſed ab ipſo Sacerdote. [Cap. 11.] Quem integrum Canonem ſuo Capitulari inſeruit Atto Epiſcopus Vercellenſis. [Cap. 16] Aliter Atto Baſilejenſis Epiſcopus: *A Presbyteris, cùm Oblata à mulieribus offeruntur, ad cancellos accipiantur, & ad Altare deferantur.* Oblaturas fœminas permittit ad chori cancellos accedere. Quod ipſum indulgere videtur in ſuo Capitulari Herardus Archiepiſcopus Turonenſis: [Cap. 82.] *Laici infra cancellos non ſtent, & oblatio populi foris ſepta recipiatur.* Oblatio totius populi. Et de Domino Papa ſcribit antiquus Ordo Romanus: *Pontifex deſcendit ad Senatorium, & ſuſcipit oblationes Principum. Reliquas oblationes poſt Pontificem ſuſcipit Epiſcopus Hebdomadarius. Similiter adſcendens Pontifex in partem fœminarum, ordine quo ſuprà omnia explet.* Solum majorem Clerum ad Altare offerre laudatus Ordo permittit. Et in libris de Miſſæ ſacrificio habet Innocentius tertius: [L. 2. c. 53.] *Dum Offertorium cantatur, Sacerdos accipit oblationes à populis, vel hoſtias à miniſtris.* Ex quibus lucet offerendi morem etiam apud Latinos vario tempore ac loco fuiſſe varium, ac ejuſdem varietatis origines & cauſas ignorari. Numeroſi populi ad Altare acceſſus inquietabat Eccleſiaſtici Conventus devotionem ac modeſtiam: Hinc inductum exiſtimo, ut in quibuſdam nulla fœmina, in quibuſdam Eccleſiis nullus Laicus offerret ad Altare, immò nec è loco ſuo ad Sacerdotis aut Miniſtri manum, ſed hi ad ipſos & ipſorum oblationes accederent. Singularem Cluniacenſis Monaſterii in offerendo morem videre poſſis in [Tom. 4.] ejus antiquis conſtitutionibus apud Lucam Dacherium.

De hiſce Oblationibus ſcribit in eruditis ad [Fol. 116.] Græcorum Euchologion ſcholiis Joannes Goar: *Oblata manibus virgineis, vel à Sacerdotum conjugibus, modò ſint à muliebri profluvio mundæ, parantur.* Quem morem eſſe apud Græcos antiquiſſimum docet in Lauſiaca Hiſtoria Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, ſcribens de nobiliſſima Vidua ac Sanctiſſima Moniali Candida: [C. 145.] *Hanc ego vidi egregiam mulierem tota nocte laborantem, & molentem, & propriis manibus facientem panem oblationis.* Qui mos olim fuit & apud Latinos. Lucet ex litteris Attonis Vercellenſis Epiſcopi ad neſcio quem Ambroſium de antiquis Diaconiſſis: [Epiſt. 8.] *Si hujus officii nomen nunc etiam quoquomodo perduraret in his quæ per mulieres adhuc diſpenſari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate ſenili devictæ religioſam vitam cum caſtitate ſervantes, oblationes Sacerdotibus offerendas fideliter præparant.* Quod olim ſuam ſibi oblationem unuſquiſque pararet, lucet ex Romana fœmina, quæ exindè de Euchariſtiæ veritate dubitavit ſub Magno Gregorio. Ejus cauſa exiſtimo iſtam paraturam fuiſſe ſublatam Laicis, & translatam ad ſolas ſacras Virgines aut Viduas. Attamen in ſola Italia. Nam ut quiſque ſuam ſibi oblationem paret, palàm permittit Capitulare Sancti Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis. Et Sanctum Wenceslaum Boe- [Cap. 5.] miæ Ducem, quòd ipſe propriis manibus ſpicas eligeret, farinæ florem ſepararet, ac mundiſſimas inde pro ſe & aliis oblationes pinſeret, laudat Magnum Belgii Chronicon. Quanta diligentia atque munditia Cluniacenſes olim Monachi oblationes pararint, vide in laudatis ipſorum antiquis conſtitutionibus. Et in Dialogo adversùs Michaelem Cerularium Patriarcham [Cap. 23.] Conſtantinopolitanum ſcribit Cardinalis Humbertus: *Romana & Occidentalis Eccleſia à Miniſtris ſacri Altaris in Secretario confectum offert Azymum. Vos aliquando pretio fermentatum à quocumque viro ſive fœmina præparatum habetis, in tantum ut nonnumquam ab ipſis publicis negotiatorum tabernis emptum panem ad Dominicam menſam transferatis. Quem tractatum illotis & ſordidis quorumlibet manibus negare non poteſtis.* Humbertus uno ſæculo eſt junior Attone Vercellenſi, & tamen Romanæ & Occidentalis Eccleſiæ oblationes affirmat, non à ſacris fœminis, ſed à Clericis in Secretario parari. Quare mutatio hæc eſt iſtius ſæculi opus. Ex eodem principio laudati Attonis Capitulare, [Cap. 9.] Amalarius Fortunatus, [Lib. 3. cap. 19.] in litteris ad Fratres Lugdunenſes Alcuinus Flaccus, [Ep. 69.] in ſuo Capitulari Edgarus Anglorum Rex, aliique plures mandant offerendum panem, vinum, & aquam eſſe mundiſſima, optima, electa, pretioſa. Addit laudatus Rex: *Væ illi, qui turpe aliquid in hoc patrarit. Similis eſt enim Judæis illis, qui acetum & fel commiſcuerunt, & per ludibrium Chriſto porrexerunt.* Et hinc inter articulos, ex quibus Ibam Epiſcopum ſuum ad degradationem poſtulavit Clerus Edeſſenæ Eccleſiæ, fuit & hic: *Quòd vitioſum, lutoſum, & quaſi eo tempore vindemiatum vinum dediſſet ad ſacrificium. Et quòd ipſo non ſufficiente, oportuiſſet aliud vitioſum à tabernis quærere.* Et revera Sacerdotes illi, qui vitioſum ſacro-ſancto Altari, & pretioſum vinum menſæ ſuæ impartiunt, ſunt Sacerdotio penitùs indigni.

Ex eadem Regula ſtatuit Ordo Romanus: *Populus dat oblationes ſuas, id eſt, panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primùm maſculi, deinde fœminæ.* Et antiqua Miſſæ expoſitio: *Oblata non nudis manibus, ſed fanonibus multo labore ſtudiorum candidis offertur.* Et in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Unus Cantor Oblatam cum fanone & vinum cum ampulla offert.* [L. 1. c. 38.] Porrò fanones laudat in ſui Cœnobii Chronico etiam Henulphus Monachus Centulenſis: [L. 2. c. 10.] *Fanones de pallio, auro paratos.* Et iterùm: *Fanones ad offerendum, auro paraſti,* [L. 3. c. 3.] Et in Albanenſium Abbatum vita Matthæus Pariſienſis: [Abb. 16.] *Horarium cùm fanone, auro & gemmis adornatum.* Exponit in ejus Gloſſario Guilielmus Wats: *Fanon vel erat linea ſindon, quam in ſinu, manuvè ferebat Sacerdos, cùm Sacris operaretur; vel linteum, quo anſæ calicis operiebantur. Sed credo quòd in prima ſignificatione ſit accipiendus, & non omninò in iſta tertia, ſcilicet pro ſindone, qua populus vinum & aquam olim offerebat. Nam hæ omnes ſindones dicuntur fanones.* Errat à populo vinum & aquam fuiſſe oblata: Quòd panem &

vinum

vinum populus, aquam Cantores obtulerint, eſt ſuprà oſtenſum. Fanonem inter Eccleſiaſtica Sacerdotum ornamenta numerat in libro de Ec-
C. 38. cleſiaſticis officiis Alcuinus Flaccus: *Sudarium quod ad tergendum ſudorem in manu geſtari mos eſt, quod uſitato nomine fanonem vocamus*. In ſequenti capita appellat mappulam: *Mappula, quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præſentem vitam deſignat, in qua ſuperfluos humores patimur*. Et antiquus Ordo
Fol. 174. Romanus: *Nullus cantet Miſſam ſine Amictu, Al-*
Fol. 7. *ba, Stola, Fanone, Caſula*. Et ſuprà: *Mappulæ in ſiniſtra manu ferendæ ſunt*. Et Amalarius Fortunatus: *Sudario ſolemus tergere pituitam ocu-*
L. 2. c. 24. *lorum ac narium, atque ſuperfluam ſalivam decurrentem per labia. Sive propter effuſionem lachrymarum tergendam fertur ſudarium, ut in Martyrologio Bedæ legitur, quòd Pater noſter Arſenius propter redundationem lachrymarum tergendam ſudarium*
L. 1. c. 18. *ſemper in manu vel in ſinu habuerit*. Et Rabanus Maurus: *Mappula ſive mantile Sacerdotis indumentum eſt, quod vulgò fanonem vocant. Eorum manibus tenetur, quando Miſſæ officium agitur*. Et in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis:
L. 1. c. 208. *Ad extremum Sacerdos fanonem in ſiniſtrum brachium ponit, qui & mappula & ſudarium vocatur, per quod olim ſudor & narium ſordes extergebantur, per quod pœnitentia intelligitur, qua quotidiani exceſſus labes extergitur. Hoc in ſiniſtro brachio geſtatur, quia in præſenti tempore tantùm*
C. 229. *vita noſtra pœnitentia emendatur*. Et infrà: *Sudarium, quo ſordes à vaſis deterguntur, Subdiaconus portat, ut tranſacta mala ſordium à ſe per pœnitentiam tergat. Notandum verò quòd Subdiacono ſudarium magis aliis formatur, quia ubi nunc fano, olim mappula portabatur*. Mappulam ſeu ſudarium dici item manipulum, & ad mentis ſudorem ac cordis torporem depellendum ſervire ſcribit in libris de Miſſæ myſterio etiam Innocen-
L. 1. c. 59. tius tertius. Nempè tunc antiquæ ad corporales ſudores & lachrymas detergendas mappulæ ſucceſſerat hodiernus manipulus, officia iſta non facturus deinceps, ſed menti dumtaxat ſignificaturus. Hinc enim manipulum imponentes dicimus: *Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Antiquum manipulum ſeu fanonem laudat in litteris ad Joannem Rothomagenſem Archiepiſcopum, ſacra Clericorum ornamenta enumerans atque exponens, etiam Sanctus Lan-
Epiſt. 13. francus Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Plerique autumant manipulum eſſe commune ornamentum omnium* ſacrorum Clericorum, *ſicut & Albam & Amictum. Nam & in Cœnobiis Monachorum etiam Laici, dum Albis induuntur, ex antiqua Patrum inſtitutione ſolent ferre manipulum*. Manipulum affirmat eſſe in ritualibus ſacrarum Ordinationum libris frequenter laudatum manutergium. Quare rectum hic eſt Lucæ Dacherii ſcholion: *Alcuino & Rabano communis eſt cæteris Ordinibus manipulus, velut Amictus & Alba. Siquidem pro mappula, quæ ſiniſtro aptatur brachio, ad humores è naribus atque oculis defluentes extergendos accipitur. Mappulam, fanonem, ſeu mantile dicunt illi auctores*. Ipſo etiam Laici Monachi potuerunt uti uſque ad Paſchalem ſecundum Pontificem, cujus Cardinales Legati ſtatuerunt in ſecunda Pictavienſi Synodo: *Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, niſi fuerit Subdiaconus ordinatus*. Quod avitum Monachorum privilegium poſteriores Pontifices reddiderunt Fratribus Mendicantibus. Horum Clerici, licet Subdiaconi non ſint, poſſunt ſolemniter cantare Epiſtolam cum manipulo, & cunctis aliis Subdiaconorum ornamentis. Simile ergò pani præſertìm offerendo ſudarium habebat olim omnis populus: Et vulgari vocabulo appellabat fanonem. Exiſtimo fuiſſe idem cum iſto linteo, de quo Antiſiodorenſis Synodus: *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat*. Quod ſi verum ſit, viri tunc ad offerendum necdum utebantur fanone.

Et hic offerendi modus apud Anglos plenè adhuc vigebat tempore Sancti Lanfranci. Lucet ex ejus pro Sancti Benedicti Ordine Decretis. Etenim ad Dominicæ in Palmis officium hæc habet. *Intrent Chorum ſonantibus ad Miſſam ſignis, Miſſam celebrent, palmas & frondes in manibus habeant, eaſque poſt Oblationem panis & vini, incipiente Diacono, cuncti per Ordinem offerant*. Utique & Monachi & Sæculares. Et infrà: *Expleta Miſſa, communicat Sacerdos pauperes* Sect. 4. *de Oblatis non conſecratis, ſigno tantùm Sanctæ Crucis in nomine Domini ſuper eas facto*. Ex quo vides Divites pro pauperibus etiam tunc obtuliſſe. Et iſta Decreta tunc ligarunt omnem Anglicanam Eccleſiam. Quæ omnis diſciplina Honorii item Auguſtodunenſis ſæculo non fuit penitùs exſtincta. Lucet ex animæ gemma: *Quidam de popu-* L. 1. c. 27. *lo aurum, quidam argentum, quidam de altera ſubſtantia ſacrificant*. Per alteram ſubſtantiam omninò intelligit panem, vinum, & aquam. Claret ex verbis ſequentibus: *Qui panem offerunt, ſunt qui ſpiritum ſuum in ſacrificium laudis Domino impendunt. Qui vinum offerunt, ſunt qui animas pro fratribus ponunt. Qui aquam offerunt, ſunt qui corpus ſuum pro Chriſto ad ſupplicia tradunt*. Videtur tunc unuſquiſque pro libitu aurum, argentum, panem, vinum, vel aquam obtuliſſe. Plura nos docet Honorius: *Fertur quòd olim Sacerdotes à ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant. Quod adhuc Græci ſervant. Et inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur*: Et omnium circumſtantium, qui tibi hoc ſacrificium laudis offerunt. *Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur, propter carnales ſtatutum eſt ut qui poſſet ſingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicaret. Et quia populo non communicante, non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt eum in modum denarii formari, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoſceret, qui tamen denarii in uſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid quod ad hoc ſacrificium pertinet*.

An Græcorum populus quandoque farinam obtulerit, ignoro. Nullum iſtius rei habeo authenticum teſtimonium. Aliquid tamen colligi videtur ex accuſatorio libello, quem Chalcedonenſi Synodo adversùs Dioſcorum ſuum Patriarcham exhibuit Iſchyrion Diaconus Alexandrinus:
Act. 3. *Dioſcorus contra omnes tanta perpetrare auſus eſt, ut etiam & frumentum, quod à piiſſimis noſtris Imperatoribus Eccleſiis Lybiæ, propter ariditatem illius Provinciæ, & quia omninò triticum ibi non naſcitur, præſtitum eſt, ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur, non permitteret ſuſcipere ſanctiſſimos Epiſcopos illius Provinciæ.* Eadem pietate poſſint & alii divites pauperum oblationi farinam aut frumentum donaſſe. Et inter articulos, de quibus Ibam Epiſcopum ſuum accuſavit Clerus Edeſſenus, fuit & hic: *Dum memoria fieret ſanctorum Martyrum, non eſt datum vinum ad ſacrificium Altaris, ad ſanctificationem & populi diſtributionem, niſi admodum exiguum & vitioſum, ac lutoſum, & quaſi eo tempore vindemiatum, ut ex hoc cogerentur qui deputati fuerant miniſtrare, de tabernis omninò vitioſis comparare ſextarios, qui nec ſufficerent.* Edeſſenam Eccleſiam & in facultatibus & in pecuniis fuiſſe inſigniter opulentam, lucet ex Juliani Imperatoris Epiſtola ad Ecbolam: Hinc ejus Epiſcopus oblaturo & communicaturo populo debuit vinum ſuppeditare. Quinimmò videtur ejus populus non obtuliſſe vinum: Si enim obtuliſſet, communicaturo non poterat defeciſſe. Verùm hæ fuerunt ſingulares paucarum Eccleſiarum conſuetudines. Latinus uſque ad Magnum Gregorium populus iſtum ipſum, quem obtulerat, conſecratum panem recipiebat ab Epiſcopo, ideoque uſque tunc non poſſit farinam obtuliſſe. Ob ſupra memoratum infidelis fœminæ facinus poſſit morem mutaſſe laudatus Pontifex, & farinam, quæ per Clericos aut ſacras mulieres coqueretur, in Oblatas exegiſſe. Res non caret fundamento.

Atto Vercellenſis Epiſcopus ſuo Capitulari rectè inſeruit hoc Capitulum: *Corpus Domini nullo modo conſervetur, niſi ex integra oblatione. Neque enim Dominus ſui corporis aliquam diminutionem ſu-*
Cap. 10. *ſtinuit, ſicut ſcriptum eſt:* NEC DABIS SANCTUM TUUM VIDERE CORRUPTIONEM. *Et alibi:* OS NON COMMINUETIS EX EO. Quod ipſum in Dialogo adversùs Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum urget Cardinalis Humbertus. Verùm quòd Latina olim Eccleſia unicum ex collecta populi farina magnum panem conſecraverit, ac in præſentes diviſerit, authenticè non poſſit demonſtrari. Quiſque enim recipiebat ſuam Oblatam. Et de ipſa in ſermonibus de verbis Domini ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Modicum quid*
Ser. 33. cap. 5. *accipimus, & in corde ſaginamur.* Et de avita Romanæ ac totius Latinæ Eccleſiæ conſuetudine ſcribit laudatus Humbertus: *Tenues Oblatas, ex ſimila præparatas, integras & ſanas, ſacris Altaribus ſuperponimus, & ex ipſis poſt conſecrationem fractis cum populo communicamus.* Et in litteris ad fratrem Lambertum Ernulphus Epiſcopus Roffenſis: *Apoſtoli panes quotidianos comederunt, nos in formæ nummi panem accipimus.* Et apud Joannem Bromptonum Gentiles Anglorum Reges interrogant Sanctum Mellitum Londinenſem Epiſcopum: *Quare non nobis panem nitidum porrigis, quem patri noſtro dabas, & populo adhuc donas?* An. 738.
Utique panem azymum, ſignatum, & rotundum, de quo rursùm Honorius Auguſtodunenſis: *Panis ideò in modum denarii formatur, quia panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus dabitur in præmio. Ideò imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago & nomen Imperatoris ſcribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen noſtrum in libro vitæ notatur.* Quem ritum eſſe vetuſtiſſimum docent Amalarii Fortunati ad Hieremiam Senonenſem & Jonam Aurelianenſem Epiſcopum de modo, quo benedictum nomen JESU ſcribi debeat, litteræ: Omninò enim videntur docere modum ipſius ſcribendi in Oblatis. Nec obſunt ſanctorum Patrum, qui conſecratam oblationem mandant ſuo tempore dividi ac in populum diſtribui, rituales libri, ac alia denſiſſima teſtimonia. Laudant enim ſolius principalis Oblatæ fracturam, de qua in Orientalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Mozarabum aliqui* Cap. 11.
ſanctam Euchariſtiæ formam in ſeptem partes dividunt, alii in novem, cùm tamen Romana Eccleſia, & alii eidem ſubjecti ipſam in tres tantùm portiones partiantur. Etiam parvas Oblatas apud quoſdam fuiſſe diviſas jam dixit Cardinalis Humbertus.

Quo autem tempore populus deſierit panem & vinum, & inceperit denarios offerre, ignoratur. Ad decimi ſæculi medium ſcripſit in libro de Sacramento Altaris Stephanus Epiſcopus Auguſtodunenſis: *Tunc Sacerdos offert dona, ſive* Cap. 12.
libamina cùm incenſo, ſcilicet panem & vinum ſanctificanda, populus ſua munera. Sacerdotem affirmat contra antiquum morem offerre ante populum. Quod ipſum in verſu de Altaris ſacrificio Sanctus Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, & in Eccleſiaſticæ eruditionis ſpeculo adfirmat Hugo Victorinus. Quod nempè tunc po- Cap. 7.
pulus non ampliùs offerret ſanctificanda panem & vinum, ſed alia munera, de quibus ad Albertum Epiſcopum Sanctus Petrus Damiani: *Volo* Lib. 4.
ut in Diœceſanis Eccleſiis, in quibus oblati ſunt per Epiſt. 1.
celebriora ſolemnia, panes, & ſi qua ſunt alia, quæ ad cibum videntur pertinere vel potum, pauperibus erogentur. Honorii igitur Auguſtodunenſis tempore quidam adhuc panem & vinum, quidam denarios, quidam eſculenta & poculenta obtulerunt. Quòd eodem tempore in Sancti Fol. 448.
Trudonis Monaſterio ad defunctorum Miſſas denarii offerrentur, in ejuſdem Monaſterii Chronico diſertè ſcribit Abbas Rudolphus. Et Sanctum Ottonem Bambergenſem Epiſcopum Andreas Sancti Michaelis Abbas laudat, quòd fecerit *duas argenteas ſcutellas ad ſuſcipiendas oblationes.* Utique oblationes pecuniarias. Panis enim Cap. 27.
oblatio non in ſcutellis, ſed in fanonibus accipiebatur. Et in libris de Miſſæ ſacrificio ſcribit Innocentius tertius: *Romanus Pontifex præter oblationem* Lib. 2.
panis nullam aliam oblationem manibus tangit, niſi cap. 37.
quæ pro defunctis offertur. Cæteras ad pedes accipit. Cap. 53.
Et iterùm: *Dum cantatur Offertorium, Sacerdos accipit obla-*

oblationes à populis, vel hoſtias à Miniſtris. Lucidè adfirmat oblationes populi non fuiſſe hoſtias, ideoque non panem aut vinum, ſed denarios. Hinc & ejus pro defunctis oblationem à panis oblatione diſtinguit. Et de hujus Pontificis fermè coævo Richardo primo Anglorum Rege, quòd in ſuæ coronationis die non panem & vinum, ſed auri marcam obtulerit, teſtatur Rogerus Hovedenſis. Quod nempè iſtorum à populo oblatio tunc plenè in Anglia ceſſaſſet. Alioquin quis potiùs quàm in tanto ſuo feſto Rex obtuliſſet? At verò qui ad decimi ſæculi medium floruit, panem & vinum ab omni populo offerri juſſit Atto Vercellenſis Epiſcopus: Nempè labentem tunc hanc oblationem reducere conatus eſt & reparare. Ex quibus omnibus lucet ipſam labi cœpiſſe ſæculo decimo, & ad tertii decimi, dum præſedit Innocentius tertius, ſæculi exordium fuiſſe plenè lapſam. Septimus noſter Gregorius Honorio Auguſtodunenſi fuit ferè coævus, ideoque & ſub ipſo aliqui aurum vel argentum, aliqui vinum vel panem, aliqui nihil offerebant. Et hos ſolos improbat præſens Canon, iſtos permittit conſuetæ tunc libertati.

CANON XIV.

De feſtivitatibus Romanorum Pontificum celebrandis.

Scholion.

Præſens Synodus edidit longè plures Canones, verùm qui perierint aut lateant. Quorumdam ſoli tituli, ſeu compendia nobis ſuperſunt: Et ex iſtis eſt hic præſens. Ei atteſtatur magnum
Fol.124. Belgii Chronicon: *Gregorius conſtituit, ut feſta Romanorum Pontificum, qui Martyres fuerunt, ſolemniter celebrentur*. Et in libro de Eccleſiaſticis
Cap.43. obſervationibus Scriptor Micrologus: *Gregorius hujus nominis Papa ſeptimus, Apoſtolicæ Sedi præſidens conſtituit, ut Sanctorum omnium Romanorum Pontificum & Martyrum feſtivitates ſolemniter ubique cum pleno officio celebrentur. Nam cùm quælibet Eccleſia ſui Patroni, etiamſi Confeſſor fuerit, feſtum ſolemniter obſervet, quanto magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam Patroni, quàm Patres extiterunt, quam etiam uſque ad Martyrium verbis & exemplis inſtituere non deſtiterunt?* Et antiqua Hiſtorica compilatio: *Gregorius conſtituit, ut omnium Sanctorum Martyrum & Romanorum Pontificum ſolemnitates ubique annuatim cum pleno officio celebrarentur*. Hoc eſt Decretum, adversùs quod ſcripſit Cardinalis Benno: *Hildebrandus ut Liberii feſtum celebraretur juſſit. Hoc Præcepto ejus hæreſim firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit*. Liberium ob toleratas ab Imperatore Conſtantio violentias Gregorius Martyrem, Benno ob poſteriorem lapſum cenſuit Arianum prævaricatorem, ideoque de ejuſdem hæreſis patrocinio damnavit Gregorium. Et hinc lucet, quòd non ſolos Conſtantino Auguſto priores, ſed & ipſo poſteriores Martyres Pontifices Romano Breviario Gregorius inſeruerit. Utique anteà non inſertos. Quòd enim illi etiam antè Magni Gregorii tempora inſertus fuerit Sanctus Marcellus Pontifex, in adducto loco affirmat laudatus Micrologus.

Et quidem Liberium fuiſſe virum ſanctiſſimum, & non ſolùm Catholicæ fidei, ſed etiam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Romani præſertim Primatus, adversùs rebelles Euſebianos conſtantiſſimum defenſorem, oſtendunt variæ ejus Epiſtolæ, ejus Mediolanenſia ac Romana cum Imperatore Conſtantio & ipſius Eunucho Euſebio Acta, in utraque adversùs eundem Principem Apologia Sanctus Athanaſius, in libro adversùs eundem jam vita defunctum Imperatorem Sanctus Hilarius Pictavienſis, & in precibus Theodoſio Auguſto exhibitis Romani Presbyteri Fauſtinus & Marcellinus. Abſit ut Arianam hæreſim admiſerit aut foverit. Ejus lapſus fuit, quòd Anteceſſoris ſui Julii de Sancto Athanaſio judicium dereliquerit, quòd ab Euſebiana Arianorum factione ſæpiùs repetitam, atque à ſe ſæpiùs & conſtanter damnatam ejuſdem Athanaſii damnationem tandem probaverit, quòd damnatam iſtam factionem admiſerit in communionem ſuam, & quòd admiſerit ſymbolum Synodi Syrmienſis. Ita adfirmant laudati Hilarii, vel cujuſcumque alterius coœvi Scriptoris fragmenta: *Poſt omnia, quæ geſſerat vel promiſerat Liberius miſſus in exilium, univerſa in irritum deduxit, ſcribens prævaricatoribus Arianis Hæreticis, qui in Sanctum Athanaſium Orthodoxum Epiſcopum injuſtè tulere ſententiam*. Et infrà: *Perfidiam apud Syrmium conſcriptam, quam dicit Liberius Catholicam, à Demophilo* Euſebianæ factionis Epiſcopo *ſibi expoſitam, hi ſunt qui conſcripſerunt, &c.* Dico, *Vel cujuſcumque alterius coœvi Scriptoris*: Syrmienſe enim ſymbolum, licet ambiguum & doloſum, poſſe tamen in ſenſum Orthodoxum accipi dixit non ſolus in ſui lapſus purgationem Liberius, ſed & multis demonſtrat in libro de Synodis laudatus Hilarius, affirmans palmare ejus vitium eſſe, quòd vocem, *Conſubſtantiale*, tamquam ab Antiochena adversùs Paulum Samoſatenſem Synodo olim improbatam taceat & circumſcribat. Liberii lapſum fateor fuiſſe graviſſimum, addo tamen & venia dignum, quia à biennalis exilii ærumnis, & plurium Orthodoxorum Epiſcoporum, præſertim Fortunatiani Aquilejenſis, ſuaſu & precibus extortum. Eundem poſtmodo in Sedem repoſitus, reſumpta prioris animi conſtantia, inſigniter Liberius expurgavit.

Et hinc hæc verba: *Beatus Euſebius Presbyter, cùm præſente Conſtantio fidem Catholicam conſtantiſſimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe, ab irato Conſtantio Imperatore Ariano includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in longitudine pedes quatuor.* Hæc, inquam, verba; tamquam in Liberium injurioſa, de ſuo Breviario rectè proſcripſit Romana Eccleſia. Aliud enim non fecit Liberius, quàm quòd doloſum & ambidextrum Syrmienſis Synodi Symbolum in recto ſenſu acceptaverit. Nec aliud vult Sanctus Hieronymus in virorum illuſtrium Catalogo, ac in Euſebiani Chronici ſupplemento, affirmans Liberium hæreticæ pravitati ſubſcripſiſſe. Per hæreticam pravitatem intelligit doloſum iſtud ſymbolum. Cujus acceptatio fuit item lapſus multorum Epiſcoporum in Synodo Ariminenſi. Et ob ipſum Romana Eccleſia de ſuo Breviario expunxit Liberium.

Trecenſis Synodi, in qua antiquorum Romanorum Pontificum ab Iſidoro Mercatore in Franciam deportatas epiſtolas admitti tamquam authenticas, & comprobari ab Hincmaro Remenſi Metropolita juſſit Joannes octavus Pontifex: Hujus, inquam, Synodi judicium adhuc vigebat Gregorii noſtri tempore, ideoque hic ex iſtis Epiſtolis, necnon ex libro Pontificali deſumpſit vitam, ſeu lectiones de vita ſanctorum Pontificum & Martyrum. Etiam de lapſu Sancti Marcellini, quem eſſe calumnioſum Donatiſtarum figmentum conſtantiſſimè docet Sanctus Auguſtinus. Etenim adversùs Petilianum Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum ſcribit in libro de
Cap. 16. unico Baptiſmo: *Quid jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades & Marcellinus, & Sylveſter, traditionis codicum Divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur, ſed numquid ideò convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Et poſt quædam: *Huc accedit, quia Melchiade tunc Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ præſidente, ex Præcepto Conſtantini Imperatoris, ad quem totam illam cauſam accuſatores Epiſcopi Carthaginenſis Eccleſiæ Cæciliani per Anulinum Proconſulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronuntiatus eſt. De quo judicio cùm Majores iſtorum importuniſſima pervicacia memorato Imperatori quererentur, quòd non plenè nec rectè fuerit examinatum atque deprromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt: Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potiùs aut ſuggerentes Imperatori, aut ut ſuggereretur inſtantes, quod apud traditorem Codicum Divinorum, ac idolorum ſacrificiis inquinatum, cauſam ſuam agere non deberent. Cùm ergò hoc nec ante ſuggeſſerint, nec poſteaquam contra eos pro Cæciliano judicatum eſt, ſaltem victi & irati objiciendum putarint, quid nunc inanes tam ſerò connectunt calumnias, quaſi & innocentia Cæciliani Melchiadis Judicis decoloratione fuſcetur, & ipſa Romana Eccleſia?*

Hoc ipſum Melchiadis judicium laudat in libris adversùs Parmenianum, & pergit: *In quo judicio, ſicut Eccleſiaſtica Geſta teſtantur, quia victi* L. 1. c. 5.
ſunt iſti, & innocens Cæcilianus inventus eſt, Melchiadem crimine traditionis accuſant. Et adversùm hæc dicti Petiliani verba: *Periit etiam Maximianus ac Diocletianus, qui dum thura prædicarent, incenſis codicibus Dominicis, primus Marcellinus Epiſcopus Romanorum qui fuit, ſed & Carthaginis Menſurius & Cæcilianus ex ipſis ſacrilegis flammis ut favillæ vel cineres remanſerunt.* His, inquam, verbis Auguſtinus reponit: *Sequeris*
jam, & Epiſcopos nominas, quos de traditione L. 2. c. 92.
codicum ſoletis arguere. De quibus & nos ſolemus reſpondere: Aut non probatis, & ad neminem pertinet, aut probatis, & ad nos non pertinet. Suam enim ſarcinam portaverunt, aut bonam vel malam. Et bonam quidem credimus, ſed qualemlibet, tamen ſuam. Donatiſtæ, quò Melchiadis adversùs Donatum à Caſis nigris pro Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopo judicium evacuarent, dixerunt ipſum, Marcellumque & Sylveſtrum fuiſſe Marcellini Pontificis Clericos, cum ipſo in Diocletiani perſecutione tradidiſſe ac thurificaſſe, non fuiſſe legitimos Pontifices, ideoque ipſorum de quavis Eccleſiaſtica cauſa judicium eſſe ſtramineum ac penitùs nullum. Aſt eſſe non ſolùm calumnioſam, ſed inſuper novellam fabulam oſtendit Sanctus Auguſtinus. Quòd nempè nec ipſe Caſenſis Donatus, nec quis ipſius Collega aut defenſor de iſta tunc exceptione aut ante aut poſt judicium vel ſomniaſſet. A Diocletiani perſecutionibus, quòd illic Conſtantini Pater Conſtantius Chlorus imperaſſet, immunis fuerat Gallia, ideoque nulli iſtic erant thurificati, nulli libellati, nulli traditores. Hinc ſuam cum Cæciliano cauſam à Melchiade quidem Papa judicari admiſerunt Donatiſtæ, verùm non ab ejus Synodo, ſed ipſi per Conſtantinum adjungi poſtularunt Gallicanos Epiſcopos: Poſtularunt Judices integros, de traditionis aut ſimilis criminis lapſu nequidem ſuſpectos. Et haſce preces Conſtantinus omninò explevit. Quocircà illi Melchiadem habuerunt pro plenè puro atque immaculato. Maculandi enim ac degradandi Cæciliani tanto impetu arſit omnis iſta factio, ut ejus etiam Ordinatorem Felicem Aptungenſem Epiſcopum accuſarit traditionis, & hic etiam non ſolùm Eccleſiaſtico, ſed etiam Proconſulari judicio debuerit expurgari. Hinc in libro de unico Baptiſmo rectè pergit Sanctus Auguſtinus: *Hoc etiam facit ad cogitandam Mel-*
chiadis ab eorum criminationibus puriſſimam vitam. Cap. 16.
Niſi forte quiſquam tam ſit inſipiens, ut credat eos, cum Felici non pepercerint, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus, Melchiadi parcere potuiſſe, à quo fuerat abſolutus, ſi illius Epiſcopi vitam, quamvis nullum vulnus conſcientiæ peremiſſet, ſaltem qualiſcumque fama culpaſſet. An verò quod in foro Aptungenſium factum fuerat ab iſtis accuſaretur, & quod in Romanorum Capitolio fuerat factum taceretur?

Aperit ibidem calumniæ originem: *Romana in Eccleſia nec damnare quemquam Epiſcopum ſuo qualicumque judicio potuerunt, nec aliquem*

ſuorum velut in locum ſurrogare damnati, contra quem pauciſſimis Afris partis ſuæ primò. Interventores adventitios furtim longeque mittebant, donec deceptæ plebeculæ quaſi proprios Epiſcopos ordinarent. Rem lucidiùs exponit Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Affirmat Donatiſtis uſque ad ſua tempora non fuiſſe niſi ſex Romanos Epiſcopos, videlicet Victorem Garbienſem, Bonifacium Ballitanum, Encolpium, Macrobium, Lucianum, & Claudianum. Hunc ait non eſſe, nec iſtos fuiſſe veros Romanorum, ſed paucorum iſtic errantium Afrorum Erraticos Epiſcopos, atque adjungit: *Quid eſt hoc, quod pars veſtra in urbe Roma civem Epiſcopum habere non potuit? Quid eſt quod tot Afri & peregrini in illa civitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur? Non apparet dolus? non factio, quæ mater eſt ſchiſmatis? Intereà Victor Garbienſis, ut hinc prior mitteretur, non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare, ſed quia quibuſdam Afris urbica placuerat commoratio, & hinc à vobis profecti videbantur, ipſi petierunt ut aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. Erat ibi filius ſine patre, tyro ſine Principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo.* Pauci iſti Romæ commorantes Afri viderunt Sancti Apoſtoli Petri Cathedram eſſe totius Chriſtianitatis radicem & caput, ac ſine ipſa non poſſe eſſe veram Eccleſiam, ideoque ſuis in Africa Primatibus perſuaſerunt ſibi vagantibus conſecrari & mitti vagantem Epiſcopum, quem ipſi appellarent Pontificem Romanum. Imperatorem Conſtantium, dum reducem Liberium unà cum intruſo Felice voluit ſimul præſidere Apoſtolicæ Sedi, Theodoretus affirmat fuiſſe deriſum à Romano populo, exclamante in pleno circo: *Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus.* Addit Felicem receſſiſſe, & in alia civitate fixiſſe ſedem. In exhibitis Theodoſio Auguſto precibus Fauſtinus & Marcellinus affirmant à Senatu & populo, & quidem bis ex urbe pulſum. Ardenti in Chriſtianam Regulam zelo ſemper viguit populus Romanus. Hinc & Garbienſem iſtum Victorem, quod non in Lateranenſi Palatio aut Vaticana Baſilica ſplenderet, ſed in neſcio qua ſpelunca latitaret, & clancularias cum paucis Afris ageret Synaxes, deriſit & exploſit, vocavitque non Romanum Epiſcopum, ſed Rupitanum aut Montenſem. Cum Sancto Optato vocavit filium ſine patre, diſcipulum ſine magiſtro, Paſtorem ſine grege, Epiſcopum ſine populo. Erat avita & palmaris adversùm quoſvis Hæreticos atque Schiſmaticos præſcriptio: Hinc ad ipſam evacuandam Donati factio incepit accuſare Sylveſtrum, Melchiadem, & Marcellinum, garrire in hujus lapſu defeciſſe legitimam Epiſcopatus ſucceſſionem, ideoque à ſeſe, ſolis ſub cœlo puris & integris, debuiſſe ſuppleri. Ita ſperarunt non ſolummodò firmari ſuum Rupitanum Epiſcopum, ſed & ſuum Caſenſem Donatum adversùs Melchiadis judicium purgari. Eodem tempore & ex eodem fonte cœperunt blaterare Romanam Eccleſiam eſſe Cathedram peſtilentiæ. Calumniam fuiſſe cœptam priùs ſub Sancti Sylveſtri Pontificatu, lucidè ſupponit atque affirmat Sanctus Auguſtinus. Hinc addit eſſe ſerum mendacium. Veritas enim jam dudum damnaſſet & Melchiadem & Marcellinum, ipſiſque damnatis viduatæ Eccleſiæ dediſſet immaculatum ſucceſſorem. Factionem Auguſtinus arguit, quòd non contra iſtos damnatos, ſed contra ipſam Romanam Eccleſiam intruſerint Interventores, ac tandem deceptæ plebeculæ quaſi proprios Epiſcopos ordinarint. Et hinc iſtud calumniæ vulnus curatura factio fecit in Carthaginenſi Collatione, quod in ejus breviculo ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Tunc Donatiſtæ ipſum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere Majores ſuos propterea illius judicium refugiſſe, quod traditor eſſet.* Exceptionem hanc dixerunt non eſſe novellam calumniam, ſed antiquam veritatem. Verùm probationes rogata fabula, ſibi ipſi non conſtitit: Protulit enim Acta, in quibus non Marcellinus, nec Marcellus, nec Melchiades, nec Sylveſter ſub Diocletiano, ſed neſcio qui Straton & Caſſianus aſſerebantur tradidiſſe ſub Maxentio. Ipſos aſſeverarunt fuiſſe Melchiadis Diaconos, & Stratonem ad recipienda, quæ Imperator Maxentius reddebat, Eccleſiaſtica loca miſſum à Pontifice, & *ideò volebant etiam hunc crimine traditionis aſpergere. Quòd Diacono illo non degradato uteretur.* Ex ejus non degradati communione affirmabant maculatum Melchiadem, & Pontificatu excidiſſe. Non ipſum ampliùs de traditione, ſed de ſolo communionis contagio accuſarunt. Quæ etiam omnia carere fundamento demonſtrarunt Orthodoxi Epiſcopi, & uti frivola rejecit Cognitor Marcellinus.

Tertiæ diei Collatio pro magna ſui parte latet, aut periit cum magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno. Hæc tamen omnia patent ex reſiduis perditorum capitum compendiis, ex Cirthenſi poſt Collationem Synodo, & Auguſtiniano Breviculo Collationis. De Marcellini lapſu nullus, etiam antiquus Scriptor meminit. Quin & de illo ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius: *Marcellini temporibus perſecutio, in qua ipſe Martyrio occubuit, exorta eſt.* Et in eadem hiſtoria Theodoretus; *Marcellinus, vir perſecutionis temporibus magna gloria plenè nobilitatus.* Fuiſſe perſecutionis certamine inſigniter defunctum addit Nicephorus Calixtus. Quod ipſum ſcribunt & alii poſteriores Græci. Nempè Iſidori merces hi non viderunt, ideoque nulla umquam ipſis fuit de Marcellini lapſu vel ſuſpicio. Donatiſtas imitati ſunt Novatianenſes, qui ad purgandam ſuam cauſam finxerunt Macedonium Papam cum octo Presbyteris ſacrificaſſe ſub Decio, & unicum Novatianum ſtetiſſe purum, ideoque & ipſi delatum Papatum. Ita in Photii Bibliotheca ſcribit Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus. Errat in nomine: Nullus enim umquam fuit Papa Macedonius. Sanctum Cornelium Papam, quòd lapſum Epiſcopum Trophymum reparaſſet, ideoque ejus ſcabioſa communione pollutus Papatum amiſiſſet, accuſarunt Novatianenſes. Adversùm quos inſignem pro illo Apologiam ſcripſit

Lib. 2. L. 2. c. 4. Lib. 3. c. 18. L. 7. c. 26. L. 1. c. 3. L. 8. c. 6. l. 182. 28.

pſit Sanctus Cyprianus in litteris ad Antonianum Epiſcopum, affirmans ab ipſo Trophymum nequaquam Epiſcopali, ſed ſoli Laicæ communioni redditum, ideoque nullam hic fuiſſe ſpeciem ſcabioſæ communionis, aut perditi Epiſcopatus. In thus aut libellum tunc lapſus Epiſcopus erat reparationis adeò incapax, ut ex ejus donandæ Attentato etiam Romanus Pontifex macularetur, & incurreret iſtud ipſum ſuæ ſupremæ Majeſtatis irreparabile ſpolium. Hinc enim etiam Donatiſtis, ex iſto facinore affirmantibus degradatum, non ſupremam Romani Pontificis dignitatem oppoſuit Sanctus Auguſtinus, ſed reſpondit tradirorem Stratonem non fuiſſe ejus Diaconum. Iſidorianæ collectionis Auctor ignoravit hæc omnia. Apud Donatiſtas legit lapſum Marcellinum, apud Catholicos nullibi legit degradatum, legit manſiſſe Pontificem, & factum Martyrem: Laudatæ diſciplinæ rigorem credidit in ſolis Epiſcopis, non in ſupremo Romano Pontifice obtinere, ad ſupremum ejus Primatum firmandum uſus eſt exemplo iſto, & fabricavit Synodum Sinueſſanam. Hæc breviter dicta ſint pro integerrimo Pontifice ac glorioſo Martyre Marcellino.

Notandum eſt quod in libro de obſervantia Canonum ſcribit Radulphus Decanus Eccleſiæ Tongrenſis: *Sedes Apoſtolica vult hanc proportionem, ut ſicut in Urbe ſervantur Sancti Romani Pontifices, & alii Sancti Urbis locales, ita in* [Cap. 22.] *aliorum uſu alii ſervent Sanctos ſuos locales. Et ſicut Romani non tenentur ad noſtros locales, ita nec nos ad ipſorum locales. Sed Fratres Minores contra generalem conſuetudinem hujuſmodi, à dicta Sede tacitè approbatam, in ſuo uſu adducunt locales Romanos, ut Hyginum, Anicetum, Sotherem, Pium, Cletum, Marcellum, Eleutherium, Joannem, Felicem, Sylverium, Anacletum, Victorem, Innocentium, Evariſtum, Pontianum, & Melchiadem, Romanos Pontifices.* Sanctus Pater Franciſcus cunctis ſuis filiis impoſuit Romanum officium, cui quia iſto tempore Fratres aliqua, & addiderant & detraxerant, Radulphus admodum improbavit. Longa eſt hæc quæſtio. Interim lucet præſentem Gregorii noſtri Canonem à variis Eccleſiis dudum non fuiſſe receptum. Quòd nempè receptus non fuiſſet alius ejus Canon de ubique ſervando Romano Officio.

CANON XV.

DE Patriarcha Aquilejenſi & Gradenſi.

SCHOLION.

DE hoc Patriarchatu ſcribit in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Cum Chriſtiani, relicta lege Dei, Paganos ſpurcis operibus imitarentur, Dei judicio traditi ſunt in manibus eorum, qui deletis Chriſtianis poſſederunt loca ipſorum. Undè Antiochenus Patriarchatus eſt Hieroſolymam translatus. Porrò Alexandrinus apud Aquilejam eſt poſitus, quia huic civitati primùm Marcus Evange-* [L. 1. c. 186.] *liſta præſedit, qui Alexandriæ præfuit. Quanquam quidam contendant, quod Carthaginenſis Epiſcopus hac translatione polleat.* Quod ipſum in ſua de Sacramentis Theologica eruditione habet eiſdem ferè verbis Hugo de Sancto Victore. Eccleſia- [Par. 1. c. 42.] ſticæ antiquitatis ignorantia tantos viros turpiter præcipitavit. Quis enim neſciat Hieroſolymæ Patriarchatum non ex facta ob Saracenos translatione, ſed ex Antiochenæ Diœceſeos invaſis per Hieroſolymæ Epiſcopos Provinciis incepiſſe? Oſtendi id in Scholiis ad Chalcedonenſem Synodum. Poſteà tamen Europæi noſtri, dum ſanctam terram eripuerunt Paganis, Hieroſolymitanum Patriarchatum Antiocheno contra antiquum Canonem antepoſuerunt. Quòd Sanctus Evangeliſta Marcus, primus Alexandriæ Patriarcha, antea fuerit primus etiam Aquilejæ Epiſcopus, eſt quorumdam traditio: Verùm quòd Patriarchatus ille ſit Aquilejam translatus, caret omni fundamento. Vera Aquilejenſis Patriarchatus exordia fuiſſe ſchiſma trium Capitulorum, eſt ſuo loco demonſtratum. Quid inter hunc & Gradenſem quæſtionis fuerit in præſenti Synodo, ignoro. Quidam exiſtimant à Leone nono factam Gradenſis Patriarchatus ad Venetos translationem fuiſſe hic confirmatam. Ipſam enim etiam in Mantuana Synodo fuiſſe firmatam ab Alexandro tertio, affirmat in Venetorum hiſtoria Andreas Dandulus. Et ſanè in litteris ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum [L. 1. Epiſt. 18.] Gregorius noſter laudat *Dominicum Patriarcham Venetiæ*. Et Stephanus Baluzius publicavit Lateranenſem Paſchalis ſecundi Synodum, cui ſubſcripſit *Joannes Patriarcha Veneticus*. Et in magno Belgii Chronico Honorii ſecundi Legatus [Fol. 154.] deponit duos Patriarchas, Aquilejenſem, & *Venetum, qui & Gradenſis nuncupatur*. Et in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento ſcribit Robertus Abbas Montenſis: [A. 1177.] *Dominus Papa Alexander, & Fredericus Imperator Romanus, concordati ſunt in civitate Venetiæ, in domo Patriarcha ipſius civitatis*. Hæc ergo translatio eſt lucida, verùm an & hic fuerit tractata, hærere me facit præſentis Canonis compendium. Affirmat enim non inter Venetam & Gradenſem civitatem, ſed inter Aquilejenſem & Gradenſem Patriarchas fuiſſe aliquid quæſtionis.

CANON XVI.

UT nullus Pœnitens ſuſcipiatur ſine litteris Epiſcopi ſui, niſi fortè fuerit Epiſcopus mortuus, aut excommunicatus.

SCHOLION.

CAnonem exponit noſter Gregorius in litteris ad Henricum Epiſcopum Leodienſem: *Lectis Fraternitatis tuæ litteris, non parùm mirati ſumus, non ea te, qua decuit Apoſtolicam Sedem, reverentia ſibi ſcripſiſſe, ſed nobis de abſolutione illius Parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendiſſe, tamquam Apoſtolicæ Sedis non eſſet auctoritas, quoſcumque & ubicumque vult ligare & abſolvere.* L. 6. Epiſt. 4. *Undè ſcias nos ad versùs temeritatem tuam graviter commotos fuiſſe.* Henricum arguit, quòd ex præſumptione aut ignorantia adversùs Apoſtolicæ Sedis auctoritatem verba jactaverit, ac Euſebianam Arianorum, Sanctum Athanaſium ſine ſuo aſſenſu non potuiſſe à Julio Pontifice abſolvi garrientium, factionem ſit imitatus, atque proſequitur. *Tibi deinceps caveas, ne hujuſmodi contra nos temeritate reſcribas, ſed documenta ſanctorum Patrum, qui te loqui & ſcribere doceant, humiliter recurras.* Ejuſdem cum Henrico ſententiæ fuit in ſuo Capitulari Atto Baſilejenſis: *Nullus migret de ſua Parochia ad aliam. Nec ad limina Apoſtolorum cauſa orationis, Eccleſiæ ſuæ cura derelicta. Nec à communione ſuſpenſus ab alio communionem recipiendi gratia, ſine permiſſione & præſcientia ſui Epiſcopi. Quod ſi fecerit, nihil valet hujuſmodi communio. Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui cauſa orationis ad limina Beatorum Apoſtolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur.* Cap. 18 *Quia à proprio Epiſcopo ſuo aut Sacerdote ligandi aut abſolvendi ſunt, non ab extraneo.* Illos qui Turonem ad Sanctum Martinum, aut Romam ad Apoſtolorum limina tendunt, de vana remittendorum peccatorum fiducia, ac vario finis exceſſu notat etiam ſecunda Cabilonenſis Synodus, rectum intentionis ordinem ac modum docet, & proſequitur: *Qui verò peccata ſua Sacerdotibus, in quorum ſunt Parochiis, confeſſi ſunt, & ab his agendæ pœnitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina vel quorumlibet Sanctorum inviſere deſiderant, horum eſt devotio modis omnibus collaudanda.* Cap. 45. Et adjungit: *De quibus omnibus, qualiter emendanda ſint, Domini Imperatoris ſententia exſpectetur.* Quòd criminoſi, & Laici & Clerici, tunc Romam paſſim accurrerent, & illic abſolverentur, à Gallicanis iſtius ſæculi Epiſcopis habemus plures querelas. Et longè poſterior Synodus Salegunſtadienſis: Cap. 16. *Decrevit ſancta Synodus, ut nullus Romam eat niſi cum licentia ſui Epiſcopi, vel ejus Vicarii.* Et iterùm: Cap. 18. *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio, ut talis indulgentia illis non proſit, ſed priùs juxta modum delicti pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & litteras ad Apoſtolicum de eiſdem rebus deferendas accipiant.* Et Lemovicenſis ſub Benedicti noni Pontificatu celebrata Synodus hæc habet: *Rurſum in Concilio conquiſitum eſt de excommunicatis Aquitenigenis, qui ignorantibus Epiſcopis ſuis, à Romano Papa pœnitentiam & abſolutionem accipiunt, & hac de cauſa pax & Concilium in Aquitania deſtruitur, dum quos iſti ligant, ille injuſtè abſolvit. Ad quæ venerandus Engelricus, Cancellarius ſanctæ Mariæ Anicienſis Eccleſiæ, cœpit explicare, dicens: Stephanus Arvernenſis Præſul ante hos annos Poratium Comitem Arvernenſem excommunicatione obſtrinxit pro uxore legitima, quam dimiſerat, & aliam duxerat. Quem cum nulla ratione vellet abſolvere niſi emendatum, Comes à Domino Papa abſolutionem accepit, ignorante Papa excommunicatum. Quod graviter Epiſcopus ferens conqueſtorias litteras Romam ad Apoſtolicum miſit: Cui ille in hunc modum remiſit Epiſtolam.* Acta hæc refert Dominus Cardinalis Cæſar Baronius, adducitque & Pontificis ad has querimonias Reſcriptum: *Quod neſcienter egi, frater chariſſimè, non mea, ſed tua culpa eſt. Scis enim, quia quicumque de univerſa Dei Eccleſia, quæ eſt in toto orbe terrarum, ad me cauſa remedii recurrit, impoſſibile eſt mihi eum negligere, dicente Domino ad beatum ſpecialiter Petrum: Petre paſce oves meas. Quo ergo modo Sedes Apoſtolica poterit ejicere aliquem de medela, niſi rationabili cauſa? debueras certè mihi antequam illa morbida ovis Romam veniret, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus: Ut eam ego omni modo abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippè omnibus Conſacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me & conſolatorem potiùs eſſe, quàm contradictorem. Abſit enim ſchiſma à me, & à Coepiſcopis meis. Itaque illam pœnitentiam & abſolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & caſſam. Et nihil aliud ſperet quàm maledictionem: Qua ſatisfacta, tu ipſe abſolvas.* Videtur Benedictus & errorem & poteſtatis defectum agnoſcere, ideoque & ſuam abſolutionem circumducere.

Videtur eſſe antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina, quam in Quadrageſima ſecunda hæreſi laudat Sanctus Epiphanius, dicens Hæreſiarcham Marcionem fuiſſe carne lapſum, ideoque à ſuo Patre Epiſcopo exutum communione & gradu, ac pergens: *Romam ſe contulit Marcion, & ad Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum Diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut in communionem admitteretur,* Cap. 1.

terretur,

Cap. 2. *teretur, ab eis fruſtra petiit.* Et infrà: *Palam eos alloquens Marcion, cur me, inquit, recipere noluiſtis? Reſponderunt illi: Nobis injuſſu venerandi Patris tui facere illud non licet. Una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio: Neque contra ſpectatiſſimum Collegam Patrem tuum moliri quidpiam poſſumus*: Et hæc eſt Apoſtolica traditio, quam in ſcriptum Canonem redegiſſe videtur Nicæna
Cap. 5. Synodus: *Hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Et Canonem ita intellexit in litteris ad Sueſſionenſem, quæ Ordinatos ab Ebbone Remenſi Epiſcopo Clericos dejecerat, Synodum Sanctus Nicolaus primus: *Si quiſpiam Sedem Apoſtolicam, per Sergium ſanctæ memoriæ Papam, Ebbonem quondam Archiepiſcopum indignum Clericali communione ſanxiſſe perhibet, noverit quoniam*
Ep. 55. *talem Sedes Apoſtolica debuit Ebbonem, donec Synodali examine ejus cauſa diſcuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippè in magna & veneranda Nicæna Synodo legitur, ut de his qui communione privantur, ſeu ex Clero ſeu ex Laico ordine, Epiſcopis per unamquamque Provinciam ſententia Regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſecluſus. Donec igitur auctoritate ſua de hujuſmodi puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio examinatio vel dijudicatio proveniret, Apoſtolica Sedes nihil agere debuit, niſi quod egit. Videlicet ut ab aliis abjectum ipſa nequaquam indiſcuſsè ſuſciperet. Præcipuè cùm prædictus Ebbo non quaſi pro depoſitione ſua queritans, & legitimè reſtitui volens examine præcedente, Sedem Apoſtolicam appellaverit, ſed, ut codex Epiſcopalis indicat, à contumacibus ſuaſus, & his junctus, repentè & reconciliari ab ea, & pallio decorari quærens, & quaſi Epiſcopus inter Epiſcopos, nulla cauſæ ſuæ diſcuſſione præveniente, communicare poſcens, ad eandem ſummam ſedem acceſſerit, à qua jam ab aliis reprobatus meritò debuit reprobari, donec ſupplex ab ea ſeſe canonicè poſceret adjuvari.* Ebbonis cauſa eſt longa, neque hìc diſcutienda. Ipſum non appellantem reparari à Sergio ſecundo non potuiſſe, & appellantem etiam non niſi prævio examine potuiſſe adfirmat Nicolaus, quòd laudatus Nicænus Canon ſit univerſalis, ligetque etiam Sedem Apoſtolicam. Inferiorum Epiſcoporum ſententias, niſi diſcuſſas & repertas vitioſas, etiam hæc non poteſt ſolvere: Benè enim per quemvis Epiſcopum ligata in terris ſunt per Chriſtum Dominum ligata & in cœlis, ideoque per nullum hominem poſſint ſolvi.

Et omnem hanc doctrinam firmat in libris de Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cuſanus: *Si dicis Papam ſubditos Epiſcoporum abſol-*
Lib. 2. c. 13. *vere & ligare, dico idem in aliis, quando conſenſus propriorum intervenit. Actus enim aliter nullus, per conſenſum aut ratificationem proprii Sacerdotis in hac materia validus efficitur. Cum ergo uſu communi ſit hoc introductum, & ex uſu conſenſus elicitur, patet quòd efficaciæ hujus vigorem ex conſenſu recipit. Undè cum nullus teneatur obedire, niſi in conceſſis à Canone, & cùm non reperiatur Canon alicujus Concilii, Papam hoc poſſe appellatione nulla interpoſita, oportet ad conſuetudinem, uſum, & conſenſum illud reſolvere. Papa enim non habet ex Canone quod lædere poſſit juriſdictionem Epiſcoporum. Quia eſſet ordinem turbare. Igitur non legitur antiquos Romanos Pontifices ſe de his intromiſiſſe, & talia Confeſſionalia, & alia ſimilia conceſſiſſe. Et fortè non fuiſſet permiſſum.* Infrà tamen addit Papam cum ſua Cardinalium Synodo poſſe hæc omnia: Quòd nempè illa jam repræſentet univerſalem Eccleſiam, aut certè ejus Synodum. Verùm & hoc affirmat non eſſe ex Canone, ſed ex conſuetudine, uſu, & omnium ſub cœlo Metro- Cap. 15.
politarum præſumpto & tacito conſenſu.

Reſpondeo doctrinam hanc eſſe pernicioſam. Ex ipſa Guilielmus de Sancto Amore & Joannes de Poliaco hauſerunt ſua devia phantaſmata adversùs Apoſtolicas delegationes & privilegia Fratrum medicantium. Et certè ſi Pontifex cunctorum ubique Epiſcoporum ſubditos non poſſit abſolvere, longè minùs facultatem iſtam poſſit aliis delegare. Evertit doctrina iſta etiam Romanas, quas conſtat eſſe traditionem Apoſtolicam, quorumdam criminum & pœnarum reſervationes. Si namque Pontifex ſine Epiſcoporum conſenſu non poſſit totum mundum ſolvere, nequit etiam ligare. Et adductum Marcionis factum omninò facit pro Sede Apoſtolica. Delicti ſui abſolutionem non ſine fundamento ille ſperavit à Romana Eccleſia: Univerſales Cælorum claves, & ſupremam ſolvendi atque ligandi poteſtatem iſtic vigere credidit cum omni Ponto & toto mundo, ideoque & Romam acceſſit. Notanda ſunt Sancti Epiphanii verba: *Romam poſt Hygini Papæ obitum Marcion ſeſe contulit.* Hoc eſt, vacante Sede. Hinc communionis gratiam non à Romano Pontifice, ſed à Romanæ Eccleſiæ Senioribus, ſeu Cardinalibus Presbyteris ſupplicavit. Et ab ipſis eſt meritò reſponſum. *Nobis injuſſu venerandi Patris tui facere iſtud non licet.* Suprema namque Sancti Apoſtoli Petri poteſtas reſidet in ſolis ejus ſucceſſoribus, & poſt horum mortem non tranſit in ſacrum Dominorum Cardinalium Collegium, uti patet ex variis hujus Collegii litteris ad Sanctum Cyprianum. Etiamnum hodiè ipſum abſtinet ab exercitio ſupremæ poteſtatis. Quòd in Artemonis hæreſim lapſus Confeſſor Natalius etiam Romam acceſſerit, egerit pœnitentiam apud Zephyrinum Pontificem, & ab ipſo abſolutus fuerit, Lib. 5. c. 26.
multis refert Euſebius Cæſareenſis. Etiam Urſacium Singidunenſem, Valentem Murſienſem, Euſtatium Sebaſtenſem in prima Armenia, alioſque Euſebianos ac Macedonianos Epiſcopos acceſſiſſe ad Julium aut Liberium Pontificem, & per ipſos fuiſſe abſolutos à variis exceſſibus, habemus apud Sanctum Athanaſium, Sanctum Baſilium, Socratem, & Hermiam Zozomenum. Et ad Sanctum Cyrillum, Alexandriæ Patriarcham ac Epheſini Concilii Præſidem, ſcripſit Pontifex Cœleſtinus: *His quos erga Catholicam fidem tua Fraternitas dicit ſe habere ſuſpectos, ſi Scripta direxerint, pro qualitate rerum eis nos reſpondere neceſſe eſt, in quo negotio nemo ſubrepit, quia tota cautione tractatur.* Quidam in Neſtorii errorem aut patrocinium lapſi apud Epheſum Epi-

Epiſcopi, non à Præſide Cyrillo, ſed à Papa Cæleſtino poſtularunt veniam, & adversùs illius, preces iſtas de ſubreptionis periculo traducentis, interceſſionem omninò impetrarunt. Cunctis item apud Ariminum lapſis Epiſcopis Sedes Apoſtolica dedit veniam. Etiam Baſilius & Joannes Presbyteri Conſtantinopolitani, quò ab Eutychianæ perfidiæ macula aut ſuſpicione ſolverentur, acceſſerunt Sanctum Leonem, & Ep. 48. cum abſolutionis litteris fuerunt remiſſi ad Anatolium Patriarcham.

Plurima ſunt hujuſmodi antiquiſſima exempla, quorum cauſa Nicolaus primus Pontifex in litteris, quibus Romanæ Eccleſiæ Primatum demonſtrat, ſcripſit ad Photium Pſeudo-Patriarcham Conſtantinopolitanum: *Univerſitas credentium ab hac Sancta Romana Eccleſia criminum ſolutionem exorat.* Exſtant litteræ in quinta actione octavæ Synodi? Et in litteris ad Gallicanos Epiſcopos, qui Rothaldi Sueſſionenſis Epiſcopi reparationem impugnabant, ſcribit idem Ep. 47. Pontifex: *An Laicorum & vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos penè quotidiè cum veſtris & ſine veſtris Epiſtolis diſcutiendos & judicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos vel judicatos, vel abſolutos dimittimus?* Et in litteris ad Rivoladrum Epiſcopum: *Undique venientes admodum plurimi ſuorum facinorum proditores, quantùm do-* Epiſt. 5. *loris inferant pectori noſtro, plus ſingultu reminiſcimur, quàm calamo ſcribi queat.* Eos inter eſſe dicit Wimarum trium filiorum homicidam. Etiam in litteris ad Carolum Calvum Francorum Regem prædicat Romanæ Eccleſiæ Primatum, ac pergit: *Undè ab ipſo inſtitutionis ejus* Epiſt. 9. *exordio ad eam omnes, velut ad pium chariſſimæ genitricis gremium, confugere digna devotione procurant, qui ſe in aliquo flagitii ſcelere jacere cognoſcunt, ut per ſpiritalem gratiam, quæ ritè ignoſcat pœnitentibus, à peccatorum nexibus abſolvantur.* Agit pro Balduino Ferreo, qui ob Regiæ filiæ Judithæ raptum à Gallicanis Epiſcopis excommunicatus Romam confugerat, & quem Pater Rex ſibi tradi poſcebat: Ait Romanam Eccleſiam eſſe univerſale ac perpetuum pœnitentiæ aſylum, ideoque ejus jure Balduinum non poſſe tradi. Et in litteris ad Sylvanectenſis Synodi Epiſcopos: *De Balduino, de quo* Ep. 23. *multa jam ſcripſiſtis, ſciat Beatitudo veſtra, nos non Regulas atque ſancta Decreta velle corrumpere, ſed quia ad limina Apoſtolorum veniens à nobis ſe petiit adjuvari, quamquam noſſemus, quòd filius noſter Carolus glorioſus Rex poſſet ei, ſi vellet, & filiam ſuam in uxorem dimittere, & miſericodiæ ſuæ gratiam impartiri, tamen non juſſa miſimus, ſed preces obtulimus.* Notanda quibuſdam videntur hæc verba: Dicti Epiſcopi videntur ſenſiſſe Balduinum à Papa citra Canonum prævaricationem non potuiſſe abſolvi, ideoque & ad Canones provocaſſe. At certum eſt illis alium fuiſſe ſcopum. Inita ſine parentum conſenſu, præſertim à raptoribus, conjugia erant tunc irrita, & raptus erat crimen mixti fori, non ſolùm ab Eccleſia, ſed etiam à Francicæ Reipublicæ Regulis duriſſimè caſtigatum: Haſce Regulas inſtant Epiſcopi in Balduino non eſſe violandas. Et hoc admiſit, ideoque Regi non juſſa miſit Pontifex, ſed preces. Regiam enim Majeſtatem Balduinus læſerat, ideoque ſine ejus ſatisfactione non erat abſolvendus. Et quidem Papalibus precibus Rex omninò detulit: Balduinum admiſit in generum, legitimas ac Regales ei celebravit nuptias, ac ipſi in dotem dedit Flandriam, erectam in nobiliſſimum Comitatum. Quæ omnia pleniùs habes in litteris, quibus Pontificem ab hac in Balduinum gratia deducere co- Ep. 17. natus eſt Hincmarus Metropolita Remenſis.

Diverſas undique gentes propriis ſceleribus Apoſtolica limina expetere, affirmat in laudati Pontificis vita etiam Anaſtaſius Cardinalis Bibliothecarius. Et in litteris adversùs Hincmarum nepotem Laudunenſem Epiſcopum ſcribit præfatus Metropolita Hincmarus: *Noſtrum judicium, per* Ep. 33. c. 5. *Regulas exſecutum, Sedes Apoſtolica non caſſavit, ſed Rothaldo, qui ad eam fecit confugium, humiliter poſcenti ſolatii benignitatem impendit.* Affirmat Rothaldum non ordinaria appellationis ac juſtitiæ, ſed ſuprema gratiæ ac diſpenſationis via fuiſſe reparatum: Et Romanæ Eccleſiæ hanc ſemper poteſtatem fuiſſe demonſtrat multis exemplis. Ex quibus lucet Cardinalem Cuſanum hallucinari. Et ad Cabilonenſem olim Synodum reſcripſit Carolus Magnus: *In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humanitas, & licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, feramus, & pia devotione toleremus. Si verò, quod non decet, quilibet ſive ſit Presbyter, ſive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & veſtro miniſterio inſidiando, redarguatur falſam ab Apoſtolica Sede detuliſſe Epiſtolam, vel aliud quòd indè non venerit, ſalva fide & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas, utrùm eum in carcerem aut in aliam detrudat cuſtodiam, uſquequò per Epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis Legatos, Apoſtolicam interpellet Sublimitatem, ut potiſſimùm ſua ſancta legatione dignetur decernere, quid de talibus juſto ordine lex Romana ſtatuat definire, & ut is corrigatur, & cæteris modus imponatur.* Nimiæ in criminoſos Pœnitentes facilitatis ſuſpicione frequenter laboravit Romana Eccleſia: Doloſis obrepentium artibus viſa eſt non ſatis obſiſtere. Hinc enim maculoſos de Neſtorio Epiſcopos, non Romæ abſolvi, ſed Epheſinæ Synodo relinqui, apud Sanctum Cæleſtinum ſupplicavit etiam Sanctus Cyrillus. Eadem de cauſa nullum criminoſum, ſeu Laicum ſeu Clericum, niſi priùs peccata ſua confeſſum, & injuncta pœnitentia perfunctum, voluit Romam ire ſecunda Cabilonenſis Synodus, iſtudque ſuum Decretum poſtulavit à Carolo Rege firmari. Primò confiteri & pœnitentia perfungi ſanxit, & tunc priùs cum iſtorum teſtimonialibus litteris abire à Domino Papa abſolvendum. Publicis enim criminibus abſolutionem non niſi poſt peractam pœnitentiam dabat tunc Eccleſia, ideoque dicta Synodus credidit iſto ſe Decreto in Apoſtolicæ Sedis Primatum non impingere. Nihilominus

hæc

hæc firmare noluit Carolus. Plenum de quibuslibet Romam pœnitentiæ cauſa accedentibus judicium voluit Apoſtolico permitti. Eos tamen, qui cum obreptitiis vel falſis redirent abſolutionis litteris, addidit ab Epiſcopo poſſe non quidem puniri, ſed tamen detineri in cuſtodia, quouſque debita relatione inſtructus Pontifex illis pœnam definiret. Et ab hoc Edicto venit, quòd Francorum criminoſi & Clerici & Laici, & cum & ſine Epiſcoporum ſuorum litteris, & pœnitentia & abſolutione donandi, Romam quotidiè accederent, ut jam audivimus à Nicolao primo. Sub Caroli Magni Regno floruit etiam Hatto Baſileenſis Epiſcopus, nec dubitem quin laudatæ Synodo interfuerit: Hinc & ejus Capitulum fuit à laudato Edicto caſſatum.

Et his omnibus conſentit laudata Lemovicenſis Synodus. Etenim in ſuo Reſcripto Benedictus nonus nequaquam ob poteſtatis defectum, ſed ob commiſſam ſibi à reo obreptionem fatetur ſuam abſolutionem eſſe vacuam & nullam. Quod ipſum pluribus confirmat hæc totius Synodi ad laudatum Reſcriptum interlocutio: *Fruſtrà hæc querela adversùs caput noſtrum mutire audet. Apoſtolicus enim abſque culpa eſt, & nos potiùs culpabiles ſumus, niſi litteris noſtris ei notum faciamus, de quibus volumus ut abſolvantur. Cùm ergò tales deceperint Apoſtolicum, ut fraudulenter abſolvantur ab eo, irrita eſt abſolutio.* Dicta ſua recentibus exemplis confirmat Synodus, ac pergit: *Hoc ab ipſis Apoſtolicis Romanis, & cæteris Patribus cautum teneamus. Ut Parochiano ſuo Epiſcopus ſi pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet utrùm ſit, an non pœnitentia dignus pro tali reatu. Poteſt eam confirmare auctoritas Papæ, aut levigare, aut ſuperadjicere. Judicium enim totius Eccleſiæ maximè in Apoſtolica Romana Sede conſtat. Item ſi Epiſcopus Parochianum ſuum cum teſtibus, vel litteris Apoſtolicis ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro graviſſimis fieri ſolet reatibus, in quibus Epiſcopi ad dignam hæſitant pœnitentiam imponendam: Hic talis licenter à Papa remedium ſumere poteſt. Nam inconſulto Epiſcopo ſuo, ab Apoſtolico pœnitentiam & abſolutionem nemini accipere licet.* Utique propter ſubreptionis periculum. Nemo tunc pœnitens Romam accedere poterat ſine dimiſſoriis Epiſcopi litteris: Non quibus Romano Pontifici poteſtas fieret, ſed plena de criminum ſpecie ac qualitate inſtructio, atque ita ille non circumveniretur. Iſtud ferè ipſum, quod Cabilonenſis olim Synodus à Carolo Magno firmari poſtulaverat, & Carolus firmare non præſumpſerat, poſtmodùm neſcio quæ alia Synodus, aut potiùs ipſa Apoſtolica Sedes firmaverat: Firmarat ut nullus deinceps Pœnitens ſine plena Epiſcopi de ejus criminibus relatione Romam abire permitteretur, & cunctos aliter abeuntes ipſa ſtatim relatio ſequeretur. Ipſos non ad abeundi veniam, ſed ad illam relationem petendam iſta ſanctio obligarat. Et ipſam firmat ac probat laudata Synodus Lemovicenſis. Et recta diſciplina hoc omninò exigit. Undè etiamnum hodiè neminem reum pro foro præſertim externo abſolvit Pontifex, niſi ad Epiſcopi informationem. Aut certè addit hanc clauſulam: Si preces veritate nitantur. Et tunc ipſe paſſim non abſolvit, ſed abſolvendi poteſtatem alicui delegat.

De nimia Romanæ Eccleſiæ in criminoſos indulgentia queſtus eſt apud Gregorium ſeptimum etiam Hugo Dienſis Epiſcopus, ac ejus in Gallia Legatus: *Provideat Sanctitas veſtra, ne diutiùs tam probroſè nobis improperetur, quòd Simoniaci, vel quicumque criminoſi, à nobis ſuſpenſi vel depoſiti, aut etiam damnati, libenter currunt Romam, & ubi deberent ſentire ampliorem rigorem, indè reportant quaſi miſericordiam pro voluntate. Et qui antea nec in levibus præſumpſerant peccare, poſtmodùm exercent apertiſſimam negotiationem cum tyrannide in commiſſis ſibi Eccleſiis.* Scripta eſt Epiſtola è Pictavienſi Synodo, exſtatque apud Hugonem Flaviniacenſem. Frequentes hujuſmodi Eol. 203. querimonias & apud Urbanum & apud Paſchalem ſecundum depoſuit item Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Etiam apud Innocentium ſecundum Sanctus Bernardus. Ep. 187. De peſſimo ſuo per Pontificem abſoluto ac reparato Canonico queritur apud Cardinalem Gratianum item Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, atque adjungit: *Manifeſtamus Domino Papæ per litteras Capituli noſtri qualitatem hominis, quam ignorat, ut cognita ve-* Ep. 43. *ritate & ipſe emendet quod voluerit, & nos quod mandaverit faciamus. Malumus enim, ſi Domino Papæ placuerit, peſtem illam cum periculo noſtro ſuſcipere, quàm inobedientes apparere.* Olim apud Anglos Sacerdotum & aliorum Clericorum homicidæ non percutiebantur gladio, ſeu Romam mittebantur puniendi: Quòd frequenter nequiores redirent, in graviſſimis apud Petrum Bleſenſem exſtantibus litteris deplorat, & exemplis demonſtrat Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Et hinc inter plura, quæ per novum eligendum Pontificem reformari ſanxit Conſtantienſis Synodus, fuit etiam *Officium Pœnitentiariæ*. Eoſdem defectus voluit correctos Salegunſtadienſis Synodus: Ac per præſentem Canonem noſter etiam Gregorius. Nullum Pœnitentem ſine præhabita Epiſcopi relatione ſanxit abſolvendum. Vox *Suſcipiatur*, omninò importat abſolutionem. Reduxit diſciplinam laudatam à Synodo Lemovicenſi.

CANON

CANON XVII.

UT omnes Epiſcopi firmamentum faciant, ne prædia Eccleſiaſtica vendant. Ut nulli Epiſcopi prædia Eccleſiæ in beneficium tribuant ſine conſenſu Papæ, ſi de ſua ſint conſecratione. Cæteri autem ſine conſenſu Archiepiſcopi ſui & Fratrum ſuorum hoc idem non præſumant. Si autem præſumpſerint, ab officio ſuo ſuſpendantur. Et quod venditum eſt, vel datum in beneficium, Eccleſiæ reddatur, omninò evacuata omni venditione, vel in beneficium traditione.

SCHOLION.

OMnes & Metropolitarum & Provincialium Epiſcoporum conſecrationes ex Apoſtolico Canone ſpectant ad Patriarcham. Hoc tamen jure, quòd Romanus Patriarchatus habeat plures vaſtiſſimas Diœceſes, numquam fuit uſus Dominus Papa, ſed plurimis Metropolitis indulſit ſuorum Suffraganeorum conſecrationem. Etiam intra Italiam Mediolanenſi ac Aquilejenſi. Quin & Indultum pedetentim in jus tranſivit. Hinc enim adversùs Sanctum Hilarium Metropolitam Arelatenſem, dum quarumdam in Gallia Provinciarum conſecrationes invaderet, aut detineret, ſcripſit Leo Magnus: *Non nobis Ordinationes veſtrarum Provinciarum defendimus, quod poteſt forſan ad depravandos veſtræ Sanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri, ſed vobis per noſtram ſollicitudinem vendicamus, ne quid ulteriùs liceat novitati, nec præſumptori locus ultra jam pateat privilegia veſtra caſſandi.* Conſecrationes iſtas fatetur ſpectare ad Metropolitas, proteſtatus de ipſarum invadendarum actu vel cogitatu iniquiſſimè ab Hilario ſe accuſari. Ex eodem principio varii vario tempore ex variis cauſis à Romano Pontifice conſecrati Epiſcopi duras & à ſuis Metropolitis & à ſuis Regibus perſecutiones ſuſtinuerunt. Metropolitæ ſuarum, quibus Reges ſunt protectores, Sedium privilegia ac dignitates exiſtimabant ejuſmodi conſecrationibus lædi. Pro ſuo item conſecrandi jure Apoſtolica Sedes fuit æquè zeloſa. Hoc enim in cardine pependit Autocephalia Ravennatis Eccleſiæ: Ejus Epiſcopum non à propria Synodo, ſed Romæ à ſeſe conſecrandum demonſtrarunt Pontifices, ideoque non eſſe Autocephalum. Et Legatos ad ſeptimam Synodum mittere detrectavit Adrianus primus, niſi priùs reſtituerentur, non ſolùm ſacræ imagines, ſed etiam ſuo Patriarchico juri per Leonem Iſaurum ablata Illyricianæ Diœceſis, & multorum in Italia Epiſcoporum conſecratio, præſertim Archiepiſcopi Syracuſani. Quod ipſum antè octavæ Synodi ingreſſum expoſtularunt Nicolaus primus, ac Adrianus ſecundus. Hujuſmodi plurimas etiam in aliis Patriarchatibus lites habent antiqua Eccleſiæ monumenta. Et in ſuperioribus plures adduxi. Nam & in ipſas prodiit ſextus Canon Nicænus. Quinam verò Epiſcopi ſpectent aut non ſpectent ad conſecrationem Romani Pontificis, eſt longa quæſtio, nec hujus loci. Gregorii noſtri tempore Eccleſiaſticarum poſſeſſionum dilapidatio, & in Laicos infeudatio admodùm graſſabantur: Hinc neutram per ſolos deinceps Epiſcopos valere ille ſanxit, ſed opus eſſe aſſenſu Romani Pontificis, aut proprii Metropolitæ, ad cujus illi conſecrationem pertinerent.

Ep. 89.

CANON XVIII.

UT omnes Epiſcopi artes litterarum in ſuis Eccleſiis doceri faciant.

SCHOLION.

NOn ſolùm Gentiles, ſed & Chriſtianas humaniorum litterarum ſcholas eſſe antiquiſſimas, plurimo teſtimonio poſſit demonſtrari. Earum utilitatem atque neceſſitatem noſcens Imperator Julianus, ipſas ſolas nobis interdixit. Quòd ſolam Poeticam, Rhetoricam, ac Philoſophiam à nobis doceri ac diſceri ac diſci vetuerit, diſertè adfirmant Theodoretus, Socrates, Hermias Zozomenus, dicti Principis Encomiaſtes Ammianus Marcellinus, ac in confeſſionum libris Sanctus Auguſtinus, addens loquacem profeſſionem fuiſſe tunc deſertam etiam à Sancto Simpliciano. Chriſtianos, quos fuſo per ſuos Gentiles Anteceſſores plurimo ſanguine viderat non diminutos, ſed fuiſſe auctos in infinitum, inducta barbarie

L. 3. c. 7. L. 5. c. 10. L. 5. c. 17. L. 22. c. 26. L. 8. c. 5.

barbarie ſperavit exſtinguendos. Artibus iſtis exutos ſperavit nec ad Evangelium ſuum defendendum, nec ad Paganiſmum evertendum deinceps valituros. Et hanc incruentam perſecutionem Patres noſtri cenſuerunt omni cruenta crudeliorem. Et tunc factum eſt quod ſcribit
Fol. 305. Georgius Cedrenus: *Julianus lege lata edixit, ne Chriſtiani Græcis diſciplinis inſtituerentur. Quo tempore Apollinarius ſcribendi materiam ſumens, ſacram Scripturam atque omnes Poetarum formas imitans, ea compoſuit quæ Chriſtiani diſcerent.* Univerſas ſacras litteras tranſtulit in verſus. Hic eſt ille Apollinarius, Laodicenſis in prima Syria Epiſcopus, qui poſteà novam de ſuo nomine condidit hæreſim.

Eandem nobis perſecutionem movit Leo Imperator Iſaurus. Dum ſuam Iconoclaſtiam crudelitate & tormentis explere non valuit, fecit quod in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Multi pro veritate puniebantur membrorum detruncationibus, flagriſque & exiliis, maximè illi qui nobilitate ac verbo clari eſſe videbantur, ita ut & eruditionum ſcholas, & piam eruditionem à Sanctæ memoriæ Conſtantino Magno huc uſque ſervatam exſtingueret. Cujus videlicet cum aliis quoque multis bonis deſtructor Leo factus eſt, ejus, cujus & Saraceni, ſenſus exiſtens.* San-
Fol. 134 ctus Martyr Theophanes ſcribit ipſum à Bezer, noſtro ad Saracenos Apoſtata, fuiſſe acriter adjutum, & addit: *Ambo pleni erant imperitiæ atque omnis inſaniæ, undè maxima malorum pars exori-*
Fol. 339. *tur.* Et infrà: *In multos, pietatis ergo, verberibus & exiliis animadverſum fuit, in primis autem in eos, qui pietate & doctrina clarebant. Adeò ut ſcholæ unà cum ſacra doctrina exciderint, quæ à ſæculo Sancti Conſtantini Magni uſque ad ea tempora floruerant. Cujus videlicet, multarumque præſtantiſſimarum rerum, Leo iſte, Saracenicæ diſciplinæ conſors, oppugnator & graſſator exſtitit manifeſtus.* Eandem cruentam Leonis perſecutionem exponit laudatus Cedrenus, & proſequitur: *Apud Regiam Ciſternam Palatium erat venerabile, in quo juxta antiquam formam Œcumenicus Magiſter ſedebat, duodecim habens diſcipulos, conditione & vita graves. Hi cum omnem dicendi ſcientiam celeritate & amplitudine ingenii percepiſſent, Eccleſiaſticam Divinarum rerum ſapientiam acri ſtudio tractabant. Abſque horum conſilio quidquam agi, ipſis quoque Imperatoribus nefas putabatur. Hos Conon,* ſic enim
Fol. 454 anteà vocabatur Iſaurus Leo, *ad ſe vocans identidem, in ſuam hæreſim pertrahere ſatagebat. Recuſantes autem, & ſeſe opponentes, ignominiosè in ſua illa ſchola concludi juſſit, noctuque igne circumdatos, cum domo, libriſque multis & pretioſis, ac ſacra ſupellectile, combuſſit.* Et Michael Glycas: *Quàm nequiter ſe Leo geſſerit, inter alia vel unicum exemplum demonſtrare poteſt. Haud procul à templo Sanctæ Sophiæ ſplendida domus erat conſtructa, qua librorum theſaurus continebatur ſex millium & quingentorum. Hæc domus Præfectum quemdam & cuſtodem habebat virum omninò venerabilem ac doctum, ſub quo alii duodecim erant admirabili virtute & rerum cognitione præſtantes, qui quoſvis abſque mercede ac prœmio diſciplinis optimis erudiebant. Atque horum ob virtutem tanta celebritas erat, ut ne ipſi quidem Imperatores aliquid iis non conſultis agerent. Cum his ergo vir improbiſſimus impiam ſuam ſententiam communicat. Cumque eos parum ſuis rationibus tribuere deprehenderet, undique Divinam hanc ædem coacervata materia cingit, quæ ignem facilè conciperet. Inde pingues ei faces ſubjicit, omniaque ſimul exurit, tam Divinos iſtos homines, quam libros.* Et in libro de originibus Conſtantinopolitanis Georgius Codinus: *Tetradiſium* Fol. 42.
octangulum propè Chalcen, octo erant porticus ſive loca concamerata, in quibus commorabantur Doctores omnium ſcientiarum, quos ſemper Imperatores in conſilium adhibebant, neque fiebat quidquam abſque eorum conſenſu. Multi etiam ex illis creabantur Patriarchæ & Archiepiſcopi. Duravit autem illa Doctorum ſucceſſio centum & quatuordecim annos, uſque ad decimum annum Imperii Leonis Syri, Patris Conſtantini Copronymi. Hic enim Divina gratia privatus Doctores illos, improbitati ejus aſſentiri nolentes, præ ira omnes cum toto ædificio combuſſit. Sedecim nempè numero, omnes profeſſione Monachos.

Rectè Anaſtaſius ac Theophanes adfirmant Leonem fuiſſe Saracenici erroris conſortem & executorem. Quòd enim ſuam Iconoclaſtiam ab hoſtiliſſimè in Chriſtianam Religionem conjurantibus Judæis ac Saracenis acceperit, ad ſeptimam Synodum eſt oſtenſum. Rectè addunt fuiſſe hominem imperitiſſimum: Fuiſſe enim viliſſimo apud Iſauros loco natum, ac ſordidiſſimè educatum, teſtantur authentici Græcorum Scriptores. Rectè item ajunt ſplendidum iſtud cum Bibliotheca palatium fuiſſe opus Magni Conſtantini. Quòd enim Conſtantinus omnia Romanæ urbis ſplendidiora ædificia in eodem ſitu & forma erexerit apud Byzantium, atque ita ex ipſo novam Romam fecerit, eſt cunctis exploratum. Admirandam duodecim Palatiorum, quæ quatuor militiæ Magiſtris Romanis & octo Patritiis exſtruxit, cum ipſorum Romanis Palatiis paritatem refert in originibus Conſtantinopolitanis laudatus Georgius Codinus. Etiam Œcumenici, qui Palatio ac Bibliothecæ præſedit, Magiſtri dignitas videtur antiquiſſima. Etenim Georgium Chæroboſcum eſſe Anaſtaſii Imperio ſeniorem demonſtrat in Diatriba de claris Georgiis Leo Allatius, & adjungit plura ejus manuſcripta opera Pariſiis ſervari in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca cum hoc titulo: *Georgii Chæroboſci Doctoris Œcumenici.* Adfirmat ipſum etiam ab aliis titulari *Doctorem univerſalem.* Ego tamen hunc titulum exiſtimo *Univerſalis Epiſcopi* titulo, ideoque Mauritii Imperio ac Joannis quarti Conſtantinopolitano Epiſcopatu poſteriorem. Ambo eidem hærent fundamento. Quare iſte titulus illi Georgio dudum poſt mortem fuit ab Encomiaſtis delatus, ac ita ejus libris adſcriptus. Et duodecim, quos Codinus affirmat ſedecim, ſub illo Doctorum inſtitutio eſt adhuc recentior. Exſtincta enim fuit anno decimo Leonis Iſauri, & habebat tunc annos centum & quatuordecim. Ipſam ergo ſecundo ſui Imperii anno fecit Imperator Heraclius. Erat quædam ſummæ auctoritatis Theologica facultas, ideoque & ejus Præfectus fuit Œcumenici Doctoris

titu-

titulo inſignitus. Nec iſtos dumtaxat cum Bibliotheca exuſſit Leo, ſed inſuper addidit, quod etiam ab Abdela Saracenorum Principe factum
Fol. 150 ſcribit laudatus Anaſtaſius: *Abdelas, cum Ameræ fungeretur officio, multa mala Chriſtianis ſub Principatu ſuo degentibus demonſtravit. Litteras diſcere prohibebat.* Quod ipſum de illo confirmat Martyr Theophanes.

Quin ex ſeptimæ Synodi mandato Sanctus Patriarcha Tharaſius ſit ſtudia reparare conatus, dubitandum non eſt. Attamen ob ſubſecutas inter Imperatorem Conſtantinum & Matrem Irenem diſcordias, & alias deinceps calamitates fuit modicus ſucceſſus. Et non ita dudum poſt Imperator Leo Armenius reſumpſit Iconoclaſtiam, ac de ejus in Imperium ſucceſſore Michaele Amorienſi ſcripſit Georgius Cedrenus: *Michael litteraturam eſt adeò averſatus, ut ne pueros quidem ea permiſerit erudiri, ne vel veſaniæ ipſius coarguendæ atque refellendæ inſtrumenta alii inde pararent, vel diſciplina adjuti, cum oculorum ac linguæ velocitate in legendo uterentur, ipſi palmam ejus rei præripe-*
Fol. 499 *rent. Adeò enim in litteris componendis & conficiendis ſyllabis erat tardus, ut alius librum facilius perlegeret, quàm ipſe ſui nominis elementa percenſeret.* Et hinc omnem Orientalem Eccleſiam miseranda ignorantia occupavit, & multùm prævaluit hæreſis Iconoclaſtica.

Res ita cucurrit uſque ad Imperatorem Michaelem tertium, ac ejus avunculum, Cæſarem, & Rectorem Bardam, de quo idem Cedrenus: *Bardas profanas quoque litteras, quæ Imperatorum barbariè atque inſcitia jam à multis annis prorſus obſoleverant & evanuerant, recreavit, ſingulis ſcientiis certo loco ſuas ſcholas attribuens, ſupremæ autem omnium Philoſophiæ ad ipſam Regiam in*
Fol. 547 *Magnaura. Itaque ex eo rurſùm florere ſcientiæ cœperunt.* Et infrà: *Bardas Sergium Leonis diſcipulum Geometrico gymnaſio, & Theodoſium itidem ejus familiarem Arithmetico ac Aſtronomico ludo præpoſuit. Largè eis ſumptus ſuppeditavit, utque erat ſtudioſus bonarum artium, ſæpè ipſe quoque ſcholam frequentavit, alacritatem diſcentium ſuo exemplo confirmans. Hoc pacto bonas litteras, prorſus antè exſtinctas, ita ut ne veſtigium quidem earum aut ſcintilla exſtaret, brevi temporis ſpatio ad magnam evexit amplitudinem.* Laudatus à Cedreno
Fol. 550 Leo fuit ſummus Philoſophus, ejuſdem ſcientiæ primus à Barda datus profeſſor, Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani conſobrinus, ac per ipſum ab Imperatore Theophilo promotus ad Archiepiſcopatum Theſſalonicenſem. Verùm & Theophilus, & Joannes, & Leo fuerunt peſſimi Iconoclaſtæ, ideoque hunc Imperatrix Theodora ac Sanctus Patriarcha Methodius Epiſcopatu ejecerunt. Quarè ipſum ad docendam ac reparandam Philoſophiam non niſi ex integrarum perſonarum inopia Bardas admovit. Et factum non placuit octavæ Synodo: Statuit enim illa nullum deinceps hæreticum publicæ litterarum profeſſioni admovendum.

Verùm reparatio non dudum viguit. Hinc enim de Imperatore Conſtantino Porphyrogenito, Leonis Sapientis filio, ſcribit idem Georgius Cedrenus: *Non prorſus omnis præclari facinoris expers fuit Conſtantinus. Unum enim referam,*
dignum profectò admiratione, & quod multa ejus Fol. 635
peccata obſcurare poſſit. Scientias enim, Arithmeticam, Muſicam, Aſtronomiam, Geometriam, & omnium Principem Philoſophiam, quæ jam longo tempore ob incuriam & inſcitiam Imperatorum perierant, ſua induſtria inſtauravit, conquiſitis qui in quovis genere excellerent, & conſtitutis Doctoribus, ſtudioſiſque receptis & conductis. Quo factum eſt, ut exigui temporis decurſu, barbarie profligata, urbs litteris floruerit. Verùm longa iterùm non fuit iſta felicitas. Scribit enim Anna Comnena: *A Principatu Baſilii Porphyrogeniti ad Conſtantini Monomachi Imperium melioris doctrinæ ſtudium à pleriſque neglectum jacuerat. Non tamen ut exſtinctum, pleneque ſepultum eſſet. Exſtitit ergò atque emerſit illuſtrius, excitatum ingeniis excellentibus, qualium circa tempora Alexii Imperatoris magnus proventus apparuit. Illi ſeriò veram* Lib. 5.
eruditionem arripuerunt, nugante antehac ferè juventute, otioſiſque aucupiis coturnicum, aut aliis ex probabilioribus ludicris ætatem diſcendi per inertem laſciviam conterente, in ſummo contemptu elegantium litterarum atque eruditarum artium. Demonſtrat non ſolùm Patrem ſuum Imperatorem Alexium, ſed & Matrem Irenem fuiſſe inſigniter ſtudioſam & doctam, ideoque plura tunc præclara ingenia undequaque Conſtantinopolim confluxiſſe. Et reverà omnes ſemper meliores tam Epiſcopi quam Principes & civilium & ſacrarum litterarum ſtudia, tamquam Eccleſiæ ac Reipublicæ firmamenta, ſingulari ſemper cura & impenſis promoverunt. Privilegia ac ſtipendia, quæ Doctoribus aſſignavit dictus Alexius Comnenus, in decimi noni Trullani Canonis Commentario exponit Theodorus Balſamon.

Eadem per Merovingiorum Regum deſidiam inducta barbaries omnem olim Francorum Chriſtianitatem evertit, ideoque de ejus reparatore Carolo Magno ſcribit ſecunda Cabilonenſis Synodus: *Oportet, ut ſicut Dominus Imperator Carolus præcepit, Epiſcopi ſcholas conſtituant, in quibus & litteralis ſolertia diſciplinæ, & ſacræ Scripturæ documenta diſcantur, & tales ibi erudiantur,* Can. 3.
quibus meritò dicatur à Domino, VOS ESTIS SAL TERRÆ. *Et qui condimentum plebibus eſſe valeant, & quorum doctrina non ſolùm diverſis hæreſibus, verùm etiam Antichriſti monitis, & ipſi Antichriſto reſiſtatur.* Et Joannis octavi Romana Synodus: *Carolus religionis ſtatum, inter diverſorum errorum & pravitatum vepres incultum inventum, ſacris litteris erudivit, Divina pariter & humana ſcientia perornavit, erroribus expurgavit, ratis dogmatibus ſignavit, atque intra breviſſimum tempus ita pietatis ſtudio egit, ut novus quodammodò videretur mundus.* Quod ipſum in ejus vita ſcribit Sancti Galli Monachus, addens ab ipſo undique conquiſitos viros doctos, ipſoſque inter fuiſſe Albinum Flaccum, evocatum ex Eccleſia Eboracenſi. Unde ſcholarum erectionem Epiſcopis aſſiduè mandant pleræque iſtius temporis Synodi. Quas exſequens Sanctus Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus ſtatuit in ſuo Capitulari: *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem ſuum, vel aliquem conſanguineum ad ſcholam*

mit-

mittere, in Eccleſia ſanctæ crucis, aut in Monaſterio Sancti Aniani, aut Sancti Benedicti, aut Sancti Liſardi, aut in cæteris de iis Cænobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi
Cap. 19. *concedimus*. Quòd Epiſcopi publicas ſcholas tunc paſſim in Regularium Clericorum Collegiis, aut Sancti Benedicti Monaſteriis poſuerint, plurimo oſtendi poſſit teſtimonio atque exemplo, ac de laudatis Monaſteriis demonſtrat in ſcholiis ad Sancti Lanfranci vitam Lucas Dacherius. Quo promovendarum litterarum zelo viguiſſe etiam Ludovicum Pium, ideoque potiùs Epiſcopum fuiſſe quam Regem, affirmat Annaliſta Aſtro-
An 811. logus. Verùm Sanctus Lupus Abbas Ferrarienſis, dum adhuc Monachus in ſuo Cœnobio ex Aldrici Senonenſis Archiepiſcopi mandato litteras doceret ſub Regno ejuſdem Ludovici, ſcripſit ad amicum ſuum Eginhardum: *Per famoſiſſimum Imperatorem Carolum, cui litteræ eo uſque deferre debent, ut æternam ei parent memoriam, cœpta revocari ipſarum ſtudia aliquantum quidem extulere caput, ſatiſque conſtitit veritate ſubnixum præclarum Ciceronis dictum: Honos alit artes, & accenduntur omnes ad ſtudia gloriæ. Nunc oneri ſunt qui aliquid diſcere affectant, & velut in edito ſitos loco ſtudioſos quoſque imperiti vulgò adſpectantes, ſi quid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, ſed qualitati diſciplinarum aſſignant.*
Epiſt. 1. *Ita dum alii dignam ſapientiæ palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, à tam præclaro opere deſtiterunt*. Studia contemni deplorat tanquam *ſuperſtitioſa otia*, & graſſari inopiam Magiſtrorum. Et in litteris ad Alcuinum Senonenſem Monachum: *Nunc litterarum ſtudiis pene obſoletis, quotus quiſque inveniri poſſit, qui de Magiſtrorum imperitia, librorum penuria, otii denique ino-*
Ep. 34. *pia meritò non queratur?* Quam miſeriam ex filiorum adversùs Patrem Ludovicum rebellione provenisse exiſtimo. Hæc enim omnem Franciam duriſſimè percuſſit.

Reparare conatus fuit in Romana Synodo Eugenius ſecundus: *De quibuſdam locis ad nos refertur, non Magiſtros neque curam inveniri pro ſtudio litterarum. Idcircò in univerſis Epiſcopiis, ſubjectiſque Plebibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omninò cura & diligentia habeatur, ut Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum, liberaliumque artium, ac ſancta habentes dogmata, aſſiduè doceant. Quia in his maximè Divina manifeſtantur atque declarantur mandata.* Can. 34.
Quod ipſum ſanxit Leo quartus, & addidit: *Etſi liberalium artium præceptores in Plebibus, ut aſſolet, rarò inveniantur, tamen Divinæ Scripturæ Magiſtri, & Inſtitutores Eccleſiaſtici Officii nullatenùs deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo de ejuſdem actionis opere ſollicitè inquiſiti debeant reſpondere. Nam qualiter ad Divinum utiliter cultum aliquis accedere poſſit, niſi juſta inſtructione docentis?*
Verùm ſemper accrevit malum: Præſertim poſt Cap. 34.
exſtinctum Caroli Magni genus, & patrata ſcandala in Formoſum Pontificem. Ignorantia & nequitia tunc plurimùm invaluerunt. Reparare cœpit Clemens ſecundus, ac ejus Succeſſores, præſertim Sanctus Leo nonus, ſub quo floruit Sanctus Lanfrancus, de quo Guilielmus Malmesberienſis: *Lanfrancus liberales artes, quæ* F. 205.
jam dudum ſorduerant, è Latio in Gallias vocans, acumine ſuo expolivit. Abrincatenſis ſcholæ Doctor in totius Galliæ pauperrimum Beccenſe Monaſterium ſeſe abdidit, & quòd *neſciret agreſti opere victum quærere, publicas ſcholas de Dialectica profeſſus eſt, ut Monaſterii egeſtatem ſcholarum liberalitate temperaret. Exivit fama ejus in remotiſſimas Latinitatis plagas, eratque Beccum magnum & famoſum litteraturæ gymnaſium.* Abundè hoc lucet ex Alexandro ſecundo Pontifice, qui Lanfranco jam Cantuarienſi Archiepiſcopo ſe accedenti aſſurrexit præter Romanæ Eccleſiæ morem & Apoſtolicæ Sedis dignitatem, ac dixit: *Non ideò aſſurrexi ei, quia Archiepiſcopus Cantuariæ eſt, ſed quia Becci ad ſcholam ejus fui, & ad pedes ejus cum aliis auditor adſedi.* In Lanfranci Cap. 11.
vita hæc ſcribit Milo Criſpinus. Quòd etiam alia Sancti Benedicti Monaſteria tunc ſcholas haberent, lucet ex Sancti Petri Damiani litteris ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem: *Hoc mihi in veſtro Cœnobio non mediocriter placuit, quòd ibi ſcholas puerorum, qui ſæpè rigorem ſanctitatis enervant, non inveni.* Quod dictum videtur non probandum. Quidam tamen Petrum loqui volunt Lib. 2. Ep. 17.
non de pueris ſcholas frequentantibus, ſed de oblatis per parentes ad Monachatum. Quidquid ſit, ſcholas ubique reparari noſter Gregorius juſſit per Epiſcopos. Horum enim eſt iſtud munus.

CANON XIX.

UT omnes Epiſcopi ornamenta Eccleſiæ ſine certa utilitate, aut gravi neceſſitate, nullo modo, nulloque ingenio Eccleſiis ſubtrahant, ne periculum ſacrilegii, quod abſit, incurrant.

SCHOLION

SCHOLION.

NOn ſolùm ſacra vaſa, ſed & varia Baſilicarum ornamenta eſſe antiquiſſima, docet nos Menſurius Carthaginenſis Archiepiſcopus, de quo ob occultatum, qui *de Tyranno Imperatore* Diocletiano *famoſam Epiſtolam fecerat*, Felicem Diaconum ad Comitatum evocato ſcribit Sanctus
Lib. 1. Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Menſurius non leves patiebatur anguſtias. Erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quàm plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat*. Quòd
L.3.c.29. Ep.165. Paulus Cirthenſis Epiſcopus inter alia Eccleſiæ ornamenta tunc Gentilibus tradiderit etiam Capitulatam argenteam, & argenteam lucernam, ex publicis Actis demonſtrat in libris contra Creſconium, & in litteris ad Generoſum Sanctus Auguſtinus. Eandem perſecutionem memorat Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus, atque adjungit:
Lib 8.cap. 22. *Epiſcopi multa tormentorum genera ab Imperatorum Procuratoribus pro ſacris Eccleſiarum vaſis & theſauro ſubierunt*. Ea enim omnia Diocletianus tranſcripſerat in ſuum fiſcum. Opulentia admodum crevit poſt datam à Conſtantino pacem. Quòd enim hic plurima ornamenta plurimis per orbem Eccleſiis donaverit, affirmant Scriptores multi, inter quos eſt in variis locis Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quòd ſacram ſuam ex aureis filis contextam ſtolam, ut ipſa amictus Epiſcopus ſacroſancti Baptiſmatis miniſterium obiret*, dederit Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in Seleucienſi apud Theodoreti Hiſtoriam Concilio teſtatur Acacius Metropolita Cæſareenſis. Hermias Zozomenus
L.2.c.27. addit donata fuiſſe *Theſaurum Eccleſiæ & ſacra Aulæa*. Et adverſus filium Conſtantium ſcribit
L.4.c.24. Sanctus Hilarius Pictavienſis: *Auro Reipublicæ Sanctum Dei honoras, & vel detracta templis, vel publicata Edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris*.
Verſ. 3. Utique in Baſilicarum ornamenta. Et de hujus fratre Conſtante Auguſto laudatus Optatus: *Miſerat ornamenta domibus Dei*. Cunctis, quas Diocletiani rabies penitùs expilaverat, Baſilicis Catholicorum Afrorum. Et in anniverſario ſuæ conſecrationis Sermone dixit de ſua Cathedrali Baſilica Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus: *Vides hanc concamerationem, quæ capitibus noſtris imminet? Quàm pulchra ſit aſpectu? Quam affabrè factis ſculpturis aurum interſplendeat? Hæc cum tota videatur aurea, circulis quibuſdam multorum angelorum cæruleis picta diſtinguitur*. Romanorum *Templorum aurata tecta* laudat in litteris ad Ocea-
Ep.3. c.4. num etiam Sanctus Hieronymus. Quòd in Baſilicis noſtris paſſim niterent marmora, laquearia auro ſplenderent, Altare diſtingueretur gemmis, addit in litteris ad Nepotianum. In Afri-
Epiſt. 2. canis Baſilicis fuiſſe *gradatas abſidas & velatas Epiſcoporum Cathedras*, affirmat Sanctus Auguſtinus in litteris ad Maximinum Presbyterum Donatiſtam. Quod etiam Manichæi, *licet nullo feſtiviore apparatu noſtrum Paſcha*, tamen ſuum *Bema quinque gradibus inſtructo tribunali, & pretioſis linteis adornato* celebrarent, ſcribit in libro
Cap. 8. contra Epiſtolam fundamenti. Et de varia Eccleſiæ per Arianos deſolatione ſcribit in litteris ad Galliæ ac Italiæ Epiſcopos Magnus Baſilius: *Altaria cultu ſpirituali vacant*. Et ſuum item Epiſcopalem thronum fuiſſe ſtolatum adfirmat in Ep. 64.
fugæ ſuæ Apologia Sanctus Athanaſius. Et in proximo ante ſuam deportationem Sermone Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Dilectiſſimi planè noviſtis, quibus de cauſis me ab hoc throno depellunt. Tapetas ad ornatum minimè impendi*. Sumptuoſa Templa, & aurea ipſorum ornamenta laudat item in quinquageſima prima Homilia ſuper Sancti Matthæi Evangelium, & in Homilia de correptione & doctrina. Per ipſam adimpletam aſfirmat Prophetiam Regii Vatis: *A domibus eburneis*. Prophetavit hæc Dominum in pretioſiſſimis omnium Gentium Baſilicis adorandum.

Quod ampliſſimè verum fuit præſertim in civitate Antiochena. Etenim in Euſebiani Chronici ſupplemento ſcribit Sanctus Hieronymus: *In Antiochia Dominicum, quod vocatur aureum, ædificari cœptum*. Utique ab Imperatore Conſtanti- An. 330.
no. Et infrà: *Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur*. Et tunc ſub Conſtantii Imperio celebrata An. 343.
fuit famoſa illa Synodus, quæ paſſim dicitur Encæniorum. Hæc eſt illa Eccleſia, quam amplitudine & pulchritudine eximiam, & cujus Sanctuarium ſeu Chorum fuiſſe octogonum & infinitæ altitudinis, ſummiſque opulentum ornamentis, ſcribit in Conſtantini vita præfatus Euſebius. Fuiſſe à Conſtantio perfectam, & ſub L.3.c.49.
ipſo dedicatam, etiam Socrates affirmat. Vocatur aurea à deauratis fornicibus. Aliam ibidem Eccleſiam laudat in ſermone de Apoſtolicorum Actuum inſcriptione Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Rursùs ad Matrem Eccleſiam reverſi ſumus, ad deſideratam & charam omnibus hanc Eccleſiam, ad noſtrum & omnium Eccleſiarum Matrem. Nam Mater quidem eſt, non quòd antiquior tantùm ſit tempore, ſed quòd Apoſtolorum manibus ſit fundata. Quam ob cauſam multoties propter Chriſti nomen everſa, Chriſti virtute rursùs eſt erecta*. Quòd Eccleſia vetus paſſim diceretur, affirmat Epigraphe ſecundæ homiliæ ad populum Antiochenum. Eandem laudare videtur in homilia adversùm eos qui ad Miſſam non accurrunt, affirmans fuiſſe ſtratam lapide, altiſſimam, inſigniter frigidam, ideoque æſtivo tempore commodiſſimam. Aliis tamen videtur laudare Conſtantinianam. Quidquid ſit, hanc Ammianus L.22.c.31.
Marcellinus omninò vocat *Eccleſiam majorem*. De ejuſdem, dum Perſarum Rex Choſroes invaſit Urbem, opulentia ſcribit in libris de iſto bello Procopius Cæſareenſis: *Choſroes ex arce in templum, quod vocant Eccleſiam, cum Legatis deſcendit, ubi aureæ & argenteæ ſupellectilis vim tantam nactus eſt, ut quamvis præter illam nihil aliud ſibi legerit è manubiis, magnò tamen operè ditatus exierit. Plurima quoque marmora exquiſitiſſima inde diripi, extraque urbem reponi juſſit, in Perſidem avehenda*. Ubi nota Cathedralem Lib.2.c.9.
Baſilicam abſolutè Eccleſiam, nec ſine fundamento, nominari. Ibidem fuiſſe Eccleſiam Deiparæ, Sancti Petri Apoſtoli, ſanctorum Apoſtolorum in Palea, Sancti Euſtatii, Sancti Juliani, Sancti Michaelis, Sancti Babylæ, ſanctorum Machabæorum, teſtantur Theodoretus, Evagrius

grius Epiphanienſis, memoratus Procopius,
Sanctus Auguſtinus, ac laudatus Joannes Chry-
ſoſtomus, addens in homilia de appellatione
Cœmiterii: *Divino munere, quocumque ex latere
urbs noſtra Sanctorum reliquiis circumdatur. Seu
variis Sanctorum Baſilicis.* Fuiſſe iſtic etiam
Martyria, quæ Romana appellantur, id eſt, va-
rias Latinorum Eccleſias, in Dialogo cum
Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono aſſerit
Cap. 5. Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Non ſo-
lùm frequentibus terræ motibus ac Perſarum
bellis, ſed & gemina ſub impiis Saracenis ac
Turcis captivitate fuit admodum vexata & trun-
cata Antiochia, & tamen in ipſa, dum Chriſto
Lib. 8. Domino reddidit Godefridus Lotharingiæ Dux,
fuiſſe trecentas ſexaginta Eccleſias adfirmant in
Lib. 16. Hieroſolymitana hiſtoria Robertus Monachus
Lib. 3. Sancti Remigii, & Guibertus Abbas Novigenti.
F. 130. Baldricus Archiepiſcopus Dolenſis, & Magnum
Belgii Chronicon aſſerunt fuiſſe trecentas dum-
taxat & quadraginta.

Et hinc ad omnia hæc, dum ad Perſicum
Bellum abiit, conſpicatum Imperatorem Julia-
num meritò dixit Felix Regii theſauri Præfe-
Lib. 4. c. 11. ctus: *Ecce quàm pretioſis vaſis filio Mariæ miniſtre-
tur*. Ita teſtatur in Eccleſiaſtica hiſtoria Theo-
doretus, affirmans vaſa iſta fuiſſe Conſtantini &
Conſtantii dona. Quòd ejuſdem Principis avun-
culus Julianus non ſolùm ſacra ibidem vaſa, ſed
& quævis pretioſiſſima ornamenta in Fiſcum
tranſcripſerit, eorumdem cuſtodem Theodore-
Lib. 5. c. 5. tum Presbyterum carceraverit, atque ideò hor-
rendè percuſſus à Deo fuerit, addit Hermias
Zozomenus. Ejuſdem rei meminit in quarta
ſuper Sancti Matthæi Evangelium homilia San-
ctus Joannes Chryſoſtomus: *Cùm profanus Julia-
nus ſacrata Deo vaſa temerando, ebrietatem ſuæ
mentis oſtendit, Quæſtor Regalis Ærarii per me-
dium repentè diruptus eſt. Tunc etiam ejuſdem Re-
gis avunculus, nominis quoque illi communione con-
junctus, vermibus exeſus interiit.* Quæ omnia
latiùs refert in ſermone de laudibus Sancti Pauli
Apoſtoli, in libro de Sancto Epiſcopo Babyla
adversùm Gentiles, & in centeſimi decimi Pſal-
mi commentario, conſtanter affirmans non ſo-
lùm avunculum ſeu patruum Julianum, ſed &
Quæſtorem Felicem fuiſſe à Deo percuſſos. Eru-
dito compendio rem complexus eſt Sanctus
Theophanes, affirmans contigiſſe, dum ad Per-
ſicum Bellum proficiſcens Julianus, divinitùs
exuſtum Serapidis in Daphnidis ſuburbio fanum
credidit fuiſſe à Chriſtianis incenſum, & adjun-
gens: *Iratus Imperator, velut Deo bellum indictu-
rus, magnam clauſit Eccleſiam, & omnem ſacram
ſupellectilem publicavit. Ad quam miſſi duo Comites
Felix & Julianus Apoſtatæ, in hæc verba erupe-
runt: Præſentem quamdam virtutem hic ineſſe arbi-
trabamur, quæ nos prohiberet. Felix verò: Vidèn
quibus vaſis Mariæ filio miniſtretur? Et paulò poſt
F. 350. Felix quidem magnam ſanguinis vim repentè de ore
evomens, excruciatus vitam finivit; Julianus Co-
mes ipſa die in difficillimum morbum incidens, adeò
ut ejus viſcera tabo liqueſcerent, & excrementa ore
egereret, inter dolores exſpiravit.*

Et quidem huic Gentili impietati omninò af-
finis, ideoque deteſtanda eſt Nicephori primi Imperatoris doctrina, de qua idem Theophanes: *Nicephorus eos, qui ab antiquo aurea vel argentea quæque vaſa Deo devota conſecraſſent, vituperiis inceſſebat, & quæ nunc poſſideret Eccleſia, communibus uſibus deputanda, prout Judas Dominicum unguentum, deblaterabat.* Nihilominùs de pretioſis Eccleſiæ vaſis ac ornamentis pretioſam doctrinam tradit laudatus Chryſoſtomus in quinquageſima prima ſuper Sancti Matthæi Evangelium homilia: *Non putemus ſatis eſſe nobis ad ſalutem, ſi cùm viduas & orbos parentum ſpoliaveris, aureum calicem & gemmis ornatum ſacræ menſæ offeras. Vis hoc ſacrificium honorare? Animam tuam offeras, propter quam Chriſtus immolatus eſt, eam auream facias. Non igitur laboremus ſolùm ad aurea vaſa offerenda, verùm etiam multò magis de juſto labore acquiſita offeramus. Hæc enim aurea ſunt & pretioſa, quæ avaritia non maculantur. Et certè non erat ex argento menſa illa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis præbuit ſuum ſanguinem. Pretioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant. Vis corpus Chriſti honorare? Non deſpicias ipſum nudum, neque hunc quidem in Eccleſia ſericis pannis induas, foris autem frigore & nuditate confici negligas. Qui enim dixit:* HOC EST CORPUS MEUM, *& rem ſimul cum verbo confecit, idem dixit:* ESURIENTEM ME VIDISTIS, ET NON CIBASTIS, ET IN QUANTUM NON FECISTIS UNI EORUM MINIMORUM, NEC MIHI FECISTIS. *Hoc certè corpus Chriſti non amictu, ſed anima munda indiget, illud autem multa cura & magna diligentia eget. Non eſt opus vaſis, ſed animis aureis. Hæc dico, non quia vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quia dignum putem ante omnia miſericordiæ & benignitati incumbendum. Nam & vaſa Deus ſuſcipit, ſed illa multò magis ei gratioſa ſunt. Et vaſa quidem danti ſolùm profuerint, benignitas verò etiam accipienti. Et hic quidem oſtentatio nonnumquam poteſt accuſari, ibi verò totum miſericordi animo contribuitur. Reſponde, quæſo, quænam utilitas eſt, ſi cùm menſa ejus multis calicibus aureis ornatur, ipſe inedia pereat? Priùs igitur ipſum eſurientem ſatura, deindè ex quadam ſuperabuntia menſam ejus ornabis. Calicem aureum facis, & aquæ frigidæ calicem ei non præbes. Et quod hinc emolumentum conſequeris? Coopertoria menſæ auro nitent, & ipſi neceſſaria velamina negas. Quid igitur præbes?*

De magnificarum Baſilicarum ædificatione adfirmat eſſe eandem rationem, addens nullum ob Deo non oblata hujuſmodi, multos autem ob non datas eleemoſynas in æternum damnari. Pretioſi unguenti ſuper ipſius recumbentis caput effuſionem non fieri juſſam, ſed jam factam dumtaxat admiſſam fuiſſe à Domino ſcribit in alia homilia, ac pergit: *Itaque & tu ſi quoſdam præparaſſe ſacra videris vaſa, aut ornatum quemdam alium circa parietes Eccleſiarum & pavimenta confe-*
ciſſe, noli reprehendere, aut venumdari jubere, aut Hom. 81.
deſtrui quod factum eſt, ne animum ejus, qui fecit perturbes. Sin verò antequam fecerit, te conſuluerit, pauperibus offerre jubeto. Quod ipſum eiſdem ferè verbis repetit in homilia de correptione & do-

ctri-

ctrina. Eandem unguenti effuſionem tractat in litteris ad Aſclepium Epiſcopum etiam Iſidorus Peluſiota, atque proſequitur: *Quemadmodum ſi ante effuſum unguentum interrogatus fuiſſet Dominus, haud dubiè illud vendi, & pauperibus dari juſſiſſet, ſic poſteaquam effuſum fuerat, mulieris fidem per objurgationem exſtinguere abſurdum erat. Atque ad eundem quoque modum nunc faciunt probatiſſimi quique Sacerdotes. Nam ſi quis dicat, conſecrare atque appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare jubent. Sin autem id jam ipſe fecerit, non modò eum non increpant, verùm etiam blandè ac leniter admittunt. Non quòd hoc illo melius ac præſtantius eſſe ducant, non enim propterea vult Chriſtus, ut Eccleſias auro & argento impleat, ſed ne eum, qui hoc donarium obtulit, animi anxietate afficiant.* Euſebium Peluſii Epiſcopum, quòd Baſilicas, quas ornabat auro, fœdaret malis Clericis, graviter arguit in litteris ad Theodoſium Epiſcopum, & repetit: *Neque enim parietum, ſed animarum cauſa cœleſtis Rex huc venit.* Et prima ejus cum Theophilo Alexandrino Epiſcopo diſcordia fuit, quòd Eccleſiaſticam pecuniam hic in ſacras fabricas & ornamenta, ille vellet in pauperes effundi. Et ad Nepotianum ſcribit Sanctus Hieronymus: *Multi ædificant parietes, & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis Altare diſtinguitur, & Miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Neque verò mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera auro fabricata. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat remiſſio peccatorum. Quamquam hæc omnia præceſſerint in figura. Nunc verò cùm paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus.* Munda & moderata, nequaquam pretioſa noſtræ Baſilicæ ambiunt ornamenta. Quare Venerabilem Stephanum, tertium Ciſtertienſem Abbatem, meritò laudant antiquæ iſtius Ordinis Origines: *Hujus temporibus introduxerunt Fratres unà cum eorum Abbate, ne quid in domo Dei, in qua die & nocte devotè ſervire cupiebant, remaneret quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut paupertatem, cuſtodem virtutum, ſponte quam elegerant, aliquando corrumperet. Confirmaverunt ſe, ne retinerent cruces aureas ſeu argenteas, niſi tantùm ligneas coloribus depictas, neque candelabra niſi unum ferreum, neque thuribula niſi cuprea vel ferrea, neque caſulas niſi de fuſtaceo vel lino ſine pallio aureo vel argenteo, neque albas neque amictus niſi de lino, ſimiliter ſine pallio aureo vel argenteo, pallia verò omnia, & cappas atque dalmaticas, tunicaſque ex toto dimiſerunt. Sed calices argenteos, non aureos, ſed ſi fieri potuerit deauratos, & fiſtulam argenteam, & ſi poſſibile fuerit deauratam, ſtolas quoque & mappulas de pallio tantùm ſine auro & argento retinuerunt. Pallæ autem Altarium ut de lino fierent, & ſine pictura planè, præcipiebant. Et ut ampullæ vinariæ ſine auro & argento eſſent.* Quam temperantiam ſervare deberent omnes Regulares, præſertim Mendicantes. Et certè quod Fratres Minores uſque ad tertii decimi ſæculi annum ſeptuageſimum nonum uſi non fuerint ſericis ornamentis, teſtantur Annales Patrum Prædicatorum Colmarienſium. Imitandus illis eſt Sanctus Presbyter Nepotianus, de quo defuncto ad Patruum Heliodorum Altinenſem Epiſcopum ſcribit Sanctus Hieronymus: *Erat ſollicitus, ſi niteret Altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi janitor creber in porta, vela ſemper in oſtiis, ſi Sacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes cæremonias pia ſollicitudo diſpoſita. Non minùs, non magis negligebat officium: Ubicumque eum quæreres, in Eccleſia invenires.* Ipſum cum Quinto Fabio, Bezeleel, & Hyram Tyrio comparat, & adjungit cauſam: *Qua Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum Conciliabula diverſis floribus & arborum ramis, vitiumque pampinis adumbraret, & quidquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione quàm viſu Presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.* Hujuſmodi enim ornatus quàm optimè repræſentat totius univerſi pulchritudinem, quem eſſe palmarem ornandæ Baſilicæ ſcopum adfirmat in libro de Miſſa & templo Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.

Margin notes: L. 2. Epiſt. 88. — Ep. 246. — Epiſt. 2. — Cap. 17. — Epiſt. 3.

De hiſce omnibus ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham rectè ſcribit Sanctus Hieronymus: *Diſcant qui ignorant, qua debeant veneratione ſancta ſuſcipere, ſacroſque calices & ſacra velamina, & cætera quæ ad cultum pertinent Dominicæ paſſionis, non quaſi inania, & ſenſu carentia ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini eadem, qua corpus ejus & ſanguis, Majeſtate veneranda.* Hinc ipſa in Laicam manum aut uſum vendere, donare, oppignorare, vel quovis modo tradere aut aſſumere fuit ſemper horrendum ſcelus. Etenim Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum, quòd donata à Conſtantino ornamenta vendidiſſet, fuiſſe à Seleucienſi Synodo degradatum adfirmat Hermias Zozomenus. Et inter articulos, de quibus Antoninum Epheſiorum Archiepiſcopum accuſavit in Conſtantinopolitana Sancti Joannis Chryſoſtomi Synodo, & ad degradationem poſtulavit Euſebius Valentinopolitanus Epiſcopus, fuerunt & hi: *Quòd fuſis ſacris vaſis argentum in nomine filii depoſuerit. Quòd ſumptum de ingreſſu Baptiſterii marmor, in ſuo balneo poſuerit. Quòd Eccleſiæ columnas, plures annos jacentes, erexit in ſuo triclinio.* Exſtant Acta apud Palladium Helenopolitanum Epiſcopum in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono. Addit idem Palladius de Porphyrio Patriarcha Antiocheno: *Ajunt illum præter cætera ſcelera, ſacra quoque vaſa poſt ordinationem ſuam fudiſſe, Principibuſque largitum.* Utique in ſolutionem empti ab illis Epiſcopatus. Et de Sylvano, mercatore Romano, qui ſacra Syrmienſis Eccleſiæ vaſa à neſcio quo Conſtantio oppignorata, & fixo tempore non repetita detinebat, ſcribit in Gothica hiſtoria Priſcus Rhetor: *Ea Sylvanus Sacerdotibus, qui primi ſe obtuliſſent, nummis argenteis permutavit. Nec enim fas eſt hominibus pocula Deo conſecrata propriis uſibus applicare.*

De Bigane Chloromarenſis in Perſarmenia civitatis Præfecto, & ipſam obſidente Mauritio, Tiberii Conſtantini Imperatoris Duce, ſcribit

Me-

Menandet Protector : *Biganes aquiminaria, & pocula, & alia pretioſiora mobilia, quæ Dei cultui inſerviebant, ad Mauritium miſit, orans ut ea pro oppidi redemptione ſumeret, & ab obſidione deſiſteret. Sed Dux, ubi hæc vidit, etiamſi talia eſſent ut eum permovere potuiſſent, tamen contempſit.* Lib. 2. *Illuc enim dixit ſe veniſſe, non ut Sacra expilaret, aut Chriſto bellum faceret, ſed potiùs ut Chriſto opitulante & juvante bellum gereret, & recta de fide ſentientes contra Perſas, qui à vera Dei cognitione aberrabant, in primo auctoritatis gradu collocaret.* Norat vaſa hæc & ornamenta ex nullo titulo poſſe transferri ad Laicos, aut ab ipſis detineri. Et inter articulos, ob quos Ibam Epiſcopum poſtulavit ad degradationem Clerus Edeſſenus, fuit quòd ſacra Eccleſiæ miniſteria diſtraxiſſet, & ſibi reſervaſſet pretium. Quod ipſum ad Patriarcham Severum degradandum allegarunt apud Joannem ſecundum Patriarcham Conſtantinopolitanum ac ejus Synodum Clerici & Monachi Antiocheni. Exſtat libellus in Synodo ſub Menna Patriarcha. Et Venafranæ Eccleſiæ Clericos, qui L. 1. Epiſt. 66. ſacra ejus vaſa ac ornamenta, neſcio cui Judæo vendiderant, excuſſi Divini timoris damnat Magnus Gregorius, & per Anthemium Subdiaconum, Apoſtolici in Campania Patrimonii Rectorem, relegari mandat ad perpetuam pœnitentiam, cogique Judæum ad omnium reſtitutionem: Ejuſmodi venditionem affirmat non ſolùm Canonibus, ſed & legibus eſſe damnatam, ideoque irritam modis omnibus, nec Eccleſiam obligari ad pretii refuſionem. Quod ferè ipſum Lib. 7. c. 27. adversùs neſcio quos alios Italiæ Clericos ſanxit in litteris ad Joannem Syracuſæ Epiſcopum. Neſcio quos Sacerdotes, ex ſacris vaſis bibentes & edentes, Can. 3. Can. 4. horrendè damnant tertia Bracarenſis Synodus, & decima ſeptima Toletana. C. 18. Eſſe Balthaſaris Regis facinus adfirmat in ſuo Capitulari Sanctus Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis. Plura hujuſmodi Decreta & exempla adduxi in ſcholiis ad Synodum Chalcedonenſem. Et hinc quoſdam, crimen iſtud non eſſe degradatione dignum aſſerentes, meritò culpat in Conſtantinopolitanæ, apud Apoſtolorum Baſilicam celebratæ, Synodi Commentariis Theo- Can. 10. dorus Balſamon. Fundabant ſe illi in ſeptuageſimo tertio Apoſtolorum vulgari Canone: *Vas aureum vel argenteum, vel velum ſanctificatum, nemo ampliùs in ſuum uſum convertat. Si quis deprehenſus fuerit, mulctetur.* Advertebant quod Canon dumtaxat mulctari jubeat, non degradari. Verùm parvi ponderis eſt iſte Canon, & iſtam mulctationem de degradatione Eccleſia ſemper intellexit. Ob iſtud crimen etiam Fredericum ſecundum Imperatorem degradavit Synodus Lugdunenſis.

Peſſimum hac in re fuiſſe Imperatorem Iſaacium Angelum ſcribit Nicetas Choniates: Lib. 3. c. 7. *Iſaacius ea fuit audacia, ut ſacra vaſa profanaret, & templis avulſa menſis ſuis adhiberet. In commeſſationibus quoque ex gemmis pretioſis & ſolido auro, calicum inſtar, facta donaria, quæ ſuprà Imperatorum monumenta pendebant, manibus verſabat, & pelvibus inſuperabilis elegantiæ, quibus ſe Levitæ & Sacerdotes, dum ſacra Myſteria tractant, mundare ſolent, pro malluviis utebatur. Auferebat particulas de venerandis crucibus, item ornatum maximi pretii de immortalibus Chriſti oraculis, eiſque pro monilibus & torquibus utebatur. Ipſos verò codices aliis Imperatoriis ſtolis, quæ nihil haberent admirationis, involvebat. Et graviter ſuccenſebat eis, à quibus monebatur ea facta non expedire Religioſo Imperatori, qui pietatem à Majoribus accepiſſet, nec aliud eſſe quàm ſacrilegium, eoſque ut manifeſtè deliros & honeſtatis ignaros arguebat. Licere enim Imperatori omnia, & inter Deum ac Regem, quod ad terrenarum rerum gubernationem attineret, non eam eſſe repugnantiam, quæ ſit inter negationem & affirmationem, contendebat, ac ut probaret ſe eo nomine non eſſe reprehendendum, primi & ſummi illius inter Chriſtianos Imperatores Conſtantini exemplum adducebat, qui alterum clavum, quibus glorioſus Dominus execrabili cruci fuit affixus, frœno equi inſeruerit, alterum galeæ infixerit.* Blaſphemum errorem acerrimè damnat Nicetas, & adjungit de iſto Conſtantini facto: *Iſaacius cauſam de induſtria diſſimulabat, cur Chriſtianæ religionis Princeps ejuſmodi rebus ſe ornaverit, ut videlicet Gentilibus oſtenderet prædicationem crucis eſſe Divinam potentiam, quam ipſi ut dementiam adſpernabantur.* Hic eſt ille Iſaacius Angelus, qui per fratrem ſuum Alexium Angelum Imperio privatus, noſtros Flandros magnis promiſſionibus vocavit in auxilium, & de iſtarum perſolutione pergit Nicetas: *Cum pecunia deſtitueretur Iſaacius, templa invaſit. Nec ſacræ tantùm Chriſti imagines ſecuribus excidebantur, & humi projectæ ſine ulla reverentia, ornatu adempto in ignem dejiciebantur, ſed & ſacro-ſancta vaſa, abſque metu è templis rapta & conflata, ut vulgare aurum & argentum, hoſtibus dabantur.* Quod ipſum ſcribit Georgius Acropolitanus. Quare Cap. 3. per iſtos terreſtres Angelos fuiſſe miſerabiliter laceratum, ac truncatum Imperium idem Choniates non ſine fundamento lamentatur.

Porrò Gregorii noſtri temporibus graſſabatur facinus Porphyrii Patriarchæ Antiocheni. Etenim quòd auream ſexcentarum librarum crucem, factam à Willigiſo Moguntino Archiepiſcopo, ſucceſſores in ſimoniam ac alias ſordes expenderint, teſtantur ejuſdem Eccleſiæ Chronicon, A. 1160. & in Mariani Scoti ſupplemento Abbas Dodechinus. Et de Roberto Conventrenſi Epiſcopo ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis: *Robertus de Eccleſiæ una trabe quinque mille marcas argenti corraſit. Unde Regis,* Guilielmi primi, A. 1077. *manus impleret. Ditaverat namque Leofricus locum illum auro & argento, gemmis & reliquiis.* Leofricus Merciorum Comes, fundator iſtius Monaſterii. De eodem crimine Humbertum Abb. 21. Abbatem Lauriſhamenſem notat, ideoque à Sancto Nazario loci Patrono fuiſſe percuſſum & occiſum adfirmat ejuſdem Monaſterii Chronicon. Et de Wigoldo intruſo ſuo Epiſcopo A. 1084. Chronicon Auguſtenſe: *Wigoldus ornamenta Eccleſiaſtica, calices, thuribula comminuit, Altaris Sanctæ Mariæ tabulam delaminavit, theſaurum diſtraxit, proterviæ ſuæ fautoribus accommodavit*, Hoc item tempore Arnaldum Aretinum Epiſcopum, quòd neſcio cui Monaſterio ere-

ereptum calicem ſub fictæ neceſſitatis fuco vendidiſſet, fuiſſe à Deo percuſſum ſcribit in litteris ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem Sanctus Petrus Damiani, & adjungit: *Timeat, quiſquis* Lib. 2. Ep. 15. *Eccleſiaſtici miniſterii utenſilia diſtrahit, ne dum quaſi ſecurus ambulat, latentis eum judicii laqueus comprehendat*. Hoc item tempore factum eſt Fol. 853. quod de quodam Conſtantinopolitani Imperatoris Michaelis Parapinacii milite ſcribit Joannes Schylitza: *Quidam ex militibus Macedonicæ phalangis, cum ab eo repeteretur ſacra res, neque adduci poſſet ut id faceret, humeris ab anthrace depaſtis obiit, juſtitia haud differente, ut mos eſt, ſupplicium, ſed ad exemplum Poſterorum ipſum perimente*. Adversùm hujuſmodi exceſſus emiſit noſter Gregorius præſentem Canonem. Lucet Lib. 5. Ep. 20. ex ejuſdem litteris ad Raynerium Epiſcopum Aurelianenſem: *Inter cætera, quæ olim perverſa mente egiſti, penè cuncta Eccleſiæ tibi commiſſæ ornamenta, pallia videlicet, calices, thuribula, patenas, & cætera Deo ſacrata, non ad utilitatem Dei & præfatæ Eccleſiæ, non in adjutorium pauperum & captivorum, ſed ad libitum tuum, & inanem gloriam atque ſuperbiam diſtraxiſti*. Ei, niſi ſe purget, minatur degradationem.

Antiquam exceptionem continent hæc Canonis verba: *Sine certa utilitate, aut gravi neceſſitate*. Præſertim neceſſitate alendorum pauperum, aut redimendorum captivorum. Etenim à Seleucienſi Synodo ob diſtracta Eccleſiæ ornamenta degradatum Sanctum Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum, quòd ad levandam pauperum neceſſitatem diſtracta à ſe probaret, reparavit Synodus Conſtantinopolitana. Et Syrmienſis per Schytas obſeſſæ civitatis Epiſcopum, quòd neſcio cui Conſtantio ad ſe & alios captivos cives redimendos tradidiſſet ſacra Eccleſiæ vaſa, laudat Priſcus Rhetor & Sophiſta. Et de ſemetipſo Lib. 2. c. 28. ſcribit in officiorum libris Sanctus Ambroſius: *Aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, ut captivos redimeremus. Quod Arianis diſplicere poterat, nec tam factum diſplicere, quàm ut eſſet quod in nobis reprehenderent*. Per ea Chriſtum in ſuis pauperibus aut captivis membris adjuvari, quàm in Sacramentis honorari oſtendit eſſe longè meliùs, affirmans etiam à Sancto Laurentio non ſolùm ſignatum Eccleſiæ aurum & argentum, ſed inſuper ſacra vaſa fuiſſe diſtributa in pauperes. Hoc ipſum licere vult ad curandas pauperum ſepulturas, & rectè adjungit: *Opus eſt, ut de Eccleſia myſtici poculi forma non exeat, ne ad uſus nefarios ſacri Calicis miniſterium transferatur. Ideò intra Eccleſiam quæſita ſunt primùm vaſa, quæ initiata non eſſent, deindè comminuta, poſtremò conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus, captivorumque pretiis profecerunt*. His deficientibus, addit etiam initiata eodem modo poſſe tractari. Quæ omnia ex Sancti Ambroſii imitatione fuiſſe etiam à Sancto Auguſtino probata & actitata ſcribit in ipſius vita Sanctus Poſſidius. Et de Acacio Amideno in Meſopotamia Epiſcopo, non amicos & fideles Romanos, ſed hoſtes & Paganos Perſas, quos iſti ad ſeptem millia captivos ceperant & fame vexabant, commiſerante ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Socrates: *Acacius hanc militum miſeriam minimè neglexit, ſed convocatis ſuis Clericis ſic eos* Lib 7. c. 28. *alloquitur; Deus noſter neque lancibus neque poculis indiget. Nam nec comedit nec bibit. Quippè qui his rebus minimè opus habet. Quare cum Eccleſia multa monimenta aurea, argenteaque ex propenſa fidelium benignitate poſſideat, conſentaneum eſt hiſce rebus milites captivos & è cuſtodia liberare, & fame propè enectos reficere & ſuſtentare. Ubi hæc, aliaque id genùs oratione percurrerat, monimenta Eccleſiæ conflanda curavit, vendidit, pretiaque partim militibus pro captivis redimendis dedit, partim ad eorum famem ſublevandam impendit. Poſtremò, viatico illis ſuppeditato ad ſuum ipſorum Regem remiſit*. Quæ pietas Choſroen Perſarum Regem adeò ædificavit, ut Romanis pacem dederit, & videndum Acacium ſibi transmitti ab Imperatore Theodoſio poſtulaverit ac impetraverit uti grande beneficium. Etiam Candidum Sergiopolitanum Epiſcopum, quòd ad captivos ab alio Choſroe Perſarum Rege, qui cum Juſtiniano Auguſto geſſit bellum, redimendos vendiderit cuncta Eccleſiæ ſuæ ornamenta, laudant in libris de bello Perſico Cæſareenſis Procopius, & in Eccleſiaſtica Hiſtoria Evagrius Epiphanienſis. Lib. 2. c. 5. 20. Quomodo idem Choſroes, pretioſis Antiochenæ Eccleſiæ ornamentis ſatiatus, expilandæ civitati pepercerit, ſuprà audivimus ab eodem Lib. 4. c. 27. Procopio: Fuiſſe Sancti Patriarchæ Ephremii, qui ea omnia exponi juſſit atque ita Barbarum emolliit, artem laudat præfatus Evagrius. Et Lib. 4. c. 24. Fortunato Fanenſi Epiſcopo, qui ad exſtinguenda Eccleſiæ ſuæ ex redemptis captivis debita poſtularat facultatem vendendi ſacra vaſa ac miniſteria, reſpondit Magnus Gregorius: *In hac re quia & Legum & Canonum Decreta conſentiunt, noſtrum conſenſum præbere curavimus, &* Lib. 6. Ep. 13. *diſtrahendis ſacratis vaſis licentiam vobis indulgemus*. Quod ipſum pro Fauſtino Merienſis Eccleſiæ Clerico, qui acceptum ad reducendas captivas à Barbaris filias mutuum ſolvere non poterat, ſcribit ad Bonum Epiſcopum Meſſinenſem. Solvi id mandat ex venditis iſtius Eccleſiæ miniſteriis. Et Meroveum Pictavienſem Epiſcopum, Ep. 35. quòd pro ſe & ſuis civibus è Gontramni Francorum Regis captivitate liberandis aureum calicem conflaverit in numiſmata, laudat in Francorum Hiſtoria Sanctus Gregorius Turonenſis. Et grandi ad communicandum populum confecto per Sanctum Remigium calice Lib.7. c. 24. ſcribit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Presbyter Flodoardus: *Quod vas uſque ad moderna tempora perduravit, donec fuſum Nortmannis dudum in redemptionem datum eſt Chriſtianorum*. Richardum Lib. 1. c. 10. primum Angliæ Regem, dum è ſacro bello rediit, doloſè cepit Leopoldus Auſtriæ Dux: Quòd ad ipſum liberandum non una aut altera, ſed omninò cuncta depauperatæ per iſtud bellum Angliæ Eccleſia omnia ſua ſacra vaſa conflarit, ſcribunt Anglorum Annales. Quod ipſum ad alendos graſſante tunc fame pauperes feciſſe omnem Gallicanam Eccleſiam prædicat Glaber Rudolphus. Plurima ſunt hujuſmodi exempla. L. 4. c. 4.

Optimè Mauritius Dux à Bigane Perſa Chloroma-

romarenſis Eccleſiæ miniſteria refutavit. Ea enim Chriſtiani Paganis quidem poſſunt ex neceſſitate tradere, ſed nullo pacto vel ab his vel ab aliis Chriſtianis admittere, longè minùs eripere aut extorquere. Et hinc de Childeberto Francorum Rege, Hiſpanias expilante, ſcribit Sanctus
Lib. 3. Gregorius Turonenſis: *Childebertus inter reliquos*
c. 10. *theſauros miniſteria Eccleſiarum pretioſiſſima detulit. Nam ſexaginta calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capſas detulit, omnia ex auro puro, & gemmis pretioſis ornata. Sed non eſt paſſus ea confringi. Cuncta enim Eccleſiis & Baſilicis Sanctorum diſpenſavit ac tradidit.* Non quòd ea rapuerit, laudat, ſed dumtaxat quòd ipſa nec conflare præſumpſerit, nec ſibi detinere. Ea enim conflare ſpectat ad ſolos Epiſcopos, detinere autem quis Laicus non poteſt vel per modum pignoris. Hinc enim in primo ſuorum Capitularium libro ſtatuit Hincmarus Metropolita Remenſis: *Nullus Presbyter præſumat calicem, vel patenam, aut pallam Altaris, vel veſtimentum Sacerdotale, aut librum, tabernario vel negotiatori, aut cuilibet Laico vel fœminæ in vadimonium dare.* Fundat ſe in ſumma iſtorum miniſteriorum ſanctitate. Et inter cauſas, ob quas Rothaldum Sueſſionenſem Epiſcopum degradarit, in litteris ad Nicolaum Pontificem allegat quòd ille aureum calicem tabernario, & argenteas coronas neſcio cui Judæo oppignoraſſet. Et Ratherii Veronenſis Epiſcopi ad ſuos Presbyteros Synodica habet Epiſtola:
Epiſt. 17. *Sacra vaſa & veſtimenta Sacerdotalia nolite in pignore dare negotiatori vel tabernario.* Eſſe antiquum Canonem oſtendit ſuprà memoratus Romanus mercator Sylvanus, qui ſibi à Conſtantio oppignorata Syrmienſis Eccleſiæ Miniſteria detinere non præſumpſit, ſed tradidit primo obvio Sacerdoti. Et ſuprà audivimus à Sancto Ambroſio: *Poculi myſtici forma de Eccleſia non exeat, ne ad uſus nefarios transferatur.* Formam iſtam priùs conflandam, aut in fruſta comminuendam, vario teſtimonio eſt jam ſtatim confirmatum. Et hinc Sanctum Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum, non tam ob publicæ famis cauſa divenditum, ſed potiùs ob non confractum Eccleſiæ ornamentum fuiſſe degradatum à Seleucienſi Synodo, oſtendunt hæc Hermiæ Zozo-
L. 4. c. 24. meni verba: *Fama eſt quemdam animadvertiſſe mulierem ſcenicam pretioſo monimento, quod ipſe donarat Eccleſiæ, amictam eſſe, curioſè ab ea quæſiſſe, undè illud haberet? comperiſſe mercatorem ei vendidiſſe, mercatori autem Epiſcopum.* Non enim ſolùm à Conſtantino datum veſtimentum Cyrillus vendiderat, ſed ferè omnem Eccleſiæ theſaurum. Et ob ſimiles eventus Eccleſia juſſit quævis ſua miniſteria confringi ante venditionem, & Laicis ex nulla neceſſitate oppignorari. Eruditam, qua inſigniter id demonſtrat Sanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus, Epi-
Tom. 2. ſtolam nuper vulgavit Lucas Dacherius: *Vendi poteſt, aut in fruſta comminui ſacrum miniſterium, ſed incongruum eſt ut in vadimonium ponatur. Etenim ſæculares perſonæ debitam reverentiam ſacris miniſteriis neſciunt impendere, quoniam hic uſus non eſt eis commiſſus. Fortaſſe autem contingere poteſt, ut prope arcam, vel in ea domo, in qua vaſa abſcondita ſunt, committantur adulteria & fornicationes, & ea crimina quæ iram Dei provocent.* Hujus irreverentiæ periculum ac iniquitatem inſigniter exaggerat, atque proſequitur: *Exempli cauſa unum proferam. Accidit in Britannia minori quoddam miraculum. Nam quidam nummularius vaſa Eccleſiæ ſibi loco vadimonii in arca repoſita ſervabat, caſu pueri parvuli ſuper eandem arcam adſcenderunt, qui illicò in amentia verſi ſunt. Sed & canes fortè adſcenderunt, & in rabiem efferati ſunt. Senſit Dominus ultionem Divinam eſſe, eò quod vaſa ſacrata non his deputanda locis vel pactis pro accommodata pecunia accepiſſet, nimiumque perterritus fugit ad Eccleſiam, quid factum fuerit omnibus intimavit, & ſacra vaſa, quantociùs à ſe emiſit non minori formidine, quàm olim Philiſtiim arcam fœderis Domini propter imminentem cladem à ſe expulerunt. Quæ res terræ incolas adeò exterruit, ut ſceleratiorem quolibet idololatra prædicent, qui ſacra vaſa deinceps in vadimonium poſuerit vel acceperit. Perpende ergò, quanta culpa ſit vaſa de ſinu Eccleſiæ rapere, & ſæcularium manibus committere.* Eſſe dicit facinus Regis Balthaſar. Addit nec apud Clericos poſſe oppignorari. Quod ipſorum oppignoratio ſit ipſum Chriſtum Dominum tradere in nummularii ſervitutem.

In laudatis ad Bonum Epiſcopum litteris rectè addit Magnus Gregorius: *Sed & illud veſtra* Lib. 6.
Fraternitas debet eſſe ſollicita, ut ſi quidem de præ- Ep. 35.
dicta Eccleſia argentum eſt, ſupraſcriptam quantitatem accipiat, alioquin de ſacratis vos vaſis præbere neceſſe eſt. Nam ſicut omninò grave eſt fruſtrà Eccleſiaſtica miniſteria venumdare, ſic etiam culpa eſt imminente neceſſitate res maximè deſolatæ Eccleſiæ captivis ſuis præponere, & in eorum redemptione ceſſare. Et in litteris ad Fortunatum Epiſcopum:
Ne ſacrorum vaſorum venditio ad veſtram poſſit Epiſt. 13.
invidiam pertinere, oportet ut in Joannis Defenſoris noſtri præſentia uſque ad quantitatem debiti diſtrahi, & eorum ſolvi pretium creditoribus debeat, quatenùs dum hæc res hujuſmodi fuerit obſervatione completa, nec creditores mutuatæ pecuniæ damna ſentiant, nec Fraternitas veſtra invidiam nunc vel quandoque ſuſtineat. Affirmat ſacra miniſteria non niſi ob uſualis pecuniæ inopiam poſſe vendi: Et non niſi ad limites præſentis neceſſitatis. Addit in officiorum libris Sanctus Ambroſius inter ipſa etiam miniſteria ſervandum ordinem. Vendenda priùs eſſe non initiata ſeu non conſecrata, conſecrata autem ultimo loco uſque ad extremam neceſſitatem ſervanda. Ex quo vides Eccleſiaſticorum vaſorum conſecrationem eſſe longè antiquiſſimam, & à noſtris Lutheranis & Calviniſtis perperam contemni. Addenda hìc eſt & laudati Fulberti doctrina: *Perpendere potes, quia ſi omninò grave eſt vendi ea, quæ minora ſunt Eccleſiæ Miniſteria ſine certa neceſſitate, ſacrilegium eſt & omninò graviſſimum, abſque maxima pauperum indigentia excellentiora illa, videlicet vaſa ſacrata & cruces venumdare. Quapropter noverint omnes Miniſtri Eccleſiæ, quia gregi cui præſunt, ut puta his qui ſunt pauperes Chriſti, ſcilicet Monachis & Canonicis Regularibus, vel Religioſis quibuſque communiter viventibus,*

priùs omnia neceſſaria miniſtrare moderata diſtributione debent, id ſummopere præcaventes, ne nimium prodiga ſuperfluitate talis neceſſitas proveniat, quæ theſauros Eccleſiæ expendi compellat. Si enim immoderatè effundunt, peccant: Quia inconſiderata effuſio eſt totius domus ruina. Sacra miniſteria vendendi neceſſitatem oriri non vult ex Clericorum aut Monachorum luxu, vel imprudenti œconomia.

Dum Longobardorum impietas devaſtaret Italiam, Eccleſiarum ſuarum theſauros in Siciliam aut alia tuta loca deportarunt, & ſuis iſtic Collegis aut ipſorum Eccleſiis dederunt aut commendarunt varii Epiſcopi & Clerici, & hiſce defunctis illi iſtos ſibi retinuerunt. Et interim Chriſtianam fidem ſuſceperunt Longobardi, atque ita, licet non Romano Imperio, ſuis tamen Eccleſiis pacem dederunt. Hinc omnes iſtos quaquaversùm diſperſos theſauros per Cyprianum (L. 3 Epiſt. 16.) Diaconum, Apoſtolici in Sicilia Patrimonii Rectorem, quæri & colligi juſſit Sanctus Papa Gregorius, & ſuis reddi Eccleſiis. Etiam Aleriensis Eccleſiæ, quæ Severinus Epiſcopus in Sardiniam deportaverat, miniſteria colligi & reddi juſſit per Petrum Notarium, Apoſtolici (L. 4. Epiſt. 9.) ibidem Patrimonii Rectorem. Quod ipſum de Vulternæ Eccleſiæ theſauro fieri juſſit per Anthemium Subdiaconum Rectorem Campani Patrimonii (L. 7. indict. 2.). Quocirca Hiſpanarum Eccleſiarum theſauros diripere, aut ſuis Eccleſiis largiri non potuit Childebertus Rex Francorum: Et iſtæ (Ep. 30. 31.) ipſius Eccleſiæ fuerunt omninò obligatæ ad cunctorum reſtitutionem. Chriſtiani enim Reges, licet juſta bella gerant, nòn tamen de Chriſto Domino aut ejus Baſilicis, ſed de ſola inimica Republica poſſint ſe vindicare.

Pro vendendi hujus theſauri legitima cauſa octavum Concilium adducit ſolam alendorum pauperum aut captivorum redimendorum neceſſitatem. Gregorius noſter addit etiam certam ipſius Eccleſiæ utilitatem. Superflua enim aut ſibi non neceſſaria miniſteria cur non valeat Eccleſia in alium ſibi uſum conflare & vendere? Aliam inſuper cauſam in ſuo hiſtorico Breviario, de infelicibus Imperatoris Heraclii bellis agens, edicit Sanctus Nicephorus Patriarcha (A. 614.) Conſtantinopolitanus: *Per idem tempus Eccleſiarum theſauri diſtracti ſunt, & Tributi nomine in Barbaros diviſi.* Quod ipſum ſacri belli cauſa quandoque factum affirmant authentici Scriptores. Ad Regem ſuum Richardum è Leopoldi Auſtriaci vinculis liberandum feciſſe & Anglicanam Eccleſiam, ſuprà audivimus. Etiam de patre ſuo Alexio Imperatore, longis & per Robertum Guiſcardum & per Turcas bellis vexato, ideoque ad inopiam redacto, ſcribit Anna (Lib. 5.) Comnena: *Tandem prævalente in dies metu Roberti, perditis rebus, quaſi ad ſacram anchoram Eccleſiaſticorum theſaurorum adjecta naufragantis Reipublicæ eſt cogitatio. Replicati ad obtentum rei parum in vulgus plauſibiles veteres Canones, quibus in redemptionem captivorum impendi ſacras pecunias, conflarique vaſa templorum fas eſſe cavebatur. Admonebant incidiſſe tempus illud; Servire enim ſervitutem miſerabilem, & in exitum animæ ac periculum ſalutis præſens, ſub Dominis infidelibus Chriſtianos per Orientem innumerabiles. Quibus ſuccuri poſſit non ex ipſis quidem celebribus, & quotidiana religione frequentatis ſacris ædibus redemptionis pretio petendo, ſed ex deſertis, nullunque jam ferè uſum habentibus, quæ magna donariorum veterum copia refertæ nihil aliud niſi ſacrilegia nocturnorum furum expectarent aut provocarent.* Addidit Alexius ſacra hæc donaria à ſe dumtaxat in mutuum poſtulari, poſtmodùm fideliter reſtituenda. Et hinc Patriarcha & Synodus precibus annuerunt. Verùm dum executio fieri cœpit, potenter interceſſit Leo Chalcedonenſis Epiſcopus, & de ipſo pergit Anna: *Leo cùm è valvis templorum, quæ ad forum æris venalis procul ab opportunitate populi ſita, minori concurſu tenebatur, auri & argenti laminas atque emblemata revelli cerneret, in medium irruens voce libera interceſſit, nec ulli excuſationi neceſſitatis aut allegationi priſcorum Canonum concedere quidquam voluit. Quin etiam ex eo tempore contumelioſè atque impotenter invehi conſueverat in Auguſtum, præſentemque in os objurgare, quoties ille redibat in Regiam urbem.* Ego nec Alexii, nec Leonis cauſam velim ſuſcipere. Leoni interim ſe adjunxit omnis populus. Quomodo Alexius multa Apologia ſe purgaverit, culpam fuerit faſſus, petierit publicè veniam, omnia reſtituere promiſerit, ac etiam reſtituerit, longè exponit Anna. Nempè eſt modus in rebus: Et ſola extrema neceſſitas permittit procedi ad iſta extrema remedia. Quod de neceſſaria ante venditionem conflatione Patres conſtanter adfirmant admittit hanc à Sancto Fulberto laudatam exceptionem: *Alteri Eccleſiæ venumdari poteſt* ſacrum miniſterium, *ut in ipſo idem officium, quod anteà, celebretur.*

CANON XX.

UT Sacerdotes ſine licentia ſui Epiſcopi, & Monachi de notis Monaſteriis ſine ſuorum Abbatum licentia non recipiantur.

SCHOLION

SCHOLION.

QUòd non ſoli cum ſua Eccleſia Epiſcopi, ſed & quivis cum ſuo titulo Clerici ſpirituale atque immobile habeant conjugium, Epiſt. 1. rectè advertit in litteris ad Robertum Pontiniacenſis Monaſterii Priorem Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Amborum vinculum eſt omninò traditio Apoſtolica, prius tamen fuit ſemper longè firmius. Clericum enim de titulo, intra eandem Parochiam, ad titulum transferre ſemper licuit Epiſcopis. Semper item aliqui de Parochia ad Parochiam fuere vagati, & ſemper repererunt Epiſcopos, à quibus reciperentur. Hinc omni ſæculo clamarunt varii Canones: *Alterius Clericum nemo recipiat*. Nam aut libertatis libido, aut Epiſcopalis in commiſſa crimina diſciplinæ fuga, aut ſeminandi erroris pruritus fecit paſſim Clericos vagari. Etiam Clericorum inopia plures Eccleſiæ frequenter laborarunt. Et filius Patrem, ſervus Dominum, uxorem maritus non poteſt deſerere aut mutare. Ita nec Clericus titulum, longè minus Parochiam. Eſt omninò adulterium & Apoſtaſia. Cujus Canonis adeò tenax fuit Romana ſemper Eccleſia, ut in ſuo Chronico ſcribat Nicolaus Trivettus: *Bonifacius octavus ſtatim poſt ſuam creationem Epi-* A. 1294. *ſcopum Oſtienſem ſuper quibuſdam in Cardinalium præſentia arguens duriſſimè, pallii uſu privavit*. Cauſam ſuprà expreſſerat: *Cœleſtinus quintus, defuncto Epiſcopo Oſtienſi fratre Latino Ordinis Fratrum Prædicatorum, in loco ejuſdem ſubſtituit fratrem Hugonem de Bellona, ejuſdem Ordinis, qui priùs tituli Sanctæ Sabinæ fuerat Presbyter Cardi-* A. 1293. *nalis*. Hunc ergò pallii uſu privavit Bonifacius, quòd ſe de titulo ad titulum transferri permiſiſſet. Hinc Cardinalium tranſlationem non niſi poſt exſtinctum Clementinum ſchiſma admiſit Romana Eccleſia. Quòd varii tituli tunc haberent duos aut tres Cardinales, translatio fuit penitus neceſſaria. Poſteà intravit & ſeniorum Cardinalium optio, de cujus origine & juſtitia eruditiſſimum opuſculum nuper edidit Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Maria Brancatius Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. Iſtum ergò ſuo etiam tempore graſſantem abuſum præſenti Canone compeſcuit noſter Gregorius. Rectè addidit: *Sine licentia ſui Epiſcopi*. Clericos enim de Parochia etiam ad Parochiam transferre mutuo conſenſu ſemper Epiſcopi potuerunt.

Ad quoſdam Pontiniacenſis Monaſterii Fratres rectè olim ſcripſit Petrus Remis ad Sanctum Remigium Abbas: *Primum argumentum benè compoſitæ mentis exiſtimo poſſe conſiſtere, & ſecum morari; diſcurrere enim, & locorum mutationibus inquietari, ægri animi jactatio eſt. Non enim coaleſcit vel convaleſcit planta, quæ ſæpè transfertur*. Exſtat Epiſtola in ſpicilegio Lucæ Dacherii. Et ad Robertum ejuſdem Pontiniacenſis Monaſterii Priorem ſcribit Stephanus Epiſco- Epiſt. 1. pus Tornacenſis: *Plantæ de loco ad locum tranſlatę facillimè areſcunt*. Et ad neſcio quem Sagienſis Cœnobii Monachum, volentem ire Hieroſolymam, Sanctus Anſelmus: *Eſt contra profeſſionem tuam, qua promiſiſti ſtabilitatem in Monaſte-* L. 3. Epiſt. 301. *rio*. Et in litteris ad Adam Monachum Sanctus Bernardus: *Duo præcipua nobis in Monaſterio converſantibus obſervanda traduntur; Subjectio Abbati, & ſtabilitas in loco*. Ambas laudat, & Epiſt. 7. pergit: *In profeſſione Regulari ſic promittitur ſtabilitas, ut de ſubjectione Abbati exhibenda nulla penitus mentio fiat*. Diſerta in profeſſionis codicillo expreſſio ſuadet loci ſtabilitatem eſſe principaliorem. Eſſe antiquiſſimam diſciplinam lucet ex prima apud Illuſtriſſimum Lucam Holſtenium Sanctorum Patrum ad Monachos Regula, quæ inter Cœnobia pacem firmari jubet, & adjungit: *Non licebit de alio Monaſterio ſine voluntatę ejus qui præeſt Patris, fratres recipere*. Receptum affirmat fore Apoſtatam, recipientem ab Cap. 13. Epiſcoporum Synodo puniendum. Et tertia Regula: *Monachum, niſi Abbatis ſui permiſſu* Cap. 14. *aut voluntate ad aliud Monaſterium commigrantem nullus Abbas aut ſuſcipere aut retinere præſumat*. Quod ipſum habes in Monaſticis Sancti Baſilii Regulis: *Illi etiam Monachi devitandi ſunt,* Cap. 8. *qui inſtabiles identidem locum demutant, & modò ad hos, modò ad illos fratres ſe conferunt, & irrequieto acti impetu ſe in circumluſtrandis aſſiduè Monaſteriis occupant, & per ſimulationem ſpiritualis charitatis carnis libidinibus obſequuntur*. Et infrà: *Inſtituti noſtri Regula hoc habet, non licerę nobis ab ea ſocietate, ad quam aggregati ſumus,* Cap. 38. *disjungi*. Et Chalcedonenſis Synodus: *Placuit Monachos quietem diligere, & in locis, in quibus re-* Cap. 4. *nuntiaverunt ſæculo, permanere*. Quod ipſum in novella ad Epiphanium Patriarcham Conſtan- Leg. 5. tinopolitanum lege firmat Juſtinianus Imperator, cap. 7. nec non & ſeptima Synodus. Et de Sancto Ful- Can. 7. gentio, qui ad Abbatialis officii onus excutiendum migraverat occultè ad aliud Monaſterium, ſcribit in ejus vita Ferrandus Diaconus: *Fauſtus Epiſcopus Epiſcopali auctoritate ſuum eſſe Monachum Fulgentium allegat, ſibique reddi & ubi ipſe* Cap. 15. *juſſerit vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus, ipſum verò Fulgentium, niſi conſentiat, inobedientibus ſimilem pronuntiat judicandum*. Et hujuſmodi Abbatum atque Epiſcoporum de repetendis Monachis lites plures habuit antiqua etiam Eccleſia. Nam & Primatem ſuum Carthaginenſem Aurelium, quod proprii Monaſterii deſertores eveheret ad Clerum aut alterius Monaſterii Præfecturam, graviter arguit, & ſuam expoſtulationem in Canonem redigi curavit Sanctus Auguſtinus. Ex eodem principio degradati olim, qui anteà Monachi fuerant, Epiſcopi paſſim remittebantur ad ſuæ profeſſionis Monaſterium, quòd ibi eſſent filii familias, atque ita mutuum ultrò citroque vinculum, quod Epiſcopalis promotio ſolverat, degradatio repararet. Adeò firmum fuit ſemper iſtud vinculum ut non niſi ob graviſſima crimina, aut alias urgentiſſimas cauſas, Monachorum translationes antiqua diſciplina permiſerit. Monachus per profeſſionem donat ſemetipſum Monaſterio, & hoc illius acquirit proprietatem & ſtrictum dominium, quale Romana lex dat Patri in filium, ac Domino in ſervum, ideoque deſertor com-

committit non ſolam inobedientiam , ſed & furtum .

Præſenti in Canone noſter Gregorius loquitur ex Sancti Benedicti Regula, quæ peregrini Monachi ſeu ad ſolum hoſpitium , ſeu etiam ad fraternitatem & domicilium recipiendi modum exponit , atque adjungit : *Caveat Abbas , ne aliquandò de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis ejus , aut litteris commendatitiis . Quia ſcriptum eſt* : QUOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Verùm quid per notum Monaſterium intelligatur, eſt magna quæſtio inter ipſos etiam Sancti Benedicti filios. In litteris ad neſcio quem Abbatem Sanctus Petrus Damiani ſcribit iſtum Regulæ articulum dirigi ad Abbates , ideoque ſuæ, quæ Priores dumtaxat haberent, congregationis Monaſteria ipſo non adſtringi. In binis ad Flaviniacenſes Monachos litteris Sanctus Bernardus ait, cuncta totius mundi Monaſteria non poſſe eſſe omnibus nota, ideoque à Regula intelligi ſolùm illud, quod Abbati alienum Monachum admittenti ſit notum . Quæ expoſitio dictis Flaviniacenſibus meritò diſplicuit. Placet mihi illa , quam dat in litteris ad Odonem majoris Monaſterii Abbatem Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Ubi ſanctus Benedictus de peregrinis Monachis mentionem facit , de illis loquitur, qui eo tempore mundo quidem renuntiabant, ſeſe in Domini ſervitutem profitentes , nullam tamen ſua profeſſione alicubi firmantes ſtabilitatem. Eos verò, qui certo in loco profitentur, ubi profeſſi ſunt, & bajulare crucem Domini, & Dominum ſequi neceſſe eſt, non peregrinam quærere ſepulturam*. Ex iſtorum numero fuiſſe etiam Sanctum Hieronymum, lucet ex ejus ad Sanctum Paulinum Antiochiæ Patriarcham, dum in Presbyterum conſecraretur, proteſtatione : *Si ſic Presbyterium tribuis, ut Monachum nobis non auferas, videas de judicio tuo; ſin autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi propter quod ſæculum dereliqui, ego habeo quod ſemper habui* . Utique libertatem quocumque migrandi. Spirituali connubio nolebat ad certum Monaſterium aut Eccleſiam fixus alligari. Ita Sanctus Paulinus Nolenſis, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & id genùs plurimi Monaſticam vitam in proprio rure ſub nullius, niſi ſolius Epiſcopi , obedientia exegerunt . Verùm non omnes ſolitarii fuerunt tales, ſed ipſorum plures fuerunt Girovagi, Sarabaitæ, Gloſſogaſtores, de quibus in libro de Monachorum opere Sanctus Auguſtinus , & alii Patres deponunt graves querimonias, conati compellere ad Cœnobia. Habitabant aut nullibi, aut in ignotis tuguriis, uti turbulenti illi, de quibus ad Chalcedonenſem Synodum dixerunt Orthodoxi Archimandritæ : *Elpidius monumentorum Procopienſium cuſtos eſt. Eutychius de Baſilica Celerina eſt, Monaſterium non habet. Theodorus in monumentis habitat. Leontius ex Urſario eſt. Hypſius in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in Xylocirco. Paulus de Bithynia eſt, habitans ſolitariè in monumento. Gaudentius in monumentis habitat, habet quinque nomina in Philippianis. Rogamus aliquos mitti, ut ambulent & videant Monaſteria eorum, & diſcant ſi habent Monaſteria, an deludant, & noceant honoribus Archimandritarum. Et amodò debent accipere diſciplinam, ut non ſe dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant*. Trium, quatuor, aut quinque nominum conventicula dicunt non eſſe Monaſteria, utique nota & famoſa: Eſſe dicunt Monaſterii titulo indigna, ipſorumque Præfectos indignos nomine Abbatis aut Archimandritæ. Eodem ſenſu loquitur, cujus tempore abundabant iſta Girovagorum conventicula, Sanctus Benedictus. Hoſce omnes vult incorporari poſſe in ſua Monaſteria, arcens ſolos illos, qui famoſum & notum habuerint Monaſterium, ſeu ut ad Pontium Cluniacenſem Abbatem rectè ſcribit laudatus Groffredus, qui *venerint de Monaſterio noto & Regulari*. In iſtis enim paucorum Conventiculis nulla conſuevit eſſe diſciplina. Non habent jus Monaſterii, fratres non ſpectant ad ipſorum proprietatem, ideoque à quovis Abbate poſſint libere admitti.

Cap. 61. | L. 6. Epiſt. 12. | Ep. 67. 68 | L. 4. Epiſt. 21. | Epiſt. 61. c. 16. | Act. 4. | L. 4. Ep. 2.

Monachi itaque translatio requirit utriuſque Abbatis aſſenſum: Non ſolùm ut legitima ſit, ſed etiam ut valida. Hinc enim de aliter tranſlato ſtatuit Agathenſis Synodus: *Eum nullus Abbas retinere præſumat , ſed ubicumque fuerit, Abbati ſuo auctoritate Canonum revocetur* . Et Synodus Auguſtodunenſis: *Ad Cellam propriam revocetur*. Et adversùm Surrentinæ Eccleſiæ Monachos, proprio arbitrio ad alia Cœnobia migrantes, ſcribit Anthemio Subdiacono , Apoſtolici in Campania Patrimonii Præfecto , Magnus Gregorius: *Monacho ulterius de Monaſterio ad Monaſterium non liceat migrare . Sed ſi quilibet hoc præſumpſerit, Monaſterio in quo ab initio converſatus eſt, & ſub Abbatis ſui Regula, de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur* . Et de injuſtè tranſlata Sanctimoniali Martia ſcribit ad Victorem Panormitanum Epiſcopum : *Martiam in Monaſterium ſuum & locum volumus revocari*. Monachorum migrationes damnat etiam per Photium Patriarcham celebrata apud Sanctorum Apoſtolorum Baſilicam Conſtantinopolitana Synodus , & ad ejus quartum Canonem ſcribit Theodorus Balſamon : *Statuit Synodus* & Monachum migrantem & Abbatem ſuſcipientem *eſſe ſegregatos , donec ille ad proprium Monaſterium revertatur* . Addit ejuſmodi migrantes ab Abbatibus requirendos, & Abbatem qui neglexerit, Canonicè puniendum. Quod præſertim verum eſt de migratione ad laxius Monaſterium, quam eſſe veram, licet partialem, prævaricationem & Apoſtaſiam , multis oſtendit in litteris ad nepotem ſuum Robertum Sanctus Bernardus. Et certè non niſi diſpenſatoriè ob graviſſimas cauſas permitti poſſit iſta migratio.

Can. 37. | L. 1. Epiſt. 40. | L. 4. Epiſt. 43.

Quin & ad ſtrictius Monaſterium , quam omnes Monaſticæ vitæ periti laudant uti novum de ſæculo exitum, migratio requirit conſenſum Abbatis. Hinc enim ſuos fratres ſine ſua licentia non poſſe ad Cluniacenſe, licet palàm ſtrictius , Cœnobium migrare , multis confirmat in Epiſtola ad ejus Abbatem Pontium Goffredus Abbas Vindocinenſis . Et Sanctus Benedictus , dum cujuſvis noti Monaſterii fratrem admitti ſine Abbatis dimiſſoriis litteris vetuit, nequa-

nequaquam de ſolo ſtrictiori aut æque ſtricto, ſed etiam de laxiori, qualia tunc per Occidentem erant ferè omnia, omninò intellexit. Et pro neſcio quo Carnutenſis Eccleſiæ Regulari Canonico, qui ſe ſuo motu tamquam ad ſanctiorem ſtatum transferri poſſe prætendebat, ad ſuum Cœnobium transferendo facultatem ab ejus Epiſcopo Sancto Ivone omninò petiit Guilielmus Abbas Fiſcanenſis, & laudatus Ivo reſpondit:
Ep. 19. *Quidquid ſibi licere dicat, ſine ulla conditione & ſtabilitate loci & ſocietati fratrum Canonicæ profeſſionis vinculis adſtrictus eſt*. Notanda ſunt verba, *ſine ulla conditione*: Ad ſtrictiorem ſtatum transeundi licentiam edicunt non eſſe Clericali profeſſioni intrinſecam conditionem, adeoque ab Epiſcopo aut Abbate omninò petendam & dandam. Secundum quippè conjugium aut ſecunda ſervitus iniri non poſſunt, niſi ſolutis prioribus. Bonæ vallis Monaſterium iſto tempore incidit in neſcio quam ſcandaloſam calamitatem,
Ep. 78. de qua laudatus Ivo: *Propter reverentiam Monaſtici Ordinis meliùs eſt ſilere, quàm revelare*. Facta iſtic fuit tanta perturbatio, ut ipſe Abbas ad majus ſuæ profeſſionis Monaſterium ſe receperit, & Bernerius Monachus abierit ad Monaſterium Dolenſe. Qui poſteà electus iſtic fuit in Abbatem. Omninò tranſiverat ad Monaſterium ſtrictius, & tamen pergit Ivo: *Bonæ Vallis Abbas & Monachi objecerunt, quod ſine licentia fratrum à Monaſterio diſceſſerit*. Nec aliud ad purgandum Bernerium adducere potuit, niſi quod dicta Monaſterii turbatio & Abbatis fuga ipſum à poſtulanda facultate excuſaſſent.

Ex quo patet Monachum, licet in alterius Monaſterii eligatur Abbatem, ſine ſui Abbatis conſenſu non poſſe migrare. Neceſſe eſt ut per hunc emancipatus iſti Cœnobio donetur. Inſigne hac de re teſtimonium habemus in Maurigniacenſis Cœnobii Chronico. Cluniacenſem
L. 3. c. 6. Monachum Maurigniacenſes in Abbatem elegerant, habebantque litteras emancipatorias: Verùm ipſas non ſatis amplas afferuit, ideoque non niſi amplioribus, & ad omnem conſuetis quandoque naſci quæſtionibus portam claudendam validioribus impetratis, Electum benedicere voluit Metropolita Senonenſis. Pro tradenda perſona
1. qu. 2. c. 2. aliquid exigi vetat, ac de ſimonia damnat Bonifacius quartus in litteris ad Cœnobitas Eccleſiæ Claritanæ. Exſtat Epiſtola apud Gratianum. Quòd datam ſemel emancipationem Abbas exſufflare non poſſit, oſtendit laudatus Ivo in litteris ad Bernardum Abbatem Majoris Monaſterii. Novellum Ciſtertienſe Monaſterium quis ignoret Moleſnenſi fuiſſe longè ſanctius, ac per omnia rigidius? Et tamen de facta ipſorum per Urbanum ſecundum pace ſcribit Sigebertus Gembla-
A. 1098. cenſis: *Hoc ſanè inter utramque Eccleſiam ſequeſtro pacis gratia retento, & Apoſtolica auctoritate confirmato, ut ex eo jam tempore neutra eorum utriuslibet Monachum ad habitandum ſine commendatione regulari ſuſciperent*. Et in Lauriſhamenſis Monaſterii privilegio poſuit Alexander tertius: *Prohibemus ut nulli fratrum veſtrorum, poſt factam in loco veſtro profeſſionem, fas ſit de eodem loco abſque licentia Abbatis ſui, niſi obtentu arctioris Religionis diſcedere, diſcedentem verò ſine communium litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere*. Sine Abbatis venia permittit ejuſmodi tranſitum, illius tamen requirit litteras, quibus tranſeuntem emancipet, commendet, tradat in alterius Abbatis poteſtatem, & de ejus actibus ſpondeat uſque ad novam profeſſionem. Ita iſtud, quod Lib. 3. tit.
& plura poſtmodùm habuerunt Monaſteria, privilegium interpretatur apud Gregorium nonum, 31. c. 18.
ac varia circa ipſum dubia elucidat Innocentius tertius in litteris ad Priorem & Conventum Dimolienſem. Et in ſua ſub Gregorii decimi Pontificatu celebrata Synodo ſtatuit Fredericus Archiepiſcopus Salisburgenſis: *Licitum non ſit Abbatibus, cum nec umquam licuerit, Monachos ad Ordinem ſtrictiorem tranſeuntes minimè abſolvere ab obedientia, quæ Monachorum oſſibus inſeparabiliter eſt affixa*. Lucidè affirmat Monachos ſine obtenta obedientia non poſſe tranſire, mandatque Abbatibus ne ejuſmodi *obedientiam audeant denegare*. Eundem in ſenſum loquitur apud Sancti Ivonis Decretum Synodus Triburienſis: *Virgines ſacræ, ſi pro lucro animæ* Part. 7. c.
ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud Monaſterium ire diſpoſuerint, ibique manere decreverint, 22.
Synodus concedit. Si verò fuga diſciplinæ alium locum quæſierint, redire cogantur. Ejuſmodi licentiam mandat ab Abbatiſſis non denegari. Qualemcumque ſine obedientia tranſitum Monachis permittere eſt Monaſteria turbis ac rebellionibus complere. Et longo ac maturo ad tantam, in qua transfiguratus in lucis Angelum Diabolus ſolet frequenter ludere, mutationem opus eſt conſilio. Omnium ſanctiſſimus ac perfectiſſimus ſtatus eſt Epiſcopalis: Et tamen nec ad hunc ſine Abbatis conſenſu tranſire poſſit Monachus, adeò ut etiam Fratres Mendicantes, qui ſine Prælati ſui aſſenſu in factam de ſe Epiſcopalem electionem conſenſerint, omni quæſito jure privet Bonifacius octavus.

Prima hìc occurrit quæſtio. An transeundi licentiam dare poſſit ſolus Abbas, nec opus ſit ſuffragio Conventus? Utrumque requiri docet Ep. 19.
in litteris ad Guilielmum Fiſcanenſis Monaſterii Abbatem Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *A Confratribus ejus hanc ſolutionem quærite*. Et in litteris ad Dolenſis Cœnobii Monachos: *Abbas & Monachi objecerunt, quòd Bernerius ſine licentia fratrum à Monaſterio diſceſſerit*. Et favet ratio. Etenim pacta & contractus eis ipſis, quibus naſcuntur, cauſis etiam ſolvuntur. At verò ſolus Abbas non poteſt ad profeſſionem admittere, & Conventus filium facere: Ergo neque ſolus poteſt ad tranſeundum emancipare. Ejuſdem ſententiæ fuit Philippus Abbas Præmonſtratenſis, ad quem pro ejus, qui ad Ciſtertienſe tranſierat Monaſterium, Canonico Fromondo ſcripſit Sanctus Bernardus: *Jam de fratre Fromondo non eſt quod nos laceſſatis, cum nequaquam* Ep. 252.
eum ſine voluntaria Abbatis ſui conceſſione receperim. Quod quidem nec vos latuiſſe, amara illa Epiſtola demonſtrat, in qua nobis de ſola Capituli non exſpectata conniventia calumniam ſtruitis. Quaſi verò vel mutua noſtra conventione id prohibitum fuerit, vel emancipatio filii ad Capitulum,

& non

& non potiùs ad ſolum ſpectet Abbatem. Et hanc Sancti Bernardi ſententiam reſpondeo eſſe veriſſimam. Ipſam enim omninò firmant antiquæ Monachorum Regulæ, & Eccleſiæ Canones, quorum aliquos ſuprà adduxi.

Altera quæſtio eſt, An ad validam Monachi translationem requiratur etiam conſenſus Epiſcopi? Adfirmat in ſcholio ad octogeſimum tertium Carthaginenſem Canonem Theodorus Balſamon: *Quod autem fit hodie à Monaſterii Præfectis, ut eos qui ſibi ſubſunt cum litteris dimittant, ut poſſint eſſe Monachi in alieno Monaſterio, non eſt, ut mihi videtur, firmum & accuratum. Epiſcopalibus enim dimiſſoriis magis opus eſt ei qui migrare voluerit, non autem Monaſterii Præfectis. Epiſcopis enim magis ſubjecti ſunt Monachi, quàm Monaſteriorum Præfectis*. Et favet antiquus Eccleſiæ Canon, qui nec Clericum nec Laicum ſine Epiſcopi aſſenſu & dimiſſoriis litteris, non ſolùm de Epiſcopatu ad Epiſcopatum, ſed nec de una ad aliam ejuſdem Epiſcopatus Parochiam transferri permiſit ad figendum illic domicilium, immò nec ad agenda negotia tranſire aut ambulare. Tanta olim fuit harum litterarum neceſſitas, ut etiam nautas ſine ipſis non conſueviſſe navigare teſtetur in litteris ad omnes Orthodoxos Magnus Athanaſius. Eas dare poterat ſolus Epiſcopus. *Presbyteri*, inquit Antiochena Synodus, *qui ſunt in agris, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt. Ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt. Chorepiſcopi autem, qui ſunt irreprehenſibiles, dare poſſint pacificas Epiſtolas*. Pagenſis Presbyter nec ituro ad alium pagum ſubdito dare poterat, ipſas ab Epiſcopo poſtulare debebat, vel certè à Chorepiſcopo, cujus officio hodie fungitur Decanus Chriſtianitatis. Qua lege adſtrictos fuiſſe & Monachos, ſuadet Synodus Andegavenſis: *Monachi quoque, qui abſque Epiſtolis va-*
Cap. 8. *gantur, ab Abbatibus ſuis vel à Sacerdotibus ad communionem non recipiantur*. Conſonat prima Au-
Cap. 7. relianenſis: *Abbatibus ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum pro petendis beneficiis ad Dominos venire non liceat*. Et ejuſdem civitatis ſecun-
Can. 13. da: *Abbates, Martyrarii, Recluſi, vel Presbyteri Epiſtolia*, ſeu obedientiales litteras, *dare non præſumant*. Et prima Cabilonenſis: *Abbates, Monachi, aut Agentes Monaſteriorum, nec ad Principis præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant*. Et Synodus Auguſtodunenſis: *Monachi in civitatibus errare non inveniantur. Quòd ſi cauſa utilitatis Monaſterii, cum litteris Abbatis ſui ad Archidiaconum civitatis ſcriptis dirigantur*. Ut nempè hic Abbatis litteras curet per Epiſcopum firmari. Similes, quibus à Sancto Lupo Ferrarienſi Abbate datam Arnulpho & Acacio Monachis licentiam firmavit Wenilo Metropolita Senonenſis, litteras habes in laudati Lupi Regeſto. Sine Epiſcopi litteris Diœceſim exire, aut extra ipſam communicare non potuit olim Monachus, quomodo igitur ſine ipſis potuerit in aliud, diverſæ præſertim Diœceſis, Monaſterium incorporari?

Reſpondeo tamen ſemper potuiſſe. Lucet ex avita Monaſticæ exemptionis & libertatis amplitudine, quam in ſupplici ad Bonifacium Carthaginenſem Archiepiſcopum ac ejus Synodum libello exponit Petrus neſcio cujus in Byzacio Monaſterii Præfectus: *Poſcimus ut noſtrum Monaſterium facias tuæ Beatitudinis regimini ſubjacere. In abſentia enim Sacerdotis Carthaginenſis Eccleſiæ, de proximo Bonifacium Gratianenſem Sanctum Epiſcopum primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ petiimus, ut quamdiu huic Sanctæ Eccleſiæ Carthaginenſi Rectorem Dominus conceſſiſſet, nobis, qui Divina Officia celebrarent, ordinaret. Quod & factum eſt, ita tamen ut defuncto Primate, non Succeſſor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, ſicut eſt moris in ſubditis. Sed neque plebi nos vicinæ aliquando ſubjecimus, aut Epiſcopis vicinis, aut Interventori Eccleſiæ quæ proxima eſt nobis, exſpectantes Sanctæ hujus Eccleſiæ Carthaginenſis libertatem*. Eadem repetit in aliis ad eumdem Bonifacium Carthaginenſem precibus, addit ſuum, licèt in Byzacio ſitum, Cœnobium fuiſſe à Reparato Puppianenſi intra Proconſularem Provinciam Epiſcopo conſecratum, atque proſequitur: *Ideoque humiles ſupplicamus, ut inanes querelas Liberati Byzacenorum Primatis Beatitudo veſtra repellere dignetur, & currente juſtitia, in qua ſemper deget Beatitudo veſtra, à jugo Clericorum, quod neque nobis, neque Patribus noſtris quiſquam ſuperimponere aliquando tentavit, eruere digneris. Nam docemus Monaſterium de Præciſu, quod in medio plebium Leptiminenſis Eccleſiæ ponitur, prætermiſſo eodem Epiſcopo vicino, Vico-Aterienſis Eccleſiæ Epiſcopi conſolationem habere, qui in longinquo poſitus eſt. Et Baccenſe Monaſterium, quod Maximtanenſi Eccleſiæ vicinum eſt, ad conſolationem Primatis Byzacenæ Provinciæ ſe conferre. Nam & de Adrumetino Monaſterio ſilere nullo modo poſſumus, qui prætermiſſo ejuſdem Civitatis Epiſcopo, de tranſmarinis partibus ſemper ſibi Presbyteros ordinaverunt, Valentinum, Epiphanium, Victorianum, & Paulinum. Et cum ſibi diverſa Monaſteria, ut oſtenderent libertatem ſuam, unicuique prout viſum eſt, à diverſis Epiſcopis conſolationem quæſierint, quomodo nobis denegari poterit, qui de hac Sede Sancta Carthaginenſis Eccleſiæ, quæ Primatum totius Africanæ Eccleſiæ habere videtur, auxilium quærimus?* Et in litteris ad Bavagalianenſis Cœnobii Moniales ipſe laudatus Primas Bonifacius: *Inſinuo ſemper ſervorum Dei vel ancillarum Monaſteria liberum habere arbitrium à conditione omnium Clericorum. Quorum Priſcorum ſequentes ritum, etiam veſtrum Monaſterium hoc habere, & in vobis manere uſque in ævum. Undè per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis, undè volueritis ſpiritualem ſumere cibum, liberam in omnibus habentes facultatem. Si quis autem contra hoc ſalubre venire voluerit Decretum, rigorem illicò ſentiat Eccleſiaſticum. Ergò hanc vobis attribuimus licentiam, ut quem velitis, vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis in Monaſterio peragat Sacro-ſancta celebranda uſque in perpetuum. Et ſi quis Presbyterorum ibidem in Monaſterio Divina celebraverit Myſteria, ipſius Primatis in Altario Domini nomen recenſeatur*. Et hoc eſt definitivum laudatæ Synodi Decretum: *Erunt igitur omnia omninò Monaſteria, ſicut*

cut ſemper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, ſibi tantùm & Deo placentia. Graſſante Honorici aut Trazamondi Regis apud Afros Ariana perſecutione, adeoque per Sancti Eugenii mortem vacante Carthaginenſi Eccleſia, Petrus in Byzacena Provincia fundavit Monaſterium, cupiens ipſum ſubjicere laudatæ Eccleſiæ Carthaginenſi. Verùm quòd dicti Ariani Reges clauſiſſent omnes Catholicas Eccleſias, ipſarum deportaſſent aut occidiſſent Epiſcopos, & novos creari rigidiſſimè vetuiſſent, nulla affulgebat ſpes habendi in iſta Eccleſia Epiſcopi, ideoque Petrus ſe ac ſuos pro tempore ſuppoſuit Bonifacio Gratianenſi Epiſcopo, ſuæ Provinciæ Primati. Res ita manſit uſque ad Trazamondi filium & ſucceſſorem Hildericum, qui ex Eudoxia Valentiniani tertii Imperatoris filia genitus, aut mente fuit Catholicus, aut certè in Catholicos clemens & affectus. Reddidit enim Eccleſias: Permiſit novos conſecrari Epiſcopos, atque ita Carthaginenſis Eccleſia accepit Archiepiſcopum Bonifacium. Et tunc Petrus Abbas ſuum Monaſterium ſuppoſuit Eccleſiæ Carthaginenſi. Verùm Liberatus Byzacenæ Provinciæ tunc Primas graviſſimè interceſſit, aſſeverans ſpectare ad ſuam poteſtatem, & ipſum vexans plurimis calamitatibus. Et videtur Monaſterium fuiſſe in ejus Parochia. Quod ipſum ſuadent adductæ per ipſum rationes. Primò, quòd ex ſui Subdiaconi bonis illud eſſet fundatum. Secundò, quòd eſſet in Byzacio. Tertiò, quòd omnes ejus Monachi eſſent Byzaceni, ideoque hujus Provinciæ *conditione adſtricti*. Repoſuit verò Petrus ex avita Patrum Regula Monachos non eſſe ſubjectos Ordinario, ſed ab ipſis poſſe eligi quemcumque Epiſcopum. Quem morem demonſtrat in Africa ſemper adeò viguiſſe, ut Adrumetinum Monaſterium, licet Paternus Canon Romanas etiam appellationes non permitteret ullis Africæ Clericis aut Monachis, permiſerit ſubeſſe neſcio cui Epiſcopo tranſmarino. Et hinc addiſcimus Valentinum Abbatem, ſub quo fuit famoſa iſta de Auguſtini circa gratiam dogmate diſputatio, Hiſpanum fuiſſe aut Italum, non Afrum. Et quidem Liberatus nuſquam allegavit Petri Monaſterium eſſe intra ſuam Parochiam: Quòd nempè Monachos Parochiano Epiſcopo tunc nullus Canon ſubjiceret. Undè non ſolum pro Petro, ſed pro cunctis generatim Monachis iſta Bonifacii Synodus definivit. Latuit hæc uſque huc in Vaticana Bibliotheca: Quædam ejus fragmenta Illuſtriſſimus Lucas Holſtenius tranſmiſit Illuſtriſſimo Pariſienſium Archiepiſcopo, eruditum de Monachorum ſubjectione & exemptione tractatum paranti, Petro de Marca, & ex hujus ſchedis nuper vulgavit eruditus Lucas Dacherius. Publicavit & poſterioris Carthaginenſis Synodi fragmentum, in qua Reparatus Primas adversùm Feliciani Ruſpenſis Epiſcopi interceſſionem, & cum fundato per proximum ſuum Anteceſſorem Sanctum Fulgentium Monaſterio litem, confirmat hæc omnia, addens tamen hanc moderationem: *Monaſteria libertate pleniſſima perfruantur, ſervatis limitibus Conciliorum ſuorum in hoc dumtaxat, ut quandocumque voluerit ſibi Clericos ordinare, vel Oratoria Monaſteriis dedicare, Epiſcopus, in cujus plebe vel civitate locus Monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſalva libertate Monachorum, nihil ſibi præter hanc ordinationem vindicans, neque Eccleſiaſticis eos conditionibus aut angariis ſubdens.* Quas cunctas Synodos laudant, ac in privilegiis, quæ Corbejenſi ac Sancti Dionyſii Monaſteriis dant, ſe imitari profitentur Berthefridus Ambianenſis, & Landericus Epiſcopus Pariſienſis.

Quæ Monaſtica libertas olim omninò viguit etiam in Orientali Eccleſia. Lucet ex litibus, Epiſt. 60. c. 3.
quas in Sanctum Hieronymum ac ejus fratrem Paulinianum movit Joannes Hieroſolymæ Epiſcopus, *etiam Occidentalium Sacerdotum commovens aures, dicenſque hunc in ſua Parochia Bethleem Presbyterum conſtitutum*. Queſtus eſt à Sancto Epiphanio, extraneo Epiſcopo, ordinatum in ſua Parochia Paulinianum, & ipſum uti malè ordinatum appellavit non ſolùm ad ſuum Metropolitam Cæſareenſem aut Antiochenum Patriarcham, ſed etiam ad Romanum Pontificem. Adeò ſenſit iſtam injuriam. Alterum accuſationis caput exponit Sanctus Hieronymus in litteris ad ipſum Joannem: *Quod dicis te petiiſſe, ut* Epiſt. 61.
ſubjicerentur Eccleſiæ Dei, & non ſcinderent eam, c. 16.
neque proprium ſibi facerent Principatum, de quibus dicas non ſatis intelligo. Exiſtimo illum de toto dixiſſe Hieronymi Monaſterio. Voluiſſe ipſum ſibi tamquam Ordinario Epiſcopo eſſe per omnia ſubjectum. Et ad primum repoſuit Hieronymus: *Si hoc verum eſt, cuncti Palæſtini Epiſcopi non ignorant. Monaſterium enim Sancti Papæ Epiphanii, nomine Vetus dictum, in quo frater meus eſt Presbyter, in Eleutheropolitano territorio, & non in Ælienſi ſitum eſt*. Et pergit: *Cur ipſe Joannes, quod amplius eſt, Miniſtrum alterius Eccleſiæ ordinavit Presbyterum?* In poſteriori Epiſtola adjungit Paulinianum non ad Eccleſiæ onus aut titulum, ſed ad ſolum honorem fuiſſe abſolutè ordinatum. Et hoc in Monaſterio, & quidem in iſto, quod ſit non in Hieroſolymitana, ſed in Eleutheropolitana Parochia, & ex quo Epiphanius ſit aſſumptus ad Epiſcopatum. Nempè hi fratres exindè Epiphanium elegerant in ſuum Epiſcopum, ideoque ab ipſo quam maximè poterant in Clericos conſecrari. Et ipſe ad Joannem Epiphanius ſcribit: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorſimus, in Monaſterio fratrum, & fratrum peregrinorum, qui Provinciæ nihil tuæ deberent, ordinavimus Presbyterum*. Multis factum ſuum expurgat, ac tandem concludit: *Quamquam in Monaſterio ordinaverim, non in Parochia quæ tibi ſubjecta ſit*. Etiam Sancto Joanni Chryſoſtomo, ab ipſo ordinatum in Conſtantinopolitano Suburbio Diaconum arguenti, reſpondit ſe non in Eccleſia, ſed in Monaſterio ordinaſſe. Pergit in litteris ad Æliæ Joannem: *Sed & illud vehementer admiratus ſum, quod meis locutus es Clericis, aſſerens te per Sanctum Presbyterum & Abbatem Monachorum Gregorium mandaſſe mihi, ne quemquam ordinarem, & ego hoc pollicitus ſim dicens, Numquid*

quid juvenis ſum, & Canones ignoro? Epiphanius hæc omnia admiratus eſt, quòd nullus ejuſmodi Canon exſtaret. Nempè alienum dumtaxat Clericum, non alienum Monachum ordinari vetabat tunc Canon, ideoque inanem calumniam veri criminis objectu purgans Hieronymus adduxit alienæ Eccleſiæ Miniſtrum fuiſſe à Joanne promotum in Presbyterum. Et reſpondit ad ſecundum accuſationis caput: *Si de me & Presbytero Vincentio dicas, ſatis multo dormiſti tempore, qui poſt annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim, urbes celeberrimas, deſeruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, ſed ut in agris & ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus.* Affirmat ſeſe ambos ex tantis urbibus veniſſe in Bethleem, ut ſibi & Deo viverent, & ad nullius Epiſcopi Synaxes obligarentur. Singularem de ſe & Vincentio mentionem facit, quòd uterque eſſet Presbyter, & antiquiſſima ſit Regula, quam in Lerinenſis Cœnobii adversùs Theodorum Epiſcopum cauſam laudat tertia apud Jacobum Sirmondum Arelatenſis Synodus: *Clerici ad Epiſcopum, Monaſterii Laica omnis multitudo ad curam Abbatis pertineat.* Hinc Hieronymus addit & ſe & Vincentium, non ad aliquod Eccleſiæ officium, ſed ſalva Monachorum libertate ordinatos abſolutè, ideoque Joanni ad ſingularem obedientiam non adſtringi. Et pergit de Laica turba: *An non tu potius ſcindis Eccleſiam, qui præcepiſti Bethleem Presbyteris tuis, ne Competentibus noſtris in Paſcha Baptiſmum traderent, quos nos Dioſpolim ad Confeſſorem & Epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos?* Utique Competentes Monachos, quos Monaſtica libertas permittebat à quovis Epiſcopo baptizari.

Et ita fuit uſque ad Eutychianam hæreſim, cujus Sectatores Monachi horrenda patrarunt in Orientalis præſertim Diœceſis Epiſcopos, ideoque Chalcedonenſis Synodus emiſit hunc Canonem: *Qui verè & ſincerè ſingularem ſectantur vitam, competenter honorentur. Quoniam verò quidam utentes habitu Monachali, Eccleſiaſtica negotia & civilia conturbant; placuit Monachos per unamquamque civitatem aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo, & quietem diligere. Nec Eccleſiaſticis nec ſæcularibus negotiis communicent, propria Monaſteria deſerentes, niſi fortè his permiſſum fuerit propter opus neceſſarium ab Epiſcopo civitatis.* Monachos non tantùm ſubjicit Ordinario, ſed & ſine ejus aſſenſu vetat ad aliud Monaſterium transferri. Et hic eſt Canon, quem laudat Theodorus Balſamon, atque ita ante ipſum nulla erat neceſſitas iſtius adſenſus. Verùm quòd adversùm Orientales dumtaxat Monachos ſanciat Canon, in Occidente quoad translationis articulum numquam fuit uſu receptus. Nam in contrarium adducti Latini Canones, non de transferendis ad aliud Monaſterium, ſed dumtaxat de peregrinaturis, atque ita Epiſcoporum & Clericorum Synaxi opus habituris Monachis agunt, ideoque rectè illos compellunt ad Formatas Epiſcopales. Etenim ſine his nemo peregrinus ad publicam Eccleſiæ communionem potuit admitti.

Cap. 4.

Dixi, *Quoad translationis articulum.* Chalcedone enim ſancitam Monachorum ſub propriis Epiſcopis ſubjectionem omnis pedetentim admiſit etiam Latina Eccleſia, & quævis exinde exemptio cœpit illis eſſe ſingulare privilegium. Verùm hæc omnia alium exſpectant locum.

Quæſtio tertia eſt, An ſolus ſine Abbate Epiſcopus poſſit Monachum de Monaſterio transferre ad Monaſterium? Partem negativam adeò conſtanter in litteris ad Pontium Cluniacenſem Abbatem defendit Goffredus Abbas Vindocinenſis, ut nec Romano Pontifici credat eſſe hanc poteſtatem. Etenim adversùs Apoſtolicum, quo quemvis ad ſe, uti ad ſtrictiores, tranſeuntem Monachum admittere prætendebant Cluniacenſes, privilegium hæc ſcribit: *Quòd ſi alicujus privilegii auctoritate Monachum de noto & regulari Monaſterio ſine licentia ſui Abbatis vobis retinere conceditur, hujus auctoritas privilegii contra Sancti Benedicti Regulam nititur, & aliud quàm privilegium, quod Chriſtus Dominus Beato Petro donavit, continere videtur. Hoc enim Privilegium fuit Petro à Deo collatum, ut quæ erant ſolvenda ſolveret, & quæ liganda ligaret, non ut hominibus fidem mentiendi, vel ſe perjurandi occaſionem præberet.* Adfirmat Monaſticam, qua ſemetipſum quis certo Monaſterio donat, profeſſionem non poſſe ſolvi à Romano Pontifice, ideoque uti ſervum ad alium Dominum, uxorem ad alium maritum, aut civitatem ad alium Principem, ita & Monachum ad aliud Monaſterium non poſſe ab ipſo transferri.

L. 4. Epiſt. 2.

Reſpondeo verum eſſe, quod ad quartum Conſtantinopolitanæ, in Sanctorum Apoſtolorum Baſilica per Patriarcham Photium celebratæ, Synodi Canonem tradit Theodorus Balſamon: *Præſens Canon permittit Epiſcopo, ut ex duobus ad ſe pertinentibus Monaſteriis faciat Monachorum tranſlationes, prout ei viſum fuerit.* Quod ipſum repetit ad octogeſimum tertium Carthaginenſem Canonem, addit valere in ſolis ejuſdem Parochiæ Monaſteriis, atque proſequitur: *Hæc locum habebunt in cæteris Epiſcopis, non autem in Patriarcha Conſtantinopolitano. Ei enim permiſſum eſt Monachos & Clericos ex regionibus alienis, nec ejus ſedi omninò ſubjectis accipere, ſed non itidem Antiocheno throno, vel Hieroſolymitano.* Quinimmò non Antiochenus ſolùm & Hieroſolymitanus, ſed omnis omninò id poteſt Patriarcha. Etiam quivis Primas & Exarchus. Verùm ſchiſmatici Græci ſuo Conſtantinopolitano ſemper adulati ſunt, quem ex Heracleienſis Metropolitæ Provinciali Epiſcopo in novum Papam ſunt conati alienis plumis fucare & inveſtire. Omnis Patriarcha, Primas, Metropolita, Epiſcopus, ſubjectos ſibi Monachos ſemper potuerunt de Monaſterio transferre ad Monaſterium ſuæ Diœceſios, adeoque Romanus Epiſcopus ſemper id potuit per univerſam Eccleſiam. Ita in cauſa Theognoſti Abbatis Conſtantinopolitani conſtanter ad Imperatorem Michaelem tertium ſcripſit Pontifex Nicolaus primus. Quod ipſum in litteris ad Dolenſes Monachos tradit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Papa enim, uti omnium Epiſcoporum Epiſcopus, ita eſt Abbas om- Epiſt. 78.

omnium Abbatum. Et illi præſertim noſtram vovemus obedientiam. Quod & in aliis Patriarchis ac Epiſcopis ſuo modo habet locum. Quare incongrua nimis exempla pro ſuo errore Goffredus Abbas adduxit.

Porrò Gregorii noſtri tempore plures graſſabantur de his translationibus contentiones. Nam & ad Claſſenſis Monaſterii Abbatem ſcripſit manſuetiſſimus Petrus Damiani: *Cur ore perdicis foves quem non genuiſti? Hoc eſt enim naturale perdicis, ut aliena furtim ova ſurripiat.* Hujuſmodi ergo plurimas lites præſenti Canone exſtinxit aut præfocavit Gregorius. Agit non de tranſitu ab Ordine ad Ordinem, ſed dumtaxat de tranſitu à Monaſterio ad Monaſterium. Nulli enim tunc erant diverſi Monachorum Ordines. Etenim Cœnobiticum Monachiſmum in Ægypto incepit Sanctus Antonius, quem in Palæſtinam Sanctus Hilarion, in Italiam Sanctus Athanaſius, in Armeniam Euſtatius Sebaſtenſis, in Pontum Sanctus Baſilius, in Galliam Sanctus Martinus, in Gothiam Sanctus Nicetas, in Belgium Sanctus Victricius Rothomagenſis Epiſcopus, in Africam Sanctus Auguſtinus, in Hiſpaniam detulit ac plantavit Sanctus Donatus. Omnes erant ejuſdem vitæ & formæ, niſi quòd quaſdam varietates induxerit Sanctus Pachomius, è quibus hæc fuit una: *Si quis de altera domo transferatur ad alteram, exceptis his quæ uſui quotidiano ad habitum neceſſaria ſunt, ſecum transferre nihil poterit.* Monachi ad certam domum affixio illi non placuit, ſed cunctos voluit per ſuæ congregationis Præfectum poſſe de domo transferri ad domum, uti hodie fit in Ordinibus Fratrum Mendicantium. De cœlo per Angelum venit Pachomii Regula, atque ità lucet facilem Fratrum Mendicantium migrationem malè à quibuſdam improbari. Quomodo de Ordine ad Ordinem ſit hodie facienda translatio, alio loco exponetur.

L. 6. Epiſt. 15.

CANON XXI.

DE Imperatore Conſtantinopolitano.

SCHOLION.

DE Imperatore Michaele Duca, ſive Parapinacio, ejuſque Logotheta Nicephoro ſcribit Joannes Schylitza: *Logotheta, cum eſſet maximè idoneus ob verſutiam, ut ſi quis alius, ad lucrandum, & quæſtûs gratia nulli parcens infamiæ, officinam in Rhadeſto, & monopolium inſtituit, prohibens & coercens omnes vendentes, ſolumque Imperatoris forum venale machinatus eſt. Ex quo maximæ famis auctor fuit, & eorum quæ umquam meminerint homines crudeliſſimæ, ita ut inde Imperator cognomentum invenerit, à quo magis quàm à ſuorum Majorum nomine Poſteris eſt cognitus. Nam ſi quis dicat, Michael, neque addat, Parapinacius, haud ſtatim cognoſcitur: Eo quòd tunc modius numiſmate venderetur, ſed Pinacio minus, qui eſt medius quadrans.* Quod ipſum ſcribit Michael Glycas. Uterque Scriptor adfirmat Michaelem fuiſſe hominem incurium, & componendorum verſuum magis quam Auguſti regiminis ſtudioſum. Hinc ſub ipſo Turcæ Romanas res non parum lacerarunt. Quare offenſi Proceres fecerunt quod ſcribit memoratus Schylitza: *Capiunt Imperatorem Michaelem, qui ad palatia in Blachernis fugerat cum Auguſta Maria, ſuoque filio Conſtantino Porphyrogenito, & ad Monaſticam vitam reducunt in Studii Monaſterium, cum vili jumento tranſmiſſum.* Et in ejus thronum intruſerunt, ac per Coſmam Patriarcham ungi & coronari fecerunt Nicephorum Botoniatem, de quo pergit idem Scriptor: *Ducit Mariam, dejecti & adhuc viventis Michaelis uxorem, Imperator Nicephorus omni remoto pudore, & cum ipſa ſacrilegè conjungitur, ſtatimque Sacerdos abdicatur, ut aperto commiſſo adulterio. Michael autem detonſis capillis, ſententia Patriarchæ & Metropolitanorum, Epheſi Archiepiſcopus deligitur. Semel tantùm ad ipſam urbem acceſſit, & reverſus in Manuelis Monaſterium, ibi manſit, ſuis manibus elaborans. Egregiè verò cultus eſt ab Alexio Comneno, qui poſtmodùm imperavit, ſub cujus etiam Imperio diem ſuum obiit, uxorem ſuam Mariam, poſt Botoniatæ abdicationem Monacham factam, venia eorum, quæ in ſe admiſerit, in ipſa morte dignatus.* Auguſtos ſuos Principes ejicere, trucidare, aut in Monaſterium conjicere, ac tondere, eſt antiqua Græcorum iniquitas: Unum è peccatis iſtis, ob quæ Divina ipſos tandem deſeruit juſtitia, ac tradidit in barbaram ſervitutem Turcarum. Quoſdam ejectos conſecrabant in Presbyteros aut Epiſcopos: Erat gratia ſingularis. Et ipſam Coſmas Patriarcha fecit Parapinacio Michaeli. Sacrilegi iſtius matrimonii radicem aperit brevis Conſtantinopolitanorum ad captam uſque à Turcis urbem Imperatorum Catalogus: *Michael Ducas proditione conjugis à Botoniata Imperio dejectus, & in Monaſterio Studii detruſus, & poſteà Epheſi Metropolita factus eſt.* Exſtat poſt Georgii Codini librum de originibus Conſtantinopolitanis.

Porrò Michael, licèt variè vitioſus eſſet, habuit tamen & ſuas virtutes, de quarum una ſcribit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus: *Circa hos dies Michael Conſtantinopolitanus Imperator Patri Deſiderio per nuntios dona plurima tranſmiſit, poſcens ut pro ſe ac liberis, & ſtatu Imperii ſui, Omnipotentis Dei clementiam aſſiduis precibus exoraret. Inſuper ob Beati Patris*

Benedicti reverentiam pro ſalute animæ ſuæ per Præceptum aurea Bulla roboratum conſtituit, ut annis ſingulis Monaſterium iſtud ex Regiis reditibus auri viginti quatuor libras acciperet, & pallia quatuor, ad noſtræ familiæ ſuſtentationem. Michael erat Latinorum amicus, ac etiam Romanæ Eccleſiæ.

Quid ſit eſſe Porphyrogenitum, exponit in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius, ſcribens de Conſtantino Leonis quarti & Irenes filio: *Incluſerunt eum in domo purpurea, in*
Fol. 666. *qua & natus*. Et Martyr Theophanes: *Conſtantinum in Porphyra, qua primùm in lucem prodiit,*
Fol. 398. *includunt*. Quod ipſum ſcribit Georgius Cedrenus. Et in Alexiados libris Anna Comnena: *Alexius Imperator Auguſtam conjugem in ea Palatii*
Lib. 6. *parte diverſantem reperit, quæ olim puerperiis Auguſtarum eſt dicata. Ædes iſtæ antiqua appellatione Porphyra ſeu Purpura vocantur. Unde Porphyrogenitorum nomen orbe toto Romano profluit*. Et in ſequente libro: *Eſt autem Purpura ædificium quoddam intra ſepta Imperialis Palatii, ab ipſa baſi uſque ad tecti ſuggrundia quadrata conſtructum forma. Hinc in pyramidem deſinens. Proſpectum habet mare versùs: In eam partem, quò viſuntur lapidea boum ac leonum ſimulacra. Sola exedrarum conſtrata marmore: Parietes cruſtarum ex eodem lapide tectorio renident. Marmor porrò illud non de vulgari genere, aut modicis parabile ſumptibus, verùm ejuſmodi quod propter eximiam excellentiam priores Imperatores, quando ſedem Imperii Byzantium tranſtulerunt, deportare huc uſque à vetere Roma tanti duxerunt. Eſt is lapis purpureus ferè totus: Niſi quòd punctulis arenoſa tenuitate paſſim inſperſis candicat. Mea ſententia eſt à colore horum lapidum aulam iſtam purpuream à priſcis dictam*. Et in Conſtantino Duca Joannes Zonaras: *Imperium reliquit tribus filiis ſuis, quos ſuſtulit ex Eugenia conjuge ſua. Michaelem quidem & Andronicum, quando adhuc privatam vitam ducebat, Conſtantinum verò, cum jam imperaret, ipſaque etiam Eugenia ad Auguſtæ honorem evecta. Hinc iſte ſolus erat Porphyrogenitus, quem ſtatim etiam ante alios Imperatoriis inſignibus exornavit*. Nempè Conſtantinus in famoſa & antiqua quæſtione ſequebatur partem, quæ filios poſt adeptum à Patre Regnum procreatos ſuis ante illud natis fratribus affirmat digniores, ac in dignitatis ſucceſſione præferendos. Adducta Zonaræ verba laudat in ſuis ad Georgium Codinum commentariis etiam Jacobus Gretzerus, atque adjungit:
L. 3. c. 17. *Alii Porphyrogenitos dictos cenſent, quòd Patre Imperatore & Purpura imperiali inveſtito nati eſſent. Ita Zonaras*. Permotum exiſtimo hiſce Zonaræ verbis: *Hinc iſte ſolus erat Porphyrogenitus*. At certum eſt labi. Etenim quis poterat Patre Imperatore naſci, & non eſſe Porphyrogenitus: Qui nempè caſu aut ſtudio extra purpuream domum edebatur in lucem. Nemo tamen præter Auguſti Principis prolem iſtic edi poterat. Et hoc ſolum vult Joannes Zonaras. Error tamen, quem ipſi Gretzerus malè impingit, omninò habuit Patronos, & adversùm ipſos ſcribere vide-
L. 1. c. 2. tur Luitprandus Ticinenſis Diaconus: *Porphyrogenitum non in purpura, ſed in domo, quæ Porphyra dicitur, natum appello. Et quoniam res proceſſit in medium, quod de Porphyrogeniti geneſi audivimus, proferamus. Conſtantinus Imperator Auguſtus, ex cujus nomine Conſtantinopolis eſt ſortita vocabulum civitas, domum iſtam ædificari juſſit, Porphyra cui nomen impoſuit, voluitque ſucceſſuram ſuæ Nobilitatis ſobolem iſtic in lucem prodire, quatenus qui ſuo ex ſtemmate naſcerentur, luculenta hac appellatione Porphyrogeniti appellarentur*. Rectè dicit: *Quod audivimus*. Iſtam enim domum & Auguſtum in ipſa partum nemo antiquus Scriptor laudat: Et primus, cui Porphyrogeniti titulum memini adſcriptum, fuit Conſtantinus Leonis quarti & Irenes filius, ſub cujus Imperio celebratum fuit ſeptimum Concilium.

Quidquid ſit etiam Parapinacii Michaelis filius fuit in hac domo natus. Et Roberti Guiſcardi, qui tunc in utraque Sicilia potens dominabatur, filiam Helenam ſibi deſponſaverat, ſcribitque de hac Anna Comnena: *Hic porrò adoleſcens ſponſus Helenæ Roberti fuerat, planè im-* Lib. 1.
pollutus ac purus. Conſcripta inter ipſos connubialia pacta fuerant, quamquam ea inconſummata manſerint, nihil ultra promiſſiones progreſſa: Tum quidem propter immaturam pueri ætatem, deindè etiam mutata Republica. Occupans ſiquidem Imperium Nicephorus Botoniates, ea penitus abrupit. Nec tamen Helenam Patri Roberto reddidit, ſed detinuit Conſtantinopoli. Et Botoniatem fuiſſe Præf. c. 5.
hominem privatum ac alieni generis, adfirmat in ſuis Byzantinarum rerum Commentariis Cæſar Nicephorus Bryenius. Et quidem Presbyterum, qui ſacrilegas Botoniatæ cum Conſtantini matre Maria nuptias benedicere præſumpſerat, rectè damnavit Coſmas Patriarcha: Verùm damnare debuerat ipſos etiam profanos conjuges. Hinc tot conglobata Botoniatæ invaſoris crimina, & bonas Michaelis intentiones perpendens ſeptimus noſter Gregorius, ſupplevit Coſmæ negligentiam, ac iſtum excommunicavit.

Et licèt reſumpto per Michaelem Cerularium Patriarcham ſchiſmate adversùs Apoſtolicam Sedem tunc rebellaret Conſtantinopolitana Eccleſia, excommunicatio tamen non caruit omni effectu. Quòd enim Imperator Michael in Manuelis deinceps Monaſterio vixerit, ac tandem ſub Alexii Comneni Imperio ſit ibidem defunctus, quidquid ſcribant Joannes Scylitza & Michael Glycas, non eſt penitus certum. Aliud clamat neſcio quis in Siciliam confugiens Monachus. Perſuaſit ſe eſſe Michaelem Imperatorem, & ad ſe ac ſuum filium Conſtantinum, nec non ad nurum ſuam Helenam vindicandos permovit ac terribiliter armavit hujus patrem Robertum. Fuiſſe verum Michaelem affirmat Gregorius ſeptimus in litteris ad Apuliæ Lib. 8.
& Calabriæ Epiſcopos: Affirmat ut rem certam Ep. 6.
& notam. Anna tamen Comnena aſſeverat fuiſſe impoſtorem, Rectorem nomine. Quiſquis fuerit, ab illo accenſus Robertus Botoniatem tantis vexavit cladibus, ut Alexio Comneno fecerit vires illi reddendi talionem, ejiciendi de malè invaſo Imperio, & cogendi ad veſtem Monaſticam. Nempè ipſum Divina ab excommunicante Gregorio invocata vindicta per Robertum perſequebatur. Etiam dictum Alexium,

quòd

quòd & ipſe alienum tyrannicè invaſiſſet Imperium, perſecuta eſt. Etenim Aulonem, Dyrrachium, omnem Epirum ſubjugavit Robertus, tentavitque & Conſtantinopolim. Quòd Imperium & ſuo genero & hujus Patri non reſtituerit, fecit Henricus quartus Imperator, in Italia vexans non ſolùm Pontificem Gregorium, ſed etiam utramque Siciliam. Interim purpureos calceos, purpureos in ſubſcriptionibus characteres & Auguſtam coronam Conſtantino reddidit, & ejus cum ſuo nomen ubique proclamari fecit Alexius: Haud dubiè ex timore Roberti.

Et hæc eſt cauſa, cur Alexii Porphyrogenita filia, & Robertum & noſtrum Gregorium conſpergat peſſimis calumniis. Mirificos Roberti in Italia progreſſus ediſſerit cum ſtomacho, & pergit: *Diſciderat Occidentem univerſum in duas tum factiones magna exorta inter Papam urbis Romæ (eſt is Principatus non inermis, ſed multis undique & magnis militaribus ſuccinctus copiis) & Henricum Regem Allemaniæ controverſia. Avertit ea res utriuſque partis Principes à cura obſtandi profectibus Roberti ad ſtudium ejuſdem ſibi adjungendi. Papa præſertim, qui vicinior erat, majori ſpe atque ambitu ad Nortmannum ſuæ cauſæ conciliandum incubuit. Porrò ea, quam dixi, controverſia in his ferè vertebatur. Accuſabat Regem Henricum Romanus Pontifex, quòd Eccleſias non gratis, ut par erat conferret, ſed interpoſita pactione donorum venderet. Quòd etiam indignis hominibus Sacerdotia & Epiſcopatus committeret. Rex Allemaniæ viciſſim Papam agebat reum illegitimè invaſæ dignitatis, quippè qui ſine ſuo conſenſu in Apoſtolicum ſe thronum intruſiſſet. Quo in jactando crimine elatus iracundia Rex, excuſſa omni Pontificis reverentia, inſolentioribus verbis comminatus ferebatur ſeſe, niſi ultrò ſede occupata Papa cederet, ignominiosè ipſum ex ea ejecturum. Hujus auditu contumeliæ iram omnem Pontifex in Henrici Legatos, talium minarum nuntios, vertit. Eos enim inhumanè flagris proſciſſos, capita forficibus, barbas novaculis ridiculè raſos, alio inſuper crudelis, & ſuprà modum Barbari ludibrii genere dehoneſtavit, tam ſpurci & dictu fœdi, ut ab eo commemorando me revocet pudor, & ea verecundia, quæ fœminam decet & Principem. Adeò immane facinus, non dico Pontifice, ſed omninò quovis, qui ſe Chriſtianum ferat, multò indigniſſimum abominor, animumque non minùs Barbari, qui id deſignare & decernere potuit. Quod ſi referre diſtinctiùs velim, calamum hunc & chartam polluerem. Et hæc quidem Pontifex. O mores! atque adeò Summus Pontifex, & in orbem terrarum univerſum univerſalis Chriſti Vicarius fecit. Nam eos illi titulos ſui Latini tribuunt & vendicant, in his quoque pro cætera ſua inſolentia mentientes. Tranſlatis enim è veteri Roma ſceptris in noſtram urbem Regiam, Senatu quoque & omnibus inſignibus atque ordinibus Imperii inde huc traductis, Pontificatus quoque Primaria dignitas illic defecit, Eccleſiæque Primatus jam olim à Principibus, qui hìc regnarunt, Conſtantinopolitano adjudicatus eſt throno. Quorum maximè præjudicium ſecuta Chalcedonenſis Synodus, ſupremo in faſtigio Eccleſiarum Conſtantinopolitanam ſtare ſedem juſſit, cui Diœceſes & Provincias per orbem Chriſtianum univerſum eſſe ſubjectas omnes ſtatuit. Videtur autem ſtudiosè Pontifex caviſſe, ne in Legatorum perſonis reſediſſe contumelia videri poſſet, quam ipſe relatam ad Regem ipſum volebat intelligi. Ideò enim præter cæteram, qua miſeros malè mulctavit, acerbitatem etiam illud primus excogitavit inuſitatum genus injuriæ, ut per id innueret, quam vili loco & exiſtimatione Regem haberet, quem nempè ipſe, ut Semi-Deus quidam, velut mulum deſpicere ſe, ipſo genere dehoneſtationis injurioſiſſimæ, qua erat in Legatos ejus debacchatus, oſtendebat.* Addit hac Legatorum injuria permotum Henricum tuliſſe arma in Italiam, ideoque & jurata cum Roberto adversùs illum iniiſſe Gregorium pacta, quorum hæc fuit Summa: *Ut Pontifex quidem Regis nomen ac dignitatem Duci tribueret, eidemque auxiliares copias, ubi opus eſſet, adversùm Orientales Romanos ſubmitteret. Dux verò Pontifici adeſſet in omnibus, quando is & ubi vellet.* In quinto libro adfirmat Henricum Imperatorem à Patre ſuo Alexio adversùs Robertum Ducem fuiſſe è Germania evocatum in Italiam, pugnaſſe infeliciter, ideoque rediiſſe, & proſequitur: *Omni præda potitus Robertus Romam versùs iter intendit unà cum Papa, quem cum illic in throno proprio firmaſſet, viciſſim ab eo iterum Rex eſt appellatus.* Ex hiſce cauſis optimum Gregorium appellat Papam deſputabilem, & ipſas magis exponit: *Non enim aliter vocare poſſum, dum atrocis & inhumanæ injuriæ memini, qua Legatos deformavit, cum ſpiritali gratia & Evangelica pace in bellum Domini* Lib. 1. *ferebatur toto animo totiſque viribus, Pacificus & Pacifici Diſcipulus, civilem diſcordiam movens, cienſque. Accitis enim repentè Saxonibus, & Ducibus eorum Lantulpho & Welpho, eos cùm aliis pollicitationibus multis, tum promittendo ſe illos Occidentis univerſi facturum Reges, ſibi ſuiſque partibus adjungit: Ita ille promptam habebat dexteram Regibus inaugurandis, Paulum negligens, negantem citò eſſe cuiquam imponendas manus.*

Hæc, inquam, loquacis & ſchiſmaticæ mulieris Scripta ſcatent peſſimis & adversùs Apoſtolicam Sedem, & adversùs optimi Gregorii perſonam erroribus & calumniis. Primò, falſum eſt quòd Romani olim Imperatores, dum Imperii ſedem è vetere Roma tranſtulerunt in novam, ſeu potiùs illi fecere communem, etiam Catholicæ Eccleſiæ Primatum ac univerſalem Epiſcopatum tranſpoſuerint in Cathedram Conſtantinopolitanam. Etenim adversùs Hilarium Arelatenſem Archiepiſcopum, vicinorum Metropolitarum conſecrationes & alia jura invadentem, & Apoſtolico Magni Leonis de ipſis decreto rebellantem, Theodoſius ſecundus ac Valentinianus tertius hanc novellam legem ediderunt ad Ætium utriuſque militiæ in Gallia Magiſtrum: *Cum Sedis Apoſtolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius inlicitum præſumptio attentare nitatur. Tunc enim Eccleſiarum pax ubique ſervabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat Univerſitas. Hæc cùm bactenùs inviolabiliter fuerint cuſtodita, Hilarius Arela-*

tenſis contumaci auſu inlicita quædam præſumenda tentavit. Hilarii Attentata ac rebellionem exponit lex, & pergit: *Auſibus talibus fides & reverentia noſtri violatur Imperii.* Omnes à Conſtantino uſque ad ſeſe Orthodoxos Imperatores adfirmat Apoſtolicæ Sedis & fuiſſe & eſſe tutores ac protectores, ideoque omnem in ipſam ac ipſius Epiſcopos contumaciam non eſſe ſimplex Eccleſiaſticum delictum, ſed inſuper crimen læſæ Majeſtatis. Hinc concludit: *Ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine venerabilis viri Papæ æternæ urbis auctoritate tentare, ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quidquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas.* Eſt Theodoſiani codicis novella lex quarta decima, data ſexto Valentiniani Conſulatu, hoc eſt, Domini anno quadringenteſimo quinto, ſexto ante Synodum Chalcedonenſem. Romanæ Cathedræ Primatum affirmat uſque huc cuſtoditum inviolabiliter, & ſancit deinceps eſſe perpetuum: Non ob Imperialis civitatis dignitatem, ſed ob Sancti Petri Apoſtoli meritum.

Eodem tempore per Magnum Leonem caſſata Epheſini latrocinii Acta firmavit, & Sancti Flaviani Conſtantinopolitani, ac aliorum illic iniquiſſimè damnatorum Epiſcoporum, Romanam appellationem, à Chryſaphio Eunucho circumſcriptus, potenter impedivit præfatus Imperator Theodoſius, aliam noluit permittere Synodum, atque ita Sacerdotium atque Imperium grandi ſchiſmate inter ſe commiſit. Hinc ergò ad iſtum

Ep. 18. ſcripſit laudatus Imperator Valentinianus: *Fidem nos à noſtris Majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac Sacerdotibus judicare.* Et Auguſta mater Galla Pla-

Ep. 26. cidia: *Manſuetudo tua tantis turbis reſiſtens, veritatem fidei Catholicæ religionis immaculatam ſervari præcipiat, ut ſecundùm formam ac definitionem Apoſtolicæ Sedis, quam & nos tamquam præcellentem ſimiliter veneramus, ad Concilium Apoſtolicæ Sedis judicium tranſmittatur, in qua primus ille, qui cæleſtes claves dignus fuit accipere, Principatum Epiſcopatus ordinavit. Quando ſcilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ Domina eſt omnium terrarum, in omnibus reverentiam conſervare. Diligentiùs autem etiam in hoc providere, ne quod priſcis temporibus noſtra generatio cuſtodivit, ſub nobis imminui videatur, & per præſens exemplum ſchiſmata generentur inter Epiſcopos & ſanctas Eccleſias.* Et in litteris ad Imperatricem

Ep. 28. Pulcheriam: *Clementia tua conſpirare dignetur, ut ad Apoſtolicæ Sedis judicium, in qua primus Apoſtolorum beatus Petrus, qui etiam claves Regni Cœleſtis ſuſcipiens, Sacerdotii Principatum tenuit, Epiſcopatus cauſa mittatur.* Altè clamant Romanæ Eccleſiæ univerſalem Primatum & ſemper fuiſſe, & etiamnum eſſe, & tamquam totius Chriſtianitatis, ac Romanæ Reipublicæ fundamentum debere perpetuò cuſtodiri. Quales etiam Honorii & Arcadii, Magni Theodoſii, Valentiniani, ac ipſius etiam Conſtantii profeſſiones poſſint facilè adduci. Ab Euſebiana Arianorum factione circumventus Conſtantius Liberium Pontificem quidem arguit de ampliatis & tranſcenſis Apoſtolicæ poteſtatis limitibus, at de translato Conſtantinopolim Primatu ne vel cogigitavit.

Comnena igitur Anna, adfirmans Primatum hunc per Imperatores Chalcedonenſi Synodo anteriores fuiſſe Conſtantinopolitano throno adſcriptum, conatur nugas vendere ac impoſturas. Undè nec Photius, nec Michael Cerularius, nec Theodorus Balſamon, nec alius quis iſtius ſchiſmatis defenſor ſimiles nundinas umquam attentavit. Nec ipſe Marcus Epheſius. Loquitur Anna ex famoſo ſui ſchiſmatis dogmate, quod Auguſtum Principem exaltat quaſi in ſummum Pontificem, ideoque ab ipſo permittit quaſvis Epiſcopales Cathedras deprimi uſque ad abyſſum, & uſque ad cœlos elevari. Hinc enim à variis Imperatoribus habemus diverſas & adverſas Orientalium Epiſcopatuum notitias. Quomodo in mutando ipſorum ordine luſerint, docet notitia edita per Andronicum Palæologum. Et ad undecimi ſæculi octogeſimum nonum ſcribit breve Orientis Chronicon: *Argus Metropolis facta eſt. Joannes, qui ei Eccleſiæ tunc præerat, ad Metropolitæ dignitatem provectus eſt, octogeſimumque thronum ſeu locum obtinuit, qui ad centeſimum ſeptimum deindè depreſſus eſt.* Et de Trinobii Epiſcopo, Moeſiæ ſeu Serviæ Metropolita, quod inter Theodorum Laſcarim, Joannis Ducæ Imperatoris filium, ac Helenam Aſani Bulgarorum Principis filiam utiles nuptias, atque ita fortia adverſùm tenentes tunc Conſtantinopolim Latinos auxilia conciliaſſet, ſcribit Georgius

Acropolitanus: *Trinobii Præſul, Conſtantinopoli-* Cap. 33.
tano obnoxius, Imperatorio ac Synodico Decreto, ut Aſano Bulgarorum Principi, affinitatis & amicitiæ cauſa, gratificarentur, ſuo jure vivere, & Patriarchæ nomine condecorari obtinuit. Trinobium eſſe urbem totius Hæmi montis munitiſſimam ſcribit Nicetas Choniates. Bulgarorum Regiam Nicephorus Gregoras, Imperator Joannes Cantacu-

zenus facit Regiam Moeſorum. Quòd nempè Lib. 3.
eundem Regem iſti populi quandoque habuerint. Innocentius tertius fecit Metropolim Bulgarorum & Blachorum. Ejus ergò Epiſcopum Imperator Joannes Ducas à Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui univerſalis mundi volebat eſſe Epiſcopus, poteſtate exemit, fecit Patriarcham, & ſuo permiſit arbitrio vivere, atque ità palàm contra ſemetipſum confeſſus eſt Epiſcopum Conſtantinopolitanum non eſſe univerſalem. Etenim ab univerſalis Epiſcopi poteſtate nemo poſſit eſſe exemptus. Et Chriſtianæ Eccleſiæ unitas non patitur duos Supremos Epiſcopos. Et hanc mirificam exemptionem Germanus ſecundus Patriarcha ſynodicè confirmavit. Oſtendit ſe filium & ſucceſſorem Euſebianæ factionis, quæ in Philippopolitano Conventu garrire cœpit Eccle-

ſiæ

ſiæ Hierarchiam non eſſe Monarchicam, ſed in tres Patriarchas ex æquo diviſam Ariſtocratiam, atque ita Photiani ſchiſmatis jecit prima fundamenta. Hic eſt ille Germanus, cujus ad Gregorium nonum Pontificem, & hujus ad illum varias Epiſtolas refert Matthæus Pariſienſis. Etiam de Theodoro Comneno, qui adversùs dictum Joannem Ducam aſſumpſit Imperium, ac Theſſalonicæ fixit ſedem, & de Demetrio Acridæ Epiſcopo, Metropolita Bulgarorum, ſcribit idem Georgius: *Comnenus Theodorus purpurea chlamyde induitur, & rubris calceis conveſtitur, obluctante illi in hoc quàm ſtrenuiſſimè Conſtantino Meſopotamita, Metropolita Theſſalonicenſi, quem diris malis & calamitoſis exiliis, Canonica Statuta propugnantem inſectatus, miſerè afflixit. Sed & Bulgariæ Archiepiſcopus Demetrius, tanquam, ut ipſe fatebatur, ſui juris eſſet, neminique ſui facti rationem reddere teneretur, ideoque in ejus poteſtate eſſet, quoslibet, & ubicumque, & quandonam illi libitum fuiſſet, Reges ungere, Regio eum diademate coronat.* Hic jam non duos, ſed tres ſupremos ac independentes Epiſcopos, adeoque & tres diviſas ac independentes Eccleſias ſchiſmatici Græcorum Imperatores ſibi fecerunt. Quod eadem poteſtate voluerint ac valuerint Papatum Roma Conſtantinopolim transferre, nugatur Anna Comnena. Hujus audaciæ aliqua rudimenta poſuit hæreticus Imperator Valens. Etenim ex Magni Baſilii odio Cappadociam ſecuit in duas Provincias, atque ita Anthymum Tyanenſem Epiſcopum incendit ad ſe vendendum pro Metropolita, & plures civitates laudato Baſilio ſubſtrahendas. Verùm ipſa evulſit Chalcedonenſis Synodus, ſanciens uſque huc erectarum Epiſcopis ſolum Metropolitæ ſine poteſtate nomen, deinceps autem per Principem erigendarum Metropolion Antiſtibus, nec iſtum vacuum honorem eſſe indulgendum. Adeò abeſt, ut Papatum tranſtulerit Roma Conſtantinopolim, aut ab ullo anteriori Principe factam translationem confirmarit.

Cap. 21.

Nulla umquam Œcumenica Synodus Romani Epiſcopatus Primatum profeſſa eſt lucidiùs, aut validiùs ſtabilivit. Pluribus in locis abundè hoc eſt demonſtratum. Quocirca ſecundus in Annæ Comnenæ dictis error eſt, quòd vigeſimus octavus laudatæ Synodi Canon faciat aut firmet Papatus translationem. Rectè ſcribit Catholicus Annæ ad marginalem Scholiaſtes: *Qui amant, ſibi ſomnia fingunt.* Etenim Canon iſte exceſſit graviter, verùm in Græcorum Patriarchas, & autocephalos Primates, non in Epiſcopum Romanum. Innovat tertium Conſtantinopolitanæ Synodi Canonem, qui Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſignat ſecundum in Eccleſia locum: *Ut ſecundus exiſtat poſt Epiſcopum Romanum.* Deindè, Thracicam, Aſiaticam, ac Ponticam, autocephalas uſque tunc, Diœceſes illi ſubjicit, ac ipſarum Metropolitas vult deinceps ab illo conſecrari: Ne eſſet Patriarcha ſolo nomine, ſine Diœceſi. Orientalis Illyrici Provincias nuper ab Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo circumſcriptus Imperator Theodoſius Sedi Romanæ abſtulerat, & tranſcripſerat in Patriarchicam poteſtatem Regiæ civitatis. Iſtius Canonis auctores Epiſcopi, licet variè exceſſerint, hunc tamen funem non præſumpſerunt tentare. Erant memores Nicænæ Synodi, quæ ſuper Romanam Cathedram nihil fuit auſa conſtituere, ſciens illi omnia conceſſa à Domino. Proindè primus, qui Papatus tranſlationem garrire præſumpſit, fuit ſchiſmatis auctor Photius. Quod abundè oſtenſum eſt ad Synodum octavam.

Tertiò falſum eſt quòd Roberti, quo ipſum ſibi conciliaret, progreſſus adjuverit Gregorius. Aliud non fecit, quam quod continet hæc beneficii formula: *Ego Gregorius Papa inveſtio te, Roberte Dux, de terra, quam tibi conceſſerunt Anteceſſores mei ſanctæ memoriæ Nicolaus & Alexander. De illa autem terra, quam injuſtè tenes, ſicut eſt Salernum, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter ſuſtineo in confidentia Dei Omnipotentis, & tuæ bonitatis, ut tu poſteà exinde ad honorem Dei & Sancti Petri ita te habeas, ſicut & te agere, & me ſuſcipere decet, ſine periculo animæ tuæ & meæ.* Et ipſum obſtrinxit ad annuo cenſu profitendum beneficium. Omnes novimus Robertum fuiſſe invaſorem, ejus tamen invaſio non caruit coloribus, immò nec fundamentis. Primò enim Saracenos & Græcos, quos uſque tunc Germanici Imperatores expellere non potuerant, ipſe expulit ex utraque Sicilia. Secundò, omnes illic Eccleſias, quas Imperator Leo Iſaurus in Epiſcopi Conſtantinopolitani Patriarchicam poteſtatem iniquiſſimè tranſcripſerat, reddidit Romanæ Eccleſiæ. Tertiò, idem ſperabatur facturus de ibidem per eundem Leonem invaſis Romanæ Eccleſiæ Patrimoniis. Hinc ergò certas illic terras, quæ omnes ſpectabant ad Apoſtolicam Sedem, Nicolaus ſecundus & ſecundus Alexander ipſi dederunt in feudum. Ob invaſa Sancti Petri, & aliarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum ſingularia patrimonia noſter Gregorius ipſum non ſemel excommunicavit. Tandem tamen humiliato confirmavit præfatum Anteceſſorum beneficium: Ab Henrici Imperatoris violentia compulſus.

Quartò, falſum eſt, quòd Robertus Gregorium in Sedem repoſuerit. Ipſum enim ex Romanæ urbis rebellione ac periculis eripuit, ac deportavit in Caſſinenſe Monaſterium. Rei ſeriem exponit Bertholdus Conſtantienſis: *Robertus Guiſcardus, Dux Nortmannorum, in ſervitium Sancti Petri poſt Kalendas Maii Romam armata manu invaſit, fugatoque Henrico totam urbem Gregorio Papæ rebellem penitus exſpoliavit, & majorem ejus partem igne conſumpſit, eò quòd Romani quemdam ejus militem vulneraverunt. Deindè acceptis obſidibus à Romanis, & in Caſtello Sancti Angeli reſervatis, ipſe ad recuperandam terram Sancti Petri reverſurus, in brevi plurima caſtella & civitates Domino Papæ recuperavit. Henricus autem Roberto reſiſtere non valens, ad partes Theutonicorum ſatis feſtinanter revertitur.* Lucidiùs exponit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus: *Henricus Imperator Romam cum exercitu venit, & Papam Gregorium, qui in arcem Sancti Angeli ſe contulerat, variis bellicis*

A. 1084.

L. 3. c. 52.

bellicis machinis oppugnare omnibus modis cœpit. Hoc ubi Roberto Duci, qui ea tempeſtate Conſtantinopolitanum Imperatorem oppugnabat, nuntiatum eſt, Boadmondo filio in ipſa expeditione derelicto, Italiam ociùs repetit, atque ingenti coacto exercitu ad Pontificis liberationem adversùs Imperatorem ire diſponit. Quod poſtquam Deſiderius, Abbas Caſſinenſis, *comperit, Romam nuntium dirigit, qui & Papæ proximam eruptionem, & Imperatori Ducis nuntiaret adventum. Tunc urbe egreſſus Imperator, quia ſine præſidio erat, Caſtellanum oppidum ſubiit. Robertus autem Dux cum exercitu Romam noctu ingreſſus, dum ad Eccleſiam ſanctorum quatuor Coronatorum adveniſſet, ex conſilio Cencii Romanorum Conſulis ignem urbi injecit; Romani igitur rei novitate perculſi, dum exſtinguendo igni toti incumberent, Dux ad arcem Sancti Angeli continuò properans, atque indè Pontificem abſtrahens, Roma ſine mora egreditur, & Gregorium Papam ad noſtrum deducit Monaſterium.* Nec exindè Romam rediit Gregorius, ſed in Salernitana civitate exul eſt defunctus. Dyrrachium tunc cœperat Robertus, ipſique omnia patebant ad invadendam Conſtantinopolim. Solus Apoſtolicæ Sedis amor ipſum à tanta victoria retraxit. Quæ omnia, licet non ſine erroribus, latiùs deſcribit in quinto Alexiados libro Anna Comnena.

Porrò in adductis ejus verbis quintus error eſt, quòd Gregorius Robertum evexerit, aut evehere promiſerit ex Duce in Regem. Nec Gregorius, nec Robertus quid ſimile ſomniarunt. Prima hujus Regni exordia exponit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis, adfirmans defuncto Roberto ſucceſſiſſe filium Rogerium, atque adjungens: *Paulò poſt contigit, quòd cùm*
A. 1113. *Ludovicus* ſeptimus *Rex Francorum, & Alienora Regina uxor ejus, tunc cauſa peregrinationis versùs terram ſanctam itinerantes Siciliam veniſſent, Rogerius Comes Siciliæ eos cum debito honore gaudenter ſuſcepit. Ad cujus preces ipſe Francorum Rex Ludovicus ipſum Rogerium Regem faciens, coronam capiti ejus impoſuit. Et ita iſte Rogerius factus eſt primus Rex Siciliæ coronatus.* Verùm undè Francorum Regi nata fuit poteſtas creandi Reges, & erigendi Regna? Alius nemo iſtius erectionis meminit. Et in ſuo Chronico ſcribit Romualdus Salerni Archiepiſcopus: *Rogerius Siciliæ Comes excommunicatur ab Honorio Papa ſecundo, quia non permittebat ut Siciliæ Epiſcopi venirent Romam.* Nec ad Synodos aut judicia, nec ad accipiendam conſecrationem. Patriarchica, quæ uſque ad Leonis Iſauri hæreticas violentias illic ex Apoſtolico Canone poſſederat pacificè Romana Sedes, jura Rogerius nolebat reddere. Pergit Romualdus: *Denuò excommunicatur Rogerius etiam ab eodem Papa, quòd indebitum ſibi titulum, nomen Ducis ſcilicet, inconſulto Romano Pontifice arripuiſſet.* Tunc adeò remotus adhuc erat à titulo Regio. Nam & Ducis titulum, uti grande beneficium, illi poſteà Honorius donavit. Lucet ex litteris, quibus illi Regis titulum indulſit ſucceſſor Innocentius ſecundus: *Prædeceſſor noſter, religioſus & prudens Papa Honorius Nobilitatem tuam valde dilexit, & ad altiora provexit.* Hinc in litteris ad Genuenſes etiam Sanctus Bernardus ipſum titulat *Ducem Rogerium.* Ep. 129.

Proindè veram hujus Regiæ dignitatis originem edicit in Piſcarienſis Monaſterii Chronico Joannes Berardi: *Anno Dominicæ Incarnationis* Lib. 4.
milleſimo centeſimo vigeſimo nono, mortuo Papa Honorio, & Innocentio ultra montes pergente, & Anacleto in Apuliam veniente, Dux Rogerius, qui jam ceperat Trojam & ferè totam Apuliam, Rex eſt conſtitutus. Qui ſequenti anno expugnavit, & cepit Amalphiam. Deindè ſequenti anno idem Rex expugnavit Barim, & Rex Lotharius Italiam ingreſſus eſt. Prima, inquam, hujus Majeſtatis exordia poſuit Petrus Leonis, qui ſe titulavit Anacletum ſecundum, adversùs ſecundum Innocentium. Antipapa Rogerium, quo factioni ſuæ adjungeret, ex Duce creavit Regem. Quod ipſum in litteris, quas ex Hugonis Burgundiæ Ducis nomine ſcripſit ad profanum ſchiſmatis Patronum, poſteà tamen ex admirabili pœnitentia Sanctum, Pictavienſem Comitem Guilielmum Sanctus Bernardus. Affirmat omnem Eccleſiam adhærere Innocentio, & adjungit de Petro Leonis: *Habet tamen Ducem Apuliæ, ſed* Ep. 127.
ſolum ex Principibus, ipſumque uſurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum. In Epiſtola ad Piſanos Rogerium vocat *Siculum Tyrannum.* Et in litteris Ep. 130.
ad Lotharium Imperatorem: *Non eſt meum hortari ad pugnam. Eſt tamen, ſecurus dico, Advo-* Ep. 138.
cati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione Schiſmaticorum rabiem, eſt Cæſaris propriam vindicare coronam ab uſurpatore Siculo. Ut enim conſtat Judaicam ſobolem Sedem Petri in Chriſti occupaſſe injuriam, ſic procul dubio omnis, qui in Sicilia Regem ſe facit, contradicit Cæſari. Petrus enim Leonis erat natus ex patre Judæo, ideoque non dumtaxat ad Papatum, ſed ad quemvis in Clero locum irregularis. Et hiſce litteris incenſus Lotharius perrexit in Italiam, & Judaicum Antipapam, & iſtum ſtramineum Regem degradaturus. Conſonat in libro adversùs Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, duriſſimum hujus ſchiſmatis promotorem, venerabilis Arnulphus tunc Sagienſis Archidiaconus, poſteà Epiſcopus Lexovienſis: *Audi cum quibus habites. Infidelis univerſitas illa, quam ſequeris, familia Petri Leonis eſt nondum fermento Judaicæ corruptionis penitus expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix Tyrannorum Sicilia ſuſtinet, Dionyſii ſucceſſor, aulæ ipſius hæres & ominis, emptus inani Regis nomine, Dux quidem anteà, nunc verò nec Dux ipſe nec aliud, quia nomen alienum, quod contra juſtitiam Tyrannus uſurpat, in ipſo nullatenùs obtinere, certo jure firmatur.* Et in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Petrus Diaconus, Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Defuncto Honorio, electi ſunt Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli in Papam Innocentium, & Petrus Presbyter Sancti Calixti in Anacletum. Innocentius autem aliquantum tempus in urbe permanens cum Epiſcopis & Cardinalibus, qui ſuæ parti favebant, ad civitatem Piſanam perrexit, Conrardum Sabinenſem Epiſcopum Vicarium in urbe relinquens. Petrus autem Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens,*

& per

& per privilegium Capuanum Principatum, & Ducatum Neapolitanum cum Apulia & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemque conſtituens, ad ſe attraxit, præcipiens ut Epiſcopi & Abbates, qui in ſuæ ditionis ſolo manebant, ei obtemperarent. Non utique ſimplici, quam Regibus impendi mandat Apoſtolus, obedientia, ſed juxta prætenſam Siciliæ Monarchiam. A. 1130. Anacleti diploma exſtat apud Cardinalem Baronium. Datum fuit ſæculi duodecimi anno trigeſimo, & habet hæc verba: *Auctorizamus & concedimus, ut per manus Archiepiſcoporum terræ tuæ, juxta tuam voluntatem, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis quos volueris, tu & tui hæredes in Reges inungamini, & in ſtatutis temporibus coronemini.* Ejus coronationem refert Chronicon Beneventanum: *Eodem anno Anacletus Cardinalem ſuum, Comitem nomine, ad Ducem direxit, qui die Nativitatis Domini in civitate Panormitana in Regem coronavit.*

Res ità quibuſdam videtur cucurriſſe uſque ad ejuſdem duodecimi ſæculi annum quadrageſimum primum. Ad ipſum quippè ſcribit in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis: *Rogerius de Sicilia poſt occupatum Calabriæ & Apuliæ Principatum Papam Innocentium bello capit, & facta cum eo qualicumque pace, ut ab eo in Regem coronaretur obtinuit. Sicque primus de Nortmannorum genere Regis ſibi nomen uſurpavit.* Conſonat ad eundem annum Nicolaus Trivettus: *Rogerius de Sicilia, filius Roberti Guiſcardi Nortmanni, qui Apuliæ & Calabriæ Principatum tenuit, à Papa Innocentio propter inveſtituras Eccleſiarum, quas ſibi uſurpavit, Anathematis ſententia innodatur. Qui poſt ipſum Papam in bello cepit, & cum eo facta pace obtinuit, ut in Regem Siciliæ coronaretur. Sicque primus è genere Nortmannorum nomen Regis uſurpans, poſteà penè totam Africam acquiſivit.* Hanc rem in ſacri Belli Hiſtoria exponit Guilielmus Tyri Archiepiſcopus: *Imperator Lotharius in Apuliam cum* Lib. 13. c. 19. *infinito deſcendens exercitu, univerſam uſque ad Pharum Regionem violenter occupavit, Ducem in Apulia conſtituens virum providum & diſcretum, Reynonem nomine. Rogerium autem Comitem, qui terram illam violenter occupaverat, in Siciliam fugere compulit, quam poſtmodum diſcedente Imperatore recuperans pugnavit cum prædicto Reynone, eoque defuncto Ducatum obtinuit. Poſtmodum etiam Siciliæ ac univerſæ Provinciæ Rex effectus eſt.* Quod ipſum in vita Ludovici Groſſi Francorum Regis ſcribit Sugerius Abbas Sancti Dionyſii. Reynonem iſtum Otto Friſingenſis Epiſcopus in generali Hiſtoria vocat Reginaldum, & ſcribit: *Reinaldo viro forti Ducatus Apuliæ traditur. Verùm ſilentio præterire nolumus, quod in dando Ducatu inter Lotharium Imperatorem & Romanum Pontificem penè controverſia orta fuit, utroque Ducatum Apuliæ fore ſui juris affirmante. Quæ lis conſilio tandem hoc modo deciſa dicitur, ut in dando Duci vexillo uterque manum adhiberet.* At certum eſt Imperatori nullum fuiſſe jus. Siciliæ enim Inſulam, ejectis Saracenis & Græcis, Romanæ Eccleſiæ dedit Imperator Ludovicus Pius, ab eiſdem autem per Ludovicum ſecundum liberatam Calabriam atque Apuliam Carolus Calvus. Ita teſtantur Annales Francorum Fuldenſes. Uterque Princeps dedit plenum dominium: *Ab illo enim die*, inquit Eutropius Longobardus, *honorificas conſuetudines Regiæ dignitatis nemo Regum, nemo Imperatorum acquiſivit.* Quæ omnia Siculæ Monarchiæ defenſor Thomas Phazelus ſilentio ſupprimit: Et Petri Leonis ſchiſma ſic confarcit, ut omnia evertat. Quouſque Reyno ſive Reginaldus, quem antiquus Scriptor Falco appellat Raynulphum, Dux vixit, quievit Rogerius; ipſo autem ad ejuſdem memorati ſæculi trigeſimum nonum annum defuncto, hic armato milite invaſit denuò omnia, ideoque Innocentius Pontifex adversùs ipſum miſit Romanam militiam, ipſemet comitatus. Verùm infeliciter. Pontifex enim à Guilielmo Rogerii filio captus, fuit ductus ad Rogerium, & multis atque humilibus precibus pacem rogatus. Rem enarrat laudatus Falco, & concludit: *Rex ipſe, & Dux filius ejus decimo ſeptimo die menſis Julii ante ipſius Apoſtolici præſentiam veniunt, & ejus pedibus obvoluti miſericordiam petunt, & ad Pontificis Imperium uſquequaque flectuntur. Continuò per Evangelia firmaverunt beato Petro, & Innocentio Papæ, ejuſque Succeſſoribus Canonicè intrantibus fidelitatem deferre, & cætera quæ conſcripta ſunt. Regi verò Rogerio ſtatim Siciliæ Regnum Pontifex per vexillum donavit.* Facta hæc ſcribit in feſto Sancti Jacobi Apoſtoli. Eadem ſcribit Otto Friſingenſis Epiſcopus: L. 7. c. 24. *Rogerius Innocentium Papam, in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitiosè in Chriſtum Domini manum mittens, ex inſidiis cepit, & Regii nominis in Sicilia ab eo auctoritatem, & abſolutionem anathematis extorſit, cum Ducatu Apuliæ, Calabriæ, & Capuæ Principatu.* Anacleti factum Innocentius confirmavit.

Exſtat diploma, in quo avitam ejus nobilitatem, & multa in Eccleſiam merita, nec non & datum illi ab Honorio ſecundo Ducalem titulum laudat Pontifex, ac pergit: *Nos Honorii veſtigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & utilitatem ſanctæ Dei Eccleſiæ ſpem & fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ, quod utique Regnum fuiſſe non dubium eſt, tibi ab Anteceſſore noſtro conceſſum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, Excellentiæ tuæ concedimus, & Apoſtolica auctoritate firmamus. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & inſuper Principatum Capuanum integrè nihilominus noſtri favoris robore communimus atque concedimus.* Concedit & ipſi & ejus in perpetuum ſucceſſoribus, in feudum ſeu beneficium, ſub onere Ligii ad Apoſtolicam Sedem Hominii & annuo *cenſu ſexcentorum Scyphatorum.* Datum eſt diploma anno duodecimi ſæculi trigeſimo nono, ideoque Robertus Montenſis ac Nicolaus Trivettus malè hæc Acta differunt in annum quadrageſimum primum. Errat item Nicolaus Rogerium hunc fuiſſe Roberti Guiſcardi filium. Fuiſſe ejus ex Rogerio filio nepotem disertè adfirmat laudatum diploma. Hujus Rogerii pater ac Roberti filius Rogerius obiit iſtius ſæculi anno undecimo. Quod ipſum apud Camillum Peregrinum affirmat breve Chronicon Principum & Ducum Beneventanorū.

Attamen

Attamen Regnum iſtud non fuit pacificum. Etenim a nequiſſimo Arnaldo Brixienſi ad Apoſtolicæ Sedis injurias ac rebellionem ſeductus Romanus Senatus hæc de Eugenio tertio ſcripſit ad Lotharii in Imperio ſucceſſorem Conrardum. L. 1. c. 28. *Concordiam inter Siculum & Papam hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & annulum, Dalmaticam & mitram, & ſandalia, & ne ullum in terram ſuam mittat Legatum, niſi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento veſtro & Romani Imperii, quod Dei gratia veſtrum exiſtit.* Exſtat Epiſtola apud Ottonem Epiſcopum Friſingenſem. Natæ inter Eugenium & Siculum quæſtionis, necnon & ſubſecutæ concordiæ radicem edicit Robertus Montenſis: *Guilielmus Rex Siciliæ cum Papa Adriano quarto pacem fecit, concedendo ei conſecrationes Epiſcoporum Regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuerat Eccleſia Romana, undè diſcordia fuerat inter Patrem ſuum Regem Rogerium & Innocentium & Eugenium Romanos Pontifices.* Sicilia & omne Neapolitanum Regnum nullum olim habuerunt Metropolitanum Epiſcopum: Jure Metropolitico ſuberant Romano Pontifici, atque ita omnes iſtarum gentium Epiſcopi ex Apoſtolico & Nicæno Canone debebant conſecrandi Romam accedere ad Papales manus. Imperator Leo Iſaurus, dum Illyricum Romano Patriarchatui ſubtraxit, ſubtraxit etiam iſtas gentes, & apud Siculorum Syracuſas erexit Metropolitanam Sedem, atque ita iſtius Inſulæ Epiſcopi inceperunt ab illo conſecrari. Et ita fuit uſque ad Robertum Guiſcardum. Hic Sedem illam tranſtulit Panormum. Nec ſine omni fundamento. Quòd enim Panormitanus Epiſcopus olim habuerit pallii honorem, lucet ex Epiſtolis magni Gregorii. Et hinc Antipapa Anacletus ſuo ad Rogerium Regem diplomati inſeruit & hunc articulum: *Concedimus Panormitano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, & Panormitanæ Eccleſiæ conſecrationes trium Epiſcoporum Siciliæ, videlicet Syracuſani, Agrigentini, & Mazonenſis vel Catanenſis. De reliquis duobus, pleniori noſtro conſilio reſervamus.* Et credidit ſe non deviare à Majorum veſtigiis. Nam & Salernitano Archiepiſcopo omnium ſuorum Comprovincialium conſecrationem elapſo ſæculo conceſſerat Clemens ſecundus, & confirmaverat Sanctus Leo nonus. Has ergò omnes conſecrationes Romanæ Eccleſiæ reſtitui poſtulavit poſt Innocentium ſecundum tertius Eugenius: Et neuter impetravit.

Quin & ab Arnaldiſtis vexatus & compreſſus Eugenius aliqua non facile concedenda Siculo conceſſit, atque illis dedit anſam novarum calumniarum. Accuſatur conceſſiſſe *virgam & annulum*. Hoc eſt, Regiam Antiſtitum inveſtituram. Hanc enim in Caliſti ſecundi manibus ab Imperatore Henrico quinto ejeratam ſibi reſtitui in ſubacti & ejecti Petri Leonis mercedem poſtulaverat Imperator Lotharius, nec impetraverat. Hinc iſta calumnia Conrardum ab Eugenio alienare tentavit Arnaldi factio. Erat falſiſſima calumnia: Nec enim inveſtituram, ſed ſolam nominationem Eugenius diſpenſatoriè conceſſerat. Secundò accuſatur conceſſiſſe *Dalmaticam, mitram, & ſandalia*. Hoc quidam ſic exponit: *Eugenius permiſit, ut Siculi, licet Suburbicarii ſint, Epiſcopi Epiſcopalem conſecrationem, omniaque iſtius dignitatis ornamenta intra Siciliam accipiant, nec ipſorum cauſa cogantur Urbem accedere.* At certum eſt labi. Romanus enim Senatus accuſat Eugenium de donata mitra, quam Uratiſlao Bohemiæ Duci fuiſſe ab Alexandro ſecundo datam laudat noſter ſeptimus Gregorius: *Anteceſſor noſter Alexander Papa petitionibus tuis condeſcendit, & ad ſignum intimæ dilectionis, quod Laicæ perſonæ tribui non conſuevit, mitram, quam poſtulaſti, direxit.* L. 1. Epiſt. 38. Senatus accuſat donata ſandalia, mitram & Dalmaticam, de quibus in proceſſu adversùs Petrum tertium Aragoniæ Regem ſcripſit Martinus quartus: *Innocentius Papa tertius quondam Petrum Regem Aragonum, dicti Petri Aragonenſis Regis avum, honoravit multipliciter, honorificè ac benignè recepit, & in Eccleſia Sancti Pancratii Martyris trans Tyberim, per Petrum Portuenſem Epiſcopum faciens in Regem inungi, deindè propriis manibus coronavit, ac Regalia inſignia univerſa, mantum videlicet, & colobium, ſceptrum, & pomum, coronam & mitram, quæ ad opus ipſius non ſolùm ſpecioſa, ſed etiam pretioſa parari fecerat, ex more in Regum coronationibus obſervando largitus eſt.* Exſtat diploma apud Lucam Dacherium. Tom. 6. Fol. 656. Deſumpta ſunt verba iſta ex antiqua Innocentii tertii per Dominicum Franciſcum Boſquettum publicata vita, atque ita lucet ipſam eſſe authenticam. Tantæ in Petrum ſecundum Papalis beneficentiæ radicem exponit in decimo Hiſpaniarum rerum libro Lucius Marinæus: *Rex Romæ renuntiavit jura Patronatus, quæ Sacerdotia & beneficia gentilia Latinè dicuntur, omnium Eccleſiarum ſui Principatus. Cujus rei cauſa ſummus Pontifex Innocentius ei conceſſit, ut ipſe & ſucceſſores ejus in Pontificatu vexillum Eccleſiæ ferrent cum armis Aragoniæ, quæ ſunt crocei & rubri colori. Conceſſit etiam ut omnes Bullæ, quæ à Romana curia mitterentur, eſſent munitæ cordulis prædictorum colorum. Verùm enim verò Aragonum, Barcbinonæque Principatus omnes de renunciatione juris Patronatus, quod eis & omnibus populis Principatus nocitura videbatur, uno ore reclamabant;* Fol. 843. *ſeque voluntati & renuntiationi Regis non aſſentiri, publicis inſtrumentis teſtati ſunt.* Non patronatus juri, ſed Regiæ, quæ electiones ſine prævia ſua licentia non permittebat fieri, violentiæ renuntiavit Petrus, atque in iſtius pietatis mercedem accepit & varia privilegia, & plena ſupremorum Regum ornamenta. Et quidem inſerta in coronam mitra eſt proprium ornamentum ſolius Romani Imperatoris. Romanus ergò ab Arnaldo ſeductus Senatus accuſavit optimum Eugenium, quòd plena, quæ Innocentius ſecundus numquam dederat, Regiæ dignitatis ornamenta Siculo donaſſet ſine Romani Imperatoris venia, atque ita Regnum iſtud, quod ſine illa venia nec erigi potuerat, nec valebat ſubſiſtere, denuo firmaſſet. Immò quod etiam propria Imperialis Majeſtatis ornamenta donaſſet Siculo, atque ita in laudatam Majeſtatem variè deliquiſſet. Ita Imperatorem Conrardum ſtuduit in illum concitare.

An

An Conrardus iſtud Regnum deſtruere voluerit, non poſſim affirmare. Ejus ſanè ſucceſſor Fredericus primus omninò voluit. Et hinc de Adriano quarto Pontifice ſcribit in ſuo Chronico Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus:
A. 1154. *Adrianus Papa, audito adventu Salernum VVilhelmi Regis Siciliæ, Henricum Cardinalem Sanctorum Nerei & Achillei ad eum miſit, quem Rex recipere noluit, ſed Romam redire præcepit, eò quòd in litteris Apoſtolicis, quas Regi portabat, Papa eum non Regem, ſed VVilhelmum Dominum Siciliæ nominabat. De quo facto Adrianus Papa & tota Romana Curia commota eſt ac turbata.* In hujuſmodi inſcriptionibus infelix fuit iſte Adrianus. De eiſdem enim duras quæſtiones habuit cum laudato Imperatore Frederico. Ipſas ſtudio formavit in voces ambiguas ambidextras: Nec Guilielmum, nec Fredericum ſtuduit offendere, ideoque illum nec Regem appellavit aut Ducem, ſed Dominum. Aſt iſtam Papæ cautelam pro atroci injuria accepit Guilielmus, & adeò dura repoſuit, ut ipſum Pontifex excommunicaverit, & Imperatorem Conſtantinopolitanum Manuelem Comnenum, Guiſcardinæ familiæ hoſtem infenſiſſimum, evocaverit ad ipſum cum ſuis Nortmannis ex Sicilia & Apulia ejiciendum. Et res ſuccedebat, niſi Guilielmus ſpopondiſſet in omnibus parere Romanæ Eccleſiæ. Verùm quòd quidam Cardinales pacem cum Siculo diſſuaderent, diſcordia erupit in bellum, Beneventum obſedit Guilielmus, captivum illic cepit & detinuit Adrianum, ac coegit ipſum ad fœdiſſimos pacis articulos, de quorum uno
A. 1157. ſcribit Robertus Abbas Montenſis: *Apoſtolicus Guilielmo conceſſit Regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ.* Exponit liber Pontificalis: *Adriano Imperator Græcorum per Legatos quinquaginta millia librarum auri obtulit, addita promiſſione ſe Guilielmum ex Italia abacturum ſuis ſtipendiis, interea ſi tres in Apulia urbes maritimæ dederentur. Eo nuntio Guilielmus percitus cum Pontifice amicitiam componere per ſequeſtros tentavit, omniaque quæ occupaverat, immò multò plura ſe redditurum promiſit, ſi titulo Regni utriuſque Siciliæ inſigniretur. Petitioni Regis initio ſtatim Pontifex detuliſſet, ſi Cardinalium pars maxima non diſſuaſiſſet. Sed cùm Guilielmus valido cum exercitu Apuliam omnem ſibi ſubjeciſſet, renitentibus Cardinalibus Adrianus indignatus, omnia Guilielmo, ut petierat, indulſit, tituloſque prædictos attribuit.* Itaque Innocentius ſecundus, unicam dumtaxat, Adrianus quartus utramque Siciliam evexit in Regnum. Et Alexander tertius, dum à præfati Imperatoris Frederici ſchiſmatico gladio illic aſylum habuit, omnia confirmavit.

Idem Fredericus, cum ejuſdem Guilielmi filio & ſucceſſore Guilielmo pacem compoſuit, ipſumque in ſuo diplomate titulavit *Dei gratia*
A. 1177. *illuſtrem Siciliæ Regem*. Exſtat diploma apud Romualdum Salerni Archiepiſcopum. Verùm pax non fuit perpetua. Quòd enim Fredericus, quouſque ejus filius Henricus ſextus duxit Conſtantiam Siculam, item fuerit Regno adverſatus, ſcribit Otto de Sancto Blaſio. Conſtantiam fuiſſe Guilielmi ſecundi amitam, Guilielmi primi ſororem, Rogerii ſecundi filiam ſcribit in L. 3. c. 14.
Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus; at L. 3. c. 88.
verò fuiſſe Guilielmi ſecundi conſobrinam vult Guilielmus Neubrigenſis. Verius eſt fuiſſe amitam. Quidquid ſit, erat Regni hæres, ideoque in filii ſui gratiam iſtud Regnum Fredericus ſtabiliter confirmavit. Quæ omnia breviter dicta ſint, ut clareat quantum deviet Anna Comnena, affirmans Robertum Guiſcardum fuiſſe à noſtro ſeptimo Gregorio evectum in Regem. Græci paſſim ſolent circa Latinorum res miſerè hallucinari.

Ex dictis oritur quæſtio, An Apoſtolica Sedes habeat poteſtatem erigendi nova Regna, Ducatus, Comitatus, aliaſque id genus ſæculi dignitates? Rationem dubitandi facit expoſita Frederici primi adversùs dictum Siciliæ Regnum longa & dura interceſſio, ex qua iſtud non niſi poſt illius ratificationem potuit eſſe firmum. Et lucida ſunt Sancti Bernardi ad Lotharium Imperatorem verba: *Quicumque in Sicilia ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Et de Buſclavo Sclavorum Principe, Regiam dignitatem à Romana Eccleſia per legatos Monachos poſtulante, ac de Imperatore Henrico Aucupe ſcribit in Sancti Romualdi vita Sanctus Petrus Damiani: *Impe-* Cap. 28.
rator Henricus, Buſclavi conſilium non ignorans, 29.
undiquè vias cuſtodiri præcepit, ut ſi Buſclavus Romam nuntios mitteret, in ejus illicò manus devenirent. Regiam dignitatem non à Pontifice, ſed à ſe ſolo cenſebat poſſe donari. Imperator enim eſt mundi Dominus, ac Regum Rex, ideoque non niſi per ipſum poſſit quis in Regem elevari. Et hinc de Imperatore Juſtiniano ſcribit in libris de bello Perſico Procopius Cæſareenſis: L. 1. c. 17.
Aretham Cabalæ filium, Saracenorum Arabum Principem, quàm plurimis tribubus Juſtinianus præfecit, ac Regia dignitate auxit, novo inter Romanos exemplo. Videtur aſſerere, quòd nullus ante Juſtinianum Imperator nova inſtituerit Regna. At devium eſſe hunc ſenſum, multis poſſit variè demonſtrari. Etenim quod Tzatum Lazorum Principem & Chriſtianum & Regem fecerit Fol. 506.
Juſtiniani avunculus ac Anteceſſor Juſtinus primus, teſtantur Anaſtaſius Bibliothecarius, Mar- Fol. 144.
tyr Theophanes, ac Georgius Cedrenus. Habemus ejuſmodi plura & Paganorum & Chriſtia- Fol. 366.
norum Imperatorum exempla. Vult ergo Procopius eſſe novum, quòd Saraceni ſe Romano Imperio ſubjecerint, & ab ipſo acceperint Regem. Eadem poteſtate uſi ſunt etiam poſteriores Græcorum Imperatores. Et de Imperatore Manuele Comneno ſcribit in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis: A. 1180.
Manuel Imperator Conſtantinopolitanus dedit Ramerio filio Guilielmi Principis Montis-Ferrati filiam ſuam natam ex priore uxore ſua. Quæ cum diceret ſe numquam alicui nupturam, niſi eſſet Rex, Imperator exhilaratus, fecit coronari filium Marchionis Montis-Ferrati, cum filia ſua quam ei dederat, & dedit ei honorem Theſſalonicenſem, qui eſt maxima poteſtas Regni ſui poſt civitatem Conſtantinopolitanam. Creavit ipſos Reges Theſſalonicenſes. Eadem poteſtate uſi ſemper fuerunt Occidentis Imperatores. Etenim quòd Carolus Magnus,

An. 781. gnus, licet adhuc Romanorum dumtaxat Patritius, & Italiam & Aquitaniam evexerit in Regna, ac ipſa Ludovico & Pippino filiis dederit,
An. 817. teſtatur Sigebertus Gemblacenſis. Bavariæ Ducatum in Regnum evexit Ludovicus Pius, deditque filio Ludovico, poſteà Regi totius Germaniæ. Ita ſcribit famoſus ejus Aſtrologus. Et
An. 877 de Carolo Calvo Imperatore habet Regino Abbas Prumienſis: *Carolus Bozoni dedit Provinciam, & corona in vertice capitis impoſita eum Regem appellari juſſit, ut more priſcorum Imperatorum Regibus videretur dominari*. Et de Imperatore Carolo Craſſo habet antiqua Lantgraviorum Thuringiæ Hiſtoria: *Carolus in tantam elatus eſt ſuperbiam,*
Cap. 7. *quod ut ſolus Rex ubilibet regnaret, in Allemania omnes Reges depoſuit, & ipſos ac hæredes ipſorum in Duces creavit. Similiter omnia Regna in Allemania deſtruxit, & in Ducatus redegit.* Hinc Bavaria ex Regno iterùm defecit in Ducatum. Plura ſunt hujuſmodi exempla. Et de Carolo Audace, Belgii noſtri Principe, ac Imperatore Frederico tertio ſcribit magnum ejuſdem Belgii
Fol. 401. Chronicon: *Deſiderabat Carolus coronari in Regem, ſed Imperator reſpondit certum illi deeſſe numerum Epiſcopatuum, Regiæ Majeſtati debitum.* Quæ omnia ſuadent harum civilium dignitatum erectionem privativè ſpectare ad Imperatorem, non ad Romanum Pontificem.

Reſpondeo Regiæ & cujuſvis ſimilis dignitatis erectionem eſſe juriſdictionis actum, ideoque non niſi in ſubditum poſſe exerceri. Lucet ex orto inter Juſtinum Imperatorem & Cabadem Perſarum Regem duro ac longo ob Tzatum Lazorum Principem Regia dignitate donatum bello, de quo Martyr Theophanes: *De his*, uti-
Fol. 144. que de evecto in Regem Tzato, *Cabades certior factus, Imperatori Juſtino ſignificat: Fœdere & pace inter nos ſancitis, quæ decent hoſtes admittis, hominesque Perſarum ſupra omnem hominum memoriam dominio ſubditos tibi recipis. Imperator in adverſum ſcribit: Nullum Regno tuo ſubjectum nobis vindicavimus, aut ad nos pelleximus. Tzatus tantummodò ad Regiam noſtram profectus, & pedibus noſtris advolutus, ut ab execranda Gentilium ſuperſtitione, & ab impuris ſacrificiis, Dæmonumque fallaciis ereptus, ad Deum rerum omnium conditorem acceſſum haberet, fieretque Chriſtianus, rogavit: Illum itaque baptiſmo luſtratum in propriam ſibi Regionem ſubinde remiſimus.* Cabades clamavit Tzatum eſſe ab antiquo ſuum ſubditum, ideoque à Juſtino non potuiſſe in iſtam dignitatem elevari. Omnes Juſtini de Tzati ſpontaneo ad Conſtantinopolitanam civitatem acceſſu, de ſpontanea ſpontaneè poſtulata Chriſtiana fide, ac de Chriſtiani in æternam vitam regenerantis Baptiſmi æqualibus cum carnali nativitate privilegiis interceſſiones intelligere Cabades noluit, atque ideò Theophanes ſubjungit: *Ab eo tempore graves inter Romanos & Perſas ſecutæ ſunt diſcordiæ.* Secutum enim eſt durum iſtud bellum, quod per Ducem Beliſarium geſſit Imperator Juſtinianus, & quod deſcribit Procopius Cæſareenſis. Ex eodem principio ſcribit in Imperatoris Conradi Salici vita Wippo Presbyter: *Boliſlaus ſecundus Dux Polonorum inſignia Regalia & Regium nomen in injuriam Regis Conradi ſibi aptavit, cujus temeritatem cita mors exinanivit.* Quod ipſum in generali Hiſtoria latiùs deſcribit Otto Friſingenſis Epiſcopus, & duo addit. Primò, quòd Boleslaus nuper ab Henrico Sancto fuiſſet ſubactus & compulſus ad obedientiam. Secundò, quòd ejus ſucceſſor & filius Otto depoſuerit factum in Imperii injuriam diadema, & Salico Conrado remiſerit. Et de eodem Boleslao ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Dux Polonorum, qui per multos jam annos Regibus Theutonicis*
tributarius fuerat, cujuſque Regnum jam olim A. 1177.
Theutonicorum virtute ſubactum, atque in Provinciam redactum fuerat, repentè in ſuperbiam elatus, proptereà quòd Principes Theutonicos cerneret domeſticis ſeditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, Regiam dignitatem, Regiumque nomen ſibi uſurpavit. Diadema impoſuit, atque ipſo die Natalis Domini à quindecim Epiſcopis in Regem eſt conſecratus. Quæ brevi poſt comperta Principes Theutonicos, quibus Reipublicæ dignitas curæ fuit, graviter affecerunt, ſibique invicem ſuccenſebant, quod dum inteſtinis in ſe atque in ſua viſcera odiis ſævirent & digladiarentur, potentiam & opes Barbarorum in tantùm aluiſſent, ut jam tertiò Dux Bohemicus Regnum Theutonicum ferro & igne populabundus peragraſſet, & nunc Polonorum Dux in Theutonici Regni ignominiam, contra leges & jura Majorum, Regium nomen & diadema impudens uſurpaſſet. An Polonia Germanico Imperio ſubſit, fuit olim antiqua & interminabilis quæſtio: Germani calidè affirmarunt, Poloni conſtantiſſimè negarunt. Quidquid fuerit, adversùs iſtam ſubjectionem hi jam dudum præſcripſerunt. Et Majorum ſuorum traditioni fiſus, ac ab invicem ſeſe lacerantibus Germanis nihil metuens Boleslaus, ſibi à Conrardo excuſſum diadema reſumpſit, & ſe fecit coronari. Quam præſumptionem adeò indignè tulit Henricus quartus Imperator, ut de ipſo ſcribat in Citizenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius: *Apud Moguntiam in Concilio*
Principum Henricus Imperator Uratiſlaum Bohe- A. 1086.
miæ Ducem Regem fecit, Moravorum Regno pridem exſtincto in ipſum translato, Poloniam, Sileſiam, Luzatiam Bohemorum Imperio adjiciens, & Gilbertum Trevirorum Archiepiſcopum, cum eo Pragam mittens, qui coram Provincialibus novum Regem inungeret. Boleslaum, quò vexaret & humiliaret, adverſario ſemper Bohemorum Regi ſub-
jecit. Quod ipſum in Bohemorum Chronico la- A. 1086.
tiùs ſcribit Coſmas Decanus Eccleſiæ Pragenſis. Et hinc in opere de Polonorum rebus labitur Martinus Cromerus Warmienſis Epiſcopus: *Mi-*
rari ſatis nequeo à Lamberto Schafnaburgenſi, qui Lib. 4.
circa hæc tempora vixit, & res geſtas Germanorum conſcripſit, memoria proditum eſſe, quod anno Chriſti poſt milleſimum ſeptuageſimo ſeptimo Dux Polonorum, qui per multos annos Regibus Theutonicis tributarius fuiſſet, cujuſque Regnum jam olim Theutonum virtute ſubactum, atque in Provinciam redactum fuiſſet, repentè in ſuperbiam elatus, Regiam dignitatem, Regiumque nomen ſibi uſurpaverit, diadema impoſuerit, atque ipſo die Natalis Domini à quindecim Epiſcopis ſit in Regem conſecratus.

Atqui

Atqui plus ſeptuaginta annis ante hoc tempus Polonia Regem cùm habuiſſet, & quidem Ottonis Rufi Imperatoris beneficio, per hoc tempus habere deſiit. Jam verò quindecim Epiſcopos non modò tunc, ſed umquam omninò habuiſſe, ipſa rei evidentia falſum eſſe convincitur. Alludit ad Boleslaum primum, quem ab Ottone tertio Imperatore donatum Regia dignitate adfirmat in ſecundo libro de Polonorum Republica atque Magiſtratibus, & adjungit: *Nec tamen ultra quartum Regem tunc is honos manſit apud hanc gentem. Nam poſt alterum Boleslaum, prioris illius Pronepotem, ducentis amplius annis Polonorum Principes Regio nomine abſtinuerunt.* Adfirmat à ſecundo Boleslao Regiam dignitatem non fuiſſe reſumptam, ſed dumtaxat retentam. Ceſſam fatetur ab ejus filio, & poſt ducentos & quindecim annos à Primislao Duce reſumptam.

Reſpondeo tamen Presbyterum Wipponem, ac præſertim Lambertum Schafnaburgenſem, ac item Ottonem Friſingenſem eſſe graviſſimos Scri-
A. 1077. ptores. Et ipſis adſtipulatur Scriptor æquè gravis Bertholdus Conſtantienſis. Wippo tamen & Otto labi videntur in Boleslai nomine: Videntur Caſimiri primi Acta in filium Boleslaum tranſcripſiſſe. Etenim Sanctus Henricus vigeſimo quarto, Conrardus Salicus obiit undecimi ſæculi anno trigeſimo nono, at verò Boleslaus Principatum iniit ejuſdem ſæculi anno quinquageſimo octavo, ideoque non poteſt in iſtos rebellaſſe. Quidquid ſit, omnis hæc quæſtio fundatur in gentis ſubjectione ac libertate: Quod nempè nemo ſubjectus Imperio Princeps poſſit ſibi ipſi diadema imponere, ſed ab illo debeat accipere.
An. 819. Hinc item ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Ludovicus* Pius *Imperator Britones ſibi ſubigit. Murmanus verò Dux eorum, qui nomen ſibi Regis uſurpaverat, ab eis interimitur.* Regii nominis uſurpationem, utpotè veram rebellionis ſpeciem, fuiſſe & illius belli & interemptionis cauſam ſcribunt Aſtrologus ac Annales Francorum Fuldenſes. Britanniæ enim populus nolebat cum Murmano in Imperatorem rebellare. Ex eodem fundamento Sanctus Bernardus ſcripſit adversùs Rogerium Siculum pro Imperatore Lothario. Cenſebat enim utramque Siciliam ſpectare ad Imperium.

Quocircà liberi ac ſoli Deo ſubjecti populi poſſunt ſibi ipſis creare ex Duce Regem, aut etiam ipſe Dux creare ſeipſum. Hac enim via omnes olim Reges, omniaque Regna paſſim emerſerunt. Et de majoris Britanniæ Inſula, quam nimiis Barbarorum incurſibus vexati Romani deſeruerant tamquam ſibi inutilem, & extracta ſua militia libertati antiquæ reſtituerant, quòd tunc ſibi Regem elegerit, affirmant antiqui illius Scriptores. Et de Longobardis ſcribit Regino Abbas
An. 517. Prumienſis: *Longobardi, cum per annos decem ſub poteſtate Ducum fuiſſent, Regem ſuper ſe ſtatuunt Ottarium.* Et de Francis Sigebertus Gemblacen-
An. 418. ſis: *Simeone & Marcomiro Ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, ut & ipſi, ſicut aliæ gentes, Regnum habeant. Et filium Marcomiri Ducis Pharamondum ſibi Regem ordinant.* Et hinc diadema à Pontifice poſtulantem Buſclavum impedire malè voluit Auceps Henricus. Sclavorum enim gens, quòd Romano Imperio nec ſubeſſet, nec ſubfuiſſet unquam, poterat ſibi ipſi aſſumere diadema, ideoque longè potiori jure à Romana Eccleſia poſtulare.

Et hac in laudatam Eccleſiam pietate plures olim populi fuerunt uſi. Etenim Bulgari avitam, quam ſibi Baſilius & Conſtantinus Conſtantinopolitani Imperatores malè excuſſerant, Regiam dignitatem reſtitui ſupplicarunt ac impetrarunt ab Innocentio tertio. Latè hæc habes in laudati Pontificis vita, publicata per Franciſcum Boſquettum. Eadem multis refert, quomodo idem Pontifex Petrum Aragoniæ Principem evexerit & coronaverit in Regem. Et ad Sancium Portugalliæ Regem ſcribit idem Innocentius: *Apoſtolica Sedes inclytæ recordationis Alphonſum Progenitorem tuum nomine Regio ac Regalibus inſigniis* Lib. 2.
decoravit, & ipſum & Succeſſores ſuos adoptans in Ep. 59.
Beati Petri filios ſpeciales, eos & Regnum Portugallenſe ſpecialibus privilegiis, ſuaque protectione curavit communiri. Exponit Rodericus Archiepiſcopus Toletanus: *Aldephonſus fuit ſtrenuus & pertinax in agendis. Hic primus in Portugallia ſibi impoſuit nomen Regis, cùm pater ejus Comes, & ipſe Dux anteà dicerentur. Et ab Eugenio tertio, cui Regnum ſuum conſtituit cenſuale, multa privilegia & indulgentias impetravit.* Hi enim omnes erant liberi populi ac ſupremi Principes, ideoque ſibi ipſis poterant diadema imponere, longè magis ab Eccleſia Romana impetrare. Duobus igitur populis Regiam aut quamvis aliam dignitatem donare poteſt laudata Eccleſia: Videlicet & liberis, & ſibi temporaliter ſubjectis. Et ſic dedit Siculis. Et hinc Sanctus Bernardus titubavit in fundamento.

Annæ Comnenæ in noſtrum Gregorium palmaris calumnia eſt Hanon Regis Ammon in Regis David Legatos facinus, de quo Sacer textus: *Raſit dimidiam partem barbæ eorum.* Erat duriſſima contumelia. Et hinc ad hæc Sacri textus de Sennacherib Aſſyriorum Rege verba, *Reverſus eſt cum ignominia in terram ſuam*, ſcribit in Hebraicis ſuper ſecundum Paralipomenon librum traditionibus Sanctus Hieronymus: *Tradunt Hebræi caput & barbam illi raſam ab Angelo in ignominiam.* Barbæ & capitis raſuram exponit in Sancti Cap. 32.
Jeremiæ commentariis etiam Theodoretus, & adjungit: *Is erat captivorum habitus.* Et Majores noſtros in Chriſtianæ fidei ignominiam fuiſſe à Cap. 48.
Paganis tyrannis frequenter ſemi-tonſos, lucet ex Sancti Cypriani Epiſtolis. Eandem ignominiam paſſus aſſeritur Sanctus Petrus Apoſtolus, & hæc eſſe origo Clericalis coronæ & tonſuræ. Eſt facinus lapſis in Photii ſchiſma Græcis familiare. Etenim Alacaſeum militem, qui fictum ac perſonatum Diogenis olim Imperatoris filium proditurus Imperatori Alexio Comneno, volebat ſibi ipſi comam & barbam radere, laudat Anna Comnena. Et de factæ in eundem patrem Lib. 10.
ſuum conjurationis auctore Michaele Anemade ſcribit eadem Anna: *Michael, barba pilatim evulſa, capite verò ad cutem raſo per forum ad* Cap. 12.
ludibrium traducebatur. Et de ſimilis criminis reo Gregorio Trapezuntis Duce: *Gregorium Auguſtus jubet per medium traduci forum, capite & barba*

barba ſtrictim ad cutem tonſis. Et de militibus qui Xenam Andronici ſecundi Imperatoris matrem injuria affecerant, ſcribit Joannes Imperator Cantacuzenus: *Abraſa barba & capillis, publicè in foro, velut. in theatro ad ſpectandum omnibus ignominiæ cauſa ſunt propoſiti*. Et de nobili viro, ac ſuo ad Annam Imperatricem ac ejus Proceres Legato, Demetrio Sguropulo ſcribit in alio libro: *Sguropulum verberibus indigniſſimè coopertum, piliſque barbæ & capitis nudatum, ut in pompa, publicè ſpectandum ſtatuunt*. Imperatoris Henrici Legatos fuiſſe eadem barbarie à noſtro Gregorio tractatos adfirmat Anna Comnena, ideoque vocat Papam deſputabilem. Verùm rectè reſpondet ejus Scholaſtes David Hoeſchenius: *De Gregorio ſeptimo Pontifice, verum fatendum, nihil ejuſmodi lectum. Ne hoſtes quidem, quos infenſiſſimos paſſus eſt, objecerunt. Non Benno, non Venericus Vercellenſis, ſive Waltramus Naumburgenſis, non alii, non ipſe Henricus in Epiſtola ad Annonem, qua hujus Legationis meminit, factum profectò non diſſimulaturus*. Per nequiſſimum impoſtorem ficta fuit iſta Epiſtola, & tamen illi nihil tale venit in mentem. Undè clarum eſt Annam aut imponere, aut ab impoſtoribus circumſcriptam hallucinari.

Lib. 1. cap. 32.

Lib. 3. cap. 29.

Quæſtio eſt, Qua de cauſa ſeptimus Gregorius Michaeli Ducæ illatas à Nicephoro Botoniate injurias cenſuerit anathemate vindicandas? Etenim Schiſmatici in Sanctum Petrum rebelles, adeoque & à ſemetipſis excommunicati erant tunc Græci omnes: Quid igitur iſtic operari aut prodeſſe poterat Sancti Petri gladius? Reſpondeo rationem edici à Cardinale Humberto in indiculo ſuorum Actorum apud Conſtantinopolim: *Quantùm ad columnas Imperii, & ejus Honoratos, atque cives ſapientes, Chriſtianiſſima atque orthoxa eſt* Conſtantinopolitana *civitas; quantùm autem ad Michaelem* Cerularium, *abuſivè dictum Patriarcham, & ejus ſtultitiæ fautores, nimia zizania hæreſeon quotidiè ſeminantur in medio ejus*. Laudat Imperatorem Conſtantinum Monomachum, à cujus pietate plures ſucceſſores non diſceſſerunt. At verò de Patriarchæ Michaelis ſequacibus ac ſucceſſoribus ſcribit repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Ex tunc*, utique à Michaelis per Apoſtolicæ Sedis Legatos excommunicatione, *Græci majoris invidiæ ſtimulis agitati, quàmplures libros ſeu tractatus in confuſionem Romanæ Eccleſiæ ediderunt, & ſuis poſteris legendos tamquam authenticos, & Catholicæ fidei firmitatem habentes, diſtrictè mandaverunt, eos verò, qui his contraria dogmatizare præſumerent, annuatim in Eccleſiis, voce præconis, quod uſque hodiè in eorum conventualibus Eccleſiis obſervatur, hæreticos denunciarunt*. Et hinc Sancti Leonis noni pro evertenda hac ſchiſmatica ſtultitia ac reformanda Eccleſiarum unione ſtudium ſucceſſores Pontifices numquam depoſuerunt. Etenim quòd Cardinalis Fredericus, Cardinalis Humberti in Sancti Leonis legatione Collega, in Stephanum decimum Papam evectus legarit Deſiderium Caſſinenſium Abbatem, Cardinalem Stephanum, & Mainardum Romanæ Eccleſiæ Clericum, Cardinalis Humberti in Sylvæ candidæ Epiſcopatu poſteà ſucceſſorem, qui à ſe inchoatum unionis opus proſequerentur, ac conarentur perficere apud Imperatorem Iſaacium Comnenum, & Patriarcham Conſtantinum Lichudem, teſtatur & exponit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus. Nempè inter dictum Iſaacium & Michaelem Cerularium, ob adſumptos ab hoc purpureos compagos, & alias ejuſdem rebelles inſolentias, nata diſſidia, & ſubſecuta Michaelis mors, Pontifici fecerunt ſpem meliorum ſucceſſuum. Aſt dum apud Barum in Apulia Legatio unà cum Argyro Barenſium Magiſtro exſpectat pacatum mare & commodam navigationem, Papa moritur apud Florentiam, atque ita fuit evacuata omnis ſpes, & quiſque rediit ad ſua propria. Hic eſt ille nobilis & orthodoxus Argyrus, qui etiam Leonis noni Legationem ſtrenuè adjuvit, atque ideò à Michaele Cerulario ſuſtinuit atrociſſimas calumnias. Et hinc lucet Barenſium civitatem tunc ſpectaſſe ad Græcos.

Anno poſt milleſimum ſeptuageſimo Alexander ſecundus Pontifex, ac ejus Archidiaconus Hildebrandus repararunt Romanam Sancti Pauli extra muros Oſtienſi via Baſilicam. Ei poſuerunt pretioſiſſimas variis ſacris imaginibus inciſis portas. Ipſas curarunt fieri Conſtantinopoli. Opus direxit Pantaleon Conſus, Amalphitanus genere: Et incidi juſſit inſignes verſus, quibus palàm profeſſus eſt ſe germanè orthodoxum, plenumque veneratorem Romanæ Eccleſiæ. Quis enim votivè ſe inſcribat valvis Eccleſiæ, quam cenſet hæreticam aut ſchiſmaticam? Nempè etiam tunc Imperii columnæ erant Chriſtianiſſimæ. Anno ſequenti in Auguſtum thronum levatus eſt Michael Ducas, cognomento Parapinacius; de quo eſt præſens quæſtio. Etiam ipſum conſtat fuiſſe orthodoxum. Ad ipſum item laudatus Alexander Sanctum Petrum Anagniæ Epiſcopum legavit Apocriſarium. Non qualemcumque Legatum, ſed Apocriſarium. Fibulam fraternæ communionis. Hinc enim Mauritiani Imperii invaſor Phocas, quòd Apoſtolicæ Sedis Legatum non reperiret Conſtantinopoli, Regnum ab ipſa improbari eſt opinatus, ſtatimque à Magno Gregorio poſtulavit, atque obtinuit. Etenim Gregorius, quò tunc uſurpatum à Conſtantinopolitanis Patriarchis profanum *Univerſalis Epiſcopi* nomen circumſcriberet ac aboleret, tyranno ſtuduit in omnibus gratificari. Etiam Monothelitica hæreſis, uti Romanam communionem, ita & Romanos interpolavit Apocriſarios. Et hinc Eccleſias plenè uniturus Imperator Conſtantinus Barbatus, ad ſextæ Synodi confirmatorem Leonem ſecundum ſcripſit: *Hortamur veſtram Sanctiſſimam Summitatem, ut quàm primùm mittat deſignatum ab ea Apocriſarium*. Ad ſextam Synodum Sanctus Papa Agathon Legatos miſerat ac ſuæ Præſidentiæ Vicarios, verùm non Apocriſarios. Hi enim habitabant in Placidiano Palatio, quotidiè communicabant Principi in ſecretioribus conſiliis, in ſolenni Divinorum officiorum Apparitura procedebant cum Patriarcha, atque ita exſequebantur

tur

tur & Divinam & humanam utriuſque Eccleſiæ communionem. Hinc ipſos Apoſtolica Sedes non mittebat, niſi ad orthodoxum Principem. Hinc eadem Sedes Patriarchæ offenſa vetabat, ne Apocriſarius, utpotè Diaconus, cum ipſo procederet. Hocce proceſſionis interdictum ac ſuſpenſio erat via ad revocationem Apocriſarii, hoc eſt, ad omnem communionis interciſionem. Hinc quartus Conſtantinus ipſum non niſi poſt feliciter peractam, & à ſecundo Leone firmatam Synodum poſtulavit. Hinc poſtulavit ſtatim mitti. Nempè norat ſe, quouſque eſſet ſine Apocriſario, eſſe ſine Romanæ communionis charactere. Hinc Romani Pontifices, quoties Græci caderent in ſchiſmata, ſuum Apocriſarium ſtatim revocarunt. Nam & hodiè inter Reges ac alios Laicos Principes revocatio Oratoris eſt lucida profeſſio inimicitiæ. Quarè ſecundus Alexander, dum Michaeli Ducæ Apocriſarium legavit, cenſuit ipſum plenè orthodoxum. Et quòd Michael Petrum honorificè admiſerit, & magnis ad proſequendam novæ apud Anagniam Cathedralis Baſilicæ fabricam donis auxerit, teſtatur in hujus vita Bruno Epiſcopus Signienſis.

Ad eundem Michaelem primo ſui Pontificatus anno ſcripſit noſter ſeptimus Gregorius: *Quidam à veſtris partibus Monachi venientes, quorum unus Thomas, alter Nicolaus dicebatur, Excellentiæ veſtræ ad nos litteras detulere, plenas veſtræ dilectionis dulcedine, & ea, quam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exhibetis, non parva devotione. Quæ nimirùm inter cætera Nobilitatis veſtræ verba, eiſdem Monachis de his, quæ ipſi viva voce in aures nobis ex parte veſtra relaturi eſſent, poſſe nos eredere adſerebant. Verùm quia perſonæ non videbantur tales, quibus ſecurè fidem poſſemus adcommodare, & per eos de tantis rebus Magnitudini veſtræ reſpondere, confratrem noſtrum Dominicum, Patriarcham Venetiæ, Romanæ Eccleſiæ ac Imperio veſtro fideliſſimum, ad vos ſtuduimus mittere, quatenus ipſe diligenter à vobis intelligat, ſi in ea, quam litteris veſtris, & viva eorumdem Monachorum voce ſecretiùs ſignificaſtis, adhuc voluntate perſeveretis, & Legationis veſtræ verba ad effectum perducere velitis. Nos autem non ſolùm inter Romanam & filiam ejus Conſtantinopolitanam Eccleſiam, antiquam concordiam cupimus innovare, ſed cum omnibus hominibus pacem habere. Scitis enim, quia quantùm Anteceſſorum noſtrorum & veſtrorum Sanctæ Apoſtolicæ Sedi & Imperio ad patrocinium concordia profuit, tantùm deinceps nocuit, quod utrimque eorumdem charitas friguit.* Evecto ad Apoſtolicam Cathedram Gregorio Michael, uti orthodoxus Princeps, ſtatim gratulatus fuit, fecit obedientiam, & poſtulavit Eccleſiarum unionem. Eo tempore graſſabatur adhuc Michaelis Cerularii impia factio, eique omninò favebat Joannes Xiphilinus Patriarcha. Hinc non per Epiſcopos ac ſolemnem Legationem, ſed per fidos Monachos, adflictæ Eccleſiæ conſuetum ſemper aſylum, ac per ſecretas litteras pius Princeps cenſuit negotium conficiendum. At Gregorius aliud cenſuit: Cenſuit hanc viam tantis rebus non conducere. Hinc ipſis impendit Dominicum Venetiæ Patriarcham. Ipſum adfirmat & Romanæ Eccleſiæ & Conſtantinopolitano Imperio fideliſſimum: Quòd Veneti cum Græcis mercimonia ſemper foverint, atque amicitiam.

Lib. 1. Ep. 18.

Et Dominici Legatio non caruit fructu. Etenim ipſam ſecuta fuit ſecunda, non ſecreta per ſimplices Monachos, ſed ſolemnis Græcorum ad Romanam Eccleſiam Legatio, de qua noſter Gregorius ad Imperatorem Henricum quartum ſcribit: *Indico Magnitudini tuæ, quia Chriſtiani ex partibus ultramarinis, quorum maxima pars à Paganis inaudita clade deſtruitur, & more pecudum quotidie occiditur, genſque Chriſtiana ad nihilum redigitur, ad me humiliter miſerunt, nimia compulſi miſeria implorantes, ut modis, quibus poſſem, eiſdem fratribus noſtris ſuccurrerem, ne Chriſtiana religio noſtris temporibus, quòd abſit, omninò deperiret.* Et inferiùs: *Conſtantinopolitana Eccleſia, de Spiritu Sancto à nobis diſſidens, concordiam Apoſtolicæ Sedis exſpectat. Armenii etiam ferè omnes à Catholica fide aberrant. Et ferè univerſi Orientales præſtolantur, quid fides Apoſtoli Petri inter diverſos eorum errores decernat. Inſtat enim noſtris temporibus, ut impleatur, quod pius Redemptor ſpeciali gratia dignatus eſt Apoſtolorum Principi indicare ac præcipere, dicens: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Adeò ſolemnis fuit hæc, non ſolius Conſtantinopolitanæ, ſed omnis Orientalis, ipſiuſque etiam Armeniæ Eccleſiæ ad Gregorium Legatio. Quæ omninò videtur procuraſſe Dominicus Patriarcha Venetiarum. Etiam dona Sancto Benedicto in Montem Caſſinum miſit Imperator Michael. Rem ſuprà audivimus à Leone Oſtienſi Epiſcopo. Tunc item factum eſt quod in compendiaria Chronologia ſcribit Joel: *Patriarcha Joanne Xiphilino vita functo, Imperator Coſmam quemdam Monachum, qui è terra ſancta advenerat, maximoque ab ſe ob eximias virtutes in pretio habitum, elegit.* Et Joannes Schylitza: *Sepulto Patriarcha Joanne Xiphilino, Imperator alium delegit, non ex Senatorio ordine, neque ex Eccleſia, neque ullum alium Byzantinum, ſive eloquentia ſive rebus geſtis clarum & celebrem, ſed Coſmam quemdam Monachum, qui à ſancta civitate venerat, & in maximo honore apud Imperatorem habebatur propter virtutem, qua præditus erat. Nam tametſi externæ ſapientiæ expers eſſet, & illius myſteria minimè guſtaſſet, attamen variis virtutibus effloreſcebat. Quapropter omnibus aliis neglectis, ipſum ad Eccleſiæ gubernacula collocat.* Coſmam Monaſticæ paupertatis fuiſſe etiam in Patriarchatu obſervantiſſimum, Prophetiæ dono clarum, & tanto throno per omnia digniſſimum, teſtatur in primo Alexiados libro Anna Comnena. Addit fuiſſe creatum anno quarto Imperatoris Michaelis, die ſecunda Auguſti, indictione decima tertia, anno Domini poſt milleſimum ſeptuageſimo quinto, pendente negotio unionis. Sub Saracenis gemens Hieroſolymitana Eccleſia tunc necdum admiſerat ſchiſma & nugas Michaelis Cerularii, ſed conſtans manebat in communione Romana. Et manſiſſe uſque ad liberatam per Francos Hieroſolymam poſſit oſtendi.

Lib. 2. Ep. 31.

Hinc igitur Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ laceratam unionem reparaturus Imperator Ducas, nec è ſuo Palatio, nec è Patriarchalis Eccleſiæ Clero cenſuit adſumendum Patriarcham: Quòd nempè Neophytos Palatinos nullatenùs tolerari à Romana Eccleſia, & omnem ſuæ civitatis Clerum noſſet aut favere ſchiſmati, aut ſchiſma olere. Hinc igitur orthodoxum ac inſigniter Sanctum Coſmam promovit. Fateor hæc à Græcis diſertè non exprimi: Quòd nempè cuncti de ſuo ſchiſmate loquantur parciſſimè, & ipſum quaſi erubeſcant; forſan ob reverentiam ſuorum Auguſtorum Principum, quorum plures fuere conſtanter orthodoxi, & tamen Clericos ac Monachos, quos corrigere non poterant, in ſua adversùm Latinos ſuperbia permiſerunt ſordere. Qua in parte ſuum imperiale officium non explerunt, nec ſunt excuſabiles.

Hanc interim Michaelis Parapinacii Legationem ſummo gaudio excepit noſter Gregorius, ſperavitque adeſſe tempora, quibus ſuos non tantùm in Occidente, ſed etiam in omni Oriente fratres Sanctus Petrus confirmaret. Lucet ex ejus laudatis ad Imperatorem Henricum litteris. Et in ipſis addidit: *Quia Patres noſtri, quorum veſtigia, licèt indigni, ſequi optamus, partes illas pro fide Catholica confirmanda ſæpè adierunt, nos autem adjuti precibus omnium Chriſtianorum, ſi Chriſto duce via patuerit, illuc tranſire pro eadem fide, & Chriſtianorum defenſione compellimur.* Adfirmat ſe pro iſto negotio paratum mori & pati quælibet, ac proſequitur; *Procuravi Chriſtianos quoſque ad hoc provocare, ad hoc impellere, ut appetant, defendendo Legem Chriſti, animam ſuam pro fratribus ponere, & nobilitatem filiorum Dei luce clariùs oſtentare. Quam adminiſtrationem Italici & Ultra-Montani libenter accipiunt, & jam ultrà quinquaginta millia ad hoc ſe præparant, & ſi me poſſint in expeditione pro Duce ac Pontifice habere, adunata manu contra inimicos Dei volunt inſurgere, & uſque ad ſepulchrum Domini, ipſo ducente, pervenire.* Litteras, quibus omnes ubique Latinos Principes ad Conſtantinopolitano Imperio ſuccurrendum eſt exhortatus, habes in primo libro
Ep. 49. Regeſti. Et adversùm quoſdam, de collecto quinquaginta millium Papali exercitu murmurantes, purgat ſe in litteris ad Guilielmum Burgundiæ Comitem, adducit ſui facti rationes, atque adjungit: *Speramus etiam, quod forſan alia*
Lib. 1. *inde utilitas oriatur, ſcilicet ut pacatis Nortmannis,*
Ep. 46. *tranſeamus Conſtantinopolim in adjutorium Chriſtianorum, qui nimirùm adflicti creberrimis morſibus Saracenorum inhianter flagitant, ut manum noſtri auxilii porrigamus.* Tria igitur per tantas militum turbas parabat ac ſperabat Gregorius. Primò, Nortmannos, licèt inſigniter orthodoxos, tamen utriuſque ad Romanam Eccleſiam ſpectantis Siciliæ terrificos invaſores, voluit terrere, atque ita ad obedientiam compellere. Secundò, Conſtantinopolitani Imperii & Chriſtianæ religionis ſacrilegos laceratores ac ipſi Regiæ civitati jam imminentes Saracenos ejicere: Non tantùm ex Aſiatica ac Pontica Diœceſi, ſed etiam ex Syria, Palæſtina, Arabia, atque Ægypto. Parabat ſacrum pro Terra Sancta bellum, quod poſteà in Claromontano Concilio explevit Urbanus ſecundus. Tertiò, ipſos etiam ſchiſmaticos Græcos hiſce operibus ſtudebat in pavorem agere, atque ad obediendum Catholico ſuo Principi, & faciendæ Eccleſiarum unioni non recalcitrandum cogere. Verùm hæc omnia impedivit conſueta Græcorum in ſuos Principes procacitas, de qua præfatus Joel: *Cives* Conſtantinopolitani Nicephorum *Botoniaten in Oriente Imperatorem* à rebelli exercitu *creatum audientes, Regiam occupant, cuſtodes illi imponunt, imperantem Michaelem ſolio pulſum, vili vehiculo cum Maria Auguſta ex Alemannorum genere, & filio Conſtantino Porphyrogenito, in Studii Monaſterium ablegant, & Monachorum Albo adſcribunt, Sabbatho quod dicitur Lazari.* Hoc eſt, in Sabbatho ante Dominicam Palmarum. Latiùs hæc referunt Joannes Schylitza, & alii Græcorum Scriptores. Sic omnia Gregorii conſilia fuerunt diſſipata.

Degradatus Michael venit in Italiam, ſui reparationem poſtulavit ab amico Pontifice, atque ita Gregorius ad omnes Calabriæ & Apuliæ Epiſcopos ſcripſit: *Notum eſſe Prudentiæ veſtræ* L. 2. E-
non dubitamus, glorioſiſſimum Imperatorem Con- piſt. 6.
ſtantinopolitanum, Michaelem videlicet, ab Imperialis Excellentiæ culmine indignè potiùs & malitiosè, quàm juſtè & rationabiliter eſſe dejectum. Qui auxilium Beati Petri, necnon filii noſtri glorioſiſſimi Ducis Roberti, flagitaturus Italiam petiit. Quaporter nos, licet indigni, Sedis ipſius curam gerentes, compaſſionis viſceribus moti, precibus illius, necnon ejuſdem Ducis, adnuendum eſſe cenſuimus, & à fidelibus Beati Petri ſubveniendum illi fore putamus. Michaelis Porphyrogenitus duxerat Roberti Guiſcardi filiam Helenam. Hinc ille non tantùm à Gregorio, ſed ab iſto etiam Duce flagitavit atque impetravit auxilia. Notanda ſunt Gregorii verba: *A fidelibus Sancti Petri.* Tunc enim Lombardorum Epiſcoporum, Imperatoris Henrici, & Guiberti Anti-Papæ, quaſi per caudas colligatarum vulpium, in Gregorium conjurata factio omnem devaſtabat Italiam, atque ita etiam hæc optimi Pontificis optima conſilia exſufflavit. Interim Robertus Dux inſigniter ac ſtrenuè explevit officium. Etenim plures Orientalis Imperii ſubjugavit Provincias, Michaelem reddidit Imperialibus ornamentis, duxit uſque ad muros Conſtantinopolitanos: Plenum ſucceſſum Divina providentia non permiſit. Gregorius, quoniam corporalia arma non poterat adjungere, ſaltem ſpiritualia deeſſe non voluit: Imperii invaſorem Nicephorum percuſſit anathemate, & Sancti Petri auctoritate maledixit. Quæ omnia latiſſimè deſcripſit Anna Comnena. Fatetur, quòd Michaelis reſtitutio, niſi Henrici adversùs Romanam Eccleſiam inſani motus impediiſſent, fuiſſet omninò proceſſura, & ſortitura effectum. Et ut ſuadeat Gregorium non fuiſſe juſtitia nixum, aliud neſcit loquax mulier, quàm circumductum à Roberto Duce Michaelem garrire fictum ac ſuppoſititium. Quidquid ſit, hæc fuit radix fœminei odii in noſtrum Gregorium.

S. GRE-

S. GREGORII VII. SEXTUM ROMANUM CONCILIUM.

HÆc ſunt Acta Synodalia: *Anno ab Incarnatione ſempiterni Principis milleſimo ſeptuageſimo nono, menſe Februarii, indictione ſecunda, Pontificatus verò Domini Gregorii univerſalis Pontificis anno ſexto, ad honorem Dei, & ædificationem ſanctæ Eccleſiæ, ſalutem quoque tam corporum quam animarum, ex Præcepto Sedis Apoſtolicæ convenerunt finitimi & diverſarum regionum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Religioſæque perſonæ, ut ſanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur in Eccleſia Salvatoris congregatis, habitus eſt ſermo de Corpore & Sanguine Domini noſtri JESU Chriſti, multis hæc, nonnullis illa priùs ſentientibus. Maxima ſiquidem pars panem & vinum per ſacræ orationis verba, & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu Sancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit, & in ſanguinem qui de ejus latere pro multis effuſus eſt lancea, aſſerebat, atque auctoritatibus orthodoxorum ſanctorum Patrum, tam Græcorum quam Latinorum, modis omnibus defendebat: Quidam verò cæcitate nimia & longa perculſi, figuram tantùm ſubſtantiale illud corpus in dextera Patris ſedens eſſe, ſeque & alios decipientes, quibuſdam cavillationibus conabantur adſtruere.*

Et tunc factas crediderim ſolemnes illas Eccleſiæ preces, quas iniquiſſimis calumniis vexat Cardinalis Benno: *Præſumptor Hildebrandus jejunium indixit Cardinalibus, ut Deus oſtenderet, quis rectiùs ſentiret de Corpore Domini, Romanane Eccleſia, an Berengarius? Per hoc manifeſtè probatus infidelis, cum in Nicæno Concilio ſcriptum ſit, Quia dubius in fide eſt infidelis. Et de Corpore Domini ſignum quæſivit, quod petente beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Chriſti formam accepit digiti. Et miſit duos Cardinales, Ottonem & Cunonem, ad Sanctam Anaſtaſiam, ut cum Suppone ejuſdem Eccleſiæ Archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos Pſalterium & Miſſas decantarent, ut ſuprà dictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet. Quod minimè contigit.* Eandem calumniam reſumpſit Moguntinum ſequentis anni Conventiculum, affirmans Gregorium eſſe antiquum Berengarii diſcipulum, ipſumque degradans, quòd *Apoſtolicam de Domini Corpore & ſanguine fidem in quæſtione poſuiſſet.* Ita habes apud Conrardum Abbatem Uſpergenſem. Verùm Synodali tempore preces ac jejunia indicere, atque in cinere & ſacco Divinum lumen implorare, eſt antiquiſſima ac Sanctiſſima Eccleſiæ conſuetudo. Nec pro ſua, ſed pro quorundam aliorum à Berengario circumſcriptorum Antiſtitum hæſitatione illuſtranda fecit id Gregorius. A. 1089.

Et inſtitutas ab ipſo preces non fuiſſe irritas demonſtrat Synodalium Actorum conſequentia: *Verùm ubi cœpit res agi, priùs etiam quàm tertia die ventum fuerit in Synodo, defecit contra veritatem niti pars altera. Nempè Sancti Spiritus ignis emolumenta palearum conſumens, & fulgore ſuo falſam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem.* Hæſitantes Epiſcopos Actorum collector rectè vocat *emolumenta palearum*: Quòd nempè errores, ſchiſmata, hæreſes, aliaque id genus Eccleſiæ damna omnipotens Providentia tranſmutet in ejus lucra. Et ad iſtam Epiſcoporum, atque ipſius etiam Berengarii illuminationem inſigniter adjuviſſe Sancti Brunonis Signienſis Epiſcopi doctiſſimas diſputationes, authentica ejus vita adfirmat. Et quidem omnem in fide dubium eſſe infidelem profitemur & nos: Verùm ex quo Nicæno Canone iſtud dictum Benno hauſerit, ignoro. Hauſtum credo ex capitulis, quæ Angilramno Metenſi Epiſcopo in Franciam deportanda dedit Adrianus primus.

Repetitus hic Berengarii relapſus, & præſens in ipſum Synodus videntur duxiſſe originem ex illius diſputationibus cum Guilielmo Andegavenſis Eccleſiæ Cantore, & Aſcelino Monacho ſuper doctrina & damnatione Joannis Erigenæ. Cap. 4. Hujus palmare adversùs Eccleſiæ veritatem fundamentum fuit Eccleſiæ Collecta: *Perficiant in nobis, quæſumus Domine, tua Sacramenta quod continent, ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Hinc Erro Erigena intulit: *Specie geruntur iſta, non veritate.* Et hunc ſibi in diſputatione objectum Commentarium firmare ac defendere non fuit auſus Berengarius, ideoque Guilielmus ſcripſit ac ſparſit Erigenam tandem aliquando ab ipſo etiam Berengario eſſe jam deſertum ac damnatum. Verùm hoc adeò indignè tulit Berengarius, ut novis Apologiis

Amaſium ſuum fuerit proſecutus, ideoque ipſi Aſcelinus reſcripſerit: *Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoque propter eum hæreſis macula notatum audivimus*. An hæc ante vel poſt Romanam Nicolai ſecundi Synodum ſint geſta, non poſſum affirmare. Quidquid ſit, poſt ipſam denuò & in iſtius Joannis, & in ſuæ hæreſios apertam prædicationem lapſus eſt Berengarius, & de ipſo ad hanc Synodum perducto pergunt Acta Synodalia: *Denique Berengarius hujus erroris Magiſter, poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram frequenti concilio confeſſus, veniamque poſtulans & orans, ex Apoſtolica clementia meruit, juravitque ſicut in conſequentibus continetur*. Conſonat his in libro adverſus Berengarium Sanctus Lanfrancus: *Ad hæc Gregorii ſeptimi tempora, cùm in templo Salvatoris de his ſermo haberetur, quorumdam tui ſimilium ſtipatus agmine erroris Magiſter perſeverabas, tum cœleſtis Patris ſpiritu in animum tuum inſtillante reverſus, ſperatam veniam Apoſtolica miſeratione conſecutus es, jurans & ea quæ ſequuntur*.

A. 1075. Quæ omnia inſigniter confirmat Malleacenſis ad Sanctum Maxentium Cœnobii Chronicon: *Pictavis fuit concilium, quod tenuit Girandus Legatus, de corpore & ſanguine Domini, in quo Berengarius fermè interemptus eſt, fueratque aliud concilium apud Sanctum Maxentium ſeptimo Kalendas Julii, in quo erat major Goſcelinus, Archiepiſcopus Burdigalenſis, qui Archimbaldo ſucceſſit*. Girandus iſte eſt Giraldus, Sancti Petri Damiani proximus ſucceſſor in Epiſcopatu Oſtienſi, Alexandri ſecundi in Galliam ac Hiſpaniam Legatus una cum Raimbaldo Romanæ Eccleſiæ Subdiacono, ac in eadem Legatione per noſtrum Gregorium confirmatus. Ita habet ſexta Gregorii Epiſtola in primo libro Regeſti. Extat ibidem alia, qua Gallicanam Geraldi Synodum Pontifex memorat, de Actorum ad ſe non facta relatione queritur, adſeritque quoſdam iſtic damnatos Epiſcopos ad ſuum judicium proclamaſſe. Verùm hæc eſt alia Synodus. Facta enim fuit anno poſt milleſimum ſeptuageſimo tertio, iſtam autem Pictavienſem adductum Chronicon adſcribit anno ſeptuageſimo quinto. Cur illic Berengarius fuerit ferè interemptus, ignoro. Exiſtimo quòd ob toties iteratum relapſum in horrendas blaſphemias: Quas Apoſtolicæ dignitatis tenaciſſimus Galliarum populus quia videbat per Synodalia Decreta & iterata in ipſis juramenta non corrigi, cenſuit lapidibus obruendas, atque ita cum blaſphemo & perjuro Hæreſiarcha apud inferos ſepeliendas. Et apud Sanctum Maxentium celebrata Synodus videtur tractaſſe eamdem materiam. Et quin Berengarius etiam poſt haſce Synodos fuerit relapſus, atque ità Eccleſiam coegerit ad alios quotannis Conventus, exiſtimo non dubitandum. Hinc igitur finem impoſiturus Gregorius, olim ſibi in Gallia notum & à ſe judicatum hominem juſſit denuò Romam accedere. Et quibuſdam viſus eſt in toties relapſum Erronem eſſe nimiùm benignus, atque ita Cardinalis Bennonis calumniæ dedit aliquid anſæ aut fomenti. Ep 16.

Secunda BERENGARII Profeſſio.

EGo Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per Myſterium Sacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam, ac vivificatricem carnem & ſanguinem JESU Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris, & verum ſanguinem Chriſti, qui de ejus latere effuſus eſt. Non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ. Sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

SCHOLION.

PRofeſſionem hanc laudato ſuo libro inſeruit etiam Sanctus Lanfrancus, & Virdunenſi ſuo Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. Hæc ejus verba, *Quod natum eſt de Virgine*, in ſuis ad Geraldum Sancti Albini Andegavenſis Abbatem litteris habet & Anaſtaſius ſanctorum ibidem Sergii & Bacchi Monachus: *Credo Sanctum Corpus Dominicum, quod in Altari quotidiè Sacerdotis officio conſecratur, veram ejus carnem eſſe, quæ paſſa eſt in cruce, & verum ejus ſanguinem, qui manavit ex latere*. Confirmat id Evangelicis teſtimo-

ſtimoniis, & proſequitur: *Sicut nullum corpus aliud pro noſtra ſalute traditum præter ſuum ſcio, ita nullam ejus aliam carnem, quam quæ nata eſt de Maria Virgine, & reſurrexit de ſepulchro, manducari in remiſſionem peccatorum credo, nec alium bibi ſanguinem, quàm qui profluxit de ejus latere, non dubito*. Quo locutionis genere frequenter utuntur Berengarii impugnatores. Rationem dat Venerabilis Durandus Abbas Troarnenſis: *At quia ſunt nonnulli his aliquantò, ut ſibi videntur, prudentiores atque religioſiores, qui carnem quidem dicunt eſſe Chriſti, non tamen illam, quam de Virgine ſancta Chriſtus ipſe ſuſcepit, in qua paſſus eſt, & à mortuis reſurrexit, quam ad Cœlos cum triumpho victoriæ vivus & verax devexit, ſed quandam novam, quam benedictio recens conſecravit*. In tres factiones diviſus fuit Berengarius: Prima ſolam figuram, ſecunda impanationem, tertia tranſubſtantiationem admiſit, verùm in neſcio quam novam carnem. Et hanc ex Sancto Ambroſio, aliiſque antiquis Eccleſiæ Patribus lucidè expugnat laudatus Durandus. Eandem impetunt adducta verba profeſſionis.

Prima quæſtio eſt, An hanc profeſſionem in hac Synodo fecerit Berengarius? In eruditis ad Sancti Lanfranci vitam Notis negat Lucas Dacherius: *Alteram confeſſionem coram Summo Pontifice Gregorio ſeptimo, ſeu potiùs, mea ſententia, partes Legati in Gallia agente, Alexandri ſecundi juſſu, præſidenteque Concilio Turonenſi, emiſit Berengarius*. Reſpondeo tamen omninò emiſſam in hac Synodo. Ità enim diſertè teſtantur authentica noſtra Acta Synodalia. Et ſuprà nobis dixit Sanctus Lanfrancus fuiſſe emiſſam in templo Salvatoris, ſeu in Baſilica Lateranenſi. Quod ipſum diſertiſſimè teſtatur Hugo Flaviniacenſis. Etiam maledicus Benno. Improbatas enim à ſe preces ſcribit non in Turonenſi, ſed in Romana Synodo fuiſſe indictas. Et Gregorius in Turonenſi Synodo non Alexandri, ſed Victoris ſecundi fuit Legatus.

Altera quæſtio eſt, Cur hæc verba, *Conſentio corpus & ſanguinem Domini non ſolùm Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri*, quæ priori profeſſioni juſſerat inſeri Nicolaus ſecundus, hìc intermiſerit noſter Gregorius? Reſpondeo rationem colligi ex laudatis Anaſtaſii Monachi litteris: *Poſt tanti Myſterii conſecrationem ſic veram Dominici Corporis Euchariſtiam me credo ſumere, ut tamen nullo modo negem in figura vel Sacramento eſſe. Alioquin ſi abſque Sacramento vel figura Dei Agnum dentibus vorari crederem, in magnum, ut ait Pater Auguſtinus, facinus incurrerem*. Ait non ipſum Domini Corpus, ſed ſolas Sacramentales ſpecies dentibus atteri ac tangi, ideoque illos, qui ſolum illic ſine accidentibus iſtud corpus crediderunt, toto cœlo hallucinari. Hanc propoſitionem, *Domini Corpus à fidelibus in Euchariſtia tangitur*, eſſe authenticam & multorum Patrum teſtimonio firmam oſtendi ſuperiùs; eſt tamen ambigua, & in utramque contradictionis partem verſari poſſit argumentis, quibus hanc, *Domini Corpus frangitur*, verſat in ſexto de Sacramentis tractatu Hugo de Sancto Victo- Cap. 8.

re. Et in libris de Sacramento Altaris ſcribit Innocentius tertius: *Solet à multis inquiri, ſed à paucis intelligi, quid Chriſtus in menſa fregit, & quid Sacerdos in Altari frangit. Fuerunt qui dicerent, quòd ſicut poſt conſecrationem vera panis remanent accidentia, ſic & vera panis ſubſtantia.* Lib. 4. c. 9. 10. *Quia ſicut ſubjectum non poteſt ſubſiſtere ſine accidentibus, ſic accidentia non poſſunt exiſtere ſine ſubjecto. Quoniam accidentis eſſe non eſt aliud quam ineſſe*. Adfirmat doceri ab illis impanationem, & adjungit: *Hi dicunt quòd ſubſtantia panis frangitur & atteritur*. Errorem multis refutat, ac proſequitur: *Dicamus ergo quod forma panis frangitur & atteritur, ſed Corpus Chriſti ſumitur & comeditur*. Eandem ſententiam ſecutus fuit noſter Gregorius, & Berengarium, qui priori ſuæ profeſſioni inſertam iſtam phraſim horruerat, multis poſteà impugnarat, & etiamnum averſabatur, ad ipſam denuò duxit non cogendum. Ita nobis demonſtravit cum convertendis Hæreticis eſſe circa quædam diſpenſatoriè agendum.

Pergunt Acta Synodalia: *Tunc Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei Omnipotentis & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant*. Quod ipſum eiſdem ferè verbis ſcribunt Sanctus Lanfrancus & Hugo Flaviniacenſis. Quin & commendatitias litteras, & oculatum, qui ipſum priſtino apud omnes honori redderet, Actorem, & veræ converſionis teſtem dedit illi Pontifex: *Gregorius ſervus ſervorum Dei, omnibus beato Petro fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Notum vobis omnibus facimus, nos anathema feciſſe ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omnibus qui injuriam aliquam facere præſumpſerint Berengario, Romanæ Eccleſiæ filio, vel in perſona, vel in omni poſſeſſione ſua, vel qui eum vocabit Hæreticum, quem poſt multas, quas apud nos, quantas voluimus, fecit moras, domum ſuam remittimus, & cum eo fidelem noſtrum Fulconem nomine*. Litteras nuper vulgavit Lucas Dacherius.

Et hinc oritur tertia quæſtio, An poſt hanc noviſſimam profeſſionem & abſolutionem Berengarius fuerit adhuc relapſus? Reſpondeo fuiſſe. Etenim ad annum iſtius ſæculi octogeſimum ſcribit laudatum Sancti Maxentii Chronicon: *Fuit Concilium Burdigalæ, in quo Berengarius reddidit fidei ſuæ rationem*. Quòd nempè eſſet iterùm relapſus, aut certè de relapſu ſuſpectus & accuſatus. Quidquid ſit, pœnitens & Catholicus deceſſit ex hac vita. De ipſo enim ſcribit ad hujus ſeculi octogeſimum tertium annum Clarius Monachus in Chronico Sancti Petri vivi: *Berengarius Turonenſis Magiſter, & admirabilis Philoſophus, amator pauperum effloruit. Hic compoſuit orationem illam, quæ ſic incipit:* Juſte Judex JESU Chriſte. *Poſt hæc fidelis & verè Catholicus vitam finivit, ſuper cujus tumulum hujuſmodi Epitaphium eſt: Quem modò miratur, ſemper mirabitur orbis, ille Berengarius*

non obiturus obit. Et Guilielmus Malmesbirienſis. *Berengarius planè, quamvis ſententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit*. Et infrà: *Quin & ipſe Epiphaniorum die moriens, gemituque preducto recordatus, quòd miſeros quondam adoleſcens primo ætatis calore, Secta ſua infecerat, hodie, inquit, in die Apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus* JESUS *Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, propter alios, uti timeo, ad pœnam*. Eum aliqui nimiis exrulerunt præconiis, præſertim Sanctus Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis.

Ea reverà omnes à ſe perverſos Berengarius non convertit. Etenim de neſcio quo Monacho ſcribit in primo ſuper Sancti Benedicti Regulam libro venerabilis Abbas Rupertus: *Habueram cum aliquo magni nominis, magnæ æſtimationis Scholaſtico, licet Monacho, certamen per moleſtum de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini. Qui inter cætera, quibus deprimere conabatur Majeſtatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia Sacramentum illud Judæ quoque traditori ſuo Dominus dedit, ſicut & cæteris Apoſtolis, hoc nimirum intendens, quod nequaquam illi dediſſet, ſi vera eſſet ſubſtantia corporis & ſanguinis ſui*. Quis non videat prodire hæc ex olla Berengarii? Et quidem argumentum iſtud adeò movit Rupertum, ut Sanctum Auguſtinum, cujus auctoritate ſe tuebatur Hereticus iſte Monachus, dixerit non eſſe in Canone, & Sanctum Pictavienſem Hilarium, cui videtur Judas non accepiſſe Euchariſtiam, fuerit ſecutus. At ecce hinc alia lis. Quidam Catholici acceperunt id peſſimè, & optimum Rupertum *diffamare cæperunt tanquam Hæreticum, qui dixiſſet non eſſe in Canone beatum Auguſtinum*. Quod notent qui Auguſtini probatos etiam à Romana Eccleſia libros hodiè audent ſugillare. An Euchariſtiam Judas acceperit, eſt longa quæſtio, nec hujus loci. Quidquid ſit, ex præfata olla prodierunt & illi, adversùm quos ſcribit in Commentariis ſuper Sancti Dionyſii de Cæleſti Hierarchia libros Hugo Victorinus: *Quidam dicunt in Sacramento altaris veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti non eſſe, ſed imaginem illius tantùm & figuram*. Etiam illi, à qui-
L. 2. c. 1. bus, quod accidens per ſe ſubſiſtere non poſſe crederent, traditam fuiſſe impanationem, audivimus ſuprà ab Innocentio tertio. Hi enim, quòd nudam figuram non dogmatizarent, non poſſunt fuiſſe Albigenſes. Interim etiam hi, & Petro Bruſiani, & Waldenſes, & Wicleffiſtæ, & Huſſitæ, & Lutherani, & Calviniſtæ, & denique omnis Sacramentariorum factio ex eodem prodierunt ſpermate & principio, adversùs quod rectè laudatus Innocentius: *Qualem ſignificandi modum habet nomen accidentis in Philoſophica facultate, talem exiſtendi modum habet accidens nominis in Theologica veritate. Nam ſicut hoc nomen*, Album, *ſignificat accidens in ſubjecto, id eſt, in adjacentia, ſed hoc nomen*, Albedo, *ſignificat accidens ſine ſubjecto, id eſt, in exiſtentia, ſic ante conſecrationem accidens eſt in ſubjecto, quoniam exiſtit in alio, ſed poſt conſecrationem accidens eſt ſine ſubjecto, quoniam exiſtit per ſe, tranſit enim ſubſtantia, ſed remanent accidentia*. Etiam Joannis Wicleffi palmare adversùs Euchariſtiæ veritatem fundamentum fuit hic articulus: *Deus de potentia ſua abſoluta non poteſt facere quòd in Sacramento Altaris eſſent accidentia ſine ſubjecto*. Et hinc hunc articulum, *Quòd accidentia non maneant ſine ſubjecto poſt conſecrationem in Sacroſancto Altaris*, Synodaliter damnavit Guilielmus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Ejus judicium firmavit Urbanus ſextus, ac etiam Conſtantienſis Synodus, damnans hunc articulum: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Sacramento Altaris*. Ex quo vides Renati Cartheſii nugas eſſe lucidè paradoxas. & jam dudum ab omni Chriſtianitate exploſas, quòd Eccleſia accidentis nomen eodem, quo & Philoſophi ſolent, modo ac ſenſu accipiat, jam teſtatus eſt Innocentius tertius. De quibus plura ſuo loco.

Cauſa Henrici & Rudolphi, de Germanico Imperio contendentium.

HEnricum quartum Imperatorem à Gregorio noſtro excommunicatum, & ab Imperii adminiſtratione ſuſpenſum, quòd integro anno inſorduiſſet, degradarunt Germani Proceres, ejuſque in locum elegerunt Rudolphum Sueviæ Ducem. Et quia poſt actam publicam pœnitentiam, & acceptam vinculi abſolutionem relapſus iſte fuit ad pejora, ſua in ipſum Geſta hi firmarunt, & per miſſos ad hanc Synodum Legatos poſtularunt eſſe rata, & auctoritate Apoſtolica mitti in executionem. Aderat & ipſius Henrici Legatio, meliora ſpondens, ac poſtulans fieri in Germania Conventum, in quo Apoſtolica Legatio componeret omnia, & partes conciliaret. Quæ manſuetior via omninò placuit Pontifici, ideoque utriuſque Regis Legatos compulit ad profitendam obedientiam, & iſtum Conventum promittendum. Exſtant profeſſiones in Papali Regeſto.

DIS-

DISSERTATIO

De quibuſdam ſanctorum Patrum teſtimoniis, ſpectantibus ad Berengarii hæreſim.

CAPUT I.

Difficilis locus Rabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini exponitur.

RAbani Mauri, graſſantibus Joannis Erigenæ contentionibus, ſcripta ad Heriboldum Antiſiodorenſem Antiſtitem, &. per Stephanum Baluzium nuper vulgata Epiſtola habet hunc articulum: *Quod interrogaſtis,* Cap. 33. *utrùm Euchariſtia, poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterùm redeat in naturam priſtinam, quam habuerat antequam in Altari conſecraretur, ſuperflua eſt hujuſmodi quæſtio, cùm ipſe Salvator dixerit,* Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. *Sacramentum corporis & ſanguinis ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur, ſed inviſibilem tam corporis quam animæ confert ſanctificationem. Quæ eſt enim ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterum in ſtatum priſtinum redeat, cùm nullus hoc unquam fieri adſeruerit? Nam quidam nuper de ipſo Sacramento corporis & ſanguinis Domini non ritè ſentientes dixerunt hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum eſt, & in quo ipſe Dominus paſſus eſt in cruce, & reſurrexit de ſepulcro, idem eſſe quod ſumitur de Altari. Cui errori, quantum potuimus, ad Egilum Abbatem ſcribentes, de corpore ipſo quid verè credendum ſit aperuimus.* Hic eſt ille locus, in quem ſcripſit publicatus per Ludovicum Cellotium Auctor anonymus: *Et his quidem, qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, quod numquam antea eſt auditum, id eſt, Heriboldo Antiſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit, & Rabano Moguntino, qui turpiùs adſumpſit, turpiſſimè verò concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.* Reverà fuit inſolens, procax, & fœda curioſitas, à qua oportebat utrumque abſtinuiſſe. Hic, inquam, eſt locus, ex quo Rabanus quibuſdam viſus eſt ſentire cum Joanne Erigena, Dominici corporis & Sanguinis Euchariſticam veritatem negare, & adſerere ſolam figuram. Diſertè enim adfirmat iſtud ipſum, quod natum de Virgine, & paſſum in cruce, corpus non ſumi in Altari, ſed quoſdam ita errare. Et infrà addit: *In iſto cibo & potu, quem carnaliter ſumunt, & ſpiritualiter non intelligunt, &c.* Videntur profeſſionem, quam & Nicolaus ſecundus & præſertim Gregorius ſeptimus poſteà exegerunt à Berengario, ad carnales errores proſcribere. Pro eximio Doctore Rabanum ſemper habuit Eccleſia: Hinc quidam ſuſpicantur tranſubſtantiativam Euchariſtiæ veritatem ad immobile dogma non ſpectaſſe, ſed ad Eccleſiaſticas quæſtiones.

Reſpondeo duos tunc in Gallicana Eccleſia fuiſſe graſſatos errores. Primus erat Joannis Erigenæ, Dominici corporis ſubſtantiam negans in Euchariſtia, & adfirmans ſolam figuram. Et certum eſt Rabanum Moguntinum, uti & Hincmarum Remenſem, licèt ambo circa alios iſtius Barbari errores ceſpitarint, ab hac lepra fuiſſe alieniſſimos. Alterum errorem intelliges ex ſecundo Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani adversùm Iconoclaſtas Antirrhetico: *Non ſine ſtupore admirabitur quiſpiam ipſius quoque in his futilitatem atque inconſtantiam. Quoniam quod paulò antè propriè & verè corpus Chriſti contendebant accipere, hoc idem nunc imaginem illius adfirmat. At idem propriè & verè corpus eſſe,*

& il-

& illius imaginem eſſe dicere, an excogitari quid ſolidius poterit, & quid magis pro deridiculo ſit? Sacroſanctæ Euchariſtiæ veritatem, quidquid aliqui ſcribant, Iconoclaſtæ non denegarunt. Quod hic profitetur etiam ipſe Sanctus Nicephorus. Verùm ut ſeſe ab omni Chriſti Domini imagine non alienos demonſtrarent, adſeruerunt ipſam ſibi eſſe in hoc tremendo myſterio: Utpotè quod ſibi eſſet & veritas & figura. Hocce dogma potenter impugnat laudatus Patriarcha, & concludit: *Nos neque imaginem, neque figuram illius corporis hæc dicimus, licet ſymbolicè conficiantur, ſed ipſum Chriſti corpus Deificatum. Illius enim dicentis vox eſt*: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Hoc etiam Diſcipulis exhibebat*, Accipite, manducate corpus meum, *dicens*, non imaginem corporis mei. *Quemadmodum enim ex ſacra Virgine carnem per Spiritum Sanctum ſibi ipſi ſubſtituit. Et ſi opus eſt ex noſtris quoque id exponere, quemadmodum panis & vinum & aqua naturaliter in corpus & ſanguinem edentis ac bibentis tranſmutantur, neque dicimus aliud corpus diverſum à primo fieri, ita & hæc ſupernaturaliter invocatione Sacrum facientes, & Sancti Spiritus adventu in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutantur. Namque hoc petitio Sacerdotis continet. Et non duo intelligimus, ſed unum ac idem fieri credimus.* Non veritatem ſimul ac figuram, ſed ſolam veritatem. Eodem modo loquitur in Myſtagogiæ expoſitione Sancti Nicephori in Regiæ civitatis Cathedra ſocius Sanctus Germanus, aliique adversùs Iconoclaſticam hæreſim Scriptores. Videntur ſolam Dominici corporis & ſanguinis ſubſtantiam in Euchariſtia figere, & tranſmutatorum Sacramentalium elementorum reſidua, quæ illam obvolvant ac velent, accidentia denegare.

Et iſtos Scriptores legiſſe, ac æmulatus eſſe in ſuis adversùs Erigenam opuſculis videtur Venerabilis Paſchaſius Ratbertus. Hinc malè apud multos audiit. Nam & de iſto errore ipſum accuſavit Berengarius. Purgavit vero Sanctus Lanfrancus. Quidquid ſit, alii videntur hunc errorem tunc in Gallia docuiſſe. Hinc enim publicatus per Ludovicum Cellotium Auctor ſcribit: *De myſterio corporis & ſanguinis Domini quidam dicunt idem eſſe quod ſumitur de Altari, quod & illud quod natum eſt de Virgine; alii autem negant, & dicunt aliud eſſe. Quidam autem diabolica inſpiratione blaſphemant ſeceſſui obnoxium fore*. Prima, quæ Paſchaſii Ratberti credebatur, ſententia adſeverabat ipſum, ſine Sacramentalibus involucris ſolum, è Virgine natum ac in cruce paſſum Domini corpus eſſe in Euchariſtia: Eſſe iſtic nudum, nullo tectum velo, uti fuerat in Virgine & cruce. Altera ſententia erat Rabani Mauri. Et ipſam non culpat dictus Auctor. Solummodò culpat, quòd ille adderet velantes ſpecies abire in ſeceſſum. Et meritò priora probat. Etenim phraſin iſtam Rabanus accepit ex Sancti Hieronymi commentario ſuper Apoſtolicam ad Epheſios Epiſtolam: *Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur. Spiritalis illa atque Divina, de qua ipſe dixit*: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Vel caro & ſanguis, quæ crucifixa eſt, & qui militis effuſus eſt lancea. Juxta hanc diviſionem & in Sanctis ejus diverſitas ſanguinis & carnis accipitur, ut alia ſit caro, quæ viſura eſt Salutare Dei, alia caro & ſanguis, quæ Regnum Dei non queant poſſidere.* Hæc Sanctorum caro & ſanguis ſunt noſtris originalibus, plenam cum immortalitate juſtitiam ſibi non compatientibus, vitiis ac infirmitatibus gravatum, iſta Sanctorum caro & ſanguis ſunt plenæ juſtitiæ ac immortalitatis dotibus ornatum corpus, ideoque non carnale ampliùs, ſed per omnia ſpiritale. Non demutatum in ſpiritum, ſed ſpiritui pleniſſimè ſubjectum. Hæc corpora non differunt ſubſtantia, ſed ſolo modo & accidente. Sunt eadem ejuſdem, per Adami peccatum deformatæ, & per Chriſti juſtitiam reformatæ carnis ſubſtantia. Quod ipſum obtinet in Sacramentali Chriſti Domini carne, & naturali. Hæc corporalis atque humana, illa ſpiritalis eſt atque Divina: Non ſubſtantia, ſed exiſtendi modo atque accidente.

Sancti Hieronymi phraſin uſurpat etiam Sanctus Auguſtinus. Etenim in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium ſcribit de Capharnaitis Erronibus: *Carnem ſic intellexerant, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur.* Suæ carnis in Sacramento exiſtentiam crediderunt à Domino prædicari, non ſpiritalem atque inviſibilem, ſed naturalem & corporalem, ideoque iſtud dogma abhorruerunt uti barbariem. Quod ipſum & Auguſtinus & alii Patres tradunt in pluribus locis. Quædam Auguſtini loca adduxi in ſuperioribus. Porrò adſcriptam Paſchaſio Ratberto ſententiam de iſto errore nullus unquam accuſavit. Inter hunc & ipſam fuit grande intervallum. Error iſte credebat Domini corpus in partes laniandum à ſumentibus, & ſic vorandum; dicta ſententia adfirmabat ipſum eſſe totum in toto, & totum in qualibet myſterii particula, at nudum ſine Sacramentalibus involucris, uti fuerat in matris utero, ac in patibulo crucis. Et ob hanc ſolam involucrorum differentiam alii tunc adfirmarunt, alii negarunt ipſum de Virgine natum ac in cruce paſſum corpus eſſe etiam in Sacramento. Tract. 72.

Uterque loquendi modus ſuis nititur fundamentis, dudum viguit apud Eccleſias, & fuit familiaris etiam Sancto Auguſtino. Priorem hic uſurpat in nonageſimi octavi Pſalmi commentario. Verſum, *Adorate ſcabellum pedum ejus*, multis verſat, iſtud ſcabellum oſtendit eſſe terram, ac pergit: *Fluctuans converto me ad Chriſtum, & invenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum Domini. Suſcepit enim de terra terram. Quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hìc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Lucidè adſerit ipſam de Virgine natam carnem eſſe

in

in Sacramento, ibidemque à nobis adorari ac manducari. Et tamen ſtatim in eodem commentario latiùs exponit iſtud myſterium, ac ſubdit de Capharnaitis: *Durum illis viſum eſt, acceperunt illud ſtultè, carnaliter illud cogitarunt, & putaverunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis. Ille autem inſtruxit eos, & ait illis*: Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam. *Spiritaliter intelligite quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi: Spiritaliter intellectum vivificabit vos. Etſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrare, oportet tamen inviſibiliter intelligi.* Ipſum de Virgine natum corpus omninò viderunt Apoſtoli, ideoque & viſum à ſe corpus omninò manducarunt. Quomodo igitur Auguſtinus in eodem contextu iſtud & adfirmat & negat? Quia idem corpus diſtinguit in duo: Non quoad ſubſtantiam, ſed quoad exiſtendi modum.

Eadem diſtinctione utitur in commentario Pſalmi trigeſimi tertii. Etenim ad verſum, *Accedite ad eum, & illuminamini*, ſcribit: *Accedimus ad eum, ut illuminemur; non quomodo acceſſerunt Judæi, ut tenebrarentur: Acceſſerunt enim ad illum, ut crucifigerent, nos ad eum accedimus, ut corpus & ſanguinem ejus accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando Crucifixum & bibendo illuminamur.* Palàm adfirmat ipſum crucifixum corpus à nobis manducari. Et tamen in prima ejuſdem commentarii concione adducit Dominica de hoc myſterio apud Joannem verba, & pergit: *Et Diſcipuli ejus, qui eum ſequebantur, expaverunt, & exhorruerunt ſermonem, non intelligentes; putaverunt neſcio quid durum dicere Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum, quòd carnem ejus, quam videbant, manducaturi eſſent, & ſanguinem bibituri, & non potuerunt tolerare. Furor & inſania videbatur dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem.* Eadem diſtinctione utitur in habito ante Altare ad Infantes ſermone, quem libro de Baptiſmo Æthiopis ſubnexuit Sanctus Fulgentius. Egreſſis de ſacro Fonte Neophytis Sacroſanctam, de qua Catechumeni tot mira audierant, Euchariſtiam mox oſtendebat olim Epiſcopus, & ipſius myſteria exponebat. Hoc ipſum in laudato ſermone facit etiam Sanctus Auguſtinus, & adjungit: *Poteſtis modò dicere mihi, præcepiſti ut credamus, expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſdam talis cogitatio oboriri: Dominus noſter* JESUS *Chriſtus novimus undè acceperit carnem de Virgine Maria. Infans lactatus eſt, nutritus eſt, crevit, ad juvenilem ætatem perductus eſt, à Judæis perſecutionem paſſus eſt, ligno ſuſpenſus eſt, in ligno interfectus eſt, de ligno depoſitus eſt, ſepultus eſt, tertia die reſurrexit, qua die voluit in cælum adſcendit. Illuc levavit corpus ſuum, undè eſt venturus, ut judicet vivos & mortuos. Ibi eſt modò ſedens ad dexteram Patris. Quomodo eſt panis corpus ejus? Et calix, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis ejus?* Iſta infantes adversùs Auguſtinum, qui ipſam de Virgine natam ac in cruce paſſam carnem dixerat contineri ac manducari in Euchariſtia, argumentabantur: Et Auguſtinus repoſuit: *Iſta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quòd intelligitur, fructum habet ſpiritalem.* Adfirmat non viſibile, ſed inviſibile Domini corpus eſſe iſtic & manducari: Ipſum de Virgine natum corpus, ſed per inviſibilem exiſtendi modum. Quam ejuſdem Dominici corporis diſtinctionem tradunt item alii Patres, & Latini & Græci.

Et uterque iſte loquendi modus dudum viguit, ac liber ambulavit per Eccleſias. Nempè nullis de hoc aut illo litigantibus, aut virus indè ſumentibus Hæreticis, orthodoxa ſimplicitas erat ſecura. At poſtmodo litigare, & lepram ſuam poſteriori phraſi, tamquam pura ovium lana lupum, obtegere cœpit verſutus Berengarius, atque ita ſimplicem populum in doloſos ſui erroris laqueos circumſcribere. Blaterare cœpit verba, quibus ipſam de Virgine natam Domini carnem Sanctus Auguſtinus adſerit non manducari in Sacramento, eſſe frequentia, lucida, diſerta. Quin & de quibuſdam ejus Diſcipulis ſcribit Venerabilis Troarnenſium Abbas Durandus: *Sunt nonnulli*, puris ſolam figuram garrientibus Berengarianis, *ut ſibi videtur, prudentiores ac religioſiores, qui carnem quidem dicant eſſe Chriſti, non tamen illam, quam de Virgine Sancta Chriſtus ipſe ſuſcepit, in qua paſſus eſt, & à mortuis reſurrexit, quam ad cœlos cum triumpho victoriæ vivus & verax devexit; ſed quamdam novam, quam benedictio recens conſecravit.* Adversùm hujuſmodi fabulas ſeptimus noſter Gregorius iteratæ Berengarii profeſſioni inſeruit hæc verba: *Credo eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris. Et verum ſanguinem Chriſti, qui de ejus latere eſt effuſus.* Ex illo tempore omnes hac ſola phraſi utimur: Et alia, licèt per Rabanum Maurum, ac ipſum etiam Sanctum Auguſtinum, ac alios Eccleſiæ Patres uſitata, phraſis cœpit eſſe ſcandaloſa, ſuſpecta, offenſiva piarum aurium, abolita, circumſcripta. Quòd enim Sanctorum etiam Patrum, licèt non ſenſus, tamen voces circumſcribere poſſit ex tali cauſa, & ſoleat Eccleſia, alibi demonſtratum eſt, & ſuo loco adhuc demonſtrandum.

Et ad iſtas voces circumſcribendas ſeptimus Gregorius habuit firma fundamenta. Etenim Sanctus Auguſtinus ac alii Patres, licèt ipſum è Virgine natum ac in cruce paſſum corpus quandoque dixerint non contineri in Euchariſtia, paſſim tamen dixerunt contineri. Hæc loquendi ſpecies eſt ipſis longè familiarior. Hac Auguſtinus utitur in libris adversùs Fauſtum Manichæum: *Bibitur quod de Chriſti latere manavit.* L. 12. c. 29. Et in quadrageſimi quinti Pſalmi commentario declamat ad converſos Judæos: *Medicum cognoviſtis, jam ſecuri bibite ſanguinem, quem fudiſtis.* Conc. c. 1. Et in commentario Pſalmi quinquageſimi octavi: *Chriſti ſanguinem fudiſtis ſævientes, bibite confitentes.* Et in ſexageſimi quinti Pſalmi com-

commentario: *Homicidis donatus eſt ſanguis Domini innocentis. Et ipſum ſanguinem, quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt.* Hanc phraſin Auguſtinus uſitat in innumeris locis. Eandem adſiduè uſurpat Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ideoque & ipſius Liturgia habet: *Domine non ſum dignus, ut ſub ſordidum animæ meæ tectum ingrediaris, ſed quemadmodum æqui & boni conſuluiſti in ſpelunca & præſepi irrationabilium animalium recumbere, & in domo Simonis leproſi etiam ſimilem mihi meretricem, peccatricem ad te accedentem ſuſcepiſti, ipſe dignare etiam in præſepe animæ meæ rationis expertis, & in commaculatum meum corpus ingredi mortui & leproſi.* Etiam Magni Baſilii Liturgia habet: *Hunc calicem fore ipſum pretioſum ſanguinem Domini noſtri* JESU *Chriſti, qui pro mundi vita effuſus eſt.* Et ipſe Dominus dixit: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Utique in mortem. Et reverà hæc phraſis eſt profitendo myſterio longè aptior, & ab omni ſubintrudendi erroris periculo ſecurior, ideoque ipſam valere ſolam rectè voluit ſeptimus Gregorius: Adverſam phraſin rectè circumſcripſit & abolevit.

Et hoc in cardine pendet lis, quam cum Sancti Medardi apud Sueſſiones Monachis habuit venerabilis Guibertus, Abbas Sanctæ Mariæ apud Novigentum. Audiamus ejus litteras, operi de Sanctorum pignoribus præfixas, ad Odonem Abbatem Sancti Symphoriani: *Subnotavit* Adverſarius meus, *quòd panis ac vini myſterium Vicarium Chriſti appellaverim: Quod ob hoc ſibi minùs idoneè dictum viſum eſt; quia id, quod Vicarium dicitur, minus eo, cujus Vicarium eſt, aliquo modo æſtimatur. Sed ſi dicta mea attendiſſet, quibus . . . ., quod eſt ex virgine, & ſignificati, quod in . . . . conſtat, à me ſæpènumero identitas enunciatur, omnis ejus illicò ambiguitas ſopiret, cum ipſa verba Dominica mox inibi ſubjecta met . . . . ad ſui memoriam id fieri imperant, numquam de viciſſitudine quæſtio moveretur. Quis enim Vicar . . . . repræſentandi cujuslibet dubitat, quod ſuper repræſenta . . . . . . memoriam innovat? Magis planè in cauſa eſſe videtur, quòd Spiritus Sanctus* Pignus *dicitur, quòd filius ipſe* Splendor gloriæ, Figura ſubſtantiæ, *& aliàs* Imago Dei *appellatur. Et certè Vicarium quid obſiſtat vocari, non video. Quod & ipſe cotidianum appellat. Ac ſi ſuggereret ſic eo in præſenti, dum dicitur, Hodie, utendum, ut ad illud æterne fruendum, quod confidet Paternæ dexteræ, nos ducat, Quod planè ſic in hoc ſæculo fruendum mandat, ut in ſæculis ſæculorum, cum ad ſpeciem hujus originis pertigerimus, fieri non egeat, ſentire non poſſum, quin opportunè vicis cujuſdam ſpeciem, ipſa licèt omnimoda veritas, gerat.* Secundus de Sanctorum pignoribus liber habet hunc titulum: *De Corpore Domini bipartito, principali ſcilicet ac myſtico.* Et liber ipſum exponit: *Etſi probari po-*

Cap. 1. *teſt hoc in terra reſediſſe de ejus proprio, miror quam viciſſitudinem noluerit nobis dimittere in corpore figurato. Figurato, inquam, quod ſic umbra ſit ſecundùm ſpeciem, ut non diſcrepet à virtutis efficacia ſecundùm præcedentem veritatem. Præcedens autem ipſa eſt perſonalis veritas, in quam refertur & identificatur ſignificatum. Quod enim ob ſui memoriam tradidit faciendum, indubiam ſuæ præſentiæ memoriam refert. Quæ tamen hìc præſentia, ſi aliud eſſet, quàm ipſa proprietas, non major eſſet quàm annuli conjugalis penes uxorem præſentia. Ad uxoris enim memoriam annulus fieret viciſſitudo mariti. Alterum ergò, ſicut naſcendo de virgine, patiendo in cruce, aliquantula temporum mora præceſſit, dedit cauſas alteri, quod ad ejus, ut ſic dicam, vicariam identitatem ſub ejus exemplo præceſſit. Inde à me potiſſimùm illud primum veritas appellatur, de quo iſta, quæ agimus, tractabilia nobis Sacramenta manarunt, quia qualemcumque recipiat veritatem illud, quod à primo ſub figura dimittitur, primum tamen principaliter verum eſt, quod cauſam ſubminiſtrat illi, quod ab eo derivatum eſt. Illud enim procul dubio veritas principalis & eſt & dici poteſt, in quo nihil aliud adumbratur, quàm capi intuentium atque tractantium tam ſenſibus quàm intellectibus valet. In altero autem, etſi omnis habenda veritas eſt, principale tamen non eſt, quia à principali inflectitur quod eſt, & ad id reciprocari ſibi ſemper convenit, cujus ſpecies ac relatum eſt.* Et firmat hæc atque exponit exemplo Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, è quibus ſolus Pater in ſacris litteris titulatur Spiritus Principalis: *Non quòd ſecundùm eſſentiam Filio & Spiritui Sancto principatur, ſed quòd Filii & Spiritus Sancti origo ab ipſo deducitur.* Roſa & raſa Epiſtola cogit nos ad conjecturas. Guibertus diſtinxit duplex Domini corpus: Principale, & myſticum ſeu vicarium. Principale dixit natum de Virgine, fixum in cruce, & modò in cœlis glorioſum; vicarium ac myſticum eſſe nobiſcum in Euchariſtia. Dixit vicarium, quia per ipſum jam ſpecie gerimus, quòd ſuo tempore per principale rerum veritate capiemus. Hinc dixit & myſticum: Quòd nempè ſit Principalis myſterium, imago, atque figura.

Sueſſionenſe Sancti Medardi Monaſterium adſerebat ſibi eſſe Chriſti Domini dentem, atque ita illi fiebat, quòd Joanni Hieroſolymæ Epiſcopo eveniſſe ſcribit Sanctus Hieronymus: *Sumptibus abundas, & totius mundi religio lucrum tuum eſt.* Omnia hæc editis libris ſtrenuè impugnavit Guibertus, nullas Dominici corporis reſiquias ſub cœlo reperiri adfirmans, ex hac regula: *Quod Verbum ſemel adſumpſit, nunquam dimiſit.* Omnem corporis partem, etiam circumciſum Præputium, dixit reſumpta à reſurgente Domino, & delata in cœlum. Hujuſmodi lucroſas Reliquias impugnare, à ſordidis Clericis ac Monachis cenſetur atrociſſima injuria, ideoque & Medardenſes fratres Patri Guiberto reddiderunt talionem, adſerentes ipſum cum Berengario pugnare in ſacroſanctam Euchariſtiam, utpotè qui diceret in ipſa non contineri ipſum principale de Virgine natum ac in cruce paſſum corpus Domini, ſed illam dumtaxat eſſe ejus vicarium corpus, myſterium, imaginem, figuram. Verùm Guibertus repoſuit imaginem ac figuram eſſe duplicem: Aliam eamdem cum ſignificato, aliam ab ipſo diverſam. Ete-

Epiſt. 61. c. 4.

Etenim Deus Verbum eſt imago ac figura paternæ ſubſtantiæ, cui tamen conſubſtantialis eſt, ac naturaliter identificatus. Principale ac vicarium dixit non ſemper natura diſtingui. Nam Deus Verbum quandoque etiam Patris vicarius, & ejus reſpectu Pater dicitur Spiritus Principalis. Eodem modo diſtinxit duplex Domini corpus: Aliud naturalem, aliud Sacramentalem habens exiſtentiam & formam. Iſtud adſeruit, hoc negavit natum de Virgine, aut in cruce paſſum. Etenim ſub talis exiſtentiæ modo naſci non potuit, aut pati. Illud dixit principale, hoc illius vicarium, ac imaginem: At ſubſtantia eamdem, & ſolo modo diverſam. Ita ſe à Medardenſium calumnia credidit abundè expeditum. Et rectè ſenſit. At impegit in hanc Sancti Auguſtini regulam: *Tene ſententiam, ſed corrige linguam*. Laudatum, ex quo loqui debuit, ſeptimi Gregorii Decretum ſuit prævaricatus.

Ad hanc Heriboldi de Sacramentalibus accidentibus quæſtionem, *An redeant in naturam priſtinam*, ſeu an ſuam annihilatam ſubſtantiam recipiant, Rabanus rectè repoſuit: *Superflua eſt hujuſmodi quæſtio*. Et tamen addidit hocce ſuum judicium: *Quæ eſt ratio, ut hoc quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterùm in ſtatum priſtinum redeat, cùm nullus hoc unquam fieri adſeruerit?* Aliam quæſtionem propoſuit neſcio quis Guntardus, & Amalarius Fortunatus reſpondit: *Non eſt mihi diſputandum* de ſumpto à fidelibus Dominico corpore, *utrùm inviſibiliter adſumatur in cælum, an reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum ſangine, aut per poros emittatur. Hic ſolùm cavendum eſt, ne Judæ corde ſumam illud*. Amalarius erat natura phlegmaticus, ſumpta Euchariſtia cogebatur ſtatim ſpuere, quandoque putabatur exſpuere aliquid Sacramenti, ideoque addidit de alia circa hoc quæſtione: *Si fortè me ignorante, aut non conſentiente, exierit de ore meo aliquid ex corpore Domini, non putes quòd ipſum illuc dirigatur, quo non voluit, ſeu non vult venire*. Et rursùm adjungit: *Domini eſt corpus ſuum per artus & venas diffundere ad vitam æternam*. Non de Sacramentalibus ſpeciebus, ſed de ipſa Dominici corporis ſubſtantia videtur quæſiviſſe Guntardus, & nihil definitum Amalarius reſpondit. Exſtat Epiſtola in ſpicilegio Lucæ Dacherii. Eamdem quæſtionem movet ac reſolvit in ſpeculo de Eccleſiæ myſteriis Hugo de Sancto Victore: *Dicit forſitan cor tuum, ubi eſt corpus Domini, poſtquam ſumpſi illud & manducavi? Audi ergò. Corporalem Chriſti præſentiam quæris? In cælo quære. Tecum per corporalem præſentiam ad tempus eſſe voluit: Quando & quamdiu neceſſe fuit. Exhibuit ad tempus præſentiam corporalem, ut per illam ad ſpiritualem inveniendam excitaret & juvaret*. Et poſt quædam: *Quando in manibus tenes ejus Sacramentum, corporaliter tecum eſt. Quando ore ſuſcipis, & quando ore manducas, corporaliter tecum eſt. Denique in viſu, in tactu, in ſapore corporaliter tecum eſt. Et quamdiu ſenſus tuus corporaliter adficitur, ejus præſentia non aufertur corporalis. Poſtquam autem ſenſus corporalis in percipiendo deficit, deinceps corporalis Chriſti præſentia non eſt quærenda, ſed ſpiritalis retinenda. Diſpenſatio completa eſt, perfecta eſt. Perfectum Sacramentum: Virtus manet*. Quod ipſum repetit in Eruditione Theologica de Sacramentis. Et iſta ejus verba comprobat, facit ſua, & ſuis de Miſſæ ſacrificio libris inſerit Innocentius tertius. Omne hujus Sacramenti officium adfirmat eſſe ſumptionem, ideoque ea peracta deſinere in iſto Dominicum corpus, & ad viduata accidentia redire ſuam ſubſtantiam. Quare de hoc puncto malè ſcribit in quarto Inſtitutionum libro Joannes Calvinus: *Scire ex ipſis*, utique Romanis, *velim, quamdiu Chriſti carnem contineant, ubi manducarunt. Hìc, meo judicio, exitum non invenient*. Quidquid fiat, myſterii auctor hunc exitum novit.

Tom. 7. — Cap. 7. — L. 2. P. 8. c 13. — L. 4. c. 15. — C. 17. n. 33.

Exſtat Rabani Mauri liber de cruce, in quo hæc habentur de Euchariſtia: *Neque obſervandum, ſicut Apocryphorum monimenta decernunt, donec digeratur in corpore, ne communis cibus accipiatur, ſed ſatis invigilandum, ut anteà quiſque ſemper ſe præparet, & poſt acceptam gratiam nullus ſe reddat indignum*. Et infrà: *Frivolum eſt, ſicut in eodem Apocrypho libro legitur, in hoc myſterio cogitare de ſtercore, ne commiſceatur in digeſtione alterius cibi. Denique ubi ſpiritualis eſca & potus ſumitur, & Spiritus Sanctus per eum in homine operatur, ut ſi quid in nobis carnale adhuc eſt, transferatur in ſpiritum, & fiat homo ſpiritualis, quid commixtionis habere potuit? Quantùm igitur diſtat vita illa æterna ab iſta mortali vita, tantùm & iſte cibus omninò præeminet ab illo communi, quo nobiſcum etiam animalia vivunt*. Diſertè profitetur Euchariſticas ſpecies non digeri in ſtomacho, non admiſceri illic communibus alimentis, nec abire in ſeceſſum. Addit ea eſſe Apocryphi Scriptoris commenta, utique illius qui ſe finxit Romanorum Epiſcopum Clementem, compilatorem Apoſtolicarum conſtitutionum. Et hinc ſcribit Thomas Waldenſis fuiſſe duos Rabanos, uti perſona, ita & ſententia penitùs diverſos. Eſt ejus ſingularis ac non fundata opinio. Secundum enim Rabanum omnes ignoramus. Et iſte Thomas etiam docet ſpecies eſſe incorruptibiles, ideoque nec ab aere putrefieri, nec à muribus rodi, nec ab igne poſſe abſumi. Hanc Sancti Guitmondi ſententiam conatur multis ſtabilire. Cap. 61.

Et hæc ſententia, ſi maturè introſpiciatur, non caret fundamento. Etenim Græci habent duplicem benedictæ aquæ ſpeciem: Majorem, & minorem. Hanc ſingulorum ferè menſium Kalendis, iſtam ad miniſtrandum ſacroſanctum Baptiſma conſecrant in ſolo feſto Dominicæ Epiphaniæ. Uti nos in Paſchali vigilia. Ejus benedictionem meritò titulant *ſanctificationem majorem*. Ipſam cenſent adeò ſanctam, ut eam non minori, quàm Dominicum ſanguinem, reverentia ſumant: Utique cum ſacro Antidoto impoſitam Euchariſtico cochleari, & non niſi in integro gratiæ ſtatu, ac præmiſſa Sacramentali confeſſione. Et hæc ſanctificatio ipſam aquam reddit toto anno incorruptibilem, immò etiam incorruptibilitatis in alia elementa derivatricem. Audiamus Leonem Allatium in Epiſtola

ad

ad Paulum Zachiam de quorumdam Græcorum opinationibus. *Die Epiphaniæ ſacro, Græci ſolemni ſupplicationum ritu aquis benedicunt, ea be-* Cap. 24. *nedictione, quam ipſi* μέγαν ἁγιασμὸν *vocant. Tum demum aqua illa omnium direptioni relinquitur, qui accurentes, alii majoribus, alii minoribus phialis eam exhauriunt, domumque referunt, & poſt ſedulam per domos adſperſionem in vaſa vinaria ingerunt, quæ cum ſint plena, nec eam admittant, quantum aquæ in dolium inferunt, tantum vini ex foramine hauriunt. Teſtimonio omnium comprobatum eſt, vinum erutum, ſi piis locis vel pauperibus diſtribuatur, vinum dolii conſervari; ſi in uſus proprios avaritia converterit, non multo poſt tempore acetum fieri. Quare eo die per univerſam urbem amphoræ plenæ vino, hac atque illac, ſumma totius populi lætitia, ad egenos & pia loca, ſobrios etiam homines abundè feſtinant.*

Neque heſterna eſt iſthæc Dei gratia. Etenim ipſam, uti antiquam, laudat in vigeſima tertia, quæ de Chriſti Domini Baptiſmo eſt, ad Antiochenum populum homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Hæc dies eſt, qua baptizatus eſt Dominus, & aquarum naturam ſanctificavit. Idcircò etiam in hac ſolemnitate ſub mediam noctem omnes, cùm aquati fuerint, domum latices referunt ac recondunt, & per integrum annum conſervant, utpotè quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ. Fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno, atque etiam biennio, & triennio ſæpè, quæ hodiè fuit hauſta, incorrupta & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint è fontibus eductæ, certat.* An iſta nocte Antiocheni in Oronte aut aliis fluminibus, an in ſanctificatis Cap. 76. fontibus ſe balnearint, eſſe poſſit quæſtio. Nam quòd quidam Itali ſuos infirmos in benedicta aqua olim balneaverint, teſtatur atque improbat in ſuo Capitulari venerabilis Atto Epiſcopus Vercellenſis. Et vice verſa quòd Afri paſſim omnes in Sancti Joannis Baptiſtæ feſto mare intrarint, baptizarint ſeſe, atque ita Dominicum, aut certè ſuum, Baptiſma rememorarint, refert & graviter Serm. 59 cap. 4. damnat in ſermone de diverſis Sanctus Auguſtinus. Et hoc ipſum hodiè in Epiphaniæ feſto agere dicuntur Abyſſini ac Moſcovitæ.

Quidquid ſit de Antiochenis, certum eſt ipſos non ex communi flumine aut rivo, ſed ex ſacro fonte benedictam aquam hauſiſſe, & hanc ſolam fuiſſe incorruptibilem. Hoc omninò ſuadent hæc verba: *Aquarum illarum natura.* Altè clamant Joannem non de quibuſvis aquis loqui, ſed de ſolis iſta die ſanctificatis. Etenim ſacri fontis benedictio eſt adeò antiqua, ut ipſam in litteris ad Januarium Numidiæ Primatem laudet etiam Sanctus Cyprianus. Et iſtam à nobis item Latinis benedictam aquam fuiſſe apud plures Eccleſias incorruptibilem, exemplis demon- Cap. 10. ſtrat in ſecundo libro de benedictionibus Jacobus Gretzerus. Haldenslebienſe propè Magdenburgenſem Civitatem Sanctimonialium Monaſterium ſemper retinuit orthodoxam fidem, ac inter Lutheranas ibi tenebras luxit ſicut ſtella in firmamento. Ejus baptiſmalis fons per ſexaginta annos permanſit recens & incorruptus. Vigeſimo hujus ſæculi anno violenter intruſus illi fuit Lutheranus Præfectus: Aquas tunc fuiſſe corruptas teſtantur graviſſimi Scriptores, inter quos eſt Bertholdus Nihuſius, oculatus teſtis, utpotè aliquando Præfectus iſtius Cœnobii.

Certè Euchariſtica benedictio eſt baptiſmali longè ſanctior atque potentior: Cur ergo miremur etiam ab ipſa talem effectum. Certè poſteriores Græci iſtam ſententiam videntur amplexati, nec circa ipſam vel hæſitaſſe. Etenim Georgii Pachymeris tempore præſanctificata hoſtia quæ in Majori quarta feria offerri & abſumi debuerat, ex cauſis nec oblata nec abſumpta fuit, ſed in pixide manſit uſque ad ſequentis anni Dominicam Tyrophagiæ, repertaque tunc eſt penitùs corrupta. Fuiſſe rem & auditu & adſpectu terribilem, incomprehenſibile Divinæ Providentiæ arcanum, & omnem rerum ordinem excedens portentum affirmat memoratus Georgius, Lib. 7. palamque docet iſtas ſacroſanctas ſpecies ſine cap. 28. miraculo non poſſe corrumpi. Tantis paraſangis Græci tunc diſtabant à doctrina Romani Clementis in Apoſtolicis Conſtitutionibus. Divina gratia nec locis alligatur, nec temporibus: Spiritus enim, ubi vult, ſpirat. Uti ſacri fontis aquam, ita & Euchariſticas ſpecies poteſt hìc & nunc permiſiſſe corruptioni, ibi & tunc ab ipſa exemiſſe. Et uti Pachymeres juxta ſua tempora, ita Sanctus Guitmundus, venerabilis Algerus, Tomas Waldenſis, & alii poſſint juxta ſua loca cenſuiſſe & ſcripſiſſe.

CAPUT II.

An Sanctus Nicephorus, & quidam alii Græcorum Patres rectè dicant Euchariſtiam non eſſe Dominici Corporis figuram?

Iſtam loquendi ſpeciem uſurpant etiam Sanctus Stephanus, Auxentiani in Bithynia Monaſterii Abbas & Martyr, Sanctus Joannes Damaſcenus, & alii Iconoclaſtica hæreſi poſteriores. Et laudati Stephani Scriptum ſibi prælegi fecit ſeptima Synodus, ideoque & probavit Verùm plura obſtant & Latinorum & Græcorum Patrum antiquiora teſtimonia. Eorum plures adfirmare videntur ſacro-ſanctam Euchariſtiam eſſe Dominici corporis non veritatem, ſed ſolam figuram. Etenim in tertio adversùm Marcionem libro Tertullianus adducit hæc impiorum Judæorum apud Prophetam Hieremiam verba, *Mittamus lignum in panem ejus*, & commen- Cap. 19. tatur: *Utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque veſtro revelavit, panem corpus ſuum appellans, ut & hinc jam eum intelligeres corporis ſui ſignum pani dediſſe cujus retrò corpus in panem Prophetes ſignavit, ipſo Domino hoc Sacramentum poſtea interpretaturo.* Et in quarto libro: *Dominus*

Cap. 49. *nus acceptum panem , & diſtributum Diſcipulis , corpus illum ſuum fecit ,* Hoc eſt corpus meum , *dicendo , id eſt , figura corporis mei . Figura autem non fuiſſet , niſi veritatis eſſet corpus : Cæterum vacua res , quod eſt phantaſma , figuram capere non poſſet . Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit , quia corporis carebat veritate , ergò panem debuit tradere pro nobis . Faciebat ad vanitatem Marcionis , ut panis crucifigeretur . Cur autem panem corpus ſuum appellat , & non magis peponem , quem Marcion cordis loco habuit ? Non intelligens veterem illam fuiſſe figuram corporis Chriſti , dicentis per Hieremiam :* Mittamus lignum in panem ejus . *Scilicet crucem in corpus ejus .* Infrà laudat hunc

Cap. 14. Geneſis locum , *Lavabit in vino ſtolam ſuam , & in ſanguine uvæ pallium ſuum ,* ſtola & pallio adſumptam carnem , vino adfirmat ſignificari ſanguinem , & concludit : *Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecravit , qui tunc vinum in ſanguine figuravit .* Conſecravit dicendo , *Hic eſt ſanguis meus ,* id eſt , figura mei ſanguinis . Et in primo ejuſdem operis libro Marcionem arguit , quòd damnet Domini Creatoris *panem , quo* ille *ipſum corpus ſuum repræſentat .* Hoc eſt , nobis ſignificat & figurat . Et in libro de anima ſcribit : *Chriſtus vinum in ſanguinis ſui memoriam conſecravit .* Et in libro de oratione adducit Evangelica de hoc Sacramento teſtimonia , & adjungit :

Cap. 17. *Corpus Chriſti in pane cenſetur :* Hoc eſt , repræſentatur & commemoratur . Et in libro de Reſurrectione carnis exponit Capharnaitarum adverſus Euchariſtiam murmura , laudat hoc Domini Reſponſum , *Spiritus eſt qui vivificat , caro autem non prodeſt quidquam ,* per Spiritum adfirmat intelligi carnem factum vivificatorem Sermonem ,

Cap. 39. & pergit : *Proinde ſermo in cauſam vitæ appetendus , & devorandus auditu , & ruminandus intellectu , & fide digerendus .* Quæ omnia videntur clamare ſolam in Euchariſtia eſſe figuram . Hinc adjungit : *Paulò antè Dominus carnem ſuam quoque panem cæleſtem pronuntiarat , urgens uſquequaque per allegoriam neceſſariorum pabulorum memoriam Patrum , qui panes & carnes Ægyptiorum præverterant Divinæ vocationi .*

Sanctum Auguſtinum à nobis in Romanæ fidei patrocinium & communionem advocari , peſſimè indigatur in quarto inſtitutionum libro

Cap. 17. n. 28. Joanne Calvinus , & adjungit : *Paucis oſtendam Auguſtinum ſine controverſia totum eſſe noſtrum .* Primò adducit Auguſtini locum ex libro adversùs Adimantum Manichæi Diſcipulum . Legem , quæ brutorum animam eſſe ſanguinem , ideoque hunc adfirmat non comedendum , exponit ibi

Cap. 12. Auguſtinus , & addit : *Poſſum interpretari Præceptum illud in ſigno eſſe poſitum : Non enim Dominus dubitavit dicere :* Hoc eſt corpus meum , *cùm ſignum ſui corporis daret .* Hanc propoſitionem , *Pecoris anima eſt ſanguis* , & hanc , *Panis eſt Chriſti corpus* , adferit eſſe ejuſdem formæ , & ſimiles huic : *Petra erat Chriſtus :* Et adjungit hunc eſſe ſenſum : *Petra ſignificabat Chriſtum .* Quod ipſum repetit in ſecundo libro adversùs

Cap. 6. Prophetarum ac legis Adverſarium : *Sic dictum eſt , Anima omnis carnis ſanguis eſt ; quomodò dictum eſt , Petra erat Chriſtus . Non quia hoc erat , ſed quia hunc ſignificabat .* Et in tertii Pſalmi commentario laudat noviſſimæ cœnæ myſticum *convivium , in quo Dominus ſanguinis & corporis ſui figuram Diſcipulis commendavit & tradidit .* Pro baptizandis parvulis , quos certum eſt proprio actu non credere , ſuſceptores in Sacramenti celebratione , puriſſima ab omni mendacio , reſpondent , *Credo .* Quo ſenſu id verificetur , quæſivit olim neſcio cujus in Africa civitatis Epiſcopus Bonifacius , & Sanctus Auguſtinus

reſpondit : *Sæpe ita loquimur , ut Paſcha propinquante dicamus craſtinam vel perendianam Domini paſſionem , cum ille ante tam multos annos paſſus ſit , nec omninò niſi ſemel illa paſſio facta ſit . Nempe ipſo die Dominico dicimus ,* Hodie Dominus reſurrexit , *cum ex quo reſurrexit , tot anni tranſierunt . Cur nemo tam ineptus eſt , ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos , niſi quia iſtos dies ſecundùm illorum , quibus hæc geſta ſunt , ſimilitudinem nuncupamus , ut dicatur ipſe dies , qui non eſt ipſe , ſed revolutione temporis ſimilis ejus , & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem , quod non illo die , ſed jam olim factum eſt ? Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo , & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates , ſed omni die populis immolatur ? Si enim Sacramenta quemdam ſimilitudinem earum rerum , quarum Sacramenta ſunt , non haberent , omninò Sacramenta non eſſent . Ex hac ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt . Sicut ergò ſecundùm quemdam modum Sacramentum corporis Chriſti , Chriſti corpus eſt , Sacramentum Chriſti ſanguinis ſanguis Chriſti eſt , ita Sacramentum fidei fides eſt . Nihil eſt autem aliud credere , quàm fidem habere . Ac per hoc cùm reſpondetur parvulus credere , qui fidei necdum habet adfectum , reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum . Quia & ipſa reſponſio ad celebrationem pertinet Sacramenti .* Ep. 23.

In Euchariſtia reperiri ſolam Dominici corporis figuram , vix poſſit edicere verbis lucidioribus . Hinc de noviſſimo loco ſcribit Calvinus : *Multi ſunt apud Auguſtinum ſimiles loci , quos ſupervacuum foret congerere , cùm unus ille ſufficiat . Niſi quòd monendi ſint Lectores idem à ſancto viro tradi in Epiſtola ad Evodium .* Et rursùm : *Quòd Adverſarii , ut Auguſtinum nobis extorqueant , prætexunt paſſim in ejus libris occurrere , carnem & ſanguinem Chriſti diſpenſari in cœna , nempè victimam ſemel in cruce oblatam , frivolum eſt , cùm ſimul vocet vel Euchariſtiam , vel Sacramentum corporis . Cæterum quo ſenſu voces carnis & ſanguinis uſurpet , non eſt quod longo circuitu quæramus , quando ſeipſum explicat , dicens Sacramenta ex ſimilitudine rerum , quas ſignant , nomina accipere , ideoque ſecundùm quemdam modum Sacramentum corporis eſſe corpus .* Exiſtimat figuram & veritatem eſſe incompatibiles . Uti quidam Græci ex veritate figuram , ita hic ex figura vult deſtruere veritatem . N. 21.

Adducit ibidem & hunc Auguſtini locum ex Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium : *Si bonus es , ſi ad corpus pertines , quod ſignificat Petrus , habes Chriſtum & in præſenti , & in futuro . In præſenti per ſignum crucis , per Baptiſmatis Sacramentum , per Altaris cibum & potum .*

N. 34. Et commentatur: *Quàm rectè Auguſtinus ſuperſtitioſum ritum inter ſymbola præſentiæ Chriſti numeret, non diſputo. Sed qui præſentiam carnis comparat cum ſigno, ſatis oſtendit ſe Chriſtum bicorporem non fingere, ut occultùs ſub pane latcat, qui in cælo viſibilis ſedet.* Adducit & hunc ex Tract. 26. eiſdem Tractatibus locum: *Hoc eſt manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſignum corporis & ſanguinis Chriſti.* Ex hiſce locis ſe exiſtimat adversùs Romanæ Eccleſiæ doctrinam ac fidem triumphare. Addit & locum ex libris de L. 3. c. 16. doctrina Chriſtiana: *Si præceptiva locutio flagitium aut facinus videtur jubere, figurata eſt. Niſi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, & biberitis ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergò, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa ac vulnerata ſit.*

Favere videtur & hic locus in laudatis Tra- Tract. 26. ctatibus: *Hunc panem ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit Altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In ſignis diverſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt.* Laudat Auguſtinus hunc Apoſtoli locum; *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt.* Et pergit: *Spiritalem utique eamdem. Nam corporalem alteram: Quia illi manna, nos aliud, Spiritalem verò quam nos.* Pergit in loco Apoſtoli; *Et omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Et concludit; *Aliud illi, aliud nos. Sed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali.* Adfirmat Euchariſtiam noſtram ab antiquis iſtis Sacramentis nec quoad rem ſignificatam, nec quoad virtutem, ſed quoad ſola elementa differre, ideoque ambo eſſe ſimplicia ſigna, imagines, figuras. Et confirmat in libro de fide ad Petrum Sanctus Fulgen- Cap. 19. tius: *In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorum noſtrorum, in illo autem panis & vini ſacrificio gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit.* Ambobus Sacramentis adſcribit ſolam figuram; Antiquis prænunciativam, noſtro novo commemorativam. Facundi Hermianenſis Epiſcopi locus in libris de tribus Chalcedonenſis Concilii capitulis eſt longè famoſiſſimus. Theodorum Mopſueſtienſem Epiſcopum, qui Chriſtum Dominum docuerat adoptivum Dei Patris Filium, à Neſtoriana lepra purgat in hunc mo- L. 9. c. 5. dum: *Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt. Et poteſt Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari. Sicut Sacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quòd propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis, ſed quòd in ſe myſterium corporis, ſanguiniſque contineat. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem Diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles Sacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chriſti rectè dicuntur accipere, ſic & ipſe Chriſtus, Sacramentum adoptionis filiorum cùm ſuſcepiſſet, potuit rectè dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.*

Eodem modo loquuntur antiqui Græcorum Patres. Etenim Magni Baſilii Liturgia diſertè laudat *Antitypa ſancti corporis & ſanguinis Chriſti.* Etiam in funebri ſanctæ ſuæ ſororis Gorgoniæ elogio Sanctus Gregorius Nazianzenus, Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia Sanctus Dionyſius Areopagita, nec non Apoſtolicarum conſtitutionum Auctor, apud vulgum Clemens Romanorum Epiſcopus. Origenes item in libris adverſus Celſum, Euſebius Cæſareenſis, Sanctus Joannes Chryſoſtomus Euchariſtiam vocant Dominici corporis ſymbola, typos, imaginem. Et in ſuis ſuper primam ad Corinthios Epiſtolam commentariis, hæc verba, *Donec veniat*, exponens, ſubdit Theodoretus: *Poſt Domini adventum non* Cap. 11. *ampliùs erit opus ſymbolis ſeu ſignis corporis, cum ipſum corpus adparebit. Propterea dicit: Donec veniat.* Et infrà: *Hic videmus ſymbola Dominici corporis, illic autem ipſum Dominum videbimus.* Qua phraſi utitur etiam in Dialogis Orthodoxi cum Eraniſta. Nec obeſt hic Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani in adducto ſuperiùs Antirrhetico commentarius: *Sicubi Antitypa dicta ſunt, non poſt ſanctificationem, ſed antequam conſecrentur, ita nuncupata ſunt.* Quod ipſum probat ac firmat in libris de orthodoxa fide Sanctus Joannes Damaſcenus: *Etſi quidam Anti-* L. 4. c. 14. *typa Dominici corporis & ſanguinis Domini vocaverint, ut Deifer vocavit Baſilius, non tamen poſt ſanctificationem dixit, ſed priuſquam ſanctificaretur ipſa oblatio, ita vocabant.* Hic, inquam, commentarius non obeſt. Quòd enim laudati Patres ipſam conſecratam Euchariſtiam vocent Antitypa, eſt nimis manifeſtum. Laudo Magnum Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hieroſolymitanum, & alios plures. Joannes Damaſcenus, Stephanus Auxentianus, Patriarcha Nicephorus adeò manifeſtè videntur labi, ut in Apoſtolicarum conſtitutionum commentario Franciſcus Turrianus, ac in Gregorii Nazianzeni Scholiis Jacobus Billius adducta Damaſceni verba adfirment ſpuria, per neſcio quem impoſtorem intruſa in textum. Schiſmatici Græci volunt eſſe legitima atque authentica: Et ex ipſis, ac ſimul junctis Baſilianæ Liturgiæ verbis cenſent ſuam Euchariſtiam, non per ſolemnia Chriſti verba, ſed per ſubſequentes in Liturgia preces conſecrari, ac ſemper fuiſſe conſecratam. Et hæc ſunt præcipua Patrum loca, quæ Euchariſtiæ veritatem videntur evertere.

CAPUT

CAPUT III.

Exponuntur Tertulliani loca.

ANte omnia oſtendendus eſt Tertullianus
circa Euchariſtiam ſenſiſſe cum hodierna
Romanorum Eccleſia, non cum Berengarianis,
Wicleffiſtis, Lutheranis, aut Calviniſtis. Et
hoc evincit tertius è libris contrà Marcionem lo-
cus, quo dicitur Dominus in pane ſuum corpus
repræſentaſſe. Etenim apud Tertullianum vox,
Repræſento, nunquam importat ſignificationem
ſeu figurationem, ſed ſemper realem exhibitio-
nem. Liber de patientia ſcribit de Domini Di-
Cap. 3. ſcipulis: *Contumelioſo oppido cœleſtes ignes repræ-*
ſentari voluerunt. Liber de carnis reſurrectione
laudat extremum judicium, adfirmatque ejus
plenitudinem & perfectionem non niſi de totius ho-
Cap. 14. *minis repræſentatione conſtare*. Quartus contra
Marcionem liber diſcernit inter Chriſtum Domi-
num ac Prophetam Heliſeum, quòd hic aquæ
elementum adplicarit curando Naaman Syro,
Cap. 12. *ille ſolo verbo ſtatim curationem* quibuſcumque in-
firmis *repræſentarit*. Idem liber ſcribit de Do-
Cap. 16. mino Deo: *Faciliùs vim componi ſcit repræſen-*
Cap. 12. *tatione talionis, quàm repromiſſione ultionis*. Quin-
tus liber ſcribit de Domino Deo ac ejus extremo
judicio: *Corporum omnium repræſentationem con-*
Cap. 13. *firmavit*. Liber de jejuniis generalem Eccleſiæ
Synodum appellat *repræſentationem totius nominis*
Chriſtiani. Quibus omnibus in locis clarum &
certum eſt repræſentationem eſſe realem exhibi-
tionem. Quare eamdem Septimius intendit ac
ſignificavit, dum dixit à Domino corpus ſuum
fuiſſe repræſentatum in pane.

Eodem ſenſu vocem conſtantiſſimè uſurpat
Ep. 23. Sanctus Cyprianus. Etenim in litteris ad Roma-
næ Eccleſiæ Clerum ſcribit de quorundam la-
pſorum ad extorquendam Sacramentalis reconci-
liationis pacem violentia in ſuos Epiſcopos:
Pacem, quam ſemel cunctis à Confeſſoribus & Mar-
tyribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſen-
tari coegerunt. Et in litteris ad ſuam Plebem
Ep. 40. ſcribit de ſemetipſo exule: *Ut repræſenter vobis*
poſt Paſcha. Et in litteris ad Nemeſianum ac
Ep. 11. alios in metallis Confeſſores: *Quo modo poſſum,*
repræſento me vobis. Verbum, *Repræſento*,
Ep. 58. ubique ſignificat realem exhibitionem. Eadem
80. 81. voce hic utitur in litteris ad Sanctum Papam Lu-
cium, in litteris ad Numidiæ Epiſcopos, in
litteris ad Rogatianum & alios in carcere Con-
feſſores, in libro de oratione Dominica, & in
Ep. 79. libro de patientia. Et ad ipſum ſcripſit neſcio
cujus in Africa civitatis Epiſcopus, ac in vin-
culis poſitus Confeſſor Lucius: *Litteris tuis te*
nobis repræſentaſti. Et Romanæ Eccleſiæ Clerus:
Ep. 26. *Reddat tibi Dominus pro iſta charitate tua merce-*
dem, & hujus tam boni operis repræſentabit debi-
tam frugem. Iſtam vocem apud Cyprianum ne-
mo uſurpat pro ſignificatione, niſi ſermonum de
cardinalibus Chriſti operibus Auctor: Et hoc eſt
unum fundamentorum, ex quibus cenſemus
iſtud opus non eſſe Cypriani. Cum Cypriano
loquitur etiam in authentico ſermone de tempore
Sanctus Auguſtinus. In Emmauntis cœna adfir-
mat à Domino confectam Euchariſtiam, & ad-
jungit: *Dominus præſentavit ſemetipſum in fra-* Serm 140.
ctione panis. Et frequenter ita loquitur. Eſt c. 3.
antiqua Romani Imperii phraſis. Etenim in lege
ad Creſcentium Africæ Vicarium, exſtante apud
Theodoſianum Codicem; Imperatores Valenti-
nianus ac Valens Reorum in judicio exhibitio-
nem vocant *repræſentationem*. Et ad Florum Lib. 10.
Prætorio Præfectum ſcribunt Gratianus ac ſecun- tit. 4. c. 3.
dus Valentinianus: *Decimas Fiſco, decimas et-*
iam Domino repræſentabit. Et ad Proculum Afri- Tit. 19.
cæ Proconſulem Magnus Conſtantinus: *Minimè* cap. 10.
ab eo repræſentatio poſtuletur equorum. Equos ſo- Lib. 6.
lemnes repræſentabit. Plures habemus iſtiuſmodi Tit. 35.
leges, quę per repræſentationem manifeſtè intel- cap. 2.
ligunt realem exhibitionem. Eodem modo lo-
quitur Tullius Cicero. Et politi hodie Latini
imitantur.

Tertullianus habet & alia æquè evidentia loca.
Etenim in libro de Spectaculis Euchariſtiam ti-
tulat *Sanctum*. Non ſanctum panem, aut San-
ctum vinum, ſed ipſum *Sanctum*. Utique ipſum
ſubſtantiale *Sanctum*: Ipſum JESUM Chriſtum Cap. 25.
Dominum, de quo ad ſacram Virginem dixit
Archangelus, *Naſcetur ex te Sanctum*. Alia
certè quævis Sacramenta, licet ſanctiſſima ac
ſacro-ſancta, ita nunquam titulata fuere, aut
titulantur. Quòd nempe ſint duntaxat ſigna,
non ipſa ſanctitatis veritas. Eodem in libro Cap. 29.
adfirmat etiam Chriſtianis eſſe ſua Agonalia,
& ſanguinolenta ſpectacula, atque exponit:
Vis autem & ſanguinis aliquid? Habes Chriſti.
Certè ſi Euchariſtia noſtra ſolam ſanguinis fi-
guram ſpectandam exhibeat, elumbe eſt Septi-
mii acumen. In ſecundo ad uxorem libro inter
varias, ex quibus fidelis cum infideli conjugium
non liceat, cauſas adducit & hanc: *Non ſciet*
maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Cap. 5.
Et ſi ſciverit panem, non illum credet eſſe qui dici-
tur. Et hæc, ignorans quiſque rationem, ſimpli-
citer ſuſtinebit? Sine gemitu? Sine ſuſpicione panis,
an veneni. Ergo Euchariſticus noſter panis con-
tinebat aliquid Gentilibus incredibile: Utique
Dominici corporis veritatem. Simplex figura
nihil habet incredibilitatis. Et in libro de Pu-
dicitia ſcribit de Neophytis: *Opimitate Dominici*
corporis veſcitur, Euchariſtia ſcilicet. Quis per
opimitatem non videat veritatem prædicari?
Nec deſunt alia loca. Eamdem veritatem con-
tinent quartus & quintus, conſcripti carmine,
adversùs Marcionem libri: Verùm illos, quod
eruditi viri cenſeant ſpurios, prætermitto. Ad-
ductus ex libro de oratione locus, qui Chriſti
carnem adfirmat in pane cenſeri, haud eſt ullius
ponderis: Etenim *cenſeri* apud Septimium eſt
authentico judicio firmari.

Reſtat quæſtio, Quomodo idem Septimius
adfirmet Euchariſticum panem eſſe Dominici
corporis figuram? Ante omnia de laudato per
ipſum Sancti Prophetæ Hieremiæ loco, *Mittamus*
lignum in panem ejus, audiendus eſt Joannes Cal-
vinus: *Locus Hieremiæ tam inſulsè detortus eſt* L. 4. c. 17.
ad probandam tranſubſtantiationem, ut referre pi- n. 15.
geat.

geat. Conqueritur Propheta lignum poſitum in pane ſuo, ſignificans hoſtium ſævitia panem ſuum eſſe infectum amaritudine. Quemadmodum David ſimili figura cibum ſuum fuiſſe felle corruptum, & potum aceto deplorat. Iſti allegoricè corpus Chriſti ligno crucis fuiſſe adfixum volunt. At ita ſenſerunt nonnulli veterum. Quaſi verò non magis ignoſcendum ſit eorum inſcitiæ, & ſepeliendum dedecus, quàm addenda impudentia, ut cogantur cum genuino Prophetæ ſenſu hoſtiliter adhuc confligere. An aliqui Catholici ex iſto Prophetæ loco conati ſint tranſubſtantiationem firmare, nolo diſquirere: Singulorum ſenſa & dicta non cogimur defendere. Quin & plura toleramus. Etiam improbamus. Quòd tamen authentici Eccleſiæ Patres adductum locum de Chriſto Domino ac ejus cruce rectè intellexerint, & quòd Calvinus ſine fundamento debacchetur in ipſos, poſſet facilè demonſtrari. Et hunc Regii Prophetæ locum, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*, quis ferat non intelligi de Chriſto Domino? Eſt Theodori Mopſueſtienſis Epiſcopi, Pſalmos de Mediatore nihil loqui garrientis, error blaſphemus, damnatus à quinto Concilio. Porrò primus Tertulliani locus non facit ad rem præſentem. Etenim adversùs Marcionem, veræ in Domino carnis negatorem impium, ſolummodo adfirmat, quòd Prophetæ adſumendum à Deo verbo corpus quandoque figurarint in panem, hoc eſt, figurata phraſi per vocem *Panis* ſignificarint. Nominatim Hieremias: *Mittamus lignum in panem ejus*. Hoc eſt, crucem in ejus corpus. Addit hoc Sacramentum *ab antiquitatum illuminatore* Domino fuiſſe ſuo tempore interpretandum atque adimplendum, ac in ſæculorum fine interpretatum, atque adimpletum, dum nempè *panem ſibi corpus finxit*, & in ſuum corpus conſecravit; atque ità in pane exſecutus eſt figuram, quam Prophetæ promiſerant. Prophetarum enim figura, ſeu figurata locutio aliud non promiſit, quàm ejus corpus futurum in pane, ſeu panem conſecratione convertendum in ejus corpus. Et quia alienum factum nemo poſſit promittere, ex laudata panis figura Septimius explodit Marcioniticam duplicis Divinitatis fabulam, adfirmans ipſum, qui per Prophetas ipſam præmiſit, & per Dominum JESUM Chriſtum adimplevit, non poſſe non eſſe Deum unum ac eumdem. Quæ omnia nihil faciunt ad præſentem quæſtionem. Eadem eſt ratio horum verborum in ſequenti loco: *Ità & nunc ſanguinem in vinum conſecravit, qui tunc vinum in ſanguine figuravit.* Adfirmat non ſolam vocem *Panis* pro Domini corpore, ſed etiam vocem *vinum* fuiſſe à Prophetis acceptam pro ipſius ſanguine, iſtaſque eſſe figuratas locutiones, quibus ille iſtud corpus & iſtum ſanguinem prænunciavit ac promiſit eſſe nobis ex pane & vino conſecranda & donanda. Laudatum Prophetæ locum eodem modo exponit in Tractatu ſuper Parabolam de ficu Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus in Catecheſibus, ac alii plures.

Omnis quæſtio hæret in aliis hujus ſecundi Tertullianici loci verbis: *Acceptum panem Dominus corpus ſuum fecit*, Hoc eſt corpus meum *dicendo, id eſt, figura corporis mei*. Tertulliani ſcopus eſt exponendus, qui Euchariſtiæ veritatem validiſſimè confirmat. Agit ille in Marcionem, qui non veritatem, ſed ſolam humani corporis vacuam ſpeciem garriebat adſumptam, utiturque hoc argumento: Dominus ſuum corpus in pane, in vino ſuum ſanguinem conſecravit ac fecit, ergò eadem adſumpſit in ſuam perſonam, & pro nobis geſſit. Qua argumenti forma adversùs Marcionis ſucceſſorem Eutychetem uſus etiam fuit in Epiſtola ad Clerum ac populum Conſtantinopolitanum Magnus Leo: *In quibus* Eutychiani *ignorantiæ tenebris, in quo hactenus deſidiæ torpore jacuere, ut nec auditu diſcerent, vel lectione cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei in omnium ore tam conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti inter communis Sacramenta fidei teneatur? Quia in illa myſtica diſtributione ſpiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc ſumitur, ut accipientes virtute cæleſtis cibi in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus.* Et in litteris ad Anatolium Conſtantinopolitanum Antiſtitem: *Aliter in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni ſanguis emundet. Qui licèt in Patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex Virgine, Sacramentum propitiationis exſequitur.* Adfirmat veram Domini carnem, verumque ipſius ſanguinem ſumi à nobis in Euchariſtia, & hanc veritatem eſſe etiam parvulis notam, ideoque ab Eutychete nec prima fidei rudimenta teneri. Eadem de cauſa illum appellat ſenem imperitum, ac delirum. Adfirmat eam ipſam carnem, quam ſumpſit de Virgine Dominus, eſſe in Euchariſtia: Et ſine ipſa nec verum eſſe apud nos ſacrificium, nec ratum Sacerdotium, nec veræ propitiationis ſeu gratiarum actionis Sacramentum. Argumentatur ab hoc Sacramento ad viſibilem Chriſti perſonam: Vera caro & verus ſanguis ſunt in Euchariſtia, ergò ſunt etiam in viſibili Domini perſona. Quod argumentum, niſi certa ſit Euchariſtiæ veritas, omninò eſt nullius ponderis.

Ep. 23.

Ep. 40. cap. 2.

Eodem argumento utitur publicatus per Jacobum Gretzerum Anaſtaſius Sinaita. Ad Gajanitam, qui degenti nobiſcum Chriſto Domino adſcribebat incorruptibile corpus, dicit illic Orthodoxus: *Dic mihi, obſecro, ſi ut Divinitas, ita & corpus Chriſti, ab ipſo unionis exordio immortalitatem habet, num communio ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti, quam offers & participas, verè eſt verum corpus & ſanguis Chriſti Filii Dei, vel nudus panis, qualis oſtiatim venditur, vel vicem dumtaxat & figuram gerit corporis Chriſti, ut ſacrificium hirci, quod Judæi offerunt:* Et Gajanita reſpondet: *Abſit ut doceamus ſacram communionem eſſe tantummodò figuram corporis Chriſti, aut nudum panem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Filii Dei incarnati, & ex ſanctiſſima Deipara & ſemper Virgine Maria nati, verè accipimus.* Et iterùm Orthodoxus: *Sic credimus, & ſic*

Cap. 23.

ſic confitemur juxta dictum Chriſti ad Diſcipulos, in cœna myſtica dantis illis vivificum panem, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, *Similiter & calicem dedit illis, dicens*: Hic eſt ſanguis meus. *Non dixit*: Hoc eſt figura, ſeu gerens vices corporis & ſanguinis mei. *Et pluribus aliis locis ait Chriſtus*: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. *Cùm igitur ipſe Chriſtus fateatur eſſe verè ſuum corpus & ſanguinem, quem nos fideles ſumimus, agedum adfer nobis aliquid ex communione veſtræ Eccleſiæ, tamquam ſuprà omnes alias Eccleſias orthodoxæ, & in vaſe cum omni honore & reverentia reponemus hoc ſacrum corpus & ſanguinem.* Corpus, quod in exrrema cœna Dominus ex pane conſecravit, adfirmat fuiſſe poſtmodo immolatum, traditum morri, vulneratum, diviſum, adeoque mortale & corruptibile. Hinc concludit etiam tunc fuiſſe tale in propria perſona. Quòd hic idem Anaſtaſius, nec non & Sanctus Alexandriæ Patriarcha Cyrillus contra Neſtorium, contra Paulum Samoſatenſem iſtius Anteceſſor Dionyſius, & contra Gnoſticos Martyr Ignatius ſint uſi eodem argumento, eſt ſuo loco demonſtratum. Eodem contra Marcionem hìc utitur Tertullianus, atque ita certum eſt Euchariſtiæ veritatem apud hoſce omnes fuiſſe manifeſtum ac immobile fidei fundamentum. Nam quòd etiam Gnoſticorum fœdiſſimi profiterentur iſtam veritatem, lucet ex illis, quæ de Marci Ægyptii Euchariſtia tradit Sanctus Irenæus.

Quæſtio eſt, Quare Tertullianus Euchariſtiam adpellet Dominici corporis figuram? Reſpondeo de Tertulliani, quem omnium Latinorum Scriptorum adſerit Principem, oratione & ſtylo rectè ſcribere Vincentium Lerinenſem: *Quot penè verba, tot ſententiæ ſunt; quot ſenſus, tot victoriæ.* Hinc ejus verba ſunt accuratè ponderanda. Dominus Petrus de Marca in opuſculo de Euchariſtiæ Sacramento ex Sancti Proſperi ſententiis diſtinguit duplex Domini corpus: Naturale & ſacramentale: Seu potiùs duplicem ejuſdem corporis exiſtentiam, aut exiſtendi modum: Inviſibilem ſeu definitivam, ac viſibilem ſeu circumſcriptivam. Addit illam eſſe hujus ſignum, hanc illius eſſe ſignificatum. Adfirmat hanc diſtinctionem reſpici à Septimio: Adſeri, quòd Sacramentale Domini corpus ſit figura ac ſignum naturalis. Hinc notat verborum ordinem: *Acceptum panem corpus ſuum fecit*, Hoc eſt corpus meum *dicendo, id eſt, figura mei corporis*. Cenſet eſſe hunc ſenſum: *Accceptum panem transſmutavit in ſuum inviſibile corpus, quod eſt figura corporis viſibilis.* Aſt ego exiſtimo hunc non fuiſſe Septimii ſenſum. Conſideranda ſunt hæc ejus verba: *Aut ſi propterea panem ſibi corpus finxit, quia corporis carebat veritate, ergò panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? Non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis*, Mittamus lignum in panem ejus, *ſcilicet crucem in corpus ejus.* Adfirmat duo. Primò, quòd Dominus panem potiùs quàm peponem, quem cordis loco habuit ſtupidus Marcion, debuerit ſibi facere corpus: Quia nempè panis erat antiqua Dominici corporis promiſſiva, ideoque nobis per Dominum adimplenda figura. Secundò, quòd Dominus panem non adſumpſerit in ſuam hypoſtaſin, nec in noſtræ redemptionis exſecutorium, aut pro nobis crucifigendum corpus: Quòd hunc in finem habuerit aliud proprium, verum, natum ex Virgine, & nobis conſubſtantiale corpus, cujus panis fuit dumtaxat continens, Sacramentum, & figura. Hoc ſenſu Dominus panem corpus ſuum fecit, id eſt, figuram ſui corporis. Senſus, inquam, eſt: Dominus panem ſic fecit ſuum corpus, ut ipſe tamen non eſſet ejus proprium pro nobis crucifigendum corpus, ſed ipſius dumtaxat Sacramentum ac figura. Quod eſt omninò veriſſimum. Nec ipſe panis, nec ejus reſidua accidentia ſunt Domini corpus, ſed ejus dumtaxat involucrum, Sacramentalis imago, figura. Hinc addit Septimius: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Adfirmat inanem ſpeciem & vacuum phantaſma non poſſe figurari, ideoque ex carnis & ſanguinis, quam Euchariſticis elementis Dominus impoſuit, figura evinci veritatis corpus, ſeu verum corpus in propria ejus perſona. Adductus ex libro de carnis Reſurrectione locus agit adversùm Capharnaitas. Eum ipſum ſenſum habet, quem in pluribus iſtiuſmodi locis Sanctus Auguſtinus.

CAPUT IV.

Exponuntur quædam loca Sancti Auguſtini.

QUòd circa Euchariſtiam Sanctus Auguſtinus cum Romana hodie Eccleſia credat ac doceat, eſt breviter oſtendendum. Et jam oſtenſum eſt ex variis locis, quæ adfirmant illic contineri, adorari, manducari illam ipſam carnem, ac bibi illum ipſum ſanguinem, quæ peperit Sancta Virgo, & quæ Judæi crucifixerunt. Quod ipſum docet quinquageſimus quartus Sermo de diverſis: *Invitata eſt* à cœleſtis familiæ Cap. 2.
Patre *univerſarum gentium multitudo, ipſa implevit Eccleſiam, ipſa accepit de menſa Dominica non viles epulas, non ignobiles potus, ſed ipſius Paſtoris, ipſius occiſi Chriſti carnem prælibavit & ſanguinem.* Et tertius decimus confeſſionum liber: *Terra manducat piſcem levatum de profundo in ea menſa*, Cap. 21.
quam paraſti in conſpectu credentium. Levatus de 23.
profundo piſcis eſt JESUS Chriſtus natus in hoc ſæculo, ex Maria Virgine. Et quinquageſimus nonus de Domini verbis Sermo: *Poſt Domini adſcenſionem Judæi converſi ſunt ad eum, quem crucifixerunt, & in Sacramento credentes ſanguinem ejus biberunt, quem ſæviendo fuderunt.* Trigeſimi tertii Pſalmi commentarius laudat Prophetica de exulante apud Philiſtæos Davide verba, *Ferebatur manibus ſuis*, atque exponit: *Hoc*

quomodò fieri poſſit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in ſuis manibus? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipſo David ſecundum litteram, non invenimus; in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando comedens ipſum corpus ſuum ait: HOC EST CORPUS MEUM. *Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* Et infrà: *Quomodò ferebatur in manibus ſuis? Quia cum manducaret ipſum ſuum corpus & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodam modo, cum diceret:* HOC EST CORPUS MEUM. Et iterum: *Apertè modò vult dicere de ipſo Sacramento, quo ferebatur in manibus ſuis.* Quem commentarium probat ac firmat apud Sanctum Proſperum Auctor librorum de Divinis promiſſionibus. Notanda ſunt Auguſtini verba: *Illud corpus.* Utique illud ipſum, quod portabat. Nec obſunt verba: *Quodam modo.* Reverà enim erat arcanus ac incomprehenſibilis modus, de quo olim dixerunt etiam Berengarianorum & Calviniſtarum Principes: *Quomodo poteſt carnem ſuam dare ad manducandum?* Tenebroſis mentibus videtur inſania ac furor.

Eamdem veritatem tradit Sanctus Auguſtinus in commentario vigeſimi primi Pſalmi. Hæc verba, *Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ*, exponit: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini ſui etiam divites terræ, nec ſicut pauperes ſaturati ſunt uſque ad imitationem, ſed tamen adoraverunt.* Et ad hæc verba, *Adorate ſcabellum pedum ejus*, ſcribit in nonageſimi octavi Pſalmi commentario: *Exponens mihi ſacer textus, quid ſit ſcabellum pedum ejus, dicit*, Terrâ autem ſcabellum pedum meorum. *Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne me damnet qui fecit cœlum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit*: Adorate ſcabellum pedum ejus. *Quæro quid ſit ſcabellum pedum ejus, & dicit mihi ſcriptura:* Terra ſcabellum pedum meorum. *Fluctuans converto me ad Chriſtum, & invenio quomodò ſine impietate adoretur terra. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hìc ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam dedit ad ſalutem, nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Omninò agit de adoratione latriæ. Hinc addit in libris adverſus Fauſtum. *Cur arbitretur Fauſtus parem* Lib. 20. c. 13. *nobis eſſe religionem circà panem & calicem, neſcio, cum Manichæis vinum guſtare, non religio ſit, ſed ſacrilegium. In uva enim agnoſcunt Deum ſuum, in cupa nolunt, quaſi aliquid eos calcatus & incluſus offendat. Noſter autem panis & calix, non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis corpus Chriſti, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamvis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non Sacramentum religionis. Niſi quod benedicimus, gratiaſque agimus Domino in omni ejus munere, non ſolùm ſpirituali, ſed etiam corporali.* Et ſtatim infrà: *Quomodò comparas panem & calicem noſtrum, & parem religionem dicis, errorem longè à veritate diſcretum, pejùs deſipiens quam nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem & Liberum colere exiſtimant.* Manichæos, quòd intrà ſolem & lunam garrirent latere divinam ſubſtantiam, ideoque illa latricè adorarent, idololatriæ arguit Sanctus Auguſtinus, & Fauſtus reddidit hunc talionem: *Vobis ſimiliter erga panem & calicem par religio eſt*, utique latriæ re- Cap. 2. ligio. Nam & hinc Pagni cenſebant à noſtris tunc parentibus adorari Cererem & Bacchum. Et fuiſſe latriæ religionem Auguſtinus omninò admittit ac profitetur. Quòd nempe in Euchariſticis elementis ſubſtantialiter exiſtat JESUS Chriſtus, Deus benedictus in ſæcula. Et ex iſtis teſtimoniis evaneſcunt etiam omnia, quibus iſtam adorationem Joannes Wicleffus & Joannes Calvinus damnant uti novam, & alienam ab antiqua Eccleſia.

Omittere nolim duo loca ex tertio libro de Sanctiſſima Trinitate. Cap. 4. Hic eſt primus: *Paulus Apoſtolus potuit ſignificando prædicare Dominum* JESUM *Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per Epiſtolam, aliter per Sacramentum corporis & ſanguinis ejus. Nec linguam quippè ejus, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna litterarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus, ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis. Quod enim per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur ut ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei.* Diſertè profitetur Euchariſtiam eſſe non tantummodò ſignum Dominici Corporis, ſed ipſum etiam Dominicum Corpus, non doctrinali verbo, ſed myſtica prece conſecratum, & inviſibili Spiritus Sancti operatione ſanctificatum in tam magnum Sacramentum. Ut Euchariſtiæ, Baptiſmatis, aut Confirmationis elementa in ſimplicem Domini figuram conſecrentur ac eleventur, nullum inviſibile ac extraordinarium Sancti Spiritus opus eſt neceſſarium. Elementa manent elementa. Myſticæ quidem preces eis infundunt atque admiſcent Sanctum Spiritum: Nequaquam tamen naturali unione, ſed dumtaxat extrinſeca illa adſiſtentia, qua idem Dei Spiritus in mundi natalibus ferebatur ſuper aquas. Uti tunc ſolis aquis incubabat ad generanda corpora, ita nunc ad regenerandas aut reparandas animas incubat cunctorum Sacramentorum elementis, ipſaque adjuvat, elevat, fœcundat. Hæc ejus gratioſa operatio non intervenit, niſi dum eſſentiale verbum accedit ad elementum, & fit atque datur Sacramentum. Nec in ipſum elementum, ſed in ſolum ſuſcipientem operatur. Hunc ſolum immutat. Etiam tunc aqua perſeverat aqua. At verò Euchariſtica elementa per omni ſumptioni aut donationi præviam ſanctificationem accipiunt inviſibile ac tremendum Spiritus Sancti opus, ac in admirabile ac ineffabile Sacramentum conſecrantur. In ipſum Domini Corpus & Sanguinem. Si conſecrentur in ſolam figuram, Auguſtinus nobis fumos vendit & fucos.

Alter

Cap. 10 Alter Auguſtini locus eſt hic: *Infantes non noverunt quod in Altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, unde vel quomodò conficiatur, unde in uſum religionis adſumatur. Et ſi nunquam diſcant experimento ſuo vel aliorum, & nunquam illam ſpeciem rerum videant, niſi inter celebrationem Sacramentorum, cum offertur & datur, dicaturque illis auctoritate graviſſima, cujus corpus & ſanguis ſit, nihil aliud credent, niſi omninò in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo liquorem illum omninò fluxiſſe.* Agit de antiquis Divinæ Majeſtatis ac Sanctorum Angelorum in igne, nube, aut quovis alio corpore apparitionibus, atque adjungit: *Illas nubes & ignes quomodò fecerint vel adſumpſerint Angeli, quis novit hominum?* Quòd nempè iſtum modum Divina Bonitas humano generi non revelarit. Adfirmat omnes nos hac in re eſſe ſimiles ceſpitantibus circà Euchariſtiam pueris, qui audientes ipſam eſſe crucifixum Domini Corpus, & de ejuſdem latere effuſum ſanguinem, opinantur Dominum in tali corpore apparuiſſe. Quæ omnia, niſi ſubſtantialem Euchariſtiæ veritatem Eccleſia tunc docuerit, ſunt frivola ac vana.

A malignis fratribus in Ægyptum venditus Joſeph projectum à perfidis Judæis ad gentes Chriſtum Dominum, Ægyptios ſubmergens mare rubrum ſignificavit Dominico ſanguine, in quo occiduntur omnia peccata noſtra, conſecratum regenerationis fontem. Illuſtrat hæc in octogeſimi Pſalmi commentario Sanctus Auguſtinus, & pergit: *Cùm tranſieris mare rubrum, cùm eductus fueris à delictis tuis, percepturus es myſteria, quæ non noveras, quia & ipſe Joſeph, cùm exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit. Audies linguam, quam non noveras, quam modò audiunt & recognoſcunt teſtantes & ſcientes, qui norunt. Audies, ubi debeas habere cor. Quod modò cùm dicerem, multi intellexerunt & adclamaverunt, reliqui ſteterunt muti, quia nondum linguam, quam non noverant, audierunt. Accelerent ergò, tranſeant, diſcant.* Figuratè ac ænigmaticè agit de Euchariſtia. Verba, *Ubi debeas habere cor*, alludunt ad ſolennes in ſacrificio preces: *Surſum corda. Habemus ad Dominum.* Concioni aderant Fideles, Catechumeni, Pagani, Judæi. Porrò omnia Sacramenta, Euchariſtiam præſertim, tunc & Paganis, & Judæis, & Catechumenis ſtudioſiſſimè occultabat Eccleſia, ideoque ad iſta Auguſtini ænigmata adclamarunt, & ità demonſtrarunt ſe intelligere fideles, iſti autem ſteterunt muti, & de adclamantibus ſtupuerunt, quia nempè audiebant loquentes lingua, quam non noverant. Hinc ad illos Auguſtinus: *Accelerent, tranſeant, diſcant.* Exponit in Epiſtola ad Honoratum Ep. 120. c. 19. Catechumenum: *Gratias agimus Domino Deo noſtro, quòd eſt magnum Sacramentum in ſacrificio novi teſtamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus, invenies.* Cuncti tunc Epiſcopi ac Doctores iſtam curioſitatem accendebant in Catechumenis, atque ita ipſos ad accelerandum Baptiſmum inflammabant. Hinc & in alia concione declamat Sanctus Auguſtinus de Sacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedech: *Fidelibus loquor. Si quid non intelligant Catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam.* De div. ſermone 109. Et in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium adfirmat eos, quibus JESUS ſe, utique per Euchariſtiam, non credit, eſſe Catechumenos, & proſequitur: *Quid faciant, ut ſe illis credat JESUS? Renaſcantur ex aqua & Spiritu Sancto.* Tract. 12. Et in ſermone de Domini verbis exponit verba, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, Ser. 46. cap. 1. ac adjungit: *Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur ſanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contrà te clauſit, ut hoc neſcias? Velatum eſt. Sed ſi volueris, erit revelatum. Accede ad profeſſionem, & ſolviſti quæſtionem. Quod enim dixit Dominus JESUS, jam fideles norunt. Tu autem Catechumenus diceris: Audiens, & ſurdus es. Aures enim corporis patentes habes, ſed aures cordis adhuc clauſas habes. Ecce Paſcha eſt, da nomen ad Baptiſmum. Si non te excitat feſtivitas, ducat ipſa curioſitas.* Et in Paſchali ad Neophytos Sermone ſcribit: De diverſ. ſer. 83. *Promiſeram vobis, qui baptizati eſtis, ſermonem, quo exponerem menſæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis, & cujus nocte præterita participes jam facti eſtis.* Ejus veritatem ac ſignificationem inſigniter exponit, & pergit: *Non tibi videatur vile, quia vides, quod vides, tranſit, ſed quod ſignificatur inviſibile, non tranſit.* De ſacro fonte egreſſis, & ſacro Chriſmate confirmatis Neophytis ſacro-Sancta, de qua audierant & patefieri exſpectarant tot ænigmata ac myſteria, Euchariſtia ſtatim oſtendebatur: Utpote omnem ipſorum curioſitatem expletura, adoranda, atque ſumenda. At ecce nihil oſtendebatur, niſi panis ac vinum. Hinc Auguſtinus dixit: *Non tibi videatur vile, quia vides.* Etiam Baptiſterium ingredi, & ſacrum fontem inſpicere non poterant Catechumeni: Quam diſciplinam Auguſtini tempore viguiſſe etiam apud Afros, docet ejus liber de catechizandis rudibus. Cap. 3. Nam & iſta aqua erat conſecrata Dominico ſanguine, illius ſignum & figura. Et tamen de ipſa non dicebatur intrantibus: *Non tibi videatur vile.* Eis dicebatur, quòd etiam iſta aqua non eſſet niſi aqua. Nullus etiam Gentilis ipſam aquam, ſed ſolos ejus à Chriſtianis prædicatos effectus fuit admiratus. Nam & hìc item hæſit ad Domini prædicationem Nicodemus. Cur ergò ad Neophytos in Euchariſtiæ veritate firmandos fuit opus tot verbis & ſuadelis? Audi ſuadelas Auguſtini ex ſermone de verbis Apoſtoli. Exponit Domini verbum, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ac pergit: *Quis alius hoc diceret de vita, niſi ipſa vita?* Serm. 2. cap. 1. *Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putaverit vitam.* Utique errando cum Capharnaitis. Habet plures iſtiuſmodi ſuadelas. Quia nempe Euchariſtia habet aliquid repugnans ſenſibus, ideoque carnalibus mentibus incredibile. Utique veritatem Dominici corporis & ſanguinis.

Reſtat quæſtio, Quo ſenſu Auguſtinus Euchariſtiam appellet Dominici corporis imaginem, ſimilitudinem, figuram? Primus ejuſmodi locus

locus eſt in libro contra Adimantum. Adfir-
Cap. 11. mat brutorum animas non eſſe ipſum ſanguinem, & hæc Deuteronomii verba, *Sanguis eorum pro anima eſt*, docet eſſe figuram locutionem, & exemplo elucidat: *Sic eſt enim ſanguis anima, quomodo Petra erat Chriſtus*. Et alio iterum exemplo: *Poſſum Præceptum illud interpretari in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitavit dicere,* Hoc eſt corpus meum, *cùm ſignum daret corporis ſui*. In libro de Euchariſtiæ veritate Joannes Heſſelius reſpondet duobus modis, atque ad-
Cap. 57. jungit: *Omitto non parum probabilem eſſe illorum opinionem, qui hæc verba Auguſtino ab aliquo VVicleffiſta, vel alio Sacramentario adſuta exiſtimant. Quod nec Berengarius, nec VVicleff ea unquam pro ſua defenſione protulerint: Neque quiſquam Catholicorum adversùs eos ſcribentium ea tractaverit*. Addit iſtas phraſes *ab Auguſtini exacta locutione & limato ſermone* multùm recedere, ac ſine iſta periodo conſtare totum iſtius capitis contextum, ideoque concludit: *Hæc eo dixerim, ut ſtudioſis conſulendi exemplaria vetera manuſcripta occaſionem præbeam, in quibus vel omnia iſta verba deſint, vel ſaltem accuratiùs legantur*.

Reſpondeo hanc corruptelam carere fundamento. Etenim Wicleffi factio eſt admodum recens: Quomodo igitur non illius auctor, ſed neſcio quis ſectator potuerit ſuam audaciam traducere in omnia toto mundo ſparſa Sancti Auguſtini exemplaria? Majores noſtri, qui Auguſtini opera vulgarunt Plantinianis typis, luſtrarunt plurimos variarum Bibliothecarum antiquiſſimos codices: Et horum nullus caruit adductis contra Adimantum verbis. Et quid faciamus de tertii Pſalmi commentario? Auguſtinus illic dicit de Domino: *Dedit ſui corporis figuram*. Et antiqui teſtamenti figuras oſoribus Manichæis, ac aliis duplicis Divinitatis fabulonibus per Euchariſticam figuram exponere, ac venerandas
Cap. 37. ſuadere, eſt Auguſtino familiare. Hoc enim
L. 2. c. 7. fecit etiam in libro de fide contra Manichæos, & in libro contra Adverſarium Legis ac Prophetarum. An iſto contra Adimantum loco ſuas nugas non tentarint adjuvare Berengarius aut Wicleffus, non poſſum adfirmare: Pleraque ipſorum Scripta interciderunt.

Iſtum ergò locum inſigniter exponit in poſtrema ad Joachimum Weſtphalum admonitione ipſe Calvinus: *De figura diſputans VVeſtphalus negat Auguſtinum unquam verba Chriſti,* Hoc eſt Corpus meum, *ita interpretari, quaſi panis corpus ſignificet. Hoccinè eſt perfidiæ connivere, ubi verbis minimè obſcuris inſtructi ingenuè prodimus in medium? Auguſtini verba ſunt, Dominum non dubitaſſe dicere,* Hoc eſt Corpus meum, *cum ſignum daret corporis ſui. Et quorſum ita loquitur? Ut Scripturam ſæpè figuratè loqui probet*. Miſcet vera falſis. Interim profitetur ſigni iſtic rationem adſcribi ſacro pani. Dicat, Ejus reſiduis accidentibus: Et eſt Romanus. Etenim iſta accidentia eſſe ſub ſe contenti ac velati corporis ſignum & figuram Romana Eccleſia credidit ſemper ac docuit. Hoc in Sacramento tria diſtinguit: Sacramentum tantum, rem tantùm, & rem ac Sacramentum ſimul. Et hinc de illis per Dominum in cœna porrectis dicit Sanctus Auguſtinus: *Sui corporis ſignum dabat*: Signi qualitatem exponit in quæſtionibus ſuprà librum Levitici, denuò ſcribens pecoris ſanguinem eſſe animam, quia ſignificat animam, & adjungens:
Quærendæ etiam locutiones per id, quod continet, Q. 51.
ſignificandi id, quod continetur, & quoniam anima ſanguine tenetur in corpore, nam ſi fuerit effuſus, abſcedit, per ipſum aptiùs ſignificata ſit anima, & ejus nomen ſanguis acceperit. Sicut Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt. Eodem locutionis genere adfirmat Euchariſticum panem eſſe Dominici corporis ſignum: Non qualecumque, ſed quod ipſum contineat ac repræſentet. Palam hoc firmant verba ſequentia: *Sed cùm Dominus dicat:* Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, *quid ſibi vult quod à ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis hoc unum ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum, à cujus tamen ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam?* Manifeſtiſſimè profitetur Euchariſtiæ veritatem. Profitetur Domini carnem & ſanguinem non dumtaxat ſignificari per panem & vinum, ſed etiam in ipſis contineri ac repræſentari.

Hunc Auguſtini locum lucidè apud Sancti Cypriani appendicem imitatur in ſermone de Domini cœna Auctor ſermonum de cardinalibus Chriſti operibus. Proponit enim & ipſe hanc quæſtionem: *Nova eſt hujus Sacramenti doctrina, & ſcholæ Evangelicæ hoc primum Magiſterium prætulerunt, & Doctore Chriſto hæc primum mundo innotuit diſciplina, ut biberent ſanguinem Chriſtiani, cujus eſum legis antiquæ auctoritas diſtrictiſſimè interdicit. Lex eſum ſanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*. Hanc apparentem legis ac Evangelii diſſonantiam eleganter conciliat, & Evangelici mandati litteram demonſtrat in Euchariſtica veritate ac tranſubſtantiatione fundari. Quare Henricus Artopæus, qui ſermonem iſtum tentat detorquere in ſuum ſenſum, impingit in lucem meridianam. Etenim ſermonis mens eſt iſta luce clarior.

Sanctus ergò Auguſtinus adfirmat panem & vinum eſſe Dominici corporis & ſanguinis figuram, at non negat ipſis adjunctam veritatem. Nullibi adfirmat eſſe ſolummodò figuram. Adjunctam ipſis veritatem conſtantiſſimè ac lucidiſſimè confirmat in plurimis locis. Quam doctrinam illuſtraturus Hugo de Sancto Victore, in ſecundo libro ſuper primum caput Sancti Dionyſii Areopagitæ de Angelica Hierarchia, demonſtrat Chriſti Domini mortem ac reſurrectionem fuiſſe ſimul veritatem ac imaginem, & proſequitur: *Quare ergò Sacramentum Altaris ſimilitudo eſſe non poteſt & veritas, alio quidem ſimilitudo & alio veritas? Nam cum unum ſit Sacramentum, tria ibi diſcreta proponuntur. Species ſcilicet viſibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Aliud eſt enim viſibilis ſpecies, quæ viſibiliter cernitur; aliud eſt veritas corporis & ſan-*

ſanguinis quæ ſub viſibili ſpecie inviſibiliter creditur; atque aliud ſpiritualis gratia, quæ cum corpore & ſanguine inviſibiliter & ſpiritualiter percipitur. Quod enim videmus, ſpecies eſt panis & vini; quod autem ſub ſpecie illa credimus, verum corpus eſt, & verus ſanguis Chriſti JESU, *quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Nec per panem & vinum corpus & ſanguinem tantùm ſignificari, ſed ſub ſpecie panis & vini verum corpus & verum ſanguinem conſecrari. Et ſpeciem quidem viſibilem eſſe Sacramentum veri corporis & veri ſanguinis, corpus autem & ſanguinem eſſe Sacramentum gratiæ ſpiritualis.* Cum Auguſtino & ex Auguſtino lucidè demonſtrat Euchariſticas, quas Dominus Diſcipulis dedit, & nos quotidiè conſecramus, ſpecies eſſe Dominici corporis ſignum ac figuram: At quæ iſtud non tantùm ſignificet, ſed
L. 1. c. 94. contineat inſuper ac repræſentet. Quod ipſum docet in libris Miſcellaneorum, & in octava parte
C. 6. 7. Eruditionis Theologicæ de Sacramentis. Et eſt doctrina omnium Patrum, intelligendo myſterio neceſſarium fundamentum. Euchariſticum calicem ex Chriſti Domini mandato eſſe vino & aqua miſcendum demonſtrat in Epiſtola ad
Ep. 63. Cęcilium Sanctus Cyprianus, & adjungit: *Cùm dicat Chriſtus*, Ego ſum vitis vera, *ſanguis Chriſti non eſt aqua utique, ſed vinum. Nec poteſt videri ſanguis ejus, quo redempti & vivificati ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, qui Chriſti ſanguis oſtenditur.* Et infrà: *Aqua ſola Chriſti ſanguinem non poteſt exprimere.* Et iterum: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti.* Panem ac vinum ſupponit pro Euchariſticis ſpeciebus. Has dicit eſſe corpus & ſanguinem, & eiſdem ipſis illa intelligi, exprimi, oſtendi, id eſt, ſignificari. Eſſe & veritatem & figuram. Quia nempè Domini corpus ita ſignificent, ut etiam continendo & realiter exhibendo repræſentent. Eodem modo loquitur in Epiſtola ad Magnum, ac in aliis locis, Similiter loqui omnes paſſim Patres poſſit lucidè demonſtrari. Quòd quouſque Sacramentarii Errones non videant, velamen eſt ſuper eorum oculos, & non poſſunt non cęſpitare de lapſu in lapſum.

Porrò haſce propoſitiones, *Euchariſtia eſt corpus Chriſti*, & *Petra erat Chriſtus*, in libro adversùs Adimantum Sanctus Auguſtinus non æquiparat. Videtur tamen ipſas æquiparare in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium. Etenim hæc Apoſtolica de noſtris in antiquo teſtamento Patribus verba, *Eumdem potum ſpiritalem biberunt*, commentatur: *Spiritalem eumdem,*
Tract. 45. *nam corporalem non eumdem. Quid enim illi bibebant? Bibebant ex ſpiritali ſequente eos Petra:* Petra autem erat Chriſtus. *Videte, fide manente, ſigna variata. Ibi Petra Chriſtus, nobis Chriſtus quod in Altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejuſdem Chriſti biberunt aquam profluentem de Petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si ſpeciem viſibilem intendas, aliud eſt; ſi intelligibilem ſignificationem, eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Antiqui & novi teſtamenti fidelibus adfirmat ſola Sacramentorum elementa diſcrepaſſe, ſignificata fuiſſe eadem, eademque contenta, atque adeo in profluente illis Petra & data nobis Euchariſtia Chriſtum Dominum fuiſſe pari modo ſignificatum atque contentum. Quod ipſum tradit in vigeſima ſeptima Homilia, ubi iſtam paritatem extendit etiam ad Judaicum Manna, & hæc Apoſtoli de ipſo verba. *Eumdem cibum ſpiritalem manducaverunt*, commentatur: *Suffecerat ut diceret*, Cibum ſpiritalem manducaverunt. *Eumdem, inquit. Eumdem non invenio quomodo intelligam, niſi eum quem manducamus & nos. Quid ergò, ait aliquis? Hoc erat Manna illud, quod ego nunc accipio? Ergò nihil modò venit, ſi jam ante fuit? Ergò evacuatum eſt ſcandalum crucis? Quomodo ergò eumdem, niſi quia addidit, Spiritalem?* Adfirmat Manna ab aliis carnaliter ad ſolam corporis indigentiam, ab aliis ſpiritaliter fuiſſe manducatum ad profitendam de venturo Domino fidem, & concludit: *Erant ibi, qui quod manducabant, intelligebant; erant ibi, quibus Chriſtus in corde plus, quàm manna in ore ſapiebat. Quicumque in manna Chriſtum intellexerunt, eumdem quem nos cibum ſpiritalem manducarunt. Quicumque autem de manna ſolam ſaturitatem quæſierunt, Patres infidelium, manducaverunt, & mortui ſunt.* Redit ad voces, *Petra erat Chriſtus*, & pergit. *Eumdem ergò potum, quem nos, ſed ſpiritalem, id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. Non alter Chriſtus tunc, alter nunc.* Nempè apud ſpiritales. Nam & hos etiam in antiquo ante Chriſtum natum teſtamento fuiſſe veraciter Chriſtianos, oſtendit multis in locis Sanctus Auguſtinus. Et iſtam de manna doctrinam firmat item in vigeſimo ſexto Tractatu ſuper Sancti Joannis Evangelium.

Reſpondeo hæc elucidanda ex Sancto Ambroſio, ſcribente in opere de Sacramentis: *Veniſti* L. 4. c. 3.
ad Altare, vidiſti Sacramenta poſita ſuper Altare, & ipſam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura: Solemnis & nota. Fortè aliquis dixerit: Judæis Deus tantam gratiam præſtitit, manna illis pluit è cælo. Quid plus dedit fidelibus ſuis? Quid plus tribuit eis, quibus plus promiſit? Judæorum manna exaltat & in hoc & in ſequenti capite, & proſequitur: *Tu fortè dicis, Meus panis eſt uſitatus.* Hæc verba diriguntur ad egreſſos è ſacro fonte Neophytos. Laudat morem, qui ipſos ſtatim deducebat ad Altare, & iſtic explebar ipſorum deſiderium & curioſitatem, oſtendendo Euchariſtiam. Exponit quorumdam titubationem, dicentium nihil ſibi admirabile exhiberi, ſed ſolennes & notas creaturas, uſitatum panem, ideoque Judaicum manna, quod ſolummodò figuram eſſe audierant in catechiſmis, fuiſſe Euchariſtia longè excellentius: Erat quippè non ſolennis & notus, ſed per grande miraculum de cælo datus panis. His reſponſurus Ambroſius demonſtrat nova generatim Sacramenta eſſe antiquis longè eminentiora, & pergit: *Sed panis iſte eſt panis ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione.* Tranſubſtantiativam conſecrantium verborum virtutem, & ex ipſa natam realem præſentiam profitetur ac demonſtrat verbis lucidioribus,

ribus, quàm valeat quis Scholaſticus Doctor. Scio hoſce de Sacramentis libros à Joanne Oecolampadio proſcribi ad Ambroſiaſtra Apocripha: Ab illis adſertam Euchariſtiæ veritatem ille alia arte non potuit evadere, aut eludere. At ipſos eſſe legitimum Ambroſii fætum demonſtrat inſigniter in libro de Euchariſtiæ veritate Joannes Heſſelius. Et liber de Initiandis, quem eſſe Ambroſii conſtat, idem docet. Etiam octavus decimus ſuper centeſimum decimum octavum Pſalmum ſermo laudat Judaicum manna, & adjungit: *Non erat verus ille panis, ſed futuri umbra*. Verum panem demonſtrat fuiſſe reſervatum Eccleſiæ. Utique illum panem, & illud vinum, de quo ſcribit etiam in officiorum libris: *Agnoſco auro infuſum ſanguinem Chriſti non ſolùm irrutilaſſe, verùm etiam Divinæ operationis impreſſiſſe virtutem redemptionis munere*. Et quis non videat adducta Auguſtini verba eſſe ex ſuprà laudato Ambroſii loco mutuata? Quis non videat Diſcipulum à Magiſtro hìc non diſſentire? Et Judæorum & Chriſtianorum eadem fuit fides: Uti nos paſſum, mortuum, ac reſuſcitatum credimus, ita illi paſſurum, moriturum, ac reſuſcitandum Deum-Hominem crediderunt. Aliud numquam fuit ſub cælo nomen, in quo quis potuerit ſalvari. Hinc eumdem Chriſtum, eamdemque ab ipſo & dandam & datam ſalutem antiqua promiſerunt, noſtra Sacramenta exhibent & donant. Erant diverſa ſigna, eadem res ſignificata. Omni autem Sacramento aliud eſt proprium, aliud commune ſignificatum. Etiam ſignificandi modus eſt à ſignificato diſcernendus. Omnium, & antiquorum & novorum, commune ſignificatum eſt Chriſtus Dominus. Verùm ab aliis tamquam venturus & dandus, ab aliis tamquam præſens & datus: Et ab horum alio tamquam Regenerator, ab alio tamquam Confortator, ab alio tamquam Nutritor, ab alio ſignificatur tamquam Reconciliator. Et hæc ſunt cuique propria ſignificata. Ubicumque Auguſtinus manna & Euchariſtiam æquiparat, æquiparat in ſolo cōmuni ſignificato: A propriis abſtraxit, itemque à vario ſignificandi modo. Hiſce enim in locis ſcribit adversùs errorem Pelagianum, garrientem antiquos in veteri teſtamento juſtos ex legis notitia ac operibus, non ex Chriſti fide & gratia, fuiſſe mundatos atque adjutos. Errorem convincit ex eodem diverſorum Sacramentorum ſignificato, quod eſt Chriſtus, Deus benedictus in ſæcula. Quòd manna non fuerit, niſi prænuntia Euchariſtiæ figura, diſertè tradit in duodecimo ſuper Joannis Evangelium Tractatu & adjungit: *Ecce dico manna. Notum eſt quid acceperint Judæi. Et neſciunt Cathecumeni, quid accipiant Chriſtiani. Erubeſcant ergò quia neſciunt. Tranſeant mare rubrum, & manducent manna*. Euchariſtiam ignotam, manna affirmat Catechumenis fuiſſe notum: Et per illius cognoſcendæ curioſitatem inflammat illos ad Baptiſmi deſiderium. Quòd nempè ipſorum propria ſignificata, itemque ſignificandi modus toto cælo differrent. Et frequenter Auguſtinus ita loquitur.

L. 2. c. 28.

Omittere nolim, quòd iſtis in locis proceſſerit Africano more, qui in exponendis Sacris Scripturis non rarò receſſit à littera: Lucida ſunt Apoſtoli verba: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt*. Comprehendunt cunctos ex Ægypto eductos Judæos: Etiam Deo rebelles ac infideles murmuratores. Affirmant quòd cuncti eandem ſpiritalem eſcam & ſpiritalem potum ſumpſerint: Eandem & eundem, non nobiſcum, ſed inter ſe. Nam & murmuratores participarunt de manna & conſequente petra. At verò Sanctus Auguſtinus diſtinguit inter fideles Chriſtiani populi, & inter infideles reproborum Judæorum Patres: Non hos, ſed ſolos iſtos affirmat fuiſſe ſpiritali eſca & potu donatos. Eadem ſpiritali eſca, eodemque ſpiritali potu, quibus in novo teſtamento donamur ac reficimur & nos. Quòd nempè non iſtorum, ſed ſoli noſtri Patres in manna ac in petra intellexerint promitti Chriſtum Dominum, in ipſum credendo ac ſperando manducaverint illa & biberint, atque ita ſpectaverint ad gratiam & juſtitiam novi Teſtamenti. Ita eundem nobiſcum ſpiritalem cibum & potum ſumpſerunt: Utique eundem non corporis, ſed animæ cibum ac potum, Chriſtum Dominum, per iſta elementa ſignificatum atque promiſſum. Eandem nobiſcum ſitierunt, eſurierunt, & manducaverunt juſtitiam, de qua Apoſtolus. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*. Per hæc omnia Auguſtinus aliud non vult, quàm quòd Judaica olim Sacramenta celebrarent multi, pauci intelligerent: Quòd hi pauci eadem nobiſcum fide viverent, & per ipſam gratis à Deo juſtificarentur. Quæ omnia palàm recedunt ab Apoſtoli littera, & nihil faciunt adversùs Euchariſtiæ veritatem. Abſit ut Auguſtinus antiqua Sacramenta novis æquipararit. Omnia lucidè exponere non erat ejus ſcopo neceſſarium. Quòd tamen ipſum non tacuerit, evincunt hæc ejus verba: *Ergò nihil modò venit? Evacuatum eſt ſcandalum crucis?* Evincunt ipſum à Sancti Ambroſii ſenſu non receſſiſſe.

1. c. 9. c. 7.

Premi videmur Auguſtini verbis in Epiſtola ad Epiſcopum Bonifacium: *Secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Chriſti eſt corpus Chriſti*. Et præſertim verbis Facundi Hermianenſis Epiſcopi. *Non quòd proriè corpus ejus ſit panis, ſed quòd in ſe myſterium corporis ejus contineat*. Reſpondeo Joannis Calvini de nobis & noſtra Romana fide ſenſum exponi his ejus verbis: *Proindè hoc in Summa profectum videmus iſta ingenioſa ſubtilitate, ut panis pro Deo haberetur*. Eſt horrenda calumnia. Nec enim nos ipſum panem dicimus Deum aut Dei carnem, ſed eſſe iſtius carnis vela, involucra, ſigna, & Sacramenta, ideoque non propriè, ſed ſecundùm quemdam modum eſſe iſtud corpus: Quia nempè iſtius corporis myſterium in ſe contineat. Et hinc tam Facundi quàm Auguſtini comparatio eſt congruentiſſima. Etenim ſicut Baptiſmus & Circumciſio ſunt non cujuſcumque, ſed realiter donatæ ac repræſentatæ fidei & adoptionis Sacramenta, ideoque dicuntur eſſe & adoptio & fides; ita

Cap. 17. nu. 13.

ità quoque panis eſt præſentis Dominici corporis Sacramentum, ideoque rectè dicitur Dominicum corpus. Et Facundus & Auguſtinus rationem ſigni non Dominico corpori applicant, ſed ſolis ipſum continentibus ac velantibus elementis. Quouſque Calviniſtæ veritatem & figuram cenſebunt in hoc Sacramento eſſe incompatibilia, non poterunt non hallucinari. Sancti Fulgentii locus non facit ad rem. Nec enim de Sacramento agit, ſed de ſacrificio: Altaris incruentum comparat cum cruento crucis. Et iſtud affirmat eſſe hujus non veritatem, ſed memoriam ac imaginem. Quæ eſt perpetua fides totius Eccleſiæ.

Adducto ex libris de Chriſtiana doctrina loco opponendus venit locus, ex libris contra Prophetarum & legis adverſarium: *Mediatorem Dei* Lib. 2. cap. 9. *& hominum hominem Chriſtum* JESUM, *carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde & ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quàm perimere, humanum ſanguinem potare quàm fundere*. Addit eſſe figuratam, ideoque benè intelligendam locutionem, & de eadem pergit in libro de Fide contra Manichæos: *Manichæi poſſunt etiam horrere malè intelligentes,* Cap. 37. *quod Dominus ait, Si quis non manducaverit carnem meam, non habebit in ſe vitam*. Hæc verba, *Fideli corde & ore ſuſcipiamus*, lucidè profitentur Euchariſtiæ veritatem. Et tamen eodem in capite Auguſtinus, quem abſit ſui ipſius fuiſſe oblitum, affirmat iſtam Domini locutionem fuiſſe figuratam. Nempè Manichæus, aut quis alius duplicis Divinitatis fabulator fuit iſte legis ac Prophetarum adverſarius, atque ita fidei noſtræ Patrem Abraham, quòd duas ſimul uxores habuerit, damnat de adulterio. Polygamiam aſſeverat repugnare Evangelio & naturæ, eſſe horroris plenam barbariem, manifeſtum flagitium, bono Deo non poſſe placere, ideoque ejus ſectatores non fuiſſe Patriarchas aut Prophetas, ſed damnatos luxuriæ Profeſſores. Et profectò illa, utpotè quam primus attentavit deteſtabilis Lamech, habet aliquid pravi odoris. Hunc diſſipaturus Sanctus Auguſtinus, notat diſcernenda antiquæ & novæ legis tempora. Aliud ſimplicem & nudam, aliud eſſe prænunciis divinarum promiſſionum Sacramentis veſtitam polygamiam. Hanc, nobis vetitam, demonſtrat antiquis licuiſſe Patribus, fuiſſe futurarum rerum imaginem & figuram, divinæ Majeſtatis ad ſæculorum fines figuratam locutionem. Nec enim de ſola petra, nube, ac rubro mari, ſed etiam de plurimis antiquorum hominum actibus verum eſt iſtud Apoſtoli: *Omnia in figura contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*. Hoc verum eſſe etiam de antiquorum polygamia, variis in locis Sanctus Auguſtinus, & in Epiſtola ad Galatas demonſtrat ipſe Apoſtolus. Non in ſolo Lamech, ſed & in aliis ipſam damnant ſacræ litteræ: In quibuſdam tolerant, in quibuſdam probant & laudant. Quia nempè alii in ipſam labebantur, alii à fornicandi periculo adſcendebant, alii jubente Deo in ipſam de caſtitatis monte deſcendebant. Quod alii nudam in ipſa libidinem ſectarentur, alii myſticam in ipſa figuram caſtæ mentis fide exhiberent. Quod enim Abraham, non minùs quàm Sanctus Joannes Baptiſta, in caſtitatis virtute fuerit maximus ac fortiſſimus, ideoque in nuptias ob temporis rationem juſſus deſcenderit, demonſtrant varii Patres, præſertim in libris adversùs Fauſtum Manichæum Sanctus Auguſtinus. Hinc ejus polygamiam affirmat non nudam, ſed eſſe inſpiciendam cum ſua myſtica atque figurali veſte; Tunc ab omni horrore & flagitii malo odore liberam ſplendere & puram. Hoc apud Antiqui Teſtamenti oſores, & ipſius nihil audire ſuſtinentes duplicis Divinitatis fabulones ſuadet, per deſumptum ex Novo Teſtamento exemplum: Per ſacro-ſanctam Euchariſtiam. Euchariſtiæ veritatem affirmat & à Catholicis & à Gnoſticis non horreri, ſed fideli corde & ore ſuſcipi ab ambobus, & tamen circa ipſam, quaſi barbaricam & facinoroſam, à neutris errari, ſed ejus manducationem credi figuratam ac velatam, ideoque piam & Chriſtianam. Domini de ſua manducanda carne & bibendo ſanguine Præceptum affirmat eſſe adeò lucidum, ut videatur facinus præcipere, ideoque non carnaliter & litteraliter ex Capharnaitarum errore, ſed ſpiritaliter & figuratè accipiendum: *Iſta carne & ſanguine non in propria forma, ſed in velantis Sacramenti figura eſſe veſcendum*. Ita nihil eſſe horroris. Simili cum veſte ſuadet conſiderandam Abrahæ polygamiam, ſpondetque tunc apparituram venerabilem, puram ab omni malo odore. Proindè adducta Auguſtini loca palàm firmant Euchariſtiæ veritatem.

Inſigniter hæc ſtabilit in litteris ad Domnaldum Armachanum Epiſcopum, Hyberniæ Metropolitam, Sanctus Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Adducit Auguſtini locum ex tertio libro de doctrina Chriſtiana: *Facinus vel flagitium jubere videtur. Figura verò eſt præcipiens paſſioni Dominicæ communicandum eſſe, & ſuaviter atque utiliter in memoriam recondendum, quòd pro nobis caro ejus vulnerata & crucifixa ſit*. Et commentatur: *Figuram Auguſtinus vocat figuratam locutionem. Neque enim negat veritatem carnis &* Ep. 33. *ſanguinis Chriſti, quod pleriſque ſchiſmaticis viſum eſt, & adhuc non ceſſat videri*. Utique Berengarianis. Reverà eſt figura præcipiens communicandum Dominicæ Paſſioni. Eſt enim Sacramentum, de quo dixit Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem*. Eſt non ſolo dente & ore, ſed inſuper corde ac fide ſumendum Sacramentum, de quo Lanfrancus pergit: *Neceſſe eſt Domini ſententiam ſic intelligi, quatenus fidelis quiſque Divini myſterii per intelligentiam capax, carnem Chriſti & ſanguinem non ſolùm ore corporis, ſed etiam amore & ſuavitate cordis comedat & bibat, videlicet amando, & in conſcientia pura dulce habendo, quod pro ſalute noſtra Chriſtus carnem aſſumpſit, pependit, reſurrexit, adſcendit, & imitando veſtigia ejus, & communicando paſſionibus ipſius, in quantum humana infirmitas patitur, & Divina ei gratia largiri dignatur. Hoc eſt enim verè & ſalubriter carnem Chriſti comedere, & ſanguinem ejus bibere*. Ea omnia complectitur

ſtitur Divinum mandatum: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quiſquis ſine tali Dominicæ Paſſionis memoria, & ſine tali ad iſtam memoriam voto communicat, certum eſt non dignè communicare. Affirmat Auguſtinus non ſolemni humanæ refectionis more, ſed cum tali memoria eſſe manducandum Domini corpus, ideoque rectè ſcribit iſtud Domini mandatum non eſſe litterale, ſed figuratum. Chriſti corpus & ſanguis, ne patretur facinus à nobis, ſeu à Domino jubeatur, non in propria forma, ſed Sacramentalibus figuris veſtita ac velata ſunt à nobis ſumenda. Et dum ſumimus, Dominica Paſſio eſt piè recolenda. Hic eſt totus Auguſtiniani loci ſenſus.

Nec ſola panis ac vini elementa, ſed ipſum etiam ſub illis contentum Domini corpus eſt ejuſdem corporis imago & Sacramentum. Gratianus in libro de conſecratione probat id ex hac Sancti Auguſtini apud Sanctum Proſperum ſententia: *Caro Chriſti eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & ſanguis ejus quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus, caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis. Carne & ſanguine, utroque inviſibili, intelligibili, ſpirituali ſignificatur viſibile Domini corpus, palpabile, plenum gratiæ, omnium virtutum & divina Majeſtate.* Et Gratiani authoritate circumſcriptus Dominus Petrus de Marca in opuſculo de Euchariſtia exiſtimat ſententiam hanc eſſe reverà Sanctorum Proſperi & Auguſtini. Quod ipſum, neſcio undè circumventus, in decima quarti libri diſtinctione exiſtimavit Petrus Lombardus. Poſſit eſſe deceptus à Decreto Sancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi, quod poſt adductam trecenteſimam
P. 2. c. 9. trigeſimam nonam Sancti Proſperi ſententiam, ſubjungit neſcio quam teſtimoniorum farraginem, in qua ſunt & iſta verba. Eadem Sancto
Cap. 14. Auguſtino adſcribit, & ex ipſis ſuum errorem ſtabilire impudenter nititur Henricus Artopæus. Verùm nec in Sancto Proſpero, nec in Sancto Auguſtino reperiuntur. Eadem habes in Sancti Lanfranci libro contra Berengarium. Per ipſa ille exponit ſibi à Berengario, & nobis à Joanne Calvino objectum Sancti Auguſtini locum ex litteris ad Epiſcopum Bonifacium. An Lanfrancus ſit ipſorum primus author, an dumtaxat ab alio mutuator, non poſſim definire: Ipſa San-
Cap. 82. cto Lanfranco adſcribit in libro de Euchariſtiæ veritate Joannes Heſſelius. At videntur ipſo antiquiora. Etenim Sanctus Ivo fuit Lanfranco coætaneus, & vel hujus vel alterius ſui coætanei nullum teſtimonium legitur ſuo Decreto inſeruiſſe. Eorundem verborum quædam adducit in primo adversùs Berengarium libro Algerus ex Leodienſi Canonico Cluniacenſis Monachus, Sancto Lanfranco non multùm junior: & affirmat eſſe Sancti Auguſtini apud ſententias Beati Proſperi. Quocircà omninò videtur illa ſententia eſſe neſcio cujus antiqui Scriptoris, à Sancto Lanfranco mutuata. Ex ipſa item venerabilis Abbas Guibertus diſtinxit principale & vicarium Domini corpus, & hoc iſtius dixit eſſe Sacramentum, imaginem & figuram. Eandem adversùs Joannem Œcolampadium, qui urſit idem non poſſe ſui ipſius eſſe ſignum, conſtanter defendunt laudatus Heſſelius, Jacobus Pamelius in Notis ad Tertullianum, & in Notis ad undecimam Sancti Gregorii Nazianzeni orationem Jacobus Bellius. Ita non ſolæ ſacramentales ſpecies contenti in ſe inviſibilis corporis, ſed etiam hoc inviſibile corpus eſt viſibilis & principali corporis figura & Sacramentum. Et quòd idem poſſit ſui ipſius eſſe imago, ſuprà demonſtravit laudatus Guibertus, & in quinto adversùs Marcionem, ſimili argumento uſum, libro demonſtrat Cap. 29.
etiam Tertullianus.

Euchariſtia non ſolùm verum, ſed etiam myſticum Chriſti Domini corpus ſignificat: Univerſalem ſcilicet Eccleſiam, aut certè univerſam communionem Sanctorum. Sponſum cum tota ſponſa, caput cum toto corpore. Principem cum omni ſuo circumſubſtantiali populo. Inſigniter hoc exponit in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus: *Profectò efficitur, ut tota ipſa redempta* Lib. 10.
civitas, hoc eſt, congregatio ſocietaſque Sanctorum, cap. 6.
univerſale ſacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in Paſſione pro nobis, ut tanti capitis corpus eſſemus ſecundùm formam ſervi. Pluribus elucidat hoc univerſale ſacrificium, & concludit: *Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum. Multi unum corpus ſumus in Chriſto. Quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi eidem demonſtratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur.* Et in alio ejuſdem operis libro diſtinguit terrenam & cœleſtem in hoc mundo civitatem, & pergit:
Illa quæ terrena eſt, fecit ſibi quos voluit falſos Lib. 18.
Deos, quibus ſacrificando ſerviret; illa autem quæ cap. 54.
cœleſtis peregrinatur in terra, falſos Deos non facit, ſed à vero Deo ipſa fit, cujus ſacrificium ipſa ſit. In libris de Evangeliſtarum conſenſu exponit Sancti Lucæ de duobus apud Emmauntem diſcipulis Evangelica verba, *Cognoverunt eum in fractione panis*, & adjungit: *Ne quiſquam ſe*
Chriſtum agnoviſſe arbitretur, ſi ejus corporis par- Lib. 3.
ticeps non eſt, id eſt, Eccleſiæ, cujus unitatem in cap. 25.
Sacramento panis commendat Apoſtolus, dicens, Unus panis, unum corpus multi ſumus. Et in ſermone ad infantes, quem libro de Æthiopis Baptiſmate ſubnexuit Sanctus Fulgentius, Euchariſtiæ veritatem egregiè prædicat, verum Domini corpus præfitetur eſſe in cœlo ad Dei Patris dexteram, & ad Neophytos, ex hoc capite ceſpitantes de reali intra Euchariſtiam præſentia, proſequitur: *Quomodo eſt panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis ejus? Iſta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Corpus ergò Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra. Si ergò vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, myſterium Domini accipitis. Ad id quod eſtis, reſpondetis Amen, & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergò corpus Chriſti, & reſpondes, Amen. Eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen. Quare ergò in pane? Nihil hìc de noſtro adferamus.*

mus. Ipſum Apoſtolum item audiamus. Cùm ergò de iſto Sacramento loqueretur, ait: Unus panis, unum corpus multi ſumus. Intelligite, & gaudete. Unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi ſumus. Recolite enim, quia unus panis non fit de uno grano, ſed de multis. Quando exorcizabamini, quaſi molebamini: Quando baptizati eſtis, quaſi conſperſi eſtis, quando Spiritus Sancti ignem accepiſtis, quaſi cocti eſtis. Eſtote quod videtis: Et accipite quod eſtis. Hoc Apoſtolus de pane dixit: Jam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum ſatis oſtendit. Sicut enim ut ſit ſpecies viſibilis panis, multa grana in unum conſperguntur, tamquam illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura ſancta: Erat illis anima una, & cor unum in Deum. Sic & de vino fratres recolite, undè ſit vinum. Grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in unitate confunditur. Ità Dominus JESUS *Chriſtus nos ſignificavit, nos ad ſe pertinere voluit. Myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit.* Eadem docet in vigeſimo ſexto ſuper Sancti Joannis Evangelium tractatu, & adjungit: *Propterea ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter* JESUS *Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in illis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Nam aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.*

Inter iſtos Dei homines eſt glorioſus Martyr Cyprianus. In Epiſtola ad Cæcilium adfirmat Dominici calicis ex vino & aqua mixturam eſſe Chriſti Domini factum & Præceptum, addit per aquas in ſacris litteris ſignificari populum, & proſequitur: *Quod perſpicimus & in Sacramento calicis contineri.* (Ep. 63.) *Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Undè Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit perſeverantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto, quo minùs hæreat ſemper & maneat individua dilectio. Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum ſolum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc Sacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur. Sic verò calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum. Quo & ipſo Sacramento populus noſter oſtenditur adunatus: Ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita, & commixta panem unum faciunt, ſic in Chriſto, qui panis eſt cœleſtis, unum ſciamus eſſe corpus, cui conjunctus ſit noſter numerus & adunatus.* Et in Epiſtola ad Magnum: *Unanimitatem Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili charitate connexam, etiam ipſa Dominica ſacrificia declarant.* (Ep. 76.) *Nam quando Dominus corpus ſuum panem vocat, de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum, quem portabat, indicat adunatum. Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expreſſum, atque in unum coactum, gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Novatianus huic pani Dominico adunatus eſt, ſi Chriſti poculo & ipſe commixtus eſt, poterit videri & unici Eccleſiaſtici Baptiſmi habere gratiam poſſe, ſi eum conſtiterit Eccleſiæ unitatem tenere.* Similia aliorum Patrum teſtimonia ſunt denſiſſima.

Affirmant in Euchariſtia contineri, per ipſam ſignificari, in ipſa Deo Patri offerri & ſacrificari, non ſolùm Chriſti Domini corpus verum, ſed etiam myſticum: Totam Eccleſiam, ſeu certè totam communionem Sanctorum. Affirmant Novatianum, alios cunctos hæreticos & ſchiſmaticos, immò & malos Catholicos non contineri illic, nec Deo offerri in quotidianum ſacrificium, ideoque orbari multo fructu Dominicæ Paſſionis. Offertur & continetur iſtic ſolus Chriſto circumſubſtantialis populus: Populus acceptabilis, ſectator bonorum operum. Etenim uti in antiquo, ita & in novo teſtamento oblata Deo hoſtia debet eſſe ſancta, integra, incontaminata. Et hinc inſigniter lucet eminentia noſtri novi ſacrificii. In ipſo non quis taurus aut agnus, ſed ipſe offertur JESUS Chriſtus: Et non ſolus, ſed cum omni ſuo triumphante, militante, ac purgante corpore. Hæc eſt hoſtia, quam quotidiè ex omni altari proſternimus pro peccatis noſtris ac aliis neceſſitatibus, & mediatricem mittimus ad Deum Patrem omnipotentem. Verùm aliter ibi continetur & offertur caput, aliter corpus: Hoc in ſolo Sacramento & figura, illud etiam in plena realis præſentiæ veritate. Porrò iſtud Sacramentum & pani, & vino, & aquæ, ac etiam vero ſub illis contento corpori adſcribunt & Auguſtinus & Cyprianus. Et hic illud ſingulariter adſcribit aquæ. Quod non ſolùm in mixta vino, ſed etiam in farinæ mixta aqua obtinere affirmat in Epiſtola ad Fratres Lugdunenſes Beatus Alcuinus Flaccus. (Ep. 69.) Iſtud tamen nullibi aſſeritur à Sancto Cypriano. Iſtam ſingularem in calicis aqua ſignificationem nullibi laudat Sanctus Auguſtinus: Quin tamen probet, non eſt dubitandum. Profitetur enim ſe ſequi antiquos Dei homines: Sanctum utique Cyprianum. Et juxta hos tres modos, quorum nullus veritati adverſatur, ſcribit Euchariſtiam eſſe figuram Dominici corporis.

CAPUT V.

Exponuntur quædam loca Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis.

SAnctum Anſelmum ſcio à Sacramentariis Hæreticis contemni & abjici. Etenim de Joanne Wicleffo ſcribit in opere de Sacramentis Thomas Waldenſis: *Wicleff Auguſtini quoque quoſdam libros pro titulis increpat, Ambroſium Doctorem apocryphum, omnes de ſecundo millenario jam hæreticos didaſculos nominat*. Rationem edicit in alio capite: *Dicis Auguſtinum tuum, & indè Sectatores tui glorianter te cognominant Joannem Auguſtini*. Et hic Joannes Auguſtini non ſolos Auguſtini titulos, ſed & alia damnat adſerta. Etenim hocce Hæreſiarchæ Pelagii de Magno Ambroſio teſtimonium: *Beatus Ambroſius Epiſcopus, in cujus præcipuè libris Romana elucet fides, qui Scriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit, cujus fidem & puriſſimum in Scripturis ſenſum ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere*. Hoc, inquam, elogium Sanctus Auguſtinus aſſiduè probat & firmat: & ecce fœdus ille Joannes Auguſtini blaterat Ambroſium eſſe Doctorem apocryphum. Quòd nempè ejus de Sacramentis libros nequiret in ſuos errores detorquere. Qua moleſtia ut ſe expediret Oecolampadius, illos proſcripſit ad neſcio quem Ambroſiaſtrum. Mille annorum, quibus Chriſtum Dominum regnaturum, & tunc ad ſeducendas iterùm gentes ſolvendum diabolum ſcribit in Apocalypſi Sanctus Joannes Apoſtolus, pravus intellectus olim peperit hæreticos millenarios, & ridiculas atque carnales ipſorum fabulas. Circumſcripſit & Joannem Wicleffum. Hic enim iſtos annos numerandos cenſet à Chriſti Domini Nativitate, illis ſolis manſiſſe purum Evangelium, cum illis lapſis eſſe & lapſam Eccleſiam, ideoque omnes ſecundi millenarii Romanos Doctores eſſe hæreticos didaſculos. Joannes Calvinus iſtum lapſum cenſet antiquiorem. Etenim in quarto Inſtitutionum libro ſcribit de magno Papa Gregorio: *Gregorius, quem ultimum Romæ Epiſcopum fuiſſe jure dicere poſſis*. Utique orthodoxum & Evangelicæ veritatis cuſtodem Pontificem. Nihilominùs Sanctus Anſelmus eſt nobis per omnia venerabilis, ideoque audiamus ejus librum de Sacramento Altaris, & quædam ejus obſcuriora loca exponamus.

C. 17. & 18. — Cap. 16. — Cap. 17. num. 49.

Cap. 9. Audiamus hæc verba: *Dupliciter intelligitur caro Chriſti. Ut ſpiritalis illa ſit ac Divina, de qua ipſe dicit: Caro mea verè eſt cibus. Et caro illa, quæ crucifixa eſt & ſepulta. De carne enim illa priori, quæ crucifixa eſt, hæc altera procedit, & ſecundùm Pſalmiſtam, Educit Deus panem de terra, cum è terreni corporis agro, quem à nobis aſſumpſit, myſterium profert cœleſtis panis ac poculi ſalutaris, quo reficitur Eccleſia. Et ſicut Corpus Domini, quod mortuum eſt, in Evangelio granum frumenti vocat cadens in terram, ſic in Pſalmo adeps frumenti vocatur illa myſtica caro, ad quam Dominus diſcipulos hortatus dicebat: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*. Laudare & firmare quibuſdam videtur duplicis Dominici Corporis diſtinctionem, quam ſuprà tradidit Sanctus Hieronymus, & ex qua Sanctus Auguſtinus quandoque dixit ipſum de Virgine natum ac in Cruce paſſum corpus eſſe & manducari, quandoque dixit ipſum non eſſe nec manducari in Euchariſtia. Laudare & firmare videtur adversùs Berengarium. Etenim iſta ſunt Auguſtini loca, quæ olim hunc Erronem, & poſteà circumſcripſerunt Joannem Wicleffum ac Joannem Calvinum. Dum dicit carnem ſpiritalem procedere ex carne crucifixa, videtur loqui ad ſenſum Guiberti Abbatis, qui illam vicariam, hanc carnem dixit eſſe principalem.

Reſpondeo tamen Anſelmi ſenſum eſſe longè alium. Lucet ex verbis conſequentibus: *In Sacramentis Corpus Domini facit ſanctæ Eccleſiæ fides, cujus generaliter eſt ſacrificium, cujuſcumque ſit meriti, per quem fit. Spiritalem verò illam carnem per gratiam Dei vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus miniſtrantium & percipientium. Undè illud: Ut nobis fiat corpus & ſanguis Filii tui. Nobis, inquit, fiat. Fit enim procul dubio corpus Domini in menſa Altaris ſemper cum ſolemne illud celebratur myſterium, ritu quo debet, ſed non ſemper eis fit, per quos fit*. Ad verum Domini corpus ſeu ad crucifixam & ſepultam Domini carnem conficiendam, ac Sacramentalia elementa in ipſam tranſmutanda, affirmat non requiri miniſtrantis juſtitiam, ſed ſolam Eccleſiæ fidem, ſolum, quod etiam malo miniſtro adeſt, adjutorium à communione Sanctorum. Addit hanc carnem ſemper fieri in legitimo ſacrificio: Etiam per miniſterium iniqui Sacerdotis. At verò ſpiritalem carnem affirmat nec confici, nec ſumi poſſe ſine miniſtrantis ac ſumentis juſtitia, ideoque alteram carnem ſumi poſſe ſine altera: Spiritalem ſine corporali. Quare clarum eſt, quòd per ſpiritalem carnem non intelligat Sacramentalem. Abſit ut cum Berengario ac aliis Sacramentariis hæreticis affirmet ab iniquis non ſumi veram Domini carnem, verumque Sacramentum. Crucifixam & ſepultam Domini carnem lucide aſſerit eſſe Sacramentalem, ac etiam ab iniquis manducari in Sacramento. Lucida ſunt verba: *Carnis illius vel corporis ſpiritualis Sacramentum eſt caro vel corpus Chriſti, quod in Ara Crucis & in Altari ſacrificatur, & corporaliter manducatur*. Et iterùm: *Aliter cogitanda eſt caro* Cap. 11.
illa, vel corpus quod pependit in ligno, & ſacrificatur in Altari, aliter caro ejus vel corpus, quod qui manducaverit, habet in ſe vitam manentem.

Clarum eſt Anſelmum hìc non uti laudata ſuperiùs diſtinctione Sancti Hieronymi. Per ſpiritalem Chriſti carnem intelligit datam nobis in Sacramento divinam gratiam. Probat ex Romani Canonis verbis: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur*. Et commentatur: *Non omnes,*

qui

qui corporaliter corpus Domini ſumunt ex participatione Altaris, ſpiritualiter illa benedictione cœleſti & gratia replentur. Et iterùm: *Cum hac ratione dupliciter hæc caro intelligatur, ſicut altera intelligi poteſt ſine altera, ſic & altera manducatur ſine altera*. Multis confirmat hæc, & concludit: *De uno pane Judas accepit, & Petrus; ſed tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. Itaque ſecundùm diverſum intellectum & diverſum effectum, cùm unus ſit panis Chriſti, alter tamen quodammodò quem ſumpſit Petrus, alter quem ſumpſit Judas. Alterque ſumi poteſt ſine altero*. Spiritalem Chriſti carnem aſſiduè vult eſſe ejus ſpiritalem effectum. Ubi certum eſt ipſum recta ſentire, ſed non rectè loqui. Etenim datam nobis ab hoc Sacramento gratiam nullus Evangeliſta, nullus Apoſtolus, nulla Synodus, nullus Romanus Epiſcopus, nullus Eccleſiæ Doctor appellavit Chriſti carnem. Hæc Domini verba, *Caro mea verè eſt cibus*, nulli unquam de effectu intellexerunt, ſed omnes de cauſa.

Quæſtio eſt, Undè Sanctus Anſelmus in hanc incongruam locutionem ſit lapſus? Reſpondeo ex affectu & zelo, quo Sancti Lanfranci, ſui & in Beccenſi Abbatia & in Cantuarienſi Cathedra Anteceſſoris, adversùs Berengarium Scripta concordare ſtuduit cum poſteriori, per ſeptimum Gregorium compoſita, ejuſdem reducti Erronis profeſſione. A Sancto Hieronymo laudatam duplicis Dominicæ carnis diſtinctionem norat Anſelmus: Norat eandem probari à Sancto Auguſtino, & ex ipſa nunc affirmari, nunc negari, quòd ipſa pro nobis crucifixa caro eſſet ac manducaretur in Sacramento. Norat hæc omnia per ſententiam illam, quam Sancto Proſpero adſcripſit Gratianus, fuiſſe à Sancto Lanfranco confirmata. Hinc & probatam à tantis Patribus diſtinctionem retinere voluit; & in Gregorii Decretum non impingere, atque ita fuit compulſus diſtinctionis membra aliter intelligere. Per ſpiritalem Chriſti carnem non ipſam ejus ſub ſpirituali exiſtentia ſubſtantiam, ſed intellexit ſpiritualem ab ipſa datam gratiam & benedictionem. Iſtam Dominicæ carnis ſpiritualem in Sacramento exiſtentiam nullo modo negavit. Etenim in quarto, quinto, & ſexto iſtius libelli capite ipſam inſigniter profitetur & exponit. Solùmmodò cenſet eam iſtius diſtinctionis non eſſe membrum.

Eiſdem principiis nituntur ſequentia verba: Cap. 11. *Sciendum eſt, quòd carnis illius vel corporis ſpiritualis, de quo jam multa diximus, Sacramentum eſt caro vel corpus Chriſti, quod in Ara Crucis & in Altari ſacrificatur, & corporaliter manducatur. Nemo autem novitatis me arguat præſumptorem, quòd corpus Chriſti appellem Sacramentum corporis Chriſti. Nam & Paulus ad Timotheum dicit: Magnum eſſe pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne. Sed & beatus Ambroſius in libro ad Gratianum dicit apparuiſſe hominibus Unigenitum Patris per Sacramentum aſſumpti hominis. Et cæteri Eccleſiæ Doctores dicunt Sacramento tenus eos corpus Chriſti manducare, qui manducant indignè. Quos tamen manducare corpus Chriſti, jam ſuprà præſtructum eſt, licet non manducent carnem illam, quæ vivificat per Spiritum vivificantem*. Loquitur ex laudata diſtinctione Sancti Hieronymi: ex laudata per Gratianum ſententia. Hæc enim aſſerit ſpirituale & Sacramentale Domini corpus eſſe Sacramentum veri, olim crucifixi, & nunc ad Patris dexteram glorioſi corporis. Et Sanctus Lanfrancus demonſtrat iſtam loquendi ſpeciem nec eſſe novam, nec inconvenientem. Hæc omnia ſibi retinenda cenſuit Anſelmus, at eiſdem verbis alia ſignificata ſuppoſuit. Per ſpiritale Domini corpus non ipſam ejus ſubſtantiam intellexit, ſed ejus Sacramentales effectus. Et hinc lapſus eſt in aliam loquendi incongruentiam. Etenim quòd Dominicum in Sacramento corpus dicatur datæ à ſe divinæ benedictionis & gratiæ Sacramentum, nulla eſt novitatis ſpecies; at quòd idem corpus ob varium exiſtendi modum dicatur ſui ipſius Sacramentum, præ ſe fert aliquid incongruæ novitatis. Hinc iſtam apologiam rectè Sanctus Lanfrancus, Sanctus Anſelmus non rectè uſitavit. Ipſa uti debuerat ad membra ſuæ diſtinctionis.

Inſignem inſtructionem continent hæc ejus verba: *Jam poſtquam ex confragoſis locis huc uſque evaſimus, conſiderare libet attentiùs, cur ſuper hac re in ſanctorum Patrum tractatibus reperiantur ſententiæ tam dubiæ, tam ſcrupuloſæ, & quæ etiam ſibi invicem nonnunquam contrariæ videntur, ut non ſolùm qui contendendi intentione illas congregant, materiam in eis inveniant errandi, ſed & qui ex eis adſtruere volunt fidem Catholicam, non facilè ſe indè queant expedire*. Cap. 13. Hæc Patrum obſcuritas eſt item cauſa, cur quidam hodiè molliores Calviniſtæ & Romanam fidem & ſuam perfidiam cenſent eſſe probabilem. Hinc etiam Berengarius, aliique Sacramentarii Hæretici proclamant aſſiduè ad Sanctum Auguſtinum, uti ad firmiſſimam columnam ſui dogmatis. Eandem in ſpecie diſcrepantiam reperies in aliis Patribus. Et Sanctus Anſelmus meritò quærit cauſam. Et reſpondet: *Quia ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtra penè tempora hæc ab hominibus quæſtio intacta relicta eſt. Sancti Patres quod non impugnabatur non defendebant, niſi quod aliquando in tractatibus ſuis hoc unum proferebant, quod res poſtulabat, & habebatur in manibus. Quod quia quæſtionibus non reſpondebat, quæ necdum erant, parum modò ſufficere videtur ad eas, cum exurgunt, compeſcendas. Contra quas quia tunc non vigilabat eorum intentio, plurima de Sacramentis in ſcripturis ſuis reliquerunt, quæ loco ſuo, ſuo ſenſu benè dicta, ab eis qui contendere vel errare amant, eruta de locis ſuis per ſe videntur aliud ſonare, quàm ſonent undè aſſumpta ſunt, & quam ſenſerint qui ſcripſerunt. Sed & multa de eadem re ab eis relicta ſunt, quæ benè dicta, ſed obſcurius, utpotè ab eis, qui ut homines, venturas omnes Erronum calumnias non poterant prævidere, malè intellecta materiam errandi vel contendendi perditis videntur præſtare*.

Eſt ex Sancto Auguſtino deſumpta reſponſio. Etenim & hinc Pelagianorum Principi Juliano, quædam adversùs originale peccatum teſtimo-

nia venanti ex Sancto Joanne Chryſoſtomo & aliis Eccleſiæ Patribus, repoſuit in primo prioris
Cap. 6. contra illum operis libro: *Joannes diſputans in Catholica Eccleſia, non aliter intelligi arbitrabatur. Tali quæſtione nullus pulſabatur. Vobis nondum litigantibus, ſecuriùs loquebatur.* Et ejuſmodi ſecuris ac liberioribus Patrum vocibus abuti eſt antiqua venatio omnium hæreticorum. Etenim quidam antiqui Patres dixerunt *Deum Filium arbitrio & voluntate genitum à Patre*. Et quòd haſce voces ubique buccinarent, & ex ipſis triumphum canerent Ariani, teſtatur in quarta adversùm ipſos oratione magnus Athanaſius. Et adjungit: *Hoc ſi quis ex orthodoxis ſimpliciter diceret, nihil eſſet quòd malè ſuſpicareris de hoc dicto. Quippè ubi bona mens ſuperaret ſimpliciorem loquendi modum. Nunc quia hæreticorum ea vox, omniaque hæreticorum verba ſuſpecta ſint, non id faciunt ſine perverſitate animi.* De Antiochiæ Patriarcha in hæreſim lapſo Paulo Samoſatenſi ſcribit in libro de Ariminenſi ac Seleucienſi Synodis idem Athanaſius: *Paulus ſophiſticari voluit, & dixit, Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, igitur conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſariò ſequitur tres eſſe ſubſtantias, unam quidem quæ Pater ſit, ut Princeps, reliquas verò duas ex ea oriundas.* Et de facta adversùs ipſum Antiochena Synodo: *Qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc vocem,* Conſubſtantiale, *corporaliter acceperunt, ideoque meritò vitantes illud ſophiſma Pauli, dixerunt Chriſtum non eſſe conſubſtantialem. Non enim ita ſe habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Superventuros Arianos ignoravit iſta Synodus, ideoque ſimpliciùs locuta eſt & liberiùs: Et ipſam etiam Sanctus Papa Dionyſius, & omnis Romana Eccleſia confirmavit. Hinc nata fuit Arianorum exultatio. Dixerunt Nicænam Synodum adverſari Antiochenæ, ideoque prævaricatricem eſſe, & damnandam. Et Athanaſius denuò reſpondit tam Antiochiæ quàm Nicænæ Synodi Epiſcopos fuiſſe Eccleſiæ Patres, non diſcordaſſe ſenſu, ſed ſolo verbo, ideoque ipſos ab Arianis malè committi inter ſeſe, & nullum in ipſis eſſe Arianæ perfidiæ fomitem aut fundamentum. Duodecim Sancti Cyrilli adversùs Neſtorium Capitula quis neſciat eſſe plenè orthodoxa, probataque per Epheſinam Synodum & Chalcedonenſem? Et tamen non ſolus Hæreſiarcha Eutyches in ipſis ſuum virus fundari credidit, ſed etiam de ipſis poſt utramque Synodum ſcripſit Sanctus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Væ mihi à malis. Heu, heu. Undè enim quiſquam in præſenti aliundè ſumat exordium? Quales Cyrilli Ægyptii, & quantas blaſphemias incurri? Quantas blaſphemias audivi?* Cunctas Apollinarii & Eutychetis blaſphemias credidit latere in iſtis Capitulis, & ſtabiliri. Nempè Sanctus Cyrillus, dum illa ſcriberet, exiſtimabat Apollinarii hæreſim abundè proſtratam in Eccleſia, & citra reſurgendi ſpem jacere ſepultam apud inferos, ideoque in adverſam Neſtorii inſaniam
Lib. 2. cap. 4. eſt rigidiùs ac liberiùs locutus. Adducta Sancti Gennadii verba exſtant apud Facundum Epiſcopum Hermianenſem.

Sanctis Eccleſiæ Patribus alia inſuper ratio perſuaſit de ſacroſancto hoc Sacramento loqui obſcuriùs. Apoſtolicus utique Canon, de quo in commentario ſuper Numerorum librum Theodoretus: *Obſcurè propter non Initiatos diſſerimus;* Qu. 15.
his verò ſemotis, Initiatos apertè docemus. Canon iſte eſt adeò antiquus, ut in Geneſeos commentario Sanctus Joannes Chryſoſtomus ponat inter matris noſtræ Evæ delicta, quòd divini mandati myſterium ſerpenti enunciarit. Etiam Dominus noſter regni myſteria ſolis diſcipulis aperiebat, turbis loquebatur in parabolis. Et quod Euchariſtici myſterii enunciationem ſancti Patres numerent inter ſcelera Judæ proditoris, eſt ſuo loco oſtenſum. Hinc & Græci & Latini Patres in ſuis libris, epiſtolis, ac præſertim habitis ad populum ſermonibus frequentiſſimè habent: *Norunt fideles,* aut, *Norunt Initiati.* Nempè iſtis ſermonibus etiam hæretici, pagani, & Judæi aderant, ideoque quoties alicujus myſterii incidebat mentio, ipſum alicujus circumlocutionis veſte amiciebant Patres, dicebantque: *Norunt fideles.* Quòd præſertim fecerunt de ſacroſancta Euchariſtia. Etenim in libro anchorato ſcribit Sanctus Epiphanius: *Videmus Salvatorem ipſum accepiſſe panem in manus, ut in Evangelio legitur. Quòd à* Cap. 57.
cœna ſurgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit: Hoc meum eſt hoc. Atqui videmus æquale illud non eſſe, nec ſimile: Non ſuſceptæ carnis imagini, non Divinitati ipſi, quæ videri non poteſt, non membrorum lineamentis ac notis. Illud enim rotundum eſt, & quod ad vim attinet, ſenſus expers. Et nihilominus ex gratia pronunciare voluit: Hoc meum eſt hoc. Neque quiſquam eſt, qui ei ſermoni fidem non adhibeat. Nam qui verum illum eſſe non credit, à gratia & ſalute prorſus excidit.

Hæc verba dimitti non poſſunt ſine Commentario. Epiphanius illic affirmat hominem, licet Deo æqualis non ſit, eſſe Dei imaginem. Nec id mirandum: Quoniam dantur imagines, quæ nec æquales ſunt, nec ſimiles. Etenim rotundus panis, quem Dominus in cœna dedit Diſcipulis, nec ejus Divinitati nec ejus humanitati erat æqualis aut ſimilis, & tamen dixit illum eſſe ſuum corpus, ſeu potius ſuum corpus eſſe in illo pane, adeoque & hunc eſſe illius figuram. Epiphanius tranſponit Evangelii verba. Non dicit: *Hoc eſt hoc meum*, ſed, *Hoc meum eſt hoc*. Voces, *Hoc*, utrobique ſupponunt pro Domini Corpore: Prima pro inviſibili, ſecunda pro viſibili. Hoc ſenſu: Hoc meum corpus, quod in iſto pane repræſento vobis inviſibile, eſt iſtud ipſum, quod geſto viſibile. Affirmat panem fuiſſe Dominici Corporis veſtimentum & figuram. Hinc pergit: *Ex gratia pronunciare voluit.* Nec enim modica etiam ipſius panis gratia eſt adſumi in tale veſtimentum. Omne Sacramentum eſt vas, adeoque & ſignum Dominici ſanguinis, & tamen de nullo, niſi de hoc ſolo dixit Dominus: *Hoc meum eſt hoc*. Quod eſt lucidum documentum Euchariſticæ veritatis. *Neque quiſquam eſt, qui ei ſermoni fidem non adhibeat*. Certè ſi ſola figura ſit, non eſt opus ſingulari fide. Sacramentarii Errones attendant ſequentia verba. *Qui verum illum eſſe non credit,*

à gratia

Lib. 4. cap. 17. *à gratia & ſalute prorſus excidit.* Quocircà fundamento carent hæc Joannis Calvini in nos verba: *Fictitia illa tranſubſtantiatio, pro qua hodie acriùs depugnant, quàm pro omnibus aliis fidei capitibus.* Pro illa enim, uti pro immobili fidei capite, depugnandi debitum nobis imponit Sanctus Epiphanius.

Iſta Epiphanii verba, *Hoc meum eſt hoc*, ſunt ænigma. Et quis niſi doctus fidelis ipſum intelligat? Nempè ſuum librum timuit à Paganis, Judæis, ac præſertim à Catechumenis legendum, ideoque cenſuit ita obvoluendum myſterium. Eadem enim de cauſa Sanctus Papa Innocentius in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum noluit exprimere precationem ſive ſacram formam Chriſtianæ Confirmationis. In libro, quo Carthaginenſis Eccleſiæ Diacono Deogratias formam catechizandi tradit Sanctus Auguſtinus, nec verbum facit de Sacramentis, præſertim de Euchariſtia. Ibidem ſcribit de doctis Catechumenis: *Tales non eadem hora, qua Chriſtiani fiunt, ſed ante ſolent omnia diligenter inquirere,*
Ca p. 8. *& motus animi ſui, cum quibus poſſunt, communicare atque diſcutere.* Addit tales longo Catechiſmo non fatigandos. Talis omninò fuit Honoratus, ad quem Auguſtinus ſcripſit longam illam ac eruditam Epiſtolam ſuper Pſalmum vigeſimum primum. Exponit illic ſumma Chriſtianitatis myſteria, & tamen addit de Euchariſtico ſacrificio: *Quod ubi, & quando, & quomodo of-*
Ep. 120. cap. 19. *feratur, cum fueris baptizatus, invenies.* Nec talibus Catechumenis poterat edici hoc myſterium. Ipſius cognoſcendi & videndi curioſitate Patres olim noſtri inflammabant Catechumenos, atque ita incitabant anhelare ad ſacrum fontem & feſtinare. Ex hoc egreſſis, & ad altare ſolemniter deductis Neophytis oſtendebant illud admirabile & diu deſideratum Arcanum. Exponendi modum tradit Sanctus Auguſtinus in laudato libro de Catechizandis rudibus, ſcribens de plenè jam inſtructo Catechumeno: *Solemniter ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus. De Sacramento ſanè, quod accepit, cum ei commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum divinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in eis honorari. Nec ſic habendam eſſe illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet. Dicendum etiam, quid ſignificet & ſermo ille, quem audivit. Quid in illo condatur, cujus illa res ſimilitudinem gerit.*

Omnia hæc verba ſunt admodum obſcura. Affirmant Neophytum docendum, quod in ſibi oſtenſo & dato Euchariſtiæ Sacramento aliud ſit ſignum viſibile, aliud in ipſo latens res inviſibilis, honoranda, Divina. Honoranda illo honore, quem quidam Pagani ſcientes, exiſtimabant à nobis coli Cererem & Bacchum: honore & adoratione latriæ. Quia nempè latens illic res Divina eſt Homo-Deus, JESUS-Chriſtus. Hæc verba, *Nec ſic habendam ſpeciem illam benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in uſu quolibet*, elucidari debent ex aliis Auguſtini verbis in ſecundo libro de peccatorum meritis ac remiſſione: *Non unius modi eſt ſanctifica-*
Cap. 26. *tio. Nam & Catechumenos ſecundùm quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari. Et quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt. Et ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ alimur, ſanctificari Apoſtolus dicit per verbum Dei & orationem, qua oramus utique noſtra corpuſcula refecturi.* Diſtinguit tres benedicti panis ſpecies. Panem in communi menſa, panem in Catechumenorum Sacramentum, & panem benedictum in Euchariſtiam. Et de hoc pane loquitur in Epiſtola ad Diaconum Deo-gratias. Etiam Catechumenorum Sacramentum haberi non poſſe ut communem panem, ſanciunt varii & Latini & Græci Canones. Quia nempè eſt figura Dominici corporis. Longè ergo minùs ita haberi poteſt Euchariſticus panis: Quia eſt non ſolum figura iſtius ſacro-ſancti corporis, ſed etiam veritas. Ejus continet veritatem. *Dicendum etiam quid ſignificet ille ſermo, quem audivit.* Quis hic ſermo? Sermo, quem à Magno Papa Gregorio, dum populo Euchariſtiam miniſtraret, fuiſſe dictum affirmat in ejus vita Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Corpus Domini noſtri* JESU *Chriſti conſervet animam tuam.* Gregorius ita agebat ex Apoſtolica per omnem Eccleſiam conſuetudine. Nam Euchariſtiam ita tradi à quovis Epiſcopo, & à quovis accipiente reſponderi *Amen*, apud Romanum Clementem mandant Apoſtolicæ Conſtitutiones. Et juxtà illas ſcribit in quin- Lib. 8.
ta myſtagogica Catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Accedens ad communionem,* cap. 13.
concava manu ſuſcipe corpus Chriſti, dicens, Amen. Et in libro de ſpectaculis Tertullianus: *Ex ore quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimo-* Cap. 25.
nium reddis? Et in quarto de Sacramentis libro Sanctus Ambroſius: *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti, & tu dicis, Amen. Hoc eſt, verum.* Cap. 5.
Quod confitetur lingua, teneat affectus. Et in hiſce Divinæ Majeſtatis ad homicidam Cain verbis, *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, latens Sacramentum exponit in libris contra Fauſtum Sanctus Auguſtinus: *Habet ma-* Lib. 12.
gnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto cap. 10.
ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum. Quod ipſum ſcribit in pluribus locis. Hic igitur eſt ſermo, quem à Neophyto recenter auditum vult eidem, antequam dimittatur, per Catechiſtam Auguſtinus exponi. Rationem dat in prima ad Corinthios Epiſtola Sanctus Paulus: *Si benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen?* Spiritu benedicere eſt per benedicentem non declarata & per audientem non intellecta voce benedicere: Quod quàm maximè cavendum eſt in ſolemni voce, qua diſtribuitur Euchariſtia. Hinc in laudato loco addit Sanctus Ambroſius: *Ergo non otioſè cum accipis, tu dicis Amen, jam in ſpiritu confitens, quod accipias corpus Chriſti.* Ne quis ergo fidelis incidat in iſtam otioſitatem, Auguſtinus laudatum ſermonem omni Neophyto, antequam dimittatur, vult per Catechiſtam pleniſſimè exponi. Etiam exponi,

quid in illo, utique pane & vino, *condatur*, *cujus illa res ſimilitudinem gerit*. Petrus Martyr in opere adversùs Stephanum Gardinerum Vintonienſem Epiſcopum pro voce, *condatur*, ſupponit vocem, *credatur*. Nempè Pſeudo-martyr vult in Euchariſticis elementis Dominicum corpus & ſanguinem dumtaxat credi, non condi. At Sancti Auguſtini lectio eſt certa: & ex conſueto hæreticis privilegio ille in ipſam ità graſſatur.

Quod Auguſtinus Diacono Deo-gratias faciendum præſcripſit, ipſe fecit in dicto ad infantes ante altare ſermone, quem ſuo de Æthiopis baptiſmate libro inſeruit Sanctus Fulgentius: *Hoc quod videtis ad altare Dei, etiam tranſacta nocte vidiſtis*. Quòd nempè in Paſchali nocte egreſſi de ſacro fonte Neophyti, ſuam curioſitatem expleturi, ſtatim ab Epiſcopo ducerentur ad Altare. *Sed quid eſſet, quid ſibi vellet, quàm magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audiſtis*. Quòd nempè de hoc tremendo & admirabili myſterio nulla in Catechiſmo facta eſſet, aut potuiſſet fieri expoſitio. *Quod ergo videtis, panis eſt & calix: Quod vobis etiam oculi veſtri renunciant. Quòd autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis Chriſti. Breviter quidem hoc dictum eſt, quod fidei fortè ſufficiat; ſed fides inſtructionem deſiderat. Dicit enim Propheta: Niſi credideritis, non intelligetis. Poteſtis ergo modò dicere mihi, Præcepiſti ut credamus; expone, ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſpiam talis cogitatio ſuboriri: Dominus noſter* JESUS *Chriſtus in cœlum adſcendit, illic levavit corpus ſuum, quomodo eſt panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis ejus?* Hoc eſt unum è palmaribus Joannis Calvini adverſus Romanam fidem argumentis. Adeò ejus arma non ſunt nova. Sunt antiqua ceſpitatio Neophytorum. Et ad ipſam Auguſtinus pergit: *Iſta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem*. Eſt enim ipſa de Virgine nata, & ad Dei Patris dexteram exaltata Domini caro, quam eſſe noſtri vivificatricem, ſeu ejus fructum eſſe noſtram ſpiritualem vivificationem, definivit Epheſina Synodus. *Corpus ergo Chriſti, ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, myſterium Domini accipitis. Ad id quod eſtis, Amen reſpondetis. Eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen*. Exponit Auguſtinus jam laudatum Euchariſtiæ fructum. Noſtra enim ſpiritualis vivificatio eſt noſtrum cum divina natura conſortium, eſt noſtri per inhabitantem Spiritum Sanctum unio in Chriſti Domini myſticum corpus, in populum ipſi circumſubſtantialem, ſectatorem bonorum operum. Hujus myſtici figuralem multis, veri autem corporis realem in Euchariſtia exiſtentiam pauciſſimis verbis Auguſtinus tradit; omnia hujus exiſtentiæ arcana noluit enucleare. Nempe ſimplicem populi fidem voluit hic eſſe contentam inſigni regula, quam in libro de Initiandis laudat ejus Magiſter Sanctus Ambroſius: *Incarnationis exemplo adſtruamus myſterii veritatem. Numquid naturæ uſus præceſſit, cum* JESUS *Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit. Et hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus* JESUS *partus ex Virgine? Vera utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: Verè igitur carnis illius Sacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus* JESUS: *Hoc eſt Corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen. Hoc eſt, verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur: Quod ſermo ſonat, affectus ſentiat. His igitur Sacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia*. Ita jam dictæ Neophytorum ceſpitationi reſpondit Ambroſius. Etiam ipſe arcana omnia noluit evolvere. Quem tractandi modum ſervarunt item alii Eccleſiæ antiqui Patres: & Latini & Græci. Cap. 9.

Et ex ſimilium tractatuum pravo intellectu nata eſt antiquorum gentilium fabuloſa in nos calumnia de Thyeſtæis epulis. Quas dum non crederet Imperator Numerianus, intrare voluit Antiochenam Baſilicam, adeſſe noſtro ſacrificio, ac videre Euchariſtiam. Cum Herode Rege ſperabat aliquod corporale miraculum videre. Ex eodem principio alii gentiles crediderunt à nobis adorari Cererem & Bacchum. Eadem cæcitas Berengarium, Petrum Bruſſium, Albigenſes, Joannem Wicleffum, ac Joannem Calvinum ad abnegandam Euchariſtiæ veritatem, meliorem Berengarianorum claſſem & Martinum Lutherum præcipitavit ad aſſerendam impanationem. Et in hoc poſterius barathrum lapſi ſunt quidam etiam Catholici. Etenim Waleramum Naumburgenſem Epiſcopum, licèt quandoque Henrico quarto Imperatori & laicis Antiſtitum inveſtituris adhæſerit contra Romanam Eccleſiam, fuiſſe tamen orthodoxum, & Paſchali ſecundo Pontifici poſteà plenè reconciliatum, lucet ex ipſius Epiſtola ad Sanctum Anſelmum. Et tamen ejus liber de Divinis officiis habet hæc verba: *Materia vel ſubſtantia ſacrificii, quod tunc erat, & nunc eſt in manibus Pontificis noſtri, non ſimpla eſt, ſicut nec Pontifex ſolius Divinæ vel humanæ ſolius eſt ſubſtantiæ. Eſt enim tam in Pontifice, quàm in ſacrificio Divina ſubſtantia; eſt & terrena. Terrena in utroque eſt illud, quod corporaliter vel localiter videri poteſt; Divina in utroque, Verbum inviſibile, quod in principio erat Deus apud Deum. Nam cùm diceret idem magnus Pontifex, panem & vinum tenens, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus; vox erat Verbi Incarnati, vox æterni principii, Verbum antiqui conſilii, Verbum quòd humanam acceperat naturam. Idem in carne manens panis & vini accipiebat ſubſtantiam; vita media panem cum ſua carne, vinum cum ſuo jungebat ſanguine*. Videtur

detur fuiſſe abuſus authoritate Sancti Ambroſii, qui Euchariſtiæ veritatem jam ſtatim nobis explanavit per exemplum Dominicæ Incarnationis. Quod ipſum faciunt & alii Patres. Et iſtud Walerami dogma adeò placuit Joanni Wicleffo, ut ipſum quandoque Ambroſium, quandoque Iſidorum, quandoque titulaverit Magnum Ambroſii diſcipulum. Etiam de, neſcio quo, Doctore Joanne Pariſienſi ſcribit in opere de Sacramentis Thomas Waldenſis: *Alius poſt Waleramum*
Cap. 65. *Pariſienſis ſurrexit, ponens etiam impanationem corporis Chriſti, ut ſibi videtur, modo diſtincto, per adſumptionem panis à Verbo, mediante corpore, parte, ſicut albedo ab Æthiope, mediante dente. Et ſeparat ſe ab opinione Walerami viis pluribus.* Fabuloſas Theologaſtri hominis ineptias non vacat exponere. Exponit laudatus Wal-
Cap. 64. denſis. Et addit: *Joannes de Pariſiis ſcribit hanc viam impanationis ad tantum placuiſſe Doctori Guidoni, noſtri ordinis FF. Carmelitarum, tunc quidem Lectori ſacri Palatii, ut ſi foret Papa, ipſam decerneret eligendam.* Ita humana ſubtilitas, dum antiquos Eccleſiæ Patres non intelligit, titubat & cadit. Interim circa veritatem lapſus eſt longè gravior. Etenim ſtudioſa & unanimis, qua Sancti Eccleſiæ Patres hæc myſteria ſemper velarunt etiam apud fidelem plebem, cura altè clamat ipſa eſſe tremenda, ineffabilia, incomprehenſibilia, plenè Divina. Altè clamat Euchariſtiæ veritatem. Nullibi dixit latere in aqua aut oleo, quod aſſiduè clamat latere in pane & vino. Noſtri Majores & veritatem prædicarunt & figuram: Erroneum aliqui in hanc ſolam, aliqui in ſolam iſtam direxerunt oculos, atque ità ſe in oppoſitos ſcopulos præcipitarunt.

Pergit ex his principiis Sanctus Anſelmus: *Ubicumque prudens Lector in libris aliquid invenerit de carne vel corpore Dei* IESU, *recurrat ad illam triplicem definitionem carnis vel corporis ejus, quam ſupra non præſumptione inveni, nec meo ſenſu formavi; ſed protuli ex Patrum ſententiis, ut videat & diſcernat, ſcilicet quemadmodum illic agatur de corpore vel carne* JESU, *ſicque ad Scriptoris ſenſum formet ſuum intellectum. Aliter enim eſt cogitanda caro illa vel corpus, quod pependit in ligno & ſacrificatur in altari, aliter caro ejus vel corpus, quod qui manducaverit habet in ſe vitam manentem, aliter caro vel corpus ejus quod eſt Eccleſia. Non quòd tricorpor à nobis Chriſtus deſcribatur, ſicut de Geryone illo ferunt fabulæ, cum unum eſſe corpus Chriſti teſtetur Apoſtolus, ſed quodam fidei reſpectu intellectus vel affectus facit hanc diverſitatem. Res vero ipſa ſimplicitatis ſuæ puram obtinet veritatem. Hæc enim trinitas corporis Domini non eſt aliud intelligenda, quam ipſum Domini corpus cogitandum ſecundùm eſſentiam, ſecundùm veritatem, ſecundùm effectum.* Reſpondeo hanc triplicem Dominici corporis diſtinctionem eſſe antiquis Eccleſiæ Patribus uſitatiſſimam, ſed ejus membra à Sancto Anſelmo non rectè tradi. Etenim hæc apud Patres ſunt Domini corpus verum viſibile, corpus verum inviſibile, & corpus ejus myſticum: At verò Sanctus Anſelmus duo priora confundit, & pro ſecundo membro adducit ſanctificantem gratiam, Sacramenti effectum. Nullus Pater ipſam titulavit Chriſti carnem aut corpus. Eſt veri corporis donum, & noſtri tranſmiſſio in corpus myſticum, in populum Chriſto Domino circumſubſtantialem. Et iſta triplex diſtinctio intelligendis Patrum locis eſt penitus neceſſaria. Qui ipſam ignorat, non poteſt non ceſpitare & labi.

CAPUT VI.

Exponuntur quædam loca Græcorum Patrum.

VEra Eccleſia eſt Catholica, per omnia & tempora & loca univerſalis. Hinc de ſua paucitate, & ad certa loca contractione ſemper erubuerunt hæretici: Viderunt iſtam præſcriptionem eſſe peremptoriam. Hinc ſe unire cum aliarum gentium Sectariis ſemper conati ſunt, atque ita ſe extendere. Ita de Joanne Wicleff ſcribit in opere de Sacramentis Thomas Waldenſis: *Supereſt ſpem ejus truncare, quam ponit in homine. Quia in Græcis putat, vel alios putare deſiderat, adeſſe ſibi turmam teſtium longinquorum. Ad orbem* Cap. 44.
alium nos tranſmittit, ne facilè vincatur, id eſt, procul, quamvis in his partibus ſit devictus. Et iſtam Wicleffi ſpem Waldenſis rectè truncat: *Non eſt neceſſe referre, quid ipſi litteratiſſimi Græci, qui dudum cum Nuncio ſui Conſtantinopolitani Imperatoris Emmanuelis, temporibus Regis Henrici quarti, in Anglia pervenerunt, nos de moderna Græcorum fide docuerint. Maximè de fide Euchariſtiæ, quoad ſubſtantiam.* Imperator iſte Emmanuel fuit Emmanuel Palæologus qui etiam in Franciam miſit Legatos pro auxilio adverſum Turcas. Wicleffum imitatur Joannis Calvini ſectator Henricus Artopæus, & ſcribit: *In Concilio Florentino, habito ſub Eugenio quarto Romano Pontifice, ubi facta eſt unio Latinæ & Græcæ Eccleſiarum, tametſi à Pontifice corrupti Orientales pleraque Romana Placita receperint, nullis tamen argumentis perpelli potuerunt ut monſtrum tranſubſtantiationis reciperent. Cumque unionis litteræ eſſent formandæ & publicandæ, diligenter caverunt, ut huius rei nulla mentio fieret. Nam ſi tanti momenti fuiſſet illa tranſubſtantiatio, Eccleſia Romana nunquam voluiſſet cum Græca conjungi, quæ eam non ſuſceperit. Nam hæreſim dicunt hodie eſſe peſtiferam, eam non admittere. Non autem credendum eſt Latinam Eccleſiam voluiſſe ſe cum hæreticis conjungere, & cum illis communicare.* Garrit non ſolum Græcos, ſed etiam Florentinam Synodum ſibi conſentire ac patrocinari.

Sanctus IRENÆUS *Lugdunenſis Archi-Epiſcopus.*

NOlo omnia Græcorum Patrum teſtimonia adducere: Eſſet infinitum opus.

Ad-

Adducam tamen aliqua. Chorum ducat Sanctus Lugdunenſium Antiſtes, & temporibus Apoſtolicis vicinus Sanctus Irenæus. Licet enim fuerit Latinorum Epiſcopus, fuit tamen vir Græcus. In primo ſui operis libro hæc ſcribit: *Quomodo conſtabit Gnoſticis, eum panem, in quo actæ ſunt gratiæ, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſi fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, Verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes? Et dat primùm quidem fœnum, poſt deindè ſpicam, deindè plenum triticum in ſpica. Quomodo autem rursùs dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergò aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rursùs confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim qui eſt è terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti; ſic & corpora noſtra, percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi ejus, & ſanctificantes creaturam.* Et in alio ejuſdem libri capite: *Quomodo juſtè Dominus, ſi alterius Patris exiſtit, hujus conditionis, quæ eſt ſecundùm nos, panem accipiens, ſuum corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit?* Et in alio libro: *Vani omninò ſunt, qui univerſam Dei diſpoſitionem contemnunt, & carnis ſalutem negant, & regenerationem ejus ſpernunt, dicentes eam non capacem eſſe incorruptibilitatis. Sic autem, ſecundùm hæc videlicet, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, corporis ejus eſt. Sanguis enim non eſt, niſi à venis & carnibus, & à reliqua quæ ſecundùm hominem ſubſtantia, quæ verè factum Verbum Dei, ſanguine ſuo redemit nos. Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur: Creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult, eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergò & mixtus calix & factus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia; quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & eſt membrum ejus?*

L. 4. c. 34

Cap. 57.

Lib 5. c. 2.

Duplicis Divinitatis fabulones Gnoſtici habuerunt hos capitales errores. Primò, quòd eſſent duo Dii, bonus alter, alter malus. Secundò, quòd malus Deus creaſſet omnem corporeum mundum, ex illo fuiſſet notus Judæis, & propter eumdem ab hiſce cultus & adoratus. Tertiò, quòd bonus Deus eſſet omninò incognitus & Judæis & Gentibus: Utpotè qui nihil creaſſet. Quartò, quòd ipſe in ſæculorum fine ad nos è mali Dei operibus & tyrannide liberandos miſiſſet filium ſuum Chriſtum Dominum. Quintò, quòd etiam caro & ſanguis eſſent mali Dei opera, ideoque Chriſtus ipſa nec aſſumpſiſſet ex matre, nec in noviſſimo die eſſet reſuſcitaturus. A Chriſto Domino promiſſam Beatæ Reſurrectionis gratiam ſpectare garrierunt ad ſolam animam: Carnem eſſe natura malam, ideoque hujus à bono Deo beneficii incapacem. Interim conſtanter prædicarunt Euchariſtiæ veritatem, & realem præſentiam, & tranſubſtantiationem. Palam hoc lucet ex nefando dogmate Marci Ægyptii, de quo idem Irenæus: *Marcus pro calice vino mixto fingens ſe gratias agere, & in multùm extendens ſermonem invocationis, purpureum & rubicundum apparere facit, ut putetur ea gratia ab iis, quæ ſunt ſuper omnia, ſuum ſanguinem ſtillare in illius calicem per invocationem ejus, & valdè concupiſcere ex illo guſtare poculo, ut & in eos ſtillet, quæ per Magum hunc vocatur gratia. Rursùs mulieribus dans calices mixtos, ipſas jubet gratias agere ſe præſente: Et ubi hoc factum eſt, ipſe alium calicem multò majorem, quàm eſt ille, in quo illa ſeducta Euchariſtiam facit, proferens, & transfundens à minori, qui eſt à muliere Euchariſtia factus, in illum qui eſt ab eo allatus, multò majorem, ſtatim dicens ità, Illa quæ eſt ante omnia inexcogitabilis & inenarrabilis gratia, adimpleat tuum intus hominem, multiplicet te in agnitionem ſuam, inſeminans granum ſinapis in bonam terram. Et alia quædam dicens, & in inſaniam mittens illam infelicem, admirabilia faciens apparuit, quando major calix adimpletus eſt de minori calice, ut et ſupereffunderet de eo.* Sceleratus hic impoſtor & Magus hinniebat ad omnem fœminam, ideoque ut cunctas ad omnem ſibi libidinem obligaret, Euchariſticum vini elementum blateravit non in Chriſti Domini, ſed in ſuum ſanguinem tranſmutari. Etiam per fœminas juſſit ſimilem execrationem fieri, calicem calici miſcuit, atque ita ad nefanda flagitia circumſcriptis mulieribus ſtuduit injicere neceſſitatem. Omnis Gnoſtica factio fuit profeſſa tranſubſtantiationis myſterium: Marcus, qui ipſum finxit fieri in ſuum ſanguinem, iſtam offendit graviſſimè, & novo ſchiſmate laceravit.

L. 1. c. 9.

Quòd & Sanctus Irenæus Euchariſtiæ veritatem profiteatur, & pro palmari adversùm Gnoſticos fundamento aſſumat, clamant vel hæc ſola verba: *Panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti.* Quæ iſta cœleſtis res? Certè non alia, quàm Dominicæ carnis & ſanguinis ſubſtantia. Nullum purum ſignum conſtat aut componitur ex ſuo ſignificato. Quis enim dixerit Sancti Petri imaginem componi ex pictura & cœleſti Sancti Petri ſubſtantia? Et vox, *Conſtare*, à nullo umquam Latino ſumpta fuit pro *Significare*. Sanctus igitur Irenæus per ipſam denotavit realem præſentiam. Et quid eſt panem percipere Dei vocationem & verbum? Fateor eſſe phraſim non penitus manifeſtam, omninò tamen videtur aliud ab ipſa non importari, quàm panis tranſelementatio, qua ille vocanti ac jubenti Deo cedat ſuam ſubſtantiam, ac intra ſuorum reſtantium accidentium veſtem admittat Chriſti Domini carnem & ſanguinem.

Quid-

Quidquid ſit, Nota Euchariſtiam non ſolùm à Sancto Irenæo, ſed etiam à fædiſſimo iſto Marco fuiſſe titulatam *Gratiam*. Etiam Sanctus Cyprianus in ſermone de Lapſis titulat *Gratiam ſalutarem*. Et in Lauſiaca hiſtoria Palladius *Gratiam Dei*. Et iſte titulus lucidè includitur in voce, *Euchariſtia*. Eadem ſignificatione videtur uſus Sanctus Judas Apoſtolus: *Subintrojerunt quidam homines impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*. Omninò videtur notare è Simone Mago, tamquam è terra fungos, tunc enatos & quotidiè enaſcentes Gnoſticos, inter quos non ſolus Marcus Ægyptius, ſed & alii habuerunt fœdam ac nefandam Euchariſtiam, atque ità Dei noſtri gratiam peſſimè tranſtulerunt in luxuriam. Notandum etiam, quòd Sanctus Irenæus ſacroſanctum calicem aſſiduè dicat mixtum: Utique ex vino & aqua. Ob Domini exemplum atque Præceptum. Et certè tanti Patris authoritas eſt plenè irrefragabilis. Quare in carmine de Euchariſtia Petrus Bleſenſis, affirmans Dominum in ſolo vino obtuliſſe, & aquæ mixturam eſſe dumtaxat Apoſtolicum Inſtitutum, graviter deviat à ſanctorum Patrum doctrina.

Cap. 68. & 71.

Porrò argumentum, quod ex Euchariſtia Sanctus Irenæus deducit adversùs Gnoſticorum fabulas, lucidè ſupponit realem præſentiam. Sine ipſa eſt vanum & nullum. Gnoſticis concedit, immò cum Catholica Eccleſia profitetur panem & vinum eſſe opera ac dona Dei Creatoris: Addit Chriſtum Dominum ex ipſis in noviſſima cœna confeciſſe & obtuliſſe, & etiamnum quotidiè per Eccleſiæ, immò etiam per Gnoſticorum Sacerdotes conficere & offerre ſuum corpus & ſanguinem. Hinc infert ipſum eſſe, non neſcio cujus ignoti, ſed omnibus manifeſti Creatoris Dei Filium, Creatorem eſſe ipſum Deum bonum, atque ita duplicis Divinitatis fabulam penitus evaneſcere. Et conſequentia eſt firma. Etenim Euchariſtia componitur ex duabus rebus, terrena, & cœleſti: Ex pane & vino, ac ex Sacroſancta Chriſti Domini ſubſtantia. Proindè ſi ab alio Chriſti corpus, ab alio Deo ſeu Principio ſint panis & vinum, Euchariſtia eſt monſtroſum aggregatum ex bono & malo, ex rebus contrariorum Deorum ſeu Principiorum. Hinc Irenæus pergit: *Noſtra autem conformis eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rursùs confirmat ſententiam noſtram*. Nos etenim & Dominicam cum ſanguine carnem, & cum vino panem adſcribimus eidem Principio, aſſerimus omnia eſſe bona, adeoque nullam fabulamur monſtroſam mixturam boni & mali. Ex eodem principio probat corpora noſtra non eſſe naturaliter mala, probat eſſe Dei boni opus, reparabilia in plenam ſanitatem, immortalitatis capacia, ideoque non perdenda in æternum, ſed in noviſſimo die omnino reſuſcitanda in glorioſam Reſurrectionem. Etenim illa non ſolo communi, ſed etiam in Euchariſtiam conſecrato pane & vino, id eſt, immortali Chriſti carne & ſanguine paſcuntur atque nutriuntur, & ità immortalitatis non poſſunt non eſſe capacia. Quæ omnia argumenta, ſi non ſit Euchariſtiæ veritas, ſunt frivola atque nugacia. Si Euchariſtia realem Domini præſentiam non habeat, ejus panis, licèt ob conſecrationem fiat communi ſanctior, *ſubſtantia* tamen communis manet: Manet res terrena, nec proficit in mixtam ex terrena & cœleſti.

Sanctus JUSTINUS *Martyr*.

SAnctus Martyr Juſtinus in dialogo cum Tryphone Judæo demonſtrat Euchariſtiam per varias antiquæ legis figuras fuiſſe humano generi prænunciatam atque promiſſam, ſolemnem ejus conficiendæ ac diſtribuendæ ritum exponit in ſecunda apologia, & de ejus veritate adjungit: *Alimentum hoc, quod apud nos appellatur Euchariſtia, nulli alii participare licitum eſt, quam credenti veram eſſe doctrinam noſtram, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Chriſtus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque communem potum, iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus* JESUS *Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, undè ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarnati illius* JESU *carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in ſcriptis à ſe commentariis, quæ Evangelia vocantur, ità tradiderunt præcepiſſe ſibi* JESUM. *Eum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc eſt corpus meum. Et poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe: Hic eſt ſanguis meus. Ac ſibi ſolis ea tradidiſſe*. Dominicæ Incarnationis & ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ myſteria comparat, & hoc probat ex iſto, atque ita in utroque aſſerit veram carnem & verum ſanguinem. Affirmat utrumque myſterium conſtare duabus rebus: Terrena & cœleſti. Iſtud Deo Verbo & aſſumpto homine, hocce pane viſibili & immortali Chriſti corpore. Quam avitam doctrinæ & locutionis ſpeciem aſſumpſit in libro de Initiandis Sanctus etiam Ambroſius. Et ſimilia Patrum malè intellecta loca Joannem Pariſienſem & Walramum Epiſcopum Naumburgenſem circumſcripſerunt in errorem impanationis. Et quidem admodum lucidè præter ſui ſæculi morem loquitur Sanctus Juſtinus. Non procul abeſt ab enunciatione myſterii. Nempè apud Auguſtum Romanorum Imperatorem perorat, Chriſtianam Religionem purgat à vulgatiſſima Thyeſtæarum epularum calumnia, ideoque omnem, è qua calumniæ origo, Euchariſtiæ ſeriem cenſuit revelata facie exponendam.

ORIGENES.

EAmdem veritatem profitetur in libris adverſùs Celſum Origenes: *Nos, qui rerum omnium* Lib. 8. fol. 399.

nium

nium Conditori placere ſtudemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, corpus jam per precationem factos, Sanctum quoddam & ſanctificans, utentes eo cum ſano Propoſito. Dicit oblatos panes per precationem fieri corpus: Hoc eſt, in Chriſti corpus tranſmutari. Et ipſum eſſe Sanctum quoddam atque ſanctificans. Utique iſtud Sanctum, de quo ad ſacroſanctam Virginem dixit Angelus Gabriel: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Etenim præter Deum nemo eſt ſanctus ſimul & ſanctificans. Euchariſtiam eodem titulo honorarunt Sanctus Cyprianus, Tertullianus, & alii Patres. Porrò laudatas ab Origene & Juſtino preces laudat etiam Sanctus Irenæus,
L. 1. c. 9. ſcribens de Marco Gnoſtico: *Fingit ſe gratias agere, & multùm extendit ſermonem invocationis.* Notat Marcum quòd fingeret Miſſam Catholica Miſſa longiorem. Et de infante per parentum idololatriam maculata puellula ſcribit in ſermone de Lapſis Sanctus Cyprianus: *Sacrificantibus nobis eam ſecum mater intulit. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens cœpit ploratu concuti.* Et in ſermone de oratione Dominica: *Quando ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat: Nec quidquam tunc animus quam id ſolum cogitet quod precatur. Ideo Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo: Surſum corda. Ut dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe, quàm Dominum cogitare debere.* Per orationem lucidè intelligit Miſſæ Canonem. Et reverà hic eſt ſingulariter oratio. Ex quibus liquet hodiernum Miſſę ritum eſſe omninò antiquiſſimum, atque Apoſtolicum Inſtitutum. Ità diſertè affirmat in commentario Apoſtolicæ ad Galatas Epiſtolæ Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et confirmat in libris adversùm Neſtorianos & Eutychianiſtas Leontius Scholaſticus Byzantinus. Item liquet eos, qui à Dominicum corpus conſecrantibus Apoſtolis exiſtimant fuiſſe adhibitam ſolam Dominicam orationem, inſigniter labi.

Etiam in tertia decima ſuper vigeſimum quintum Exodi caput Homilia ſcribit Origenes: *Noſtis, qui Divinis myſteriis intereſſe conſueſtis, quomodo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, ſi quid indè per negligentiam decidat. Quod ſi circa corpus ejus conſervandum tanta utimini cautela, & meritò utimini; quomodò putatis minoris eſſe piaculi, verbum Dei neglexiſſe, quàm corpus ejus?* Ibidem plura confirmant Euchariſticam veritatem. An iſtæ homiliæ ſint genuinum Origenis opus, non conſtat: Interim ſunt authoris eruditi & antiqui. Et ab ipſo laudatum de cuſtodiendis Euchariſtiæ micis morem laudat etiam in libro de Corona militis Tertullianus, adducens varias Eccleſiæ
Cap. 3. antiquas conſuetudines, atque adjungens: *Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Et in vigeſima ſexta homilia Sanctus Auguſtinus aſſerit Dei verbum non eſſe minus quàm Chriſti corpus, & proſequitur: *Et ideò quanta ſollicitudine obſervamus, quando nobis Chriſti corpus miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat, tanta ſollicitudine obſervemus, ut verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur, de corde noſtro pereat. Quia non minùs reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quàm qui corpus Chriſti in terram cadere ſua negligentia permiſerit.* Euchariſtia enim tunc populo dabatur in manus. Conſonat in poſtrema myſtagogica Catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Concava manu accipe corpus Chriſti, dicens Amen. Cave autem ne quid indè tibi excidat. Quod enim amittas, hoc tamquam ex proprio membro amiſeris. Nam ſi quis tibi auri ramenta daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, damnumque ſuſtineres? Et non multò magis & diligentiùs de hoc, quod auro ac gemmis pretioſius eſt, ne mica aliqua ex ipſo cadat, providebis?* Quare famoſum Pii primi Pontificis de iſta re Decretum, licèt ſuppoſititium ſit, non caret fundamento. Vide Cardinalem Jacobum de Vitriaco in poſtremo capite hiſtoriæ occidentalis. Et hinc eruditus Aurelianenſium Epiſcopus Gabriel Albaſpinæus, in antiquis obſervationibus affirmans ac demonſtrare ſtudens Septimium non de Euchariſtico, ſed de communi calice & pane loqui, omninò videtur deviare. Nicolaus Rigaltius ad vocem, *Panis*, ſic commentatur: *Etiam non Euchariſtici, etiam prophani.* Cenſet eſſe emphaſim in voce, *Etiam.* Conſuetudinem extendit ad utrumque panem. Et certè etiam hodiè pii fideles lapſa in terram communis panis fragmina non tantùm levant, ſed & oſculantur. Rationem dat laudatus Epiſcopus: *Hujus religionis aliam rationem non reperies, niſi quòd ex hujuſmodi rebus ſacroſanctum Chriſti corpus conficiatur, atque res illæ aliquo honore dignæ Majoribus noſtris viſæ ſint, quæ tanto myſterio inſervirent.* Belgica plebs iſtam reverentiam potiùs refert in orationem Dominicam: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.* Rem, quam à nobis, quotidianis ante magni Patris familias januam mendicis, in dies poſtulari, & precario accipi juſſit Dominus, judicamus in terra ſub calcantium pedibus non deferendam.

Sanctus ATHANASIUS *Alexandriæ Epiſcopus.*

EAmdem fidem tenuit Orientalis Eccleſia etiam poſt datam à magno Conſtantino pacem. Etenim in circularibus ad omnes ſub cœlo Epiſcopos litteris pro Sancto ſuo Patriarcha Athanaſio, quem de effuſo intra Eccleſiam ſanguine accuſabat Euſebiana Arianorum factio, ſcripſit Alexandrina totius Ægypti Synodus: *Cædes & vincula ſunt aliena à noſtra Eccleſia. Sacraque noſtra, ut in præſentia, ita etiam ſemper pura & innocentia fuerunt, non niſi Chriſti ſanguine ejuſque cultu ſanctificata.* Si Euchariſtia non contineat verum Chriſti ſanguinem, iſta apologia eſt

penitus

penitus ridicula. Eſt ſimilis huic Tertulliani loco in libro de ſpectaculis: *Vis & ſanguinis aliquid? Habes Chriſti.* Oſtendit etiam Chriſtianis eſſe ſua ſanguinolenta ſpectacula, ac item iſtic fundi humanum ſanguinem: non Gladiatorum aut Beſtiarum, ſed JESU-Chriſti.

Cap.29.

Porrò ipſe Athanaſius ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ raram facit mentionem. Attamen in prima ad Imperatorem Conſtantium Apologia ſuum Presbyterum Macarium, ab Euſebianis de fracto Iſchyræ Presbyteri ſacro calice accuſatum purgat, reſpondet Iſchyram non fuiſſe Presbyterum, ideoque in ejus domo non potuiſſe reperiri calicem, & pergit ad Sacerdotes: *Solùm veſtrum eſt propinare ſanguinem Chriſti, & prętereà nullius. Cæterum ut impius eſt, qui hunc myſticum calicem frangit, ità multò magis impius eſt; qui ſanguini Chriſti contumeliam facit, qui præter Eccleſiaſticam inſtitutionem calice illo abutitur.* Quòd nempè oblatus in calice ſanguis ſit Dominici ſanguinis non tantum figura, ſed ſimul etiam veritas, ideoque ipſo calice longè ſanctior ac major. Lucidiſſimè hoc Athanaſius profitetur in libello, quem ſcripſit de miraculo ad Chriſti Domini imaginem facto apud Berytenſes. Ab impio quodam Judæo crucifixa & percuſſa hæc imago emiſit copioſum ſanguinem, rei ſeriem diſtinctè exponit Athanaſius, ac pergit: *Hæc eſt vera, & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini noſtri Salvatoris, qui profluxit de ſancta imagine ipſius, quæ crucifixa eſt in Syria in civitate Beryto. Hic eſt etiam ſanguis ille Dominicus, qui apud pleroſque repertus eſſe dicitur. Nec eſſe aliter ęſtimandum eſt à verè Catholicis, præter id quod ſcribitur à nobis; quaſi ex carne & ſanguine Chriſti aliquid poſſit in mundo reperiri, niſi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie ſpiritualiter offertur.* Quòd de vera Dominici ſanguinis ſubſtantia loquatur Athanaſius, eſt luce meridiana clarius. Scio hunc libellum à quibuſdam cenſeri ſuppoſitum & ſpurium, verùm longè aliter cenſuit Petrus Nicomedienſis Epiſcopus, Bithyniæ Metropolita, & cum illo omnis ſeptima Synodus, in cujus quarta actione hæc habemus: *Petrus ſanctiſſimus Epiſcopus Nicomediæ dixit, Librum defero Sancti Athanaſii, & ſanctæ Synodo offero ad legendum. Sancta Synodus dixit, Legatur. Et accipiens Stephanus Diaconus ac Notarius legit.* Legit hunc libellum. Ille ergò, cujuſcumque ſit, probatus eſt per ſeptimum Concilium. Nec dubitandum, quin Petrus Epiſcopus ipſum acceperit ex ſuæ Eccleſiæ archivis, aut certè ex Bibliotheca Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

Cap. 7.

Verùm hinc oritur quæſtio, Quomodo Sanctus Athanaſius affirmet nullum Chriſti Domini ſanguinem reperiri in terris præter illum, qui emanavit ex Berytenſi imagine, aut qui quotidiè conficitur in Euchariſtia? Etenim noſtri Flandrenſium Comites è terra ſancta, dum ſacra olim illic bella gererent, verum de viſibili & vero crucifixi Domini corpore ſanguinem detulerunt, & perpetuò à nobis venerandum poſuerunt in civitate Brugenſi. Eumdem theſaurum poſſidet formoſa Regularium Clericorum Cella, celeberrimum Monaſterium in agro civitatis Iprenſis. De eodem gloriatur etiam Francia. Et ſuper omnes Angli. Etenim anno ſupra milleſimum ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo ſimilem in cryſtallina ampulla theſaurum, Patriarchæ Hieroſolymitani & multorum Antiſtitum ſigillatis teſtimoniis confirmatum, Henrico tertio Regi miſerunt Magiſter Templi & Magiſter Hoſpitalis, Et ipſum Rex ſolemniſſimè exaltavit in Weſt-Monaſterienſi Eccleſia. Et quoniam aliqui hæſitabant de veritate, ipſam Norvvicenſis Epiſcopus erudito ſermone aſſeruit atque ſtabilivit. Latè hæc refert Matthæus Pariſienſis, & iſtius ſermonis ſubſtantiam inſeruit ſuis Additamentis. Porrò ille Epiſcopus fuit Walterus de Suſeild, *totius Divini & humani Juris peritiſſimus.* Ita teſtatur in Anglicanorum Epiſcoporum Catalogo Franciſcus Godvvinus Epiſcopus Landavenſis.

Reſpondet laudatus Walterus Epiſcopus Dominicùm corpus, dum ſepeliendum è cruce deponeretur, fuiſſe ex vulneribus omninò ſanguinolentum, & à Joſepho apud Arimatbiam Decurione ablutum, mundatum, unctum, involutum inſtitis, uti mos erat Judæis ſepelire. Affirmat fuiſſe obductum quadruplici ſanguine. Et hunc omnem à Joſepho fuiſſe collectum. *Primò, Aquam rubicundam, ſcilicet loturam, quam Joſephus amicorum infirmitatibus diſtribuit efficaciter medicinalem. Secundò, Sanguinem puncturarum in capite, & ſciſſurarum per flagella inflictarum cum ſudore. Iſti liquores dignoſcuntur mixti ex pluribus. Tertiò, Sanguis ex vulneribus manuum & pedum, qui fuit purus ſine mixtura, emanavit. Quartò, ille formidabilis, tremendæ ac reverendiſſimæ recordationis cruor præcordialis, quem ex ipſo corde Chriſti, vel ſaltem latere, conſtat effluxiſſe. Præter quos quatuor liquores aquam cum ſanguine de ipſo latere ſcimus emanaſſe.* Et omnem hunc ſanguinem apud nos in terris manſiſſe exiſtimant Walterus Epiſcopus & Matthæus Monachus: Ipſum eſſe quem nos cum Francis & Anglis Flandri veneramur. Et ipſe Patribus Prędicatoribus ac Fratribus Minoribus præbuit anſam digladiandi de Dominici ſanguinis immediata ad Deum Verbum unione, & proruendi in tantas animoſitates, ut Pius ſecundus Pontifex ipſas cenſuerit per impoſitum utrique parti ſilentium compeſcendas. Et certè tanta myſteria ſunt ſilentio honoranda. Immediatæ unionis aſſertores latriam, alii aſſerebant ſolum inferiorem cultum deberi iſtis ſacroſanctis Reliquiis. An hæ ex iſto vero & proprio, an ſint ex ſolo ſanguine Berythenſis imaginis, ego nolim diſputare: Exiſtimo etiam hanc quæſtionem ſilentio & fraterna pace colendam. Quidquid ſit, Sanctus Athanaſius ſanguinem, qui quotidiè in noſtro ſacrificio conficitur, credidit & docuit eſſe Chriſti Domini verum, ſubſtantialem, & proprium.

Sanctus BASILIUS *Archi-Epiſcopus Cæſaræenſis.*

Reg. 21. c. 3. EUchariſtiæ veritatem inſigniter profitetur in moralibus regulis etiam Magnus Baſilius. Adduxit omnia novi Teſtamenti circa illam teſtimonia. Et in brevioribus Monachorum regulis affirmat hoc Sacramentum cum timore ſumendum C. 172. & fide, atque adjungit cauſam: *Fidem faciunt verba Domini, qui dixit, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur.* Alium evidentem locum adduxit in ſcripta adversùs Berengarium ad Henricum Francorum Regem Epiſtola Theoduinus Leodienſis Epiſcopus: *O miraculum! O Dei in nos benevolentia! Qui ſurſum ſedet ad dexteram Patris, ſacrificii tamen tempore hominum manibus continetur, traditurque lambere cupientibus eum.* Et in ejus Liturgia Sacerdos orat, ut Divina omnipotentia Dominici *Corporis & Sanguinis antitypa benedicat, ſanctificet, & efficiat panem hunc ipſum pretioſum Corpus, hunc verò calicem ipſum pretioſum Sanguinem Domini, & Dei, & Servatoris* JESU *Chriſti.* Utique per tranſelementationem. Vox, *Ipſum*, non caret emphaſi. Affirmat ipſum, quod ad dexteram Dei Patris ſedet, corpus eſſe præſens etiam in Euchariſtia. Et de confecta per Magnum Baſilium Euchariſtia ſcribit in ejus vita Sanctus Amphilochius Metropolita Iconienſis, aut quis alius Scriptor gravis & antiquus: *Cùm res ſacra ageretur, Hebræus quidam, velut Chriſtianus, ſeipſum populo immiſcuit, officii & Miſſæ ordinem, donumque communionis exploraturus. Videt verò in Baſilii manibus puerulum velut membratim incidi. Et cùm ſumerent omnes, etiam ipſe acceſſit, datumque, quod veritate caro eſſet, accepit. Tunc venit ad calicem & ipſum plenum ſanguine: Eoque etiam par-* Cap. 7. *ticipavit, Cum verò de utriſque ſervaſſet Reliquias, domum abiens uxori ad faciendam verbis fidem oſtendit, narrans quæ propriis ipſe oculis vidiſſet. Perſuaſus ergo eſſe reverà horrendum & mirabile Chriſtianorum Sacramentum, in craſtinum adit Baſilium, ſupplex orans, ut ſine mora acciperet Chriſti ſignaculum. Qui nihil cunctatus, ſolitis verò gratiis ei habitis, qui vult omnes ſalvos fieri, credentem in Dominum cum omni domo ſua baptizavit.*

Idem Author etiam hæc ſcribit: *Baſilio elevan-* Cap. 9. *te Sancta, non eſt factum ſignum, ut moris erat, ut nimirum columba moveretur. Ipſo verò cogitante, quidnam rei eſſet, vidit unum de ventilantibus Diaconis adnuentem mulieri, aſpicienti de Catechumenis deorſum, ac inclinanti in eum. Quem is gradu motum infrà Eccleſiam ſervari præcepit.* Eamdem divinitus accepti ſigni gratiam laudat in vita Sancti Epiphanii Joannes Monachus: *Epipha-* Cap. 38. *nius oblationis tempore nunquam perficiebat oblationem, donec vidiſſet viſionem. Conſueveratque beatus præfari verba quædam, & ſtatim ei revelabatur. Cum itaque aliquando ter dixiſſet ſermonem, nulla ei ſe obtulit viſio.* Nempè è ventilantibus Diaconis unus proxima nocte fuerat ſua uxore uſus, ideoque Spiritus Sanctus nolebat ipſo præſente Euchariſtiam conſecrari, & iſtud ipſum ſignificavit Epiphanio per injectam lepram in Diaconi frontem. Et hæc eſt una cauſarum, ob quas Epiphanius ſuos Diaconos compulit ad plenam more Latino caſtitatem. Et de Abbate Joanne in conſecratis jam oblationibus Miſſam celebrante ſcribit in ſpirituali Prato Sanctus Sophronius Hieroſolymæ Patriarcha: *Quas cum Abbas Joannes Presbyter offerret, qui poſteà Cæſa-ræœ Paleſtinæ Epiſcopus fuit, non vidit, ut ſoli-* Cap. 25. *tus erat, Sancti Spiritus adventum, contriſtatuſque valdè, & cogitans ne quid fortè peccaſſet in mente, atque adeò ſe Spiritus Sanctus avertiſſet, ingreſſus eſt Sacrarium plorans.* Et apparens ei Angelus dixit ipſas jam eſſe conſecratas. Ciliciæ villa Ægina regebatur à Mardardo Presbytero, quem ſui Pagenſes apud Epiſcopum accuſarunt, quòd Dominicis diebus quandoque hora nona Miſſam celebraret contrà Canones. Iſtam enim Miſſam Apoſtolicus Canon celebrari mandat hora tertia. Et Presbyter ſe purgavit: *Die Dominico poſt nocturnos hymnos propè ſanctum altare ſedeo, & quouſ-* Cap. 27. *que video Spiritum Sanctum altare obumbrantem, Sacra Miſſarum ſolemnia non incipio. Cum autem Spiritum Sanctum adveniſſe conſpicio, tunc ego ſacra Officia conſummo.* Ut Rumellinæ propè Romam civitatis Epiſcopo Dominicalis ſacrificii vices deferret, Agapetus Pontifex fuit juſſus ab Angelo. Et pergit Sanctus Sophronius: *Cum Epiſcopus compleſſet orationem oblationis, antequam* C. 150. *concluderet ipſam, coepit ſecundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipſam ſanctæ oblationis orationem. Cunctis verò eam moram moleſte ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc eſt, quòd jam quarto hanc orationem dixiſti, nec eam concludis? Tunc reſpondit Epiſcopus, Ignoſce mihi, Sancte Papa, quia non vidi, juxtà conſuetudinem, ſancti Spiritus deſcenſum, idcircò non terminavi orationem. Sed Diaconum illum, qui flabellum tenet, ab altari remove: Ego enim illi dicere non audeo.* Etiam coram iſto Diacono Spiritus Sanctus nolebat conſecrari Euchariſtiam. Etenim ipſo amoto, non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam Papa *continuò vidit ſancti Spiritus adventum.* Plura ſunt authentica iſtiuſmodi exempla. Et altè clamant miniſtrantem Diaconum debere eſſe integrum, ſeu in ſtatu gratiæ, & claſſe Perfectorum. Porro finem, cur Spiritus Sancti adventus ſit in ſacrificio neceſſarius, exponit hæc Liturgica Sancti Joannis Chryſoſtomi oratio: *Dimitte Spiritum Sanctum in nos, & in hæc dona propoſita, mutans Spiritu tuo ſancto.* Neceſſarius ergò erat adventus ad Euchariſtica elementa tranſubſtantianda. Et hinc conſecrationis horam idem Sanctus Joannes paſſim vocat *horam tremendam.* Quod ipſum in oratione de ſacra Synaxi faciunt Sanctus Anaſtaſius Sinaita, & alii paſſim Græci. Quod nempè in iſta hora peragatur tremendum ac terribile tranſelementationis myſterium.

San-

Sanctus EPIPHANIUS *Archi-Epiſcopus Salaminæ.*

ET ex hiſce patet etiam Sancti Epiphanii fides. Eamdem lucidiſſimè profitetur in libro anchorato. Tremenda Domini verba, *Hoc eſt corpus meum*, præ reverentia non vult exprimere, pro ipſis adducit hæc ænigmatica, *Hoc meum eſt hoc*, affirmat pronunciata *ex gratia*, & adjungit: *Neque quiſquam eſt qui ei ſermoni fidem non*
Cap. 57. *adhibeat. Nam qui illum non credit eſſe verum à gratia & ſalute prorſus excidit.* Eodem modo loquitur in libris de Sanctiſſima Trinitate Magnus Pictavienſium Antiſtes Hilarius: *Quiſquis naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe,*
Lib. 8. *quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis, unum in his eſſe nos faciunt: Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille, quia ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus. Quia Pater in eo eſt, & ille in nobis, quomodò voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas ſit perfectæ Sacramentum unitatis? Non eſt humano aut ſæculi ſenſu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem prædicationem cœleſtium dictorum ſanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perverſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei fungemur officio. De naturali enim Chriſti in nobis veritate quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.. Annè hoc veritas non eſt? Contingat planè id verùm non eſſe, qui Chriſtum Jeſum verum eſſe Deum denegant.* Euchariſtiæ veritas, & Dominici corporis apud ipſam realis præſentia tunc non ſolùm apud Orthodoxos, ſed etiam apud Arianos erat adeò firma & certa, ut ex ipſa Magnus Hilarius convincat errorem, quo h garriebant Patris & filii unitatem non eſſe ſubſtan ⁻æ, ſed ſolius conſenſus & voluntatis. Eſt locus adeò evidens, ut à ſcribente ipſum Hilario Berengarianam Hæreſim fuiſſe prævifam, non malè ſcribat venerabilis Durandus Abbas Troarnenſis. Eſt ille locus, ad quem evadendum Berengarius tentavit Hilarium convincere erroris in alia materia, atque ita omnem ejus authoritatem circumſcribere. Nervoſiſſimus locus eſt integrè legendus. Ipſum, licet Hilarius ſit Latinus, hìc adductum volui, quòd iſti libri ſint in Græcia & adverſum Græcos ſcripti, ſtatim poſt Synodum Seleucienſem.

Sanctus GREGORIUS *Nyſſæ in Cappadocia Epiſcopus.*

PErgamus ad Sanctum Gregorium Nyſſæ Epiſcopum, fratrem Magni Baſilii. In oratione de Domini Baptiſmo exponit Chriſtiani Baptiſmi Sacramentalem virtutem, affirmat ipſam non eſſe ſimplicem, ſed Sacerdotali prece, & advocato ac infuſo per ipſam Spiritu Sancto fœcundatam, adeoque inſigniter tranſmutatam aquam, & oſtendit variis exemplis: *Nam & altare hoc ſanctum, cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri exſtruuntur, ſed quoniam Dei cultui conſecratum atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit, menſa ſancta, altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed à ſolis Sacerdotibus, iiſque venerantibus, contrectatur. Panis item, panis eſt initio communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, corpus Chriſti fit & dicitur. Sic myſticum oleum, ſic vinum. Cùm ſint res exigui pretii ante benedictionem, poſt ſanctificationem, quæ à Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum.* Affirmat benedicentis & ſanctificantis verbi vim eſſe à Spiritu Sancto, & ab ipſa lapidem, aquam, oleum, hominem, vinum, & panem è communibus tranſmutari in altare, Sacerdotem, Baptiſmum & alia Sacramenta. Et quidem panem ſic tranſmutari, ut Chriſti corpus non tantùm dicatur per figuram, ſed etiam ſit per veritatem. Hic lucidè eſt Gregorii ſenſus. Et adverte hæc omnia fieri per vim verbi: Hoc eſt, per ipſius opus operatum. Item adverte Altarium conſecrationem, & ſacri fontis benedictionem eſſe antiquiſſima. Nam & hanc lucidè laudat Sanctus Cyprianus.

Idem Gregorius in prima oratione de Reſurrectione Domini enumerat & exaggerat plura intra eamdem Reſurrectionem comprehenſa miracula, prædicat Divinam omnipotentiam, illa hinc affirmat non impoſſibilia, demonſtrat exemplis, inter quæ eſt & hoc: *Qui ſua poteſtate cuncta diſponit, non ex proditione ſibi impendentem neceſſitatem, non Judæorum quaſi prædonum impetum, non iniquam Pilati ſententiam exſpectat, ut eorum malitia ſit communis hominum ſalutis principium & cauſa, ſed conſilio ſuo antevertit, & arcano ſacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, ſeipſum pro nobis hoſtiam offert, & victimam immolat, Sacerdos ſimul exiſtens, & Agnus Dei ille, qui mundi peccata tollit. Quando id præſtitit? Cùm corpus ſuum Diſcipulis congregatis edendum, & Sanguinem bibendum præbuit: Tunc apertè declaravit Agni ſacrificium jam eſſe perfectum. Nam victimæ corpus non eſt ad edendum idoneum, ſi animatum ſit. Quare cum corpus edendum, & ſanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit, jam arcana & non adſpectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipſius myſterium peragentis poteſtati collibuerat. Et anima in illis erat, in quibus* ea-

eadem illa poteſtas illam depoſuit, ſimulque cum Divina virtute, quæ cum illa erat conjuncta, in ea regione cordis verſata eſt. Itaque ſi quis indè tempus incipiat dimetiri, cum ſacrificium Deo factum eſt à Magno illo Principe Sacerdotum, qui ratione, quæ nec verbis explicari, nec oculis perſpici potuit, ſeipſum pro communi hominum ſalute tamquam Agnum obtulit, non recedet à veritate. Affirmat Dominicum corpus fuiſſe bis immolatum: ſemel viſibiliter & cruentè à Judæis atque Romanis in cruce, ſemel incruentè atque inviſibiliter ab ipſo Domino in cœna myſterii. Affirmat hanc eſſe ſingulare miraculum, Divinæ omnipotentiæ opus incomprehenſibile, ac ſoli Deo notum Arcanum. Hanc immolationem cenſet adeò veram, ut ab ipſa inchoet Dominicæ mortis ac ſepulturæ tres dies ac noctes. Ejus verba, ſi commentari velimus, obſcurabimus.

Notanda ſunt & verba ſequentia: *Erat veſpera, cùm ſacrum illud corpus comederunt. Quam quidem veſperam nox, quæ Paraſceven antecedit, excepit. Huic ſucceſſit Paraſcevæ dies, quæ nocte illa propter ſolis obſcurationem interjecta in duos dies & noctem unam diviſa eſt. Nam ſi Deus noctem appellavit tenebras, tribus autem horis tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, ſpatium illud in diei medio conſtitutum fuit nox, quæ ſingulis illius ex utraque parte ſectionibus binos dies definivit: Unum quidem ab ortu ſolis uſque ad ſextam horam, alterum autem ab hora nona uſque ad veſperum. Atque ita duas jam noctes habemus & totidem dies. Hinc Sabbathi nox eſt ſubſecuta, & Sabbathi dies. Ex quibus tres dies & totidem noctes conficiuntur.* Tres dies & noctes, quas Dominicæ ſepulturæ aſſignant Prophetæ atque Evangeliſtæ, cenſet debere eſſe plenos ac integros, atque ita non à ſextæ, in qua crucifixus & viſibiliter in cruce mortuus, ſed à quintæ, in qua inviſibiliter ac myſticè Dominus fuit immolatus, feriæ veſpera computandos. Uti Dominum bis immolatum, ita cenſet bis fuiſſe ſepultum: Semel in Arimathienſis Joſephi tumulo, ſemel in corde Apoſtolorum. Et ad tres cum tribus noctibus dies explendos vult utramque ſepulturam eſſe accumulandam. An hæc expoſitio ſit legitima, eſt alia quæſtio. Lucidè interim ſupponit, immò difertè profitetur in utraque immolatione ac ſepultura fuiſſe veram Domini carnem, verum ſanguinem, veram animam, veram Divinitatem. Certè quiſquis Prophetas ac Evangeliſtas, à quibus certum eſt veram veri corporis ſepulturam fuiſſe prædicatam, detorquet ad ſolius figuræ ac imaginis ſepulturam, nugas garrit atque fabulas. Etiam Conſtantinopolitanum ſymbolum profitetur ſepulturam veri corporis: Et unus ex ejus authoribus fuit Nyſſenus Gregorius.

Omnium lucidiſſimus, quem meritò laudat in tractatu de eſſentiali Euchariſticæ conſecrationis verbo Dominus Cardinalis Beſſarion, hujus Gregorii locus eſt in magna Catechiſtica oratione. Affirmat aliud regeneratæ animæ, aliud regenerato corpori deberi alimentum: Animam à Divinæ naturæ conſortio, ſeu à ſibi per ſanctificantem gratiam unito ac inhabitante Spiritu Sancto, corpus alendum ab aliquo vivifico & vivificante corpore. Etenim uti hoc corporeo Divinæ rebellionis cibo corruptum, & quaſi veneno tabefactum fuit in Paradiſo, ita nunc adverſario ſimilis formæ antidoto eſt omninò curandum. Porrò in Paradiſo hauſtum ex inobedientiæ fructu venenum non ſolummodò læſit, ſed penitus occidit omnia noſtra corpora, ideoque ſumendum antidotum eſſe oportet tantæ virtutis, ut omnibus vitam reddat, addatque perpetuam immortalitatem. Eſſe debet corpus devictæ mortis triompho glorioſum: Ac inſuper ita contemperatum noſtris corporibus, ut tamquam alimentum poſſit omnia ipſorum intima penetrare. Eſſe nequit aliud, quàm corpus à Deo Verbo aſſumptum, in ſuæ Divinitatis atque omnipotentiæ hypoſtaſim natum de Virgine, reſuſcitatum à mortuis, & nobis ſub panis & mixti cum aqua vini ſpeciebus accommodatum. Eleganter hæc deducit Gregorius, & proponit hanc magnam quæſtionem: *Oportet conſiderare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo terrarum orbe ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat?* Eſt poſtmodum reſumpta per Hæreſiarcham Berengarium quæſtio, qui ad innumerabilis Chriſtiani populi quotidianam communionem ſufficiens corpus blateravit debere eſſe quaſi immenſum, majus alta turri Eccleſiæ Andegavenſis. Eſt item reſumpta quæſtio per Joannem Wicleffum, Joannem Calvinum, & reliquos circa Chriſti Sacramenta Errones, qui pertinaciter clamant idem corpus non poſſe eſſe in cœlo ſimul & in terra: Longè minùs in innumeris ſub cœlo Altaribus.

Quæſtionis ſolutioni Gregorius præmittit naturale humani corporis alimentum eſſe panem ac mixtum aqua vinum, atque proſequitur: *His à nobis hoc modo diſtinctis atque declaratis, ad ea quæ ſunt propoſita, revocanda eſt cogitatio. Quærebatur enim, quemadmodum quod eſt in illo corpus Chriſti, vivificat omnem hominum naturam, in quibus eſt fides, omnibus diſtributum, & ipſum minimè diminutum? Fortaſſe ergò non procul abſumus à probabili ratione. Nam ſi cujuſvis corporis ſubſiſtentia nutrimento, nimirùm cibo & potu conſtet, ſit autem cibus ille panis, potuſque aqua vino exhilarata, Dei autem Verbum humana eſt natura contemperatum, & cùm eſſet in noſtro corpore, non aliquam aliam humanæ naturæ innovavit conſtitutionem, ſed per ea quæ ſunt conſueta & congruentia, ſuo corpori dedit permanſionem, cibo & potu continens ſubſtantiam. Cibus autem erat panis. Quomodo ergò in nobis, qui panem vidit, humanum corpus videt quodammodo, quod cùm ille in eo fuerit, hoc fit; ita illic quoque, quod Deum ſuſcepit corpus, cùm panis alimentum accepiſſet, quadam ratione idem erat quod ille, alimento tranſeunte in naturam corporis. Nam quod eſt omnium proprium, id quoque pro certo & conſtanti eſt in illa carne: Nempè quod illud quoque corpus pane continebatur. Corpus autem Dei Verbi inhabitatione ad Divinam tranſmutatum eſt dignitatem. Rectè ergò nunc quoque Dei verbo ſanctificatum*

tum

tum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari. Etenim panis erat poteſtate illud corpus. Fuit autem ſanctificatus habitatione Verbi, quod tanquam in tabernaculo habitavit in carne. Igitur unde in illo corpore tranſmutatus panis tranſit in Divinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam & illic verbi gratia ſanctum fecit corpus, cui ex pane erat ſubſtantia, & quodammodo ipſum quoque erat panis. Et hic ſimiliter panis ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non eo quidem quòd cibo mediante in Verbi corpus evadat, ſed quòd ſtatim per verbum in corpus tranſmutetur, ſicut dictum eſt à Verbo: Hoc eſt corpus meum. Cùm autem omnis caro alatur etiam per humorem, neque enim niſi cum eo conjungatur, id quod eſt in nobis terreſtre, in vita permanſerit. Quomodo autem per durum & ſolidum alimentum ſoliditatem corporis fulcimus ac ſtabilimus, eodem modo etiam humori adjungimus acceſſionem ex natura ejuſdem generis. Qui quidem cùm fuerit in nobis, per alterandi facultatem fit ſanguis, & maximè ſi per vinum acceperit virtutem tranſmutandi in calidum. Quoniam ergò hanc quoque partem accepit caro illa Dei ſuſceptrix ad Dei conſtitutionem, manifeſtatum autem Verbum propterea ſe admiſcuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione Divinitatis ſimul etiam deificetur humanitas, ea de cauſa per ſuæ gratiæ diſpenſationem ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commixtus & contemperatus corporibus credentium, quibus ſubſtantia eſt ex pane & vino, ut unione cum eo quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.

Supponit atque aſſeverat varia. Primò, Dei Verbum eſſe Deum verum de Deo vero, ideoque ejuſdem cum Patre omnipotentiæ. Secundò, ipſum eſſe carni noſtræ unitum in eandem Divinam hypoſtaſim. Tertio, aſſumptam ab ipſo carnem eſſe verè noſtram, noſtræ per omnia conſubſtantialem. Quartò, etiam ipſum, dum hìc nobiſcum mortaliter viveret, fuiſſe pane & vini ac aquæ mixtura nutritum & alimentatum, ideoque iſta tria in ejus naturam fuiſſe ſubſtantialiter tranſmutata. Quintò, humanam carnem & ſanguinem eſſe in pane, aqua & vino per potentiam, ideoque hæc in illa poſſe etiam per naturæ vires converti, ac proindè Divinæ omnipotentiæ id eſſe multò faciliùs. Sextò, hanc ipſam, quæ in mortale adhuc Domini corpus facta fuit per naturam, panis & mixti vini tranſelementationem in cunctis ſub cœlo Altaribus, per Dei omnipotentiam, quotidiè fieri in eandem immortalem carnem, idque per Dominica verba: *Hoc eſt corpus meum*. Notanda ſunt verba: *Statim per verbum in corpus tranſmutatur*. Adfirmant panis & mixti vini tranſelementationem, quæ in mortale Domini corpus fiebat ſucceſſivo motu, nunc in iſtud ipſum immortale fieri inſtantaneè: Et hoc per Divinam omnipotentiam, qua Dominus ſuis, licèt per nos Sacerdotes prolatis, verbis ſemper aſſiſtit, & uſque dum veniat ad judicium, eſt ſemper adſtiturus. Hanc infallibilem ad eſſentialia Sacramentorum verba, & per ipſa dandas ſanctificationes aſſiſtentiam inſigniter demonſtrat in alio ejuſdem Catecheſeos capite. Euchariſticam veritatem ac tranſubſtantiationem profiteri non poſſit verbis lucidioribus. Lucida ſunt & hæc ejus verba: *Se per carnem inſert omnibus credentibus*. Affirmant glorioſam, quam in Sacramento ſumimus, Domini carnem eſſe in innumeris locis: Et hoc eſſe opus Divinæ omnipotentiæ. Cap. 34.

Per Serpentem Diabolus dixit de vetiti pomi virtute ad Evam: *Eritis ſicut Dei*. Et per internam ſuperbiam jam infatuata mulier credidit, atque ita in externam etiam prævaricationem fuit ſeducta. Iſti pomo Divina Juſtitia oppoſuit ſacroſanctam Euchariſtiam, & ſibi de ejus arcana virtute credi à nobis voluit, atque ita maternam ſtultitiam hac fidei ſapientia reparari. Ita rectè docent quidam Latini Patres: Et hanc doctrinam Nyſſenus Gregorius hìc confirmat. Confirmat item Sancti Irenæi & Sancti Cypriani dogma, conſtanter tradentium ſanctificatum à Chriſto Domino calicem fuiſſe vino & aqua mixtum, iſtamque mixturam eſſe omnibus nobis datam in Præceptum. Et ita docent omnes Eccleſiæ Patres: Nullus oppoſitum vel inſinuavit. Iſtius Præcepti prævaritatores Armenios cuncti tractarunt uti plenos hæreticos. Etiam hodiernorum Græcorum, qui tremendum Tranſubſtantiationis myſterium non per ipſa Dominica verba, ſed neſcio per quas illis adjunctas preces, tamquam per eſſentiale Sacramenti verbum, volunt perfici, ſchiſmaticum errorem manifeſtè revincit Gtegorius: Lucidè docet tremendum myſterium peragi per prolata à nobis Dominica verba, *Hoc eſt corpus meum*. Iſti igitur errori hunc locum Cardinalis Beſſarion meritò oppoſuit. Et hinc lucet etiam Magnum Baſilium, Nazianzenum Gregorium, alioſque Cappadocis & Ponticæ Eccleſiæ Doctores fuiſſe ejuſdem ſententiæ ac fidei. Poſteriores Græcorum Patres, quos Saracenicæ ſervituti ſubjecit Divina Juſtitia, adversùm infideles Tyrannos diſputare de Euchariſtia, & ejus poſſibilitatem ex naturalibus rationibus demonſtrare, fuerunt frequenter rogati atque compulſi. Et ipſam demonſtrarunt ex naturali humanæ nutritionis opere, quo panis & vinum quotidiè in noſtram carnem & ſanguinem tranſubſtantiantur. Hocce argumento uſi ſunt Sanctus Joannes Damaſcenus, Sanctus Stephanus Martyr & Abbas Auxentiani in Bithynia Monaſterii, Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Venerabilis Zamonas Gazenſis Epiſcopus, & plures alii. Quidam exiſtimant horum unum eſſe primum iſtius argumenti authorem. Palàm labuntur. Ipſo enim hìc apud ſuos Catechumenos, aut Neophytos, utitur etiam Nyſſenus Gregorius.

Difficultatem faciunt hæc Gregorii verba: *Corpus Dei Verbi inhabitatione ad Divinam tranſmutatum eſt dignitatem. Rectè ergò nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari*. Conſueto Patrum more compoſitam ex pane & Dominico corpore Euchariſtiam cum Chriſti Domini ex Verbo & homine

mine compoſita perſona comparat, & videtur docere impanationem. De variis circa magnum Dominicæ Incarnationis Sacramentum erroribus ſcribit in libro de dono perſeverantiæ Sanctus Auguſtinus: *Non Deum tantùm dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi; nec hominem tantùm, ſicut hæretici Photiniani; Nec ita hominem, ut aliquid minùs habeat quod ad humanam certum eſt pertinere naturam ſive animam, ſive in ipſa anima mentem rationalem, ſive carnem non de fœmina ſumptam, ſed factam de Verbo in carnem converſo atque mutato, quæ omnia tria vana & falſa hæreticorum Apollinariſtarum tres partes varias, diverſaſque fecerunt.* Duarum priorum factionum palmare fundamentum erat Sancti Joannis Evangeliſtæ teſtimonium: *Et Verbum caro factum eſt.* Ex ipſo illi concluſerunt ſolam ſine mente & anima carnem fuiſſe à Deo Verbo aſſumptam. Utramque factionem potenter evertit in libro octoginta trium quæſtionum Sanctus Auguſtinus, & pergit adversùs tertiam: *Si minùs hæc* Sancti Joannis *intuentur verba, poteſt alius non minùs perverſus ex iſtis ita calumniari fidei noſtræ, ut dicat ipſum Verbum converſum, & commutatum eſſe in carnem, & Verbum eſſe deſtitiſſe, quia ſcriptum eſt, Verbum caro factum eſt. Sicuti caro humana, cum ſit cinis, non eſt caro & cinis, ſed ex carne cinis. Et ſecundùm loquendi modum, conſuetudinemque celebriorem, quidquid ſit quod non erat, deſinit eſſe quod erat.* Ab hac Apollinarii blaſphemia Nyſſenus Gregorius fuit alieniſſimus, ideoque Dominicum corpus non converſione, ſed ſola aſſumptione credidit & docuit transmutatum ad Divinam dignitatem. Ergò idem credidit de tranſmutatione panis, ideoque docuit impanationem. Reſpondeo Gregorii verba eſſe benè notanda. Etenim cum tertia Apollinarii factione non dicit Verbum in Divinum corpus, ſed Dominicum corpus eſſe tranſmutatum ad Divinam dignitatem. Non dicit iſtud in hanc, ſed eſſe tranſmutatum ad hanc, id eſt, aſſumptam ad Divinam hypoſtaſim. At verò panem affirmat in Dominicum corpus non tantùm tranſmutari, ſed etiam tranſelementari: Quomodo nutritius panis quotidiè tranſelementatur in noſtrum corpus. Veram ſubſtantiæ converſionem manifeſtè profitetur. Lucidis Patrum verbis ac ſenſis non eſt abutendum ad ſophiſmata.

Q. 1. 80.

Sanctus CYRILLUS *Hieroſolymæ Epiſcopus.*

EAndem fidem lucidiſſimè profitetur Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus. In prima myſtagogica catecheſi exponit in Baptiſmo ejeratas diaboli pompas, ad ipſas ſpectare affirmat gentilium ſpectacula, & demonſtrat: *Tum verò & illa, quæ in Idolorum ſolemnitatibus ſuſpendi ſolent, & panes, & carnes, & alia ejuſmodi, fœdiſſimorum dæmonum invocatione contaminata, pompæ diaboli adſcribunt. Quemadmodum enim panis & vinum Euchariſtiæ ante ſacram invocationem adorandæ Trinitatis panis erat & vinum merum, peracta verò invocatione panis quidem fit Corpus Chriſti; ſic & cibi ejuſmodi pompæ ſatanicæ ſuaptè quidem natura puri ſunt, invocatione tamen dæmonum impuri efficiuntur.* De Mithræ ſpectaculis & Sacris ſcribit in Præſcriptionum libro Tertullianus: *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum, Idolorum myſteriis æmulatur. Mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem.* Mithra, Perſarum Deus, colebatur etiam in vicina Syria, ideoque exiſtimo Cyrillum ad jus ſpectacula alluſiſſe. Affirmat inter Mithræ & Chriſti panem eſſe non ſolius ſanctificationis ac immundationis differentiam, ſed etiam hanc: Panis fit Corpus Chriſti, vinum Chriſti Sanguis. Affirmat panem & vinum per Divini Nominis invocationem, non qualitercumque, ſed omninò tranſubſtantiativè ſanctificari. Hoc ipſum docet in tertia Catecheſi, exponens ſacro-ſanctum Chriſtianæ Confirmationis Chriſma: *Cæterùm vide ne illud eſſe putes unguentum tantùm. Quemadmodum enim panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem non ampliùs eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum non ampliùs eſt unguentum nudum, neque, ſi quis ita appellare malit, commune; poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma, quod Chriſti & ſancti Spiritus, id eſt, Divinitatis ejus præſentiam efficit.* Cum Sancto Gregorio Nyſſeno Euchariſtiam & Chriſma ſic comparat, ut tamen inter ipſa ponat grande diſcrimen. Unguentum dumtaxat ad nobis dandam ſancti ſpiritus per ſeptem Dona præſentiam, panem autem affirmat ſanctificari, ut ſit Corpus Chriſti.

Cap. 40.

Et hæc ſunt Patrum loca, de quibus gloriatur in quarto Inſtitutionum libro Joannes Calvinus. Sacro-ſanctum Tranſubſtantiationis myſterium proſcindit convitiis, affirmat antiquis Eccleſiæ Patribus fuiſſe ignotum, atque proſequitur: *Nemo eſt Veterum, qui ſacra Cœnæ Symbola non fateatur diſertis verbis panem & vinum eſſe, etſi variis epithetis illa interdum inſigniunt ad commendandam Myſterii dignitatem. Nam quod dicunt in conſecratione fieri arcanam converſionem, ut jam aliud ſit quam panis & vinum, nuper admonui eo non ſignificare in nihilum ipſa redigi, ſed jam alio loco habenda eſſe, quàm alios cibos, qui dumtaxat ad paſcendum ventrem ſunt deſtinati: Cum in iis nobis exhibeatur ſpiritualis animæ cibus & potus. Id neque nos negamus. Si converſio eſt, inquiunt iſti, neceſſe eſt aliud ex alio fieri. Si intelligant fieri aliquid quod priùs non erat, adſentior. Si ad ſuam illam imaginationem trahere volunt, reſpondeant mihi, quam mutationem fieri cenſeant in Baptiſmo. Nam Patres hic quoque mirificam converſionem ſtatuunt, cum dicunt ex corruptibili elemento fieri ſpirituale animæ lavacrum: Aquam tamen manere nemo negat. At nihil, inquiunt, tale in Baptiſmo habetur, quale illud eſt in Cœna: Hoc eſt Corpus meum. Quaſi de verbis illis agatur, quæ ſatis expeditum ſenſum habent, ac non potiùs de illa voce converſionis, quæ nihil ampliùs in Cœna ſignificare debet, quam in Baptiſmo. Valeant igitur cum iſtis*

Cap. 17. num. 14.

iſtis ſyllabarum aucupiis, quibus nihil aliud quam ſuam jejunitatem produnt.

Reſpondeo hæc non eſſe jejuna ſyllabarum aucupia, ſed lucida ac fundamentalia dogmata Patrum. Quòd Græci Patres aliter aquam aut oleum in Sacramentalia elementa, aliter panem & vinum per myſticas preces converti in Domini Corpus & Sanguinem crediderint, inſigniter in quarta myſtagogica Catecheſi docet laudatus Cyrillus. Apoſtolicum ex prima ad Corinthios Epiſtola de Euchariſtia contextum adducit, & commentatur: *Hæc Beati Pauli doctrina ſufficere poteſt ad reddendum vos certiores de Divinis Myſteriis, quæ vobis donata ſunt, qui facti eſtis Chriſti Corporis & Sanguinis comparticipes. Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet atque dicat de pane, Hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante ac dicente, Hic eſt Sanguis meus, quis dubitet, & quis dicat non eſſe ejus Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate: Et non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas invitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, an non multò magis Corpus & Sanguinem ſuum filiis Sponſi dediſſe illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi Sanguis: Ut ſumpto Corpore & Sanguine Chriſti, efficiamur ei comparticipes Corporis & Sanguinis. Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cum ejus Corpus & Sanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita ut beatus Petrus Apoſtolus dicit, Divinæ Naturæ conſortes efficiemur.* Ecce Cyrillus affirmat in Euchariſtia eſſe non panem & vinum, ſed panis & vini ſpeciem: Affirmat panem & vinum non ſola accidentali converſione mutari de communi in ſacrum elementum, uti tranſeunt aqua & oleum; ſed omninò ſubſtantialiter tranſelementari, uti aqua fuit apud Canam Galilææ tranſelementata.

Et hæc omnia fundat in verbis: *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*. Hic apud ipſum eſt expeditus verborum ſenſus. Etiam apud omnes alios Græcos, Orthodoxos, Hereticos, Schiſmaticos. Inſigniter hoc apud publicatum à Jacobo Gretzero Anaſtaſium Sinaitam docet Alexandrina Orthodoxi cum Gajanita diſputatio. Orthodoxus rogat: *Dic mihi, ſi ut Divinitas, ita & Corpus Chriſti, & ab ipſo unionis exordio immortalitatem habet, num communio ſacratiſſimi Corporis & Sanguinis Chriſti, quam offers & participas, verè eſt verum corpus & Sanguis Chriſti Filii Dei, vel nudus panis, qualis oſtiatim venditur, vel vicem dumtaxat & figuram gerit corporis Chriſti, ut ſacrificium hirci, quod Judæi offerunt?* Et Gajanita reſpondit: *Abſit ut dicamus ſacram communionem eſſe tantùm figuram corporis Chriſti, aut nudum panem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti Filii Dei incarnati, & ex ſanctiſſima Deipara & ſemper Virgine Maria nati, verè accipimus.* Et iterum Orthodoxus: *Sic credimus, & ſic confitemur, juxtà dictum Chriſti ad Diſcipulos, in cœna myſtica dantis illis vivificum panem; Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem dedit illis dicens: Hic eſt ſanguis meus. Non dixit: Hoc eſt figura, ſeu vices gerens corporis & ſanguinis mei.* Et pluribus iſta confirmat. Et etiam Julianiſtas, Negraniſtas, Severianos, Jacobitas, Theodoſianos, Dioſcoriſtas, & omnem Eutychetis fœcem ita credere affirmat laudatus Anaſtaſius. Hoc ipſum docuit etiam in ſecundo Antirrhetico Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Sanctus item Joannes Damaſcenus. Etiam Schiſmaticus Bulgarorum Archiepiſcopus Theophylactus. Ad hæc Domini verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſcribit in Sancti Matthei commentariis: *Porrò Dominus dicens, Hoc eſt corpus meum, oſtendit quòd ipſum corpus Domini eſt panis qui ſanctificatur in altari, & non reſpondens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura, ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis videatur panis, quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideò panis quidem apparet, ſed reverà caro eſt.* Diſertè affirmat non eſſe panem, ſed ſolam panis ſpeciem: Panis transformati in veram carnem: Transformati vi verborum: *Hoc eſt corpus meum*. Hic etiam apud illum eſt expeditus verborum ſenſus. Addit carnem velari panis ſpecie: Ob humani generis naturalem à manducanda humana carne horrorem. Ad eadem Domini verba ſcribit in Sancti Marci Commentario: *Non figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis eſt, ſed in illud ipſum convertitur Chriſti corpus: Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Non dixit, Figura eſt carnis, ſed, caro mea eſt. Et quomodo, inquis, caro non videtur? O homo, propter noſtram infirmitatem illud fit. Quia enim panis & vinum ex his ſunt quibus adſuevimus, ea non abhorremus, ſanguinem verò propoſitum & carnem videntes non ferremus, ſed abhorreremus, ideoque miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſervat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat.* Eadem repetit in Commentario ad caput ſextum Sancti Joannis. Tanquam breviator loquitur ex Sancto Joanne Chryſoſtomo: Et hujus ſenſa ſtatim aperientur. Ex Domini verbis, *Hoc eſt corpus meum*, Euchariſtiæ veritatem educunt & firmant etiam in ſupra laudatis teſtimoniis Sanctus Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Epiphanius, Nyſſenus Gregorius, pluresque Latini & Græci. Rationem dat in laudato ſuperiùs libro octoginta trium quæſtionum idem Auguſtinus, Evangelica verba, *Verbum Caro factum eſt*, defendens à varia calumnia adverſum duas priores Apollinariſtarum claſſes, & adjungens adverſus tertiam: *Poteſt alius non minùs perverſus ex iſtis verbis ita calumniari fidei noſtræ, ut dicat ipſum Verbum converſum & commutatum eſſe in carnem, & Verbum eſſe deſtitiſſe. Sicut caro humana, cum fit cinis, non eſt caro & cinis, ſed ex carne cinis. Et ſecundum loquendi modum, conſuetudinemque celebriorem quidquid fit quod non erat, deſinit eſſe quod erat.* Hinc panis, dum fit corpus Chriſti, deſinit eſſe panis, nec eſt ſimul panis & corpus, ſed ex pane corpus.

Cap. 33. Qu. 80.

pus. Ita cogit loquendi modus, & conſuetudo celebrior, nec aliud ulla hìc ratio ſuadet. Et ex his lucet, quòd nos hodie Catholici non ſectemur jejuna ſyllabarum aucupia.

Redeamus ad Sanctum Cyrillum. Carnalem Capharnaitarum de Euchariſtia errorem, nec non & Judaicos Propoſitionis panes exponit, atque proſequitur: *At in Lege nova panis cœleſtis, poculumque ſalutis animam & corpus ſanctificant. Sicut enim panis corpori, ſic & verbum menti convenit. Ne ergo conſideres tanquam panem nudum, & nudum vinum: Corpus enim & Sanguis Chriſti ſunt, ſecundùm ipſius Domini verba. Quamvis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet. Ne ex guſtu rem judices, quin potiùs ex fide habeas pro certiſſimo, ita ut nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata Corpus & Sanguinem.* Pluribus hæc illuſtrat atque proſequitur: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti. Et vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed eſſe Sanguinem Chriſti.* Sanctificata oleum & aquam nemo unquam dixit non eſſe aquam aut oleum. Et in parentis ſui Gregorii Epiſcopi funebri elogio Sanctus Gregorius Nazianzenus memorat *candidos imprimis, Cruce conſignatos, & more ſuo benedictos panes*, & ipſorum non reali, ſed ſola ſpiritali manducatione matrem ſuam Nonnam affirmat fuiſſe à gravi morbo liberatam. Adeò ſancta & potens erat benedictio. Et ſimiles panis ac vini benedictiones Græci ſemper habuerunt varias. Et tamen ejuſmodi panem & vinum nemo unquam dixit non eſſe panem & vinum. Nempe tantam mutationem non facit niſi illa benedictio, de qua Sanctus Cyrillus pergit in quinta myſtagogica Catecheſi: *Per Seraphicum hymnum nos ipſos ſanctificantes, Deum benigniſſimum oramus, ut ſuper propoſita dona Sanctum Spiritum emittat, qui panem quidem faciat Corpus Chriſti, vinum verò Chriſti Sanguinem.* Et infrà: *Sacerdos poſteà dicit, Sancta ſanctis. Sancta ſcilicet ea, quæ in Ara propoſita ſunt, adventu Spiritus Sancti ſanctificata. Audiſti deinceps Divina quadam melodia pſallentem, atque ad ſacrorum Myſteriorum communionem vos adhortantem: Guſtate & videte, quod ſuavis eſt Dominus. Num hoc corporeo palato ut iſtud dijudicetis, vobis præcipitur? Nequaquam. Sed potiùs fide certa, & omnis dubitationis experte. Guſtantes enim non panem aut vinum ut guſtent jubentur, ſed quòd ſub ſpecie eſt, videlicet panis & vini, Corpus & Sanguinem Chriſti.* Eſt Euchariſtica conſecratio, qua panis & vinum non tantùm de communibus in quampiam accidentalem ſanctitatem, ſed ſubſtantialiter in Domini Corpus & Sanguinem convertuntur. Et hoc ſecundùm & propter ſolemnia Domini verba: *Hoc eſt Corpus meum.* Candidos Sancti Gregorii Nazianzeni panes quidam exiſtimant fuiſſe azymos, ideoque Cappadociam tunc in azymo & Eulogiam & Euchariſtiam confeciſſe. Nec eſt vana conjectura. Eſt tamen conjectura.

Orat. 19.

Sanctus CYRILLUS *Alexandriæ Patriarcha.*

EUchariſtiæ veritatem luculentiſſimè docet etiam Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Hæc Domini apud Sancti Joannis Evangelium verba, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto*, commentatur: *Diſtinguit Dominus myſticam Eulogiam à manna largitione, & calicis communicationem ab aquis è petrarum ſciſſura ſcaturientibus.* Adfirmat manna, licet ſpiritualis rei Sacramentum, tamen non fuiſſe niſi corporis alimentum, atque adjungit: *Non erat igitur cibus verus, & panis de cœlo nimirùm; ſanctum autem Chriſti corpus, ad immortalitatem ac vitam æternam nutriens, cibus profectò verus erit.* Scaturientem è petra aquam demonſtrat fuiſſe ejuſdem rationis cum manna, atque proſequitur: *Illud igitur non erat potus verus, ſed verus, ut verè loquamur, potus eſſe comperitur pretioſus Sanguis Chriſti, qui totam radicitus exſtirpat corruptionem, & mortem in humana carne habitantem ſubvertit. Sanguis enim eſt non vulgaris hominis, ſed ipſiuſmet vitæ ſecundùm naturam. Quocirca nos corpus & membra Chriſti nuncupamur, ut qui per ipſam Eulogiam in nobis ſuſcipiamus Filium.* Ex quo vides quòd inter Judaicum manna & noſtram Euchariſtiam Sanctus Cyrillus firmet grande intervallum. Uti inter figuram & veritatem. Quod ipſum facit in quarto libro adversùs Neſtorium. Adducit laudata Domini verba, & proſequitur: *Quia ex genere Iſrael nati de mannà ſuppeditatione Moyſen admirabantur, quod cùm per deſertum ejus temporis hominibus demiſſum fuiſſet, typum geſſit myſticæ benedictionis. Umbra namque erat lex. Ideò prudenter admodum* Dominus noſter JESUS *Chriſtus typum extenuat, ut ad veritatem transferat.* Demonſtrat manna fuiſſe prænunciam ſolummodò ac promiſſivam Euchariſtiæ figuram, merumque alimentum corporis, adducit Domini de ſuo cœleſti pane ac ſua carne apud Joannem verba, atque adjungit: *Vide quemadmodùm Dominus in nobis manet, & corruptionis victores efficit, dum ſe in noſtra demittit corpora, etiam per ſuam carnem, quæ verus eſt cibus.* Non per ſolam carnis figuram, ſed per ipſam ejus ſubſtantiam. Hinc pergit: *Ex Deo Patre Verbum, cum ſe corpori per Sanctam Virginem edito univiſſet, ipſum corpus reddidit vivificum, ut nos non ſpiritali tantum, verùm etiam corporali modo ſui participes effectos, corruptione præſtantiores redderet.* Eadem Domini de Judaico manna & ſua carne verba laudat in tertio libro commentariorum ſupra Sancti Joannis Evangelium, atque exponit: *Quidnam ergo Chriſtus pollicetur? Nihil quidem corruptibile, ſed Eulogiam potius illam, quæ eſt in participatione Sanctæ carnis ac ſanguinis, quæ integrum hominem ad incorruptionem revocat. Vivificat igitur Sanctum Chriſti corpus eos, in quibus fuerit, & in incorruptione conſervat, noſtris commixtum corporibus. Corpus enim non alterius cujuſdam, ſed ipſius vitæ ſecundùm naturam intelligitur, totam habens in ſeipſo uniti*

Cap. 5.

uniti Verbi virtutem, & eadem, ut ita dicam, qualitate præditum, imò verò ejus vi & efficacia repletum, per quam omnia vivificantur, & in ſuo eſſe conſervantur. In octavo libro hæc Domini verba, *Ego ſum vita*, intelligenda aſſerit de divina Verbi ſubſtantia, atque adjungit: *Poſſumus & vitam accipere myſticam Eulogiam, per quam inſerit Chriſtus ipſius vitam data propriæ carnis fidelibus participatione.* Quam phraſim etiam Africanæ Eccleſiæ, & quidem ex traditione Apoſtolica, fuiſſe familiarem teſtatur in primo libro de peccatorum meritis ac remiſſione Sanctus Auguſtinus:
Cap. 24. *Optimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & Sacramentum corporis Chri-*
Cap. 22. *ſti nihil aliud quàm vitam vocant.* Et in primo ad Sanctum Papam Bonifacium libro poſt laudata Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramenta concludit ſine ipſis non poſſe eſſe *ſalutem & vitam*. Quod ipſum facit in ſecundo ac in octavo de verbis Apoſtoli, & in primo ſermone de tempore: Eſt inter varios magnus Euchariſtiæ titulus: Quia nempe ipſa non eſt qualiſcumque caro, ſed caro ipſius vitæ, ideoque & ipſa eſt vita.

Idem Cyrillus in decimo libro profitetur inter Dominum & nos eſſe habitudinem vitis & palmitum, ideoque ab ipſo nobis eſſe vitalem influxum, atque exponit: *Dicat nobis aliquis cauſam, & vim myſticæ Eulogiæ obiter doceat. Nam cur in nobis inſeritur? Nonne ut Chriſtum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter, participatione & communione ſuæ ſanctæ carnis? Præclarè quidem. Scribit enim Paulus Gentes factas eſſe concorporales, & compartiales, & cohæredes Chriſti. Concorporales autem quonam modo factæ ſunt? Nempè Eulogiæ myſticæ participatione honoratæ, unum cum eo factæ ſunt corpus, ſicut & unuſquiſque Apoſtolorum. Hinc enim animadvertere eſt operæ pretium, Chriſtum non dicere, ſe dumtaxat in nobis futurum ſecundùm relationem quandam affectualem, ſed per participationem naturalem. Ut enim ſi quis ceram ceræ inductam igne ſimul liquaverit, unum quid ex ambobus efficit; ita per corporis Chriſti & pretioſi ſanguinis participationem ipſe quidem in nobis, nos autem rursùs in eo ſimul unimur. Nec enim aliter vivificari poteſt quòd natura ſua eſt corruptibile, quàm ſi corporaliter unitum ſit corpori ejus, qui ſecundùm naturam ſuam eſt vita.* Hæc eſt unio, de qua dixit etiam Sancta Agnes: *Jam corpus ejus corpori meo unitum eſt, & ſanguis ejus ornavit genas meas.* Non per affectum aut figuram, ſed manifeſtè per ſubſtantiam. Pergit Cyrillus in Epiſtola ad Neſtorium Epiſcopum & Hæreſiarcham Conſtantinopolitanum: *Quin illud quoque non poſſum hoc loco non adjicere, nempè dum unigeniti Filii Dei, hoc eſt,* JESU *Chriſti mortem, & ex mortuis reſurrectionem annunciamus, ejuſdemque in cœlum adſcenſionem confitemur, incruentum in Eccleſia ſacrificium nos celebrare, atque ad myſticas benedictiones accedere, eàque ratione ſanctificari, utpotè ſacræ carnis & pretioſi ſanguinis Chriſti participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus: Abſit hoc. Neque rursùm tanquam viri cujuſpiam ſanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo conſociati, aut Divinam inhabitationem ſortiti, ſed tanquam verè vivificam, ipſiuſque Verbi propriam. Nam cùm vita ſit, ut Deus ſecundùm naturam, ſimulatque unum quiddam cum ipſa ſua carne effectum eſt, mox vivificandi virtutem ipſi contulit. Quamvis ergò ad nos dicat; Amen, Amen dico vobis, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, neutiquam tamen illam communem, hoc eſt, hominis cujuſpiam noſtræ conditionis carnem eſſe exiſtimare debemus. Quomodo enim hominis caro ſecundùm ſuam ipſius naturam vivifica eſſe queat? Sed verè illius propriam, qui noſtri cauſa Filius hominis & factus eſt & appellatus.* Et in duodecim adversùs Neſtorium Capitulis: *Si quis ipſam Domini carnem vivificam, ipſiuſque Verbi, quod ex Patre eſt, propriam eſſe negaverit, ſed alterius cujuſpiam ipſi Verbo ſecundùm dignitatem tantùm conjuncti, aut Divinam tantùm inhabitationem ſortiti, eſſe dixerit, neque verò potiùs vivificam confeſſus fuerit, eò quod Verbi, quod omnia vivificat, facta ſit propria, anathema ſit.* Et in iſtius Capituli declaratione: *Sanctum & vivificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus, corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis ac nobis ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes, ſed potiùs tamquam proprium corpus effectum, & ſanguinem ejus Verbi, quod omnia vivificat, accipientes. Siquidem communis caro vivificare non poteſt. Et hoc Salvator ipſe teſtatum facit, inquiens: Caro non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui vivificat. Cùm itaque Neſtorius, & qui cum illo ſentiunt, myſterii hujus virtutem temerè diſſolvant, propterea, & quidem admodum convenienter, editus eſt hic anathematiſmus.* Quæ omnia largiùs exponit in Capituli, ſeu Anathematiſmi Apologia adversùs Theodoretum Cyrenſem Epiſcopum, ac præſertim in Apologia adversùm omnes Epiſcopos Patriarchatus Antiocheni. Emphaſim habent hæc verba: *Quia vita ſecundùm naturam eſt Verbum, vivificatricem effecit ſuam carnem, & hac ratione facta eſt nobis benedictio vivificatrix.*

Notanda ſunt & hæc verba: *Neſtorius myſterii hujus virtutem diſſolvit.* Etenim avitam & univerſalem Eccleſiæ regulam, quæ ipſum à Chriſto Domino in ſuo viſibili ſuppoſito geſtatum corpus credit & docet eſſe ac ſumi in Euchariſtiæ Sacramento, conſtanter tenuit Neſtorius, atque ex ipſa tentavit ſuum errorem confirmare. Evangelica & Apoſtolica de ſacroſancto Sacramento teſtimonia conglomerat, & commentatur: *Cur autem etiam, ſi utraque,* utique Divinitas atque humanitas, *ut tu opinaris, commixta ſunt, Dominus noſter, cùm myſterii vim Diſcipulis ſuis traderet, ſic dicit; Accipite, comedite omnes, Hoc eſt enim corpus meum. Cur non dixit, Hoc eſt Divinitas mea, quæ pro vobis frangitur? Rurſumque cùm poculum myſteriorum daret, non dixit, Hoc eſt Divinitas, quæ pro vobis effunditur, ſed, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum?* Et iterùm: *Non dixit, Quoties manducabitis Divinitatem hanc, ſed, Quoties manducabitis panem hunc. Vide de corpore Dominico illi eſſe propoſitum. Quotieſcumque manducabitis panem hunc, cujus eſt*

ipſum

ipſum corpus antitypum. Et ad Apoſtoli de Euchariſtiæ perpetuitate verbum, *Donec veniat*, commentatur: *Quis autem venit? Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, videbunt in quem compunxerunt. Quid igitur illud compunctum eſt? Latus. Latus verò eſt corporis, non Divinitatis.* In Euchariſtia non Verbi Divinitatem, ſed ſolum Domini corpus & ſanguinem manducari & bibi garrivit Neſtorius, atque indè concluſit hæc etiam ſola, non verò iſtam fuiſſe in viſibili Domini ſuppoſito. Utique ex laudata regula. Regula apud Majores noſtros fuit adeò firma, ut ex ipſa adversùs peſſimam peſſimorum Armeniorum Religionem ſcribat ipſorum Patriarcha Iſaac: *Armenii terribilem Juliani Halicarnaſſi ac Aphtartodocitarum hæreſim inſtaurantes, ac palàm Chriſti Incarnationem abolentes, negant Chriſtum conſubſtantiale nobis corpus, craſſum ac mortale, terrenumque, necnon corruptibile & creatum, ex Maria Virgine adſumpſiſſe. Quinimmò corpus non obnoxium corruptioni, ſubtile, impaſſibile, immortale, increatum. Ac, inquiunt, viſus eſt homo ut voluit, manducavitque & bibit. Tum rursùs hanc quoque incorpoream, ac materiæ expertem carnem penitùs negantes, & ex immundo & Chriſti hoſte ipſorum corde falſas fabulas comminiſcentes, eandem ipſam inviſibilem, immortalem, ac incorruptam carnem, in naturam Divinitatis demutatam ajunt, nec Chriſtum humanam naturam in ipſa ſervare incolumem, non corpus ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ, non carnem & oſſa, non caput, non manus ac pedes, non hominis figuram, ſed factum ſimplicem, ac expertem compoſitionis, quomodo habebat ante Incarnationem. Atque ut mellis aut aceti gutta, maris pelago commixta, atque in eo merſa, non amplius oculis conſpicua eſt, aut nec conſiſtit; ita, inquiunt, & quod Chriſtus aſſumpſit corpus, confuſum & immerſum Deitatis pelago, haud deinceps in ipſo cernitur, aut conſiſtit incolume, nec ſervat naturam ſuam, aut proprietatem retinet: Atque adeò non duæ, inquiunt, naturæ ſunt in Chriſto Deitatis ac humanitatis, ſed una dumtaxat, tota Deitatis. Quare etiam Eccleſiæ Catholicæ traditiones, & Chriſti Sacramentorum, pro unius illius naturæ ratione, quam blaſphemant in Chriſto, mutantes, ſimiliter novas moliti ſunt, ac Sacramentorum communionem, id eſt, panis ſacrificium, qui eſt Chriſti caro, haudquaquam Chriſti Dei corpus appellant, uti Chriſtus ipſe dixit, ſed Deitatem.*

Halicarnaſſi in Caria Epiſcopus Julianus, ac cætera Eutychianæ Hydræ capita non ſolam figuram prædicarunt in Euchariſtia, ſed omninò etiam veritatem. Ità audivimus ſuprà ab Anaſtaſio Sinaita. At veritatem deviam & falſam. Talem carnem & talem ſanguinem cenſebant in Sacramento, qualem credebant in viſibili Domini ſuppoſito. Et quia Armenii ac alii Julianiſtæ in ſedente ad Dei Patris dexteram Chriſto nullam amplius carnem aut ſanguinem, ſed delirabant ſolam ſupereſſe Deitatem, ita & hanc ſolam delirabant in Sacramento. Et quidem Hydræ Principem, imperitum ſenem Eutychetem, hocce gladio aggreſſus fuit Magnus Papa Leo. Ejus imperitiam ab ipſis etiam fidelibus pueris, qui veram Domini carnem quotidiè profitentur in ſumpto à ſe Sacramento, dixit poſſe aut corrigi aut confundi. Eodem argumento Armenios invadit Patriarcha Iſaac. Errorem iſtum, qui ſolam Divinitatem in Sacramento adſtruat, aſſerit eſſe nefandum ac deteſtabilem apud omnes Chriſtianos, ideoque & hujuſmodi eſſe illum, qui talem Chriſtum ſibi fingat in cœlo.

Eodem argumento Sanctus Cyrillus invadit Neſtorium. Dominicam in Euchariſtia carnem affirmat debere eſſe vivificatricem, ac immortalitatis & incorruptibilitatis donatricem, ideoque non poſſe eſſe communis ſeu puri hominis, ſed neceſſariò eſſe Dei-Hominis, hominis aſſumpti in Divinam Dei Verbi perſonam. Hinc infert ejuſmodi hominem fuiſſe pro nobis natum ex Virgine, in cruce paſſum, excitatum à mortuis, & jam ſedere ad dexteram Patris. Quæ omnia inſigniter confirmat aliud ejus ad Neſtorii Aſſerta Reſponſum. Quòd in Euchariſtia non Domini Divinitatem, ſed ſolam carnem manducemus, multis blaterat Neſtorius, & firmare tentat ex carnali Capharnaitarum errore: *Verborum ſublimitatem non tulerunt Capharnaitæ, ex inſcitia putabant Dominum ſuadere antropophagiam.* Affirmat nullam manducandæ Divinitatis ſuſpicionem Capharnaitis incidiſſe, ideoque iſti manducationi nullum à Dominicis verbis eſſe fundamentum aut fomentum. Et Cyrillus reſpondet: *Atqui ea res quomodo non certa ſit antropophagia? Quo verò modo ſublime adbuc erit illud myſterium, ſi non ipſum ex Deo Patre Verbum eſſe miſſum dixerimus, & miſſionis modum confeſſi fuerimus eſſe ipſam humanationem?* Affirmat Neſtorium manifeſtè altero pede labi in Capharnaiticam foveam: Utpotè qui nudum hominem ſentiat in Sacramento ſumi, ideoque puram putam, licèt non viſibilem & apertam, tamen velatam ac inviſibilem dogmatizet antropophagiam. Et infrà pergit. *Si eſſet qui dicere auderet ipſum Dei Verbum in corporis naturam eſſe* Cap. 7. *mutatum, accuſaret quiſpiam, & quidem jure, quòd Dominus non dixiſſet, cùm corpus daret, Accipite & manducate, Hoc eſt mea Divinitas, quæ pro vobis frangitur; Et, Hoc eſt, non ſanguis meus, ſed Divinitas, quæ pro vobi effunditur. Nunc verò cùm ipſum Verbum, quod Deus erat, proprium ſibi fecerit corpus natum ex muliere, neque ullam aut alterationem aut mutationem pertulerit, quomodo non æquum fuit ſine ullo mendacio nobis dicere, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum? Cùm autem eſſet vita, tanquam Deus, vitam ſimul & vivificum illud effecit.* Dei verbum eſſe mutatum in carnem dixerunt quidam Apollinariſtæ. Quòd tamen in Euchariſtia non vera caro, ſed ſola manducaretur Divinitas, videntur non blateraſſe: Videntur timuiſſe lapides fidelis populi, qui carnem à ſe illic manducari audierat ſemper in Eccleſia, & conſtanter credebat. Quidquid ſit, jam audivimus id poſteà fuiſſe ex adverſo principio blateratum à Julianiſtis. Ex quibus omnibus vides veram ac realem Dominicæ ſubſtantiæ in Euchariſtia præſentiam à cunctis tunc etiam Hæreticis fuiſſe concorditer

diter admiſſam, & ſolam fuiſſe pugnam de ſubſtantiæ modo & natura. Neſtorius purum hominem, Julianus ſolam Divinitatem, Eutyches utriuſque naturæ mixturam, Catholica Eccleſia plenum & confuſum Deum-Hominem credidit illic eſſe præſentem. Quare Neſtorium Sanctus Cyrillus meritò arguit, quòd *myſterii virtutem ſolveret*. Etenim uti ille, qui in viſibili ſuppoſito, ita & qui Chriſtum Dominum in myſterio ſolvit, eſt omninò Anti-Chriſtus. Quid ergò iſti, qui myſterium omni Domini præſentia ſpoliant, ac plene evacuant? Et iſtam Sancti Cyrilli doctrinam non ſola Epheſina Synodus admiſit in Canonem, ſed etiam Chalcedonenſis, & omnis ſub cœlo Eccleſia.

CAPUT VII.

Exponitur ſententia Theodoreti, Cyrenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopi.

ADeamus Antiochenum Patriarchatum. Qui Sancti Cyrilli adversùs Neſtorium Capitula potentiſſimè illic impugnavit, fuit Theodoretus, atque ita quibuſdam viſus eſt de Euchariſtia non in omnibus rectum ſentire. Poſtquam hic ſua in Epheſino Concilio delicta non dumtaxat apud Magnum Papam Leonem, ſed etiam apud Chalcedonenſem Synodum plenè purgarat, & ab inflictis ſibi per Epheſinum latrocinium vinculis abſolutus, Cyrenſem Eccleſiam denuò in pace regebat, ad illum, utpotè virum longè doctiſſimum, ſcripſit laudatus
Ep. 63 cap. 6. Pontifex: *Quod ſupereſt, exhortamur, ut quia illic nonnullas Eutychiani ac Neſtoriani erroris reliquias cognovimus remanſiſſe, nunc etiam Sedi Apoſtolicæ collabores*. Verùm de Neſtorianæ ſcabiei reliquiis ſcribit in ſuæ Eccleſiæ Annalibus Eutychius Patriarcha Alexandrinus: *Neſtorius ubi* ab Epheſina Synodo degradatus, ac ab Imperatore Theodoſio *pulſus fuerat*, ac deportatus in Oaſin, *in Ægyptum tendens, in ea ejus parte, quæ Said dicitur, loco Echmiu appellato, ſeptem annos ſubſtitit, deindè mortuus eſt, ac ſepultus in vico Saklan dicto, in quo æſtus ingens contigit, ac præcipuè in valle, in qua ipſe ſepultus fuerat, adeò ut nemo in ea incedere vel per eam tranſire tempore æſtivo poſſet*. Nempè æſtus ille mundo nunciabat in-
Parte 1 fol. 12. fernalem Neſtorii æſtum. *Atque ita obliterata eſt ſententia Neſtorii, donec illam longo poſt ipſum temporis ſpatio reſuſcitaret Burſumas Metropolita Niſibenſis, tempore Juſtini Romanorum Imperatoris, & Kabadi Phiruzii filii, Regis Perſarum, eamque in Oriente, ac præcipuè apud Perſarum incolas adſtrueret. Undè eſt quòd multi ſint Neſtoriani in Oriente, circa Euphratem, ac in Meſopotamia*. Imperator ille fuit Juſtinus primus. Hic enim fuit coætaneus Kabado Perſarum Regi. Hinc ergò Theodoretus omnes ſuæ ſcientiæ vires impendit contra Eutychianos. Contra Neſtorianos nihil ſcripſit.

Contra Eutychianam lepram ſcripſit tres inter Orrhodoxum & Eraniſten dialogos, quibus dedit hoſce titulos: *Immutabilis*, *Inconfuſus*, *Impaſſibilis*. Omnis quæſtio erat de hiſce verbis: *Verbum caro factum eſt*. Quòd iſta phraſis ſua vi converſionem importet, manifeſtum eſt, & in libro octoginta trium quæſtionum profitetur, ac Apollinario concedit Sanctus Auguſtinus. Et ita laudatas Evangelii voces eſſe accipiendas prætende-
bant Eutychianiſtæ. Qu. 80. Verùm ab illis non converſionem, ſed aſſumptionem importari, Eccleſia ſemper credidit & docuit. Et in priori dialogo Theodoretus inſigniter demonſtrat ex Apoſtolicis ad Hebræos verbis: *Non Angelos*, Deus-Verbum, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Ex ſacris litteris demonſtrat humanitatem eſſe Dei-Verbi velamen, veſtem, ſtolam, ac pallium, ideoque nullam hìc eſſe converſionis apparentiam, ſed manifeſtam adſumptionem. Inter alia adducit hæc Patriarchæ Jacob de Domino Prophetica verba: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Per ſtolam & pallium non humani corporis, ſed Dei-Verbi veſtimenta oſtendit intelligi, ideoque non ejus tunicam, ſed ipſum ejus corpus. Hoc enim Dominus lavit in ſanguinæ uvæ, hoc eſt, in proprio ſanguine. Ipſe enim eſt vitis vera, & nos ejus palmites, ideoque profluens ex iſtius vitis uva ſanguis eſt ſanguis Dei-Verbi.

Ita dialogus Eraniſten induxit ad agitandum Euchariſtiæ myſterium. Et Orthodoxus admiſit diſputationem, atque præfatus eſt: *Oro te, ut obſcuriùs reſpondeas, adſunt enim fortaſſè aliqui myſteriis non initiati*. Hæc antiqua Secreti regula eſt magna cauſa, cur noſtri Patres frequentibus amphibologiis & circumlocutionibus tremendum hoc myſterium circumveſtiverint, atque ita Sacramentariis poſteriorum ſæculorum hæreticis dederint anſam delirandi & blaſphemandi. Pergit Orthodoxus: *Sanguinem igitur uvæ Patriarcha Jacob appellavit Salvatoris ſanguinem. Si enim Dominus vitis appellatus eſt, & fructus vitis vinum appellatur, ſanguinis verò & aquæ rivi, ex Domini latere profuſi, per reliquum corpus deorsùm manarunt, jure omninò & appoſitè vaticinatus eſt Patriarcha: Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Sicut enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem appellamus Dominicum ſanguinem, ſic veræ vitis ſanguinem nominavit uvæ ſanguinem*. Et Eraniſtes repoſuit: *Obſcurè ſimul ac dilucidè, quod propoſitum fuerat, demonſtraſti*. Reverà obſcurè. Hic enim eſt primus locus, ex quo noſtri Sacramentarii concludunt à Theodoreto fuiſſe in Euchariſtia dogmatizatam ſolam figuram Dominici ſanguinis. Et exiſtimant ſe non carere fundamento. Etenim Theodoretus ſanctificatum calicem adſerit eo modo dici Dominicum ſanguinem, quo Patriarcha Jacob vinum de vite titulavit eundem ſanguinem: At verò hæc Prophetica locutio importat ſolam figuram.

Reſpondeo nullum hìc eſſe erroris fundamentum. Etenim Patriarchæ Prophetica locutio fuit myſtica & metaphorica, ſimilis huic: *Vi-*

Vicit

ſit Leo de Tribu Juda. Vox, Leo, non brutum animal, ſed Chriſtum Dominum immediatè ſignificat. Ita & hæc propoſitio, *Meſſias lavabit ſtolam ſuam in ſanguine uvæ*, habet hunc immediatum ſenſum: *Lavabit corpus ſuum in proprio ſanguine*. Eſt ſimilis huic: *Mittamus lignum in panem ejus*. Et Propheta Jeremias & Jacob Patriarcha per panem & vinum intellexerunt iſtud ipſum, quod nos intelligimus per panem & vinum à nobis ſanctificatum: Utique proprium ac verum Domini corpus & ſanguinem. Hic omnino eſt Theodoreti ſenſus, qui lucidè involvit ac ſupponit Euchariſtiæ veritatem. Hinc Orthodoxus pergit: *Etſi hæc tibi ad fidem faciendam ſufficiant, ad veritatem tamen confirmandam adjiciam & aliam probationem. Scis quod panem Deus proprium corpus appellavit. Alibi verò carnem frumentum appellavit: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. In myſteriorum verò inſtitutione panem appellavit corpus, & quod mixtum erat, ſanguinem. Atqui ſecundùm naturam & corpus jure corpus, & ſanguis vocabitur ſanguis. Salvator autem noſter nomina permutavit: Et corpori quidem id quod erat ſymboli nomen impoſuit, ſymbolo autem quod erat corporis. Sic vitem ſeipſum qui nominavit, ſanguinis nomen ſymbolo tribuit*. Pergit oſtendere quod Patriarcha Jacob per pallium & ſtolam ac per vinum ſeu uvæ ſanguinem intellexerit Domini Sanguinem & Carnem. Et imprimis aſſerit iſtam locutionis ſpeciem reperiri etiam in Evangelio. Etenim ibi ipſe Dominus ſuo corpori impoſuit nomen frumenti. Etiam nomen panis. De accepto enim in manus, & Euchariſticè benedicto pane, palam dixit: *Hoc eſt Corpus meum*. Theodoretus affirmat panem non fuiſſe ipſum Corpus, ſed corporis dumtaxat ſymbolum, ideoque Dominum uſum hac famoſa, per Sanctum Auguſtinum frequenter laudata, regula: *Sacramenta earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, quandam gerunt ſimilitudinem. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt*. Ex hoc principio etiam ipſe Dominus permutavit nomina, & rei nomen tranſtulit in ſymbolum. Ep. 23.

Et ad hæc Eraniſtes: *Hoc quidem verè dixiſti. Vellem autem permutationis nominum cauſam ediſcere*. Et Orthodoxus ei repoſuit: *Manifeſtus eſt ſcopus iis, qui Divinis Myſteriis ſunt initiati. Volebat enim eos, qui Divinis Myſteriis participant, non attendere naturam eorum quæ cernuntur, ſed per nominum mutationem mutationi, quæ ex gratia facta eſt, fidem adhibere. Qui enim corpus naturale appellavit frumentum & panem, & qui rurſus ſeipſum nominavit vitem, is viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens*. Palam profitetur & veritatem Euchariſtiæ, & trans-elementationem. Cum Sancto Cyrillo Hieroſolymæ Epiſcopo affirmat non ampliùs elementa quæ videntur, hoc eſt, reſiduas elementorum ſpecies oportere attendi, ſed factam ex gratia mutationem, & in hac fundari mutationem nominum. Huic mutationi adhibendam fidem. Et hoc omnibus initiatis eſſe manifeſtum. Et Eraniſtes: *Et myſticè myſtica dicta ſunt, & perſpicuè declarata, quæ non omnibus ſunt nota*. Omnia admittit & probat. Quòd enim omnis Eutychiana, licet in plurimas factiones diſſecta, Hydra Euchariſtiæ veritatem fuerit conſtantiſſimè profeſſa, ſupra audivimus ab Anaſtaſio Sinaita. Hæc verba: *Non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens*, videntur adſtruere impanationem. Eorum ſcopus & ſenſus ſtatim exponentur.

Pergit Orthodoxus: *Quoniam igitur conſtat & ſtolam & pallium à Patriarcha Dominicum Corpus appellari, atque in ſermonem de divinis Myſteriis ingreſſi ſumus, dic per veritatem, cujus putas ſymbolum & figuram eſſe cibum ſanctiſſimum? Divinitatis ne Chriſti Domini, an Corporis & Sanguinis?* Et Eraniſtes: *Non dubium quin eorum, quorum & nomen accipiunt*. Et iterum Orthodoxus: *Corporis & Sanguinis dicis?* Et Eraniſtes: *Ita dico*. Orthodoxus: *Ut veritatis amicum decet, locutus es. Nam Dominus accepto ſymbolo non dixit, Hæc eſt Divinitas mea, ſed, Hoc eſt Corpus meum. Et rursùs: Hic eſt Sanguis meus*. Et Eraniſtes: *Hæc vera ſunt, Divina enim ſunt oracula*. Et Orthodoxus concludit: *Si ergo vera, corpus utique habuit Dominus*. Eutychianum Eraniſten invadit eo argumento, quo ipſum Eutychetem invaſerat Magnus Leo Pontifex: *In quibus iſti*, Eutychiani, *ignorantiæ tenebris, in quo hactenùs deſidiæ torpore jacuere, ut nec auditu diſcerent, vel lectione cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei in omnium ore tam conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis & Sanguinis Chriſti inter communis Sacramenta Fidei teneatur? Quia in illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ hoc impartitur, hoc ſumitur, ut accipientes virtutem cœleſtis cibi, in Carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus*. Hic eſt ille cibus, qui alicubi alloquitur humanum genus: *Cibus ſum grandium. Creſce & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. In myſticum meum Corpus: In tuo conſubſtantiali Principi circumſubſtantialem & concorporalem populum. Et Theodoretus & Magnus Leo ex avita Patrum Regula affirmant idem per omnia corpus eſſe & in hoc Sacramento, & in viſibili Domini ſuppoſito: Et quia omnis Eccleſia profitetur in Sacramento eſſe veram & nobis conſubſtantialem carnem, concludunt talem fuiſſe etiam natam de Virgine, paſſam in Cruce, reſuſcitatam à mortuis, & exaltatam ad dexteram Dei Patris. Et nota, quòd Theodoretus hunc ſanctiſſimum cibum appellet & figuram ſimul & veritatem: Figuram ratione continentium ſymbolorum, veritatem ratione contentæ ſubſtantiæ. Et ejus verba nequaquam adſonant ſuprà memorato errori Neſtorii. Nec enim cum Neſtorio negant Divinitatem ſingulari modo eſſe in Sacramento; ſed dumtaxat adversùs Eutychetem negant ipſam eſſe ſolam, adeoque adſumpta carnem & ſanguinem aſſerunt in ipſam non eſſe converſa.

Ep. 23.

Et ad hæc Eraniſtes reſpondit: *Vera ſunt hæc. Divina enim ſunt oracula*. Fatetur in Euchariſtia non ſolam contineri Divinitatem, ſed inſuper veram Domini Carnem ac Sanguinem. Et hinc

hinc Orthodoxus concluſit: *Si ergo vera, corpus utique habuit Dominus.* Videlicet in ſua viſibili perſona. Et Eraniſtes: *Ego autem aio ipſum fuiſſe expertem corporis*: Negavit conſequentiam. Hinc Orthodoxus perrexit cum ſtomacho: *In pertuſum, quod aiunt, dolium, ut apparet, infundimus. Nam poſt tot illas demonſtrationes & objectionum ſolutiones, eodem revolveris.* Indignatur avitam, exploratam, ac ab omnibus Chriſtianis comprobatam de Euchariſtia regulam refutari. Et Eraniſtes dedit ſuæ refutationis rationem: *Non ego tibi verba mea, ſed Evangelica profero.* Utique Sancti Joannis verba: *Et Verbum Caro factum eſt.* Affirmat ab illis importari converſionem, ideoque aliter non poſſe intelligi. Et Orthodoxus repoſuit: *Ego verò an Evangelicorum dictorum interpretationem tibi ex Propheticis & Apoſtolicis verbis non attuli?* Et Eraniſtæ urgenti, *Non ſufficiunt iſta ad dirimendam quæſtionem*, reddidit: *Quoniam alia etiam audire cupis, audi Apoſtolum dicentem; Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus conſtituitur, ut offerat dona & ſacrificia. Unde etiam neceſſe eſt hunc habere aliquid quod offerat.* Demonſtrat oblatam à Chriſto Domino, non tantùm in ſacra Cœna, ſed etiam in Cruce hoſtiam fuiſſe aſſumptum ab ipſo corpus, ipſumque & fuiſſe & eſſe debuiſſe verum & nobis conſubſtantiale, atque ita laudatam de Euchariſtia regulam pergit ſtrenuè ac inſigniter confirmare.

Eandem quæſtionem tractat in ſecundo dialogo. Audi Eraniſtæ iſtic dogma: *Ego dico* in Chriſto Domino poſt factam in Virginis utero hypoſtaticam unionem *manſiſſe Divinitatem, ab hac verò abſorptam eſſe humanitatem. Ut mare mellis guttam ſi accipiat: Statim enim gutta illa evaneſcit, maris aquæ permixta.* Prior Dei Verbum in carnem, hic poſterior Eraniſtes vult carnem eſſe converſam in Verbum. Nec mireris hanc diſſonantiam. Quòd enim Eutychiana ſtultitia fuerit in diverſas & adverſas factiones diviſa hydra, cunctis antiquitatis Eccleſiaſticæ peritis eſt compertum. Quin & hic ipſe Eraniſtes in ſua fabula non perſtitit. Etenim quòd à verſante nobiſcum & nobis prædicante Chriſto Domino geſta opera talem humanitatis à Divinitate adſumptionem paſſa non eſſent, ideoque quòd hæc in ipſa conceptione non potuiſſet fieri, Orthodoxi argumentis convictus & confuſus repoſuit: *Non rectè* tempus *deſignavi. Poſtquam enim à mortuis reſurrexit, caro mutationem in Divinitatis naturam ſortita eſt.* Ex quo vides Julianum Halicarnaſſi Epiſcopum non fuiſſe primum hujus inſaniæ fontem.

Etiam ipſam multis argumentis revicit Orthodoxus, atque adjunxit: *Dic ergò, myſtica ſymbola, quæ Deo à Sacerdotibus offeruntur, quarum rerum ſunt ſymbola?* Et Eraniſtes: *Corporis & ſanguinis Domini.* Et Orthodoxus: *Verinè corporis, an non veri?* Eraniſtes: *Veri.* Orthodoxus: *Optimè. Oportet enim imaginis exſtare archetypum. Nam & pictores naturam imitantur: Et eorum, quæ videntur, pingunt imagines. Si igitur verum corpus repræſentant Divina myſteria, corpus ergò Domini nunc quoque corpus eſt, nec mutatum in Divinitatis naturam, ſed divina gloria repletum.* Eraniſtem iterum invadit ex laudata omnium fidelium circa Euchariſtiam regula. Affirmat ſacroſancta ſymbola eſſe veri Dominici corporis, verique ſanguinis figuram: Figuram non qualemcumque, ſed quæ iſtud corpus ac iſtum ſanguinem repræſentet. Utique ad ſenſum ſuprà adductum ex Tertulliano, Sancto Cypriano, ac variis Romanorum Principum legibus. Et hæc omnia confitentem Eraniſten concluſit, atque intulit: Ergò & nunc in cœlis Domini corpus eſt verum, ornatum beatis dotibus, ſed non ſpoliatum ſua natura, nec converſum in ſubſtantiam Divinitatis.

Eraniſtes ſenſit ſe conſtrictum. Hinc mutavit vela iſtius argumenti, ac ipſum retorſit in Orthodoxum: *Opportunè de Divinis miſteriis intuliſti ſermonem. Nam indè tibi oſtendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Reſponde igitur ad mea interrogata. Quid appellas donum, quod offertur ante Sacerdotis invocationem?* Et Orthodoxus reddidit: *Apertè dicendum non eſt. Veriſimile eſt enim adeſſe aliquos myſteriis non initiatos.* Hinc ex Eraniſtæ conſenſu ænigmaticè reſpondit: *Cibum ex talibus ſeminibus.* Et de altero ſymbolo addidit: *Commune & hoc nomen eſt, poculi ſpeciem ſignificans.* Eraniſtes perrexit: *Poſt ſanctificationem verò hæc quomodo appellas?* Orthodoxus reſpondit: *Corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti.* Et Eraniſtes: *Et credis te corpus Chriſti & ſanguinem percipere?* Orthodoxus, *Ita credo.* Et Eraniſtes: *Sicut ergo ſymbola Dominici corporis & ſanguinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem verò mutantur, & alia fiunt, ita Dominicum corpus poſt adſcenſionem eſt mutatum in Divinam ſubſtantiam.* Palàm profitetur tranſelementationem, ſeu Euchariſticorum elementorum ſubſtantialem converſionem. Affirmat Domini corpus & ſanguinem per glorioſæ Reſurrectionis virtutem tranſiiſſe in Divinitatis naturam, ſicut quotidiè panis & vinum per tremendæ invocationis virtutem ſeu opus operatum tranſeunt in iſtud corpus, iſtumque ſanguinem. Argumentatur à ſymbolo ſeu ſigno ad rem ſignificatam. Argumentatur ex mutatione ſymboli admiſſa & explorata etiam apud Orthodoxum.

Et hic repoſuit: *Retibus, quæ ipſe texuiſti, captus es. Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura. Manent enim in priori eſſentia, & figura, & forma. Et videri, tangique poſſunt, ſicut & prius. Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt. Et creduntur, & adorantur. Ut quæ ſint illa quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis ſimilitudinem: Oportet enim figuram eſſe ſimilem veritati. Illud enim corpus priorem habet formam & circumſcriptionem, & ut ſemel dicam, corporis ſubſtantiam. Immortale autem poſt reſurrectionem, & immune à corruptione, factum eſt, ſedemque à dextris adeptum ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ corpus appellatur.* Loquitur cum Latino Tertulliano, ad uxorem ſuam ſcribente de variis incommodis contracti inter infidelem virum ac fidelem mulierem matrimonii: *Non* L. 2. c. 5.
ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?

Et

Et ſi ſciverit panem, non illum credit eſſe qui dicitur. Ex quo vides Tertulliani tempore domeſticam communionem fuiſſe quotidianam, factam à jejunis, & in ſola ſpecie panis. Porrò Theodoretus lucidè profitetur pleniſſimam Euchariſtiæ veritatem. Etenim Dominicum corpus non tantùm in paterna dextera, ſed etiam in Euchariſticis ſymbolis affirmat intelligi, credi, atque adorari: Quia nempè eſt corpus Domini naturæ, ſeu à naturæ Domino aſſumptum in propriam Hypoſtaſim. Laudatam de viſibili ac inviſibili Domini corpore regulam vult quoad omnia ambulare eiſdem paſſibus.

Verùm videtur docere impanationem. Hic eſt præcipuus lapis offenſionis. Nam & ſuprà in priori dialogo dixit: *Non naturam ſymbolorum Dominus mutat, ſed naturæ gratiam addit.* Pergit verò hìc Eraniſtes: *Atqui ſymbolum myſticum priorem mutat appellationem. Non enim ampliùs nominatur quod priùs vocabatur, ſed appellatur corpus. Oportet ergò etiam veritatem Deum, & non corpus vocari.* Pergit urgere ſubſtantialem Euchariſticorum elementorum converſionem, atque exindè concludit etiam Dominicum corpus tranſiiſſe in veritatem Deum. Et Orthodoxus denuò repoſuit: *Ignorare mihi videris. Non enim corpus ſolum, ſed etiam panis vitæ nominatur. Ità Dominus ipſe appellavit. Et corpus porrò ipſum appellamus Divinum corpus, & vivificum, & Dominicum, docentes non commune hominis cujuſpiam eſſe, ſed Domini noſtri* JESU *Chriſti, qui Deus eſt & homo.* Affirmat duo eſſe in Euchariſtia: Et panem, & Domini corpus. Non qualemcumque panem, ſed panem vitæ. Et corpus, quod ibi eſt, eſſe verum corpus, adeòque & tale eſſe in Patris dextera. Utique ex laudata jam regula. Addit utrobique eſſe corpus non communis hominis, ſed Dominicum atque vivificum. Loquitur cum Sancto Cyrillo, atque evertit Neſtorium. Verùm videtur aſſerere remanentiam panis, atque ita impanationem docere.

Eodem modo loquitur in famoſo adversùs Eutychetem ac Neſtorium libello neſcio quis Gelaſius. Dico, *Neſcio quis.* Alii enim Sanctum Papam Gelaſium, alii volunt eſſe Gelaſium Cæſareenſem in Palęſtina Epiſcopum, aut quem alium Græcum. Quiſquis ſit, eſt Scriptor antiquus & orthodoxus. Profitetur enim ſe ſcribere adversùs *recentem de Dominicæ Incarnationis Sacramento altercationem.* Multis argumentis demonſtrat in Domino ſemper à Conceptionis exordio fuiſſe, manſiſſe poſt glorioſam Reſurrectionem, & in perpetuas æternitates manſuram veram carnem, atque proſequitur: *Certa Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, Divina res eſt. Propter quod & per eadem efficimur Divinæ conſortes naturæ. Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini. Et certè imago ac ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergò nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: Ut ſicut in hanc, ſcilicet in Divinam tranſeunt, Sancto Spiritu perficiente, ſubſtantiam, permanente tamen in ſua proprietate naturæ, ſic illud ipſum myſterium principale, cujus nobis efficientiam, virtutemque veraciter repræſentat. Ex quibus conſtat propriè permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum verumque, permanere demonſtrant.* Palàm loquitur ex Theodoreto. Profitetur in Euchariſtia & figuram & veritatem. Et quò Eraniſten, converſæ & evacuatæ humanitatis aſſertorem evertat, affirmat Euchariſtica elementa non evacuari per conſecrationem, ſed integra permanere.

Reſpondeo hæc teſtimonia non carere difficultate. Etenim hic Gelaſius videtur eſſe ille ipſe Gelaſius Cyzicenus, qui Nicæni Concilii Acta coegit in compendium, & ab ipſo affirmat emanaſſe etiam hoc Decretum: *Iterùm etiam hìc in Divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem ac poculum, ſed attollentes mentem, fide intelligamus poſitum in ſacra illa menſa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum. Et pretioſum ipſius corpus & ſanguinem verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ Reſurrectionis ſymbola. Propter hoc enim neque multùm accipimus, ſed parum: Ut ſciamus, quòd non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus.* An decretum hoc ſit Nicænum, eſt magna quæſtio: Eſt tamen antiquum, & Græcum. Euchariſtiæ veritatem manifeſtè profitetur, unaque laudat antiquam conſuetudinem, quæ populo non magnam partem impartiebat, ſed modicam Euchariſtiæ margaritam. Et ita fieri affirmat ad implantandam populo firmam fidem de veritate. Et morem hodierni Græci etiamnum cuſtodiunt. Porrò uti Theodoretus in Antiocheno, ita Gelaſius floruit & docuit in Patriarchatu Hieroſolymitano. Et quòd in hoc Sanctus Cyrillus, qui primus cum Acacio Luſco cœpit de Metropolitico jure contendere, & Sancti Jacobi Apoſtoli Cathedram exaltare, Euchariſticorum elementorum ſubſtantialem defitionem atque converſionem docuerit, abundè ac lucidè eſt ſuprà demonſtratum. Palàm profitetur conſecrata panem & vinum non eſſe ampliùs panem & vinum, ſed ſolas ipſorum ſpecies. Quòd iſtud ipſum Sanctus Joannes Chryſoſtomus docuerit in Antiochena Metropoli, ſtatim patefiet. Quomodo igitur Theodoretus, in Patriarchali Metropoli paſſim prædicare conſuetus, aut in eadem Diœceſi Metropolita Gelaſius aliud docuiſſent? Uti propter adſtantes infideles unus obſcurè ac ænigmaticè, ita Berengarius ac Lutheranis necdum pro impanatione litigantibus uterque adversùm Eutychianiſtas eſt liberè locutus. Per panis naturam intellexit non intimam ac inviſibilem ſubſtantiam, ſed ſolam viſibilem eſſentiam accidentium. Græcus Gelaſii textus periit aut latet, Theodoretus autem utitur non voce *Hypoſtaſis*, ſed voce *Uſia*. Et hæc utriuſque iſtius rei eſſentiæ eſt communis.

CAPUT

CAPUT VIII.

Exponuntur quædam loca Sancti Joannis Chryſoſtomi.

QUin Sanctus Joannes Chryſoſtomus Euchariſtiæ veritatem conſtanter ac patenter doceat, cuncti etiam adverſarii fatentur. Hinc ejus omnia loca nolim adducere. Lector grandi volumine eſſet fatigandus. Adducam pauca, quæ ſingulare aliquid poſſint nos docere. In vigeſima igitur ſexta ſupra Sancti Matthæi Evangelium homilia laudatus Pater extollit gratitudinis virtutem, ipſam Divinis beneficiis affirmat à nobis aſſiduam deberi, & proſequitur: *Propterea & reverenda & ſalutaria illa Myſteria, quæ in omni certè Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia ſeu gratiarum actio computantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum Divinæ erga nos charitatis oſtendunt, noſque faciunt debitas Deo gratias ſemper exſolvere.* Humanam Dei Verbi nativitatem aſſerit fuiſſe ſummum Dei in nos beneficium, & adjungit: *In quo tandem loco beneficiorum ponemus, illum etiam mortuum eſſe pro nobis? Et crucifixum eſſe, & ſanguinem fudiſſe, & ſemetipſum nobis in cibum dare, & ſpirituales illas præbere epulas, quid vocandum eſt?* Haſce ſpirituales epulas rectè jungit cum Dominica morte & fuſo per ipſam Sanguine: Quod nempè ab iſtis hic repræſentetur, & in ipſis bibatur. Hoc eſt inter omnia divina beneficia maximum, maximum agendarum à nobis gratiarum debitum. Hinc inter omnes, utique ſublimiſſimos, hujus Sacramenti titulos Sanctus Joannes ponit hunc: *Euchariſtia*. Quod ipſum uſque huc & Latina & Græca Eccleſia confirmat. Iſtud apud utramque eſt proprium, ideoque & digniſſimum iſtius Sacramenti nomen. Sepone ejus veritatem, & nulla profectò ratione poterit eſſe ſummum Divinæ Clementiæ in nos beneficium.

In quinquageſima prima Homilia laudat fidem illorum infirmorum, qui ad recuperandam ſanitatem plena fide accedentes Dominum, ſtudebant vel fimbriam ejus veſtimenti tangere, atque adjungit: *Tangamus etiam nos fimbriam veſtimenti ejus, vel potiùs, ſi volumus, ipſum totum habeamus. Non enim veſtis ſolùm, ſed corpus ipſius nobis eſt propoſitum, non ut tangamus ſolummodò, ſed ut comedamus & ſaturemur.* Dominicum in Euchariſtia Corpus affirmat à nobis etiam tangi, atque ita confirmat profeſſionem, quam coram Nicolai ſecundi Pontificis univerſa Synodo fecit Berengarius. Pluribus hæc exponit atque extollit, & pergit: *Audiamus, tam Sacerdotes quàm alii, quàm magna, quàm admirabilis res nobis conceſſa eſt. Audiamus, oro, & perhorreſcamus: Carnes ſuas nobis tradidit, ſeipſum immolatum propoſuit. Quam igitur ſatisfactionem offeremus, cum tali pabulo nutriti taliter peccemus, cùm Agnum comedentes convertamur in lupos, cùm ovinis carnibus ſaturati rapiamus ut leones?* Si deſit illic vera caro, omnia hæc ſunt frivola. Ad dignam ejus ſumptionem affirmat requiri non ſolam fidem, ſed etiam opera, præſertim largam in pauperes beneficentiam, & dat rationem: *Qui dixit, Hoc eſt Corpus meum, & rem ſimul cum verbo confecit, idem dixit, Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis.* Evertit cunctos Sacramentarios, qui ex laudatis Domini verbis nolunt evinci Euchariſtiæ veritatem. Evertit item ſchiſmaticos Græcos, qui non per iſta verba, ſed per neſcio quas alias preces volunt illam conſecrari.

In octogeſima tertia Homilia laudat Dominica verba, *Hic eſt ſanguis meus*, & commentatur: *Quomodo turbati non fuerunt Apoſtoli, cùm hoc audiſſent? Quia multa jam & magna de hoc anteà audierant.* Si ſolam figuram Dominus dederit, nullam dedit turbationis anſam. Audi igitur veram anſam: *Quemadmodum vetus teſtamentum pecudes & vitulos habebat, eodem modo novum poſſidet Dominicum ſanguinem.* Non ſolùm in viſibili Domini perſona, ſed etiam in ſacro calice, de quo pergit idem Doctor: *Ipſe Dominus bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent, Quid igitur? Sanguinem bibemus? Et carnem comedemus? Ac ideò perturbarentur. Nam & quando priùs de his verba fecit, multi ſolummodò propter verba ſunt paſſi ſcandalum. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipſe hoc facit, ut tranquillo animo ad communicationem induceret.* Etiam hæc omnia, niſi Dominus ſui corporis & ſanguinis veritatem tradiderit Diſcipulis, ſunt frivola & vana. Pergit Chryſoſtomus. *Etiam hinc hæreticorum ora Dominus frænavit. Nam quando dicunt, Undè patet immolatum Chriſtum fuiſſe, præter alia multa adferentes etiam hæc myſteria, ora ipſorum conſuimus. Si enim mortuus JESUS non eſt, cujus ſymbolum ac ſignum eſt hoc ſacrificium? Vides quantum ei ſtudium fuerit, ut ſemper memoria teneamus ipſum pro nobis fuiſſe mortuum? Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manichæus, eorumque ſequaces erant negaturi hanc diſpenſationem, in memoriam Paſſionis per hoc ſemper ita reducit myſterium, ut nemo non inſanus ſeduci poſſit. Ita per ſanctiſſimam iſtam menſam & ſalvat & docet. Hoc enim caput omnium bonorum eſt.* Gnoſtici & Manichæi, uti veram in Domino carnem, ita & veram negavere mortem. Ipſos per jam ſæpiùs laudatam de Euchariſtia regulam invadit Chryſoſtomus. Affirmat in Euchariſtia eſſe & veram carnem ac verum ſanguinem, ipſorumque immolationem ac ſeparationem in Euchariſtico ſacrificio figurari ac memorari: Hinc concludit Dominum etiam in viſibili ſua perſona fuiſſe veraciter carneum, ſanguineum, ac defunctum. Adeò tunc Euchariſtiæ veritas apud omnes erat notior & certior viſibili Domini carne & morte.

In centeſimi quadrageſimi quarti Pſalmi commentario laudat hæc verba, *Tu das eſcam eorum in tempore opportuno*, ipſa dicit à fidelibus aſſiduè concini, & commentatur: *Qui filius factus eſt, & menſa ſpiritali fruitur, meritò Patrem gloria & honore affecerit. Factus es filius, & menſa ſpiritali frueris, comedens carnem & ſanguinem ejus.*

Refer itaque gratiam pro tanto beneficio. In quadrageſimi quarti Pſalmi commentario affirmat Chriſto Domino varia per metaphoram à ſacris litteris adſcribi nomina, & inter hæc eſſe *Veſtimentum*, ac *Menſam*, & dat rationem: *Cur vocatus eſt veſtimentum? Quòd eum ſim indutus in ſuſceptione Baptiſmatis. Cur menſa? Quia ipſum edo, dum perfruor myſteriis*. In homilia de Seraphim hortatur populum ad dignam Euchariſtiæ perceptionem, ſeriamque pro tanto opere præparationem, & pergit: *Quando igitur ad ſacram menſam es acceſſurus, illic adeſſe Dominum tuum arbitrare. Siquidem adeſt reverà. Et quæ ſit mens cujuſque cognoſcit. Et videt, quis cum ea, qua par eſt, ſanctitate, quis cum conſcientia depravata accedat, cum immundis & ſordidis cogitationibus, cum nefariis actionibus*. In quinquageſimi Pſalmi commentario matres, quæ filios dant aliis lactandos, culpat, & pergit: *At non ità Chriſtus. Nam ut nos progenuit, ità etiam alit. Ac propterea ciborum loco nos carne ſua pavit, & poculi vice nos ſuo cruore potavit*. Eſt locus inſignis in libris de Sacerdotio. Antiqui Sacerdotii dignitatem exponit ac extollit, noſtri novi dignitatem eſſe multo eminentiorem oſtendit ex ſecunda Sancti Pauli ad Corinthios Epiſtola, & dat rationem: *Nam dum conſpicis Dominum immolatum, & illic ſitum Sacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? An non potiùs è veſtigio tu in cœlos transferris? An non carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo animo, mente pura circumſpicis quæ in cœlo ſunt? O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre surſùm ſedet, in illo ipſo temporis articulo pertractatur omnium manibus, ac ſeipſe tradit volentibus ipſum excipere & complecti. Id autem fit nullis præſtigiis, ſed apertis & circumſpicientibus omnium circumſiſtentium oculis*. Prophetæ Eliæ adversùs Baal Sacerdotes contentioſum, quod miſſus è cœlo ignis accendit, ſacrificium exponit, prædicat ejus miracula, noſtrum affirmat eſſe amplioribus
Num. 3. cap. 4. inſigne miraculis, & dat rationem: *Ab illis ergò Sacris ad noſtratia Sacra te transfer, nec ea mira modò eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos, non ignem geſtans, ſed Spiritum Sanctum. Is preces diuturnas fundit, non quò flamma cœlitus delapſa abſumat Sacra adpoſita, ſed ut gratia in ſacrificium influens, per illud ipſum animos omnium inflammet, & puriores reddat argento igni excocto atque purgato. Hoc ergò myſterium maximè horrendum atque verendum quis tandem, qui non admodum ſit inſanus, quique è poteſtate non exierit, faſtidire ac deſpicere poterit? Ignoras futurum nunquam fuiſſe, ut humanus animi captus illum ſacrificii ignem ſuſtineret, ſed funditus omnes tum fuiſſe interituros, niſi magnum divinæ gratiæ auxilium adfuiſſet?* Adeò tremendum eſt iſtud ſacrificium. Et hora, in qua conficitur, adeò tremenda. Quæ omnia altiſſimè clamant veram tranſubſtantiationem.

Notanda ſunt verba: *Nullis præſtigiis*. Expo-
Cap. 1. nit in ſeptimo de Divinis officiis libro Venerabilis Abbas Rupertus: *Ea quæ Baptiſmo celebrantur, quæ dicuntur, quæ aguntur, carmina ſunt illa, propter quæ tanquam maleficia Martyres accuſabantur, rapiebantur, occidebantur. Diabolus enim, cui per Chriſtianæ fidei profeſſionem in ſacro fonte renunciatur, in quem judiciales ſententiæ proferuntur, habens iram magnam, ſæviebat in cordibus impiorum, & tuba Divini nominis offenſus, illorum cæcitate & inſania pro ſuis adversùs Deum armis utebatur. Et ſicut in Apocalypſi legitur, quia canente tuba magnus mons, ardens iracundia, confugiebat in profundum cordis impiorum, & Divinis exorciſmis, per quos ejectus fuerat, maleficii crimen affingens, leges contradictabat*. Admirandos Baptiſmi in ſuis ad Chriſtum converſis ſociis effectus Pagani non capiebant, ideoque calumniabantur de magia. Nec id mireris in ipſis. Etenim etiam de Baptizato & jam Chriſtiano Simone Mago, quòd non Divina Spiritus Sancti Chariſmata, ſed ſua potentiorem magiam crediderit operari in Apoſtolis, atque hanc emere voluerit, diſertè affirmat Sanctus Irenæus. Longè magis Pagani hanc blaſphe- Lib. 1.
miam intulerunt ſacro ſanctæ, cujus modicam cap. 20.
habuere notitiam, Euchariſtiæ. Nec item hoc mireris. Etenim adversùs Euchariſticæ tranſubſtantiationis fidem blaſphemat etiam Joannes Calvinus: *Tam brutæ imaginationis cauſa fuit, quòd conſecratio tantundem apud eos*, utique Pa- Lib. 4.
piſtas, *valebat, ac magica incantatio*. Adversùm cap. 17.
ſimiles blaſphemas calumnias declamat Sanctus n. 15.
Joannes nullas hic præſtigias fieri, ſed firmiſſimam veritatem. Hic præſtigias agere ſpectat ad Gnoſticas Marci Ægyptii ſordes, proditas à Sancto Irenæo.

Notanda item ſunt verba: *Omnium manibus pertractatur*. Firmant Berengarii coram Papa Nicolao factam profeſſionem. Affirmant illum, qui ſedet ad dexteram Patris, non ſolius Sacerdotis, ſed omnium ſacrificio circumſtantium fidelium tractari manibus: Quòd nempè Euchariſtia tunc populo daretur in manus. Et hinc Græcorum cochlear, cujus introductionem aliqui adſcribunt Sancto Joanni Chryſoſtomo, tunc adhuc fuit ignotum. Hoſce enim libros Joannes ſcripſit non tantùm ante Epiſcopatum, ſed ante acceptum quemvis ſacrum Ordinem. Notanda & hæc verba: *Pretioſo illo ſanguine intingi & rubefieri*. Oſtendunt in Antiochena Eccleſia viguiſſe morem, quem etiam in ſua vigentem laudat in quinta myſtagogica catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Poſt communionem corporis Chriſti accede & ad calicem ſanguinis illius. Sanctificeris eo ſanguine Chriſti, quem adſumis. Et cum adhuc eſt humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua ſenſuum organa conſecra*. Hieroſolyma tunc adhuc ſuberat Antiochiæ, ipſam venerans ut Patriarchalem Metropolim, adeoque & habuiſſe videtur eundem modum tradendæ & uſitandæ Euchariſtiæ. Haud dubiè ex doctrina & traditione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Jacobi. Et morem hunc adhuc viguiſſe temporibus Sancti Joannis Damaſceni, videtur docere quartus de orthodoxa Fide liber: *Ardenti* Cap. 14.

cu-

cupiditate adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis Crucifixi corpus ſuſcipiamus, atque & oculis, & labiis, & frontibus impoſitis, Divini carbonis participes efficiamur. Quin & Sanctus Petrus eundem morem videtur tradidiſſe Romanæ Eccleſiæ. Ita ſuadent hæc Sanctæ Agnetis verba: *Et ſanguis ejus ornavit genas meas.* Et hinc lucet tunc communicanti populo nullam fuiſſe miniſtratam ablutionem. Hæc poſtmodò introducta eſt poſt ablatum populo calicem.

Notanda quoque ſunt hæc Sancti Joannis Chryſoſtomi verba: *Apertis & circumſpicientibus omnium circumſtantium oculis.* Docent duo. Primò, quòd populus olim ad Euchariſtiæ conſecrationem ſteterit. Etenim ſola tertia, quam Subſtratos vocabant, Pœnitentium claſſis in Eccleſia geniculabatur, & ex Subſtrationis gradu per Sacramentalem abſolutionem tranſmittebatur ad Conſiſtentiam, hoc eſt, ad facultatem audiendi & videndi Euchariſtici ſacrificii, in qua omnes erant juſti & conſiſtentes. Erecta ſtatione corporis profitebantur ſe etiam ſtare erectos in mente. Hinc item proximè ante conſecrationem monebat alta voce Diaconus: *Erecti ſtemus honeſtè.* Quem morem Latina dudum etiam ſervavit Eccleſia. Hinc enim etiamnum hodiè in Miſſali Canone oramus: *Pro omnibus circumſtantibus.* Laudata verba ſecundò docent & laudant morem, quem idem Sanctus Joannes lucidiùs exponit in tertia homilia ſuper Apoſtolicam Epiſtolam ad Epheſios: *Quando videris trahi, quæ in oſtiis ſunt, cortinas, tunc exiſtima cœlum supernè deduci, & deſcendere Angelos.* Ad conſecrationem deducebantur Altaris cortinæ, ut tremendum myſterium ab omnibus circumſtantibus circumſpiceretur. Quod etiam hodie Græci religioſè obſervant. A paucis annis neſcio quæ novitas noſtris Altaribus cœpit auferre cortinas. Peſſimè. Eſt abuſus per Epiſcopos omnino caſtigandus ac reformandus. Altarium enim cortinæ alias inſuper habent myſticas rationes.

Eadem docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus in quinto tomo ſuorum operum. In ſermone de
Ser. 46. alendis ab Eccleſia viduis ſtrenuè commendat hanc eleemoſynæ ſpeciem multis argumentis, & adjungit hoc: *Dicam & aliud prætereà quiddam. Audiant qui myſteriis ſunt initiati. Cùm ali te opus fuerit, ne carni quidem ſuæ Chriſtus ipſe parcit. Cùm tibi potum dari opus fuerit, ne ſanguini quidem ſuo parcit, nec illum invidet. Tu verò ne panem quidem impertis nec calicem? Quam tandem veniam obtinebis? Qui tot bonis tam pretioſis acceptis, tam vilibus parcas.* In ſermone de Proditione Judæ laudat Dominica verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt Sanguis meus*, atque proſequitur: *Et præſens Judas erat, iſta Chriſto dicente. Iſtud eſt corpus, Juda, quod triginta denariis vendidiſti. Iſte eſt ſanguis, de quo ante cum Phariſæis pactа feciſti. O Chriſti miſericordia, o Judæ dementia! Hic enim triginta denariis paciſcebatur ut venderet, & Chriſtus ei ſanguinem, quem vendidit, offerebat.* Ad hanc *terribilem menſam* affirmat cum magna reverentia, vigilantia, & pura in omnibus mente accedendum, & dat ra-
Serm. 30. tionem: *Et nunc ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam. Ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox, quæ dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante naturâ; ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernam diem, & uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem.* Iſtud ipſum, quod Judas vendidit, & quod Judæi emerunt & crucifixerunt, corpus profitetur eſſe in Euchariſtia. Et quidem per verba: *Hoc eſt corpus meum.* Hæc non dumtaxat in ultima cæna ex ore Domini prolata, ſed in omnibus omnium ſub cœlo Eccleſiarum Altaribus uſque nunc, & uſque ad ſæculi finem fuiſſe operata, operari, & eſſe operatura. Et Euchariſtiæ veritatem, & de ipſa à Berengario factam coram Gregorio VII. profeſſionem lucidè confirmat. Lucidè item evertit ſchiſmaticos hodiè Græcos, qui Euchariſtica elementa garriunt non per laudata Domini verba, ſed per neſcio quas ſubſequentes preces à nobis tranſubſtantiari.

In ſermone de Pœnitentia acerrimè increpat fideles ſub tremendo ſacrificio auſos fabulari. Reverentiam, qua hominem Regem accedimus, extollit, & proſequitur: *Hæc ego dixerim ad eos,* Serm. 38.
qui Sanctorum communionem & congregationem relinquunt, & ſub horam terribilis & myſticæ menſæ in vaniloquentiæ conventiculis ſunt occupati. Quid facis homo? Non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit, Surſum corda, & dixiſti, Habemus ad Dominum? Non revereris & erubeſcis, & illa hora mendax inveniris? Papæ! Menſa myſteriis ſtructa eſt, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritalis ex ſacra menſa refluit, Cherubim adſtant, Seraphim advolant, & Spiritus ſex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt: Et non erubeſcis, non revereris, non confunderis, neque Deum tibi propitium facis? Non conſcientia judicat te, o homo? Centum ſexaginta octo horas habente hebdomada, unam & ſolam horam ſibi ipſi ſegregavit Deus, & hanc in opera ſæcularia, & in ridicula, & in conventicula inſumis? Cum qua poſtea fiducia ad myſteria accedes? Cum qua polluta conſcientia? Nam ſi ſtercus in manibus haberes, crederes appropiare fimbriæ Regis? Num vides panem? Num vinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit. Ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimiletur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit; ſic & hìc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia. Propter quod & accedentes, ne putetis quod accipiatis Divinum corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphim forcipe ignem, quem ſcilicet Iſaias vidit, vos accipere. Reputate ſalutarem ſanguinem quaſi è Divino & impolluto latere affluere: Et ita approximantes labiis puris accipite. Aliud eſt Re-

gem, aliud accedere Regis imaginem. Si in Euchariſtia ſit ſola Domini imago, cur opus tanta reverentia? Cur conſecrationis momentum eſt hora tremenda? Cur Cherubim ac Seraphim tremunt, & ſuas velant facies? Sancti Joannis verba non egent commentario. Ex ipſis vides panem & vinum poſt conſecrationem non eſſe ampliùs panem & vinum, nihil ipſis remanere ſubſtantiæ, ſed eſſe abſumpta in ſubſtantiam corporis. Et hinc non ire in ſeceſſum. Hæc Joannes docuit in Antiochena Eccleſia. Quare certum eſt Theodoretum ab hac doctrina non deviaſſe. Educatus enim fuit in iſta Eccleſia. Vides ſecundò, Præceptum de audiendo per ſingulas Dominicas Miſſæ ſacrificio eſſe antiquiſſimum per omnes Eccleſias. Et ipſum auditum oportere cum ſumma reverentia. Et mixtas ſub tremenda hora fabulas eſſe grave peccatum.

Sermo, qui docet non concionandum ad gratiam, videtur dictus Conſtantinopoli. Videtur enim invehi in Severianum Gabalenſem & Antiochum Ptolomaidis in Syria Epiſcopos, quos quæſtus cauſa fuiſſe concionatos in alienis Eccleſiis, ideoque graviter impetitos à Joanne Epiſcopo, ſcribunt Socrates, Hermias Zozomenus, & Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Sermo iſte laudat Apoſtolica de indignè communicantibus verba: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Serm 58. Et proſequitur: *Hanc vobis legem recitavimus, & verborum ſenſum expoſuimus. Diximus quid ſit, Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Eaſdem nimirùm pœnas daturum, quas & illi, qui Chriſtum crucifixere, ſuſtinebunt. Nam quemadmodum homicidæ illi ſunt facti rei ſanguinis, ſic & iſti qui Sacramentis indignè communicant. Hoc enim eſt: Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Videbatur dictum iſtud planè modum excedere, atque intolerabiles minæ cenſebantur. Rationem adjunximus ductam ab exemplo, quæ mirificè quadrabat. Ut enim ſive quis Regiam purpuram diſcindat, inquiebam, ſive luto coinquinet, ex æquo Regem, qui ea indutus eſt, afficit contumelia: Sic nimirùm hoc loco cùm illi, qui Dominicum corpus necarunt, tum qui immunda recipiunt anima, parem injuriam Dominico inferunt veſtimento. Diſciderunt quidem illud in cruce Judæi, coinquinat autem is, qui immunda ſuſcipit anima. Itaque licet diverſa ſint peccata, æqualis tamen eſt injuria.* Adſumptam humanitatem affirmat eſſe Regis noſtri, utique Dei Verbi veſtimentum & purpuram: Affirmat ipſam à crucifigentibus Judæis fuiſſe laceratam, fœdari autem à malè communicantibus, ideoque amborum eſſe æquale peccatum. Quæ Apoſtolica doctrina palam ſupponit Euchariſtiæ veritatem. Et ex ipſa ſuprà locutus eſt etiam Theodoretus in ſermone de Lapſis, Sanctus item Cyprianus.

Adeamus ſextum tomum. In ſermone de librorum ſigillis exponit Emmaunticam, ubi Dominum Diſcipuli agnoverunt ex fractione panis, cœnam, & addit: *Quoniam cibus ille Adami oculos pernicioſè aperuit, nunc illius loco alius cibus inſtitutus eſt, qui novo quodam & admirabili modo viſum reſtituit.* In vetito pomo latere admirabilem, quæ plenam libertatem ac immortalitatem impartiretur, virtutem mentitus eſt ſerpens: Et circumſcripti Protoplaſti crediderunt. Et ita utriuſque ſuæ ſubſtantiæ & primam & ſecundam comederunt mortem. Hinc alium, in quo ipſe immortalitatis Author habitaret, & eam impartiret dignè ſumentibus, cibum nobis providit Divina miſeratio. A nobis, qui mentienti Diabolo credideramus, credi voluit etiam ſibi vera promittenti. Uti trinam Petri negationem trina confeſſione, ità noſtram temerariam credulitatem voluit vera fide purgari. Quod ipſum ſuprà docuit Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Hunc cibum laudat in ſermone de Filio prodigo idem Sanctus Joannes, & ſcribit de occiſo iſtic ſaginato vitulo: *Quem tandem vitulum dicit ſaginatum? Quem juvenca Maria Virgo peperit. Proferte vitulum indomitum, qui nondum peccati jugum ſuſtinuit; Virginem, & ex Virgine natum; qui ſequitur eos qui ſequuntur ſe, non ex neceſſitate, ſed ſpontè; qui non utitur robore ſuo, neque cornibus, ſed promptè cervicem inclinat eis, qui mactare ipſum volunt. Occidite itaque eum qui ſpontè occiditur; occidite eum, qui vivificat eos qui ſe occidunt; occidite eum qui occiditur, ſed non moritur; occidite eum, qui membratim conciditur, & eos ſanctificat qui ſe concidunt. Occidite eum, qui comeditur ab eis qui ipſum norunt, & nunquam conſumitur. Occidite eum, qui comedentes beatos facit.* Laudat conflatas ex occiſo hoccè vitulo epulas, & proſequitur: *Noſtis ſpiritales delicias, qui eas deguſtatis, & recordamini tremendorum myſteriorum, ac miniſtrorum ſacri officii, imitantium Angelorum alas tenuibus ſuis lineis velis, quæ ſiniſtris humeris inſident, & qui in Eccleſia diſcurrunt, & clamant: Ne quis ex Catechumenis, ne quis eorum qui non edunt, nullus ex exploratoribus, ne quis eorum qui non poſſunt ſpectare cœleſtem ſanguinem qui effunditur in remiſſionem peccatorum, ne quis indignus hoſtia vivente, ne quis non initiatus, ne quis eorum qui non poſſunt impollutis labiis tremenda myſteria attingere.* Hæc omnia manifeſtè laudant non factam in Cruce, ſed quotidiè in Altari ſolitam fieri, & uſque ad ſæculi finem faciendam occiſionem: In hac enim ſola ſaginatus vitulus *occiditur, ſed non moritur.* Affirmant iſtic occidi & membratim concidi ipſum de Virgine natum Dominum, ac effundi cœleſtem ejus ſanguinem. Manifeſtè confirmant profeſſionem, quam Berengarius fecit, & coram Nicolao ſecundo, & coram ſeptimo Gregorio.

Diſcimus hinc varia. Primò, quòd Dominus apud Emmauntem conſecraverit Euchariſtiam, & ex ejus ritu fuerit agnitus à Diſcipulis. Hi erant Lucas & Cleophas, quos certum eſt noviſſimæ cœnæ non adfuiſſe. Proindè ritum illum didicerant ab Apoſtolis. De Emmauntis cœna ſcribit ad Sanctum Paulinum etiam Sanctus Ep. 59. qu. 8. Auguſtinus: *Quòd Dominus ab illis duobus in fractione panis eſt agnitus, Sacramentum eſſe, quo nos in agnitionem ſuam congregat, nullus debet ambigere.* Quod ipſum ſcribit in ſecundo tractatu ſuper San-

Sancti Joannis epiſtolam. Secundò diſcimus, quòd in ſacro miniſterio Diaconi ſtolam geſtent in ſolo ſiniſtro humero. Rationem dat quarta Toletana Synodus: *Si oraria duo nec Epiſcopo induere quidem licet, nec Presbytero, utique multò minùs Diacono, qui miniſter eorum eſt. Unum ergò orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat, id eſt, prædicat; dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat.* Græcorum Diaconi ſtolam Latino more non ducunt per pectus & deorſum, nec ligant ſub dextro brachio, ſed liberè permittunt volare. Ut cæleſtium Cherubinorum, quorum repræſentant in tremendo ſacrificio miniſterium, etiam alas atque agilitatem repræſentent. Et hinc ipſam gerunt, non infra, ſed ſupra Dalmaticam. Quem morem olim viguiſſe etiam in quibuſdam Galliciæ Eccleſiis, ac tandem introductum in omnes, demonſtrat vigeſimus ſeptimus Canon primæ Synodi Bracarenſis: *Quia in aliquantis hujus Provinciæ Eccleſiis Diacones abſconſis infrà tunicas utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, placuit ut de cætero ſuperpoſito ſcapulæ, ſicut decet, utantur orario.* Ante hanc Synodum quædam dumtaxat Eccleſiæ orarium Dalmaticæ ſupponebant. Quæ diverſitas an fuerit etiam in aliis Hiſpaniarum Provinciis, non poſſim adfirmare. Hæ tamen omnes iſtum Canonem admiſerunt. Lucet ex nato per ejus occaſionem alio abuſu. Quidam antiqui moris tenaces Diaconi cœperunt duplex geſtare orarium: Aliud infra, aliud ſupra Dalmaticam. Et iſtud tranſtulerunt in ſiniſtrum humerum. Et hunc abuſum jam damnari audivimus à quarta Synodo Toletana. Hæc fuit Diœceſana totius Hiſpaniæ: Bracarenſem Canonem ſupponit ubique admiſſum, & circumſcripto abuſu ipſum confirmat. Cur Græcorum ſtola non ex lana aut ſerico, ſed ex alba dumtaxat tela poſſit fieri, diſcere poſſis ex undecimo Sancti Cyrilli Alexandrini libro de Adoratione in ſpiritu: *A mortuis operibus recedere neceſſe eſt. Signum autem mortalitatis eſt, quod ex corpore morituro ſumitur, ove ſcilicet. Eſſe igitur lineis, non laneis veſtibus indutum, figuratè ſignificat opera mortuos deponere.* Quem morem viguiſſe olim etiam apud Latinos, docet antiquus Ordo Romanus. Etenim ordinando Diacono dicit illic Epiſcopus: *Accipe ſtolam candidam.* Et apud Græcos non tantùm Sacerdotalis, ſed etiam Diaconalis ſtola habet ſibi inſcriptum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ita in libro de Templo & Miſſa teſtatur Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.

Et ex his vides Hiſpaniarum etiam Subdiaconos fuiſſe uſos ſtola: Contra morem omnis Latinæ Eccleſiæ. Immò & contra Orientalis Eccleſiæ morem. Nam & adverſus quorumdam illic Subdiaconorum præſumptionem ſtatuit Laodicena Synodus: *Non oportet Subdiaconum uti orario.* (Can. 22.) Quin & tunicella utebantur Hiſpani Subdiaconi. Etiam contra Romanæ ac omnis Latinæ Eccleſiæ morem, laudatum à Magno Gregorio in litteris ad Joannem Syracuſæ Epiſcopum. Etenim quibuſdam murmurantibus, quòd Græcos Conſtantinopolitanæ, ubi Apocriſarium egerat ante Papatum, Eccleſiæ ritus Gregorius induceret in Romanam, atque ita ipſam humiliaret, & ſignanter quod Subdiaconos faceret ſpoliatos procedere. His, inquam, murmuratoribus Pontifex reſpondit: *Subdiaconos ut ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit. Sed quia placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ numquid traditionem à Græcis acceperunt? Unde ergo habent hodiè, ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt?* (Lib. 7. indict. 2. Ep. 64.) An morem ſuum Hiſpani ab iſto neſcio quo Pontifice acceperint, ignoro. Videtur apud illos fuiſſe mos antiquus. Et ipſum poſtmodò Romana reſumpſit, & aſſumpſit omnis Orientalis Eccleſia. Nam hujus Subdiaconi jam pridem utuntur Stychario. Eſt ſacra tunicella, Diaconali Dalmatica minor. Ex Sancti Joannis Chryſoſtomi verbis inſuper addiſcimus, quòd etiam iſta tempora habuerint Paganos noſtri ſacrificii exploratores. Quo enim modo ſui Chriſti carnem ederent, & ſanguinem biberent Chriſtiani, illi capere non poterant, ideoque ſemper conabantur noſtris Sacris obrepere.

Accedamus ſeptimum tomum. In ſecunda ad Antiochenum populum homilia Sanctus Joannes duplicem in Prophetam Helizæum à Sancto Elia traductum ſpiritum extollit, novi Teſtamenti gratiam affirmat eſſe multò ampliorem, ac demonſtrat: *Helias melotem diſcipulo reliquit, adſcendens autem Dei filius ſuam nobis carnem reliquit, & ipſam habens adſcendit. Ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim ſanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſavit, & carnem ſuam, & rurſus ipſum ſanguinem nobis communicavit, quid pro ſalute noſtra facere recuſabit!* Fronto-Ducæus meritò appoſuit hoc marginale ſcholion: *Locus inſignis de Sanctæ Euchariſtiæ veritate.* Etenim à loco hoc aſſeritur Dominus eam ipſam carnem, quam levavit in cælum, & iſtum ipſum ſanguinem, quem effudit in cruce, nobis reliquiſſe in terris, ſumenda in hoc admirabili Sacramento. Locus lucidè confirmat noſtri Gregorii adverſus Berengarium Decreta. In Sancti Philogonii, Patriarchæ Antiocheni, apud Nicænam Synodum defuncti, elogio exaltat Dominicæ Nativitatis feſtivitatem, ipſam affirmat eſſe omnium feſtivitatum caput atque Metropolim, Domini adoratores Magos laudat, & proſequitur: *Cum alienigenæ, Barbarique Magi ex Perſide occurrant, ut Dominum videant in præſepi jacentem, tu qui Chriſtianus es, ne breve quidem ſpatium emetiri ſuſtines, ut hoc felici ſpectaculo perfruaris. Nam ſi cum fide acceſſerimus, procul dubio videbimus eum in præſepi jacentem. Siquidem hæc menſa vicem ſuſtinet præſepis. Nam & hic ponitur corpus Dominicum: Non quidem faſciis involutum, ſicuti tunc, ſed undequaque Spiritu Sancto conveſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt, intelligunt quæ dicuntur.* Supponit atque oſtendit iſtud ipſum corpus, quod faſciatum in præſepi jacuit, glorioſum exiſtere & ado-

adorari in altari. Affirmat Dominum à Magis fuiſſe adoratum in præſepi. Ubi nota Theophylactum, qui aſſerit id factum intra Bethleem in domo, à ſuo Chryſoſtomo diſcedere.

Sanctus Joannes eadem docet in tomo octavo. Etenim in quadrageſima ſexta ſuper Sancti Joannis Evangelium homilia extollit quinque panum admirandam multiplicationem, affirmat ipſam præceſſiſſe ad noſtræ in Euchariſticum myſterium fidei parandam viam, hujus veritatem lucidè & amplè docet, ac pergit: *Chriſtus ut majori nos charitate adſtringeret, non ſe tantùm videri permiſit deſiderantibus, ſed & tangi & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, ei copulari, & ſui deſiderio omnes impleri*. Coram Nicolao ſecundo facta Berengarii profeſſio non poſſit lucidioribus verbis ſtabiliri. Eadem homilia laudat Apoſtoli verba: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit*. Et commentatur: *Nam ſi qui Regiam purpuram coinquinant, haud ſecus ac qui ſcindunt, puniuntur; quid mirum, ſi qui immunda conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt?* Quod ipſum argumentum ſupra ipſe adduxit, & ego expoſui. Domini adverſus Capharnaitarum errorem verba, *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*, tractat eadem homilia, & commentatur: *Sicut in hoc loco ſpiritus pro ſpiritualibus poſuit, ita cum carnem dicit, non pro carnalibus, ſed pro carnaliter audire, eos ſignificans qui ſemper carnalia deſiderabant, cum ſpiritualia deſiderare oporteat. Nam ſi carnaliter ea quis acciperet, nihil ſanè lucraretur. Quid igitur? An caro non eſt caro? Maximè certè. Quomodo igitur ait, Caro autem non prodeſt quidquam? Non de ſua carne dicit. Abſit. Sed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.* Profitetur omninò illic eſſe carnem, de qua dixit Dominus: *Qui non manducat carnem meam, non habet vitam in ſemetipſo*. Multis demonſtrat eſſe carnem veram, & Berengarianum errorem copioſè ac nervoſè expugnat. Octogeſima quarta homilia hoc de defuncto Domino verbum, *Exivit ſanguis & aqua*, commentatur: *Non caſu & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt, ſed quoniam ex ambobus Eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc Initiati. Per aquam enim regenerati, ſanguine & carne ſunt nutriti. Hinc myſteria ortum habent: Ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ex ipſo latere hauriens accedas.* Quia nempè iſtum ipſum bibis ſanguinem.

Eadem docet in vigeſima quarta homilia ſuper primam Apoſtolicam Epiſtolam ad Corinthios. Verba, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* commentatur: *Hoc licet videre fieri in Euchariſtia, in cruce autem non itidem, ſed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non paſſus eſt in cruce, hoc in oblatione patitur propter te. Et patitur frangi, ut omnes impleat.* Advertit, quòd Apoſtolus non vocem, *Participatio*, ſed vocem, *Communicatio* uſurparit, ab hac mirificam, qua in unum Chriſto Domino circumſubſtantiale corpus conflamur, unionem impartiri affirmat, atque proſequitur: *Neque ſolummodò corpus ſuum Dominus dedit, ſed quoniam prior carnis natura è terra ficta, à peccato priùs morte erat affecta, & vita privata, aliam, ut ita dicam, maſſam & fermentum induxit, ſuam carnem, quæ natura quidem erat eadem, à peccato tamen libera, & vita plena. Et dedit eam omnibus participandam: Ut ea nutriti, priori, quæ erat mortua, depoſita, per hanc menſam in vitam immortalem contemperaremur*. Illos ſemi-Chriſtianos Corinthios, qui & Dominico Altari & ſimul dæmoniorum menſæ communicabant, vehementer exagitat, Euchariſtiam affirmat eſſe *terribile & formidandum ſacrificium*, illi ſumendæ neceſſariam præparationem inſigniter docet, & ſcribit inter cætera: *Accedamus ad ipſum & cum ardenti charitate, & indè effecti aquilæ ad ipſum cœlum evolemus. Ubi enim cadaver, illic & aquilæ. Cadaver corpus vocans propter mortem. Aquilas autem vocat, oſtendens quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, eſſe ſublimem, & cum terra nihil eſſe commune, neque deorſum trahi & ſerpere, ſed aſſiduè ſurſum volare, & ad ſolem juſtitiæ adſpicere, acutoſque & perſpicaces habere mentis oculos. Aquilarum enim, non graculorum eſt hæc menſa.* Dominici corporis, quod è Virgine natum jacuit in præſepi, in ſtabulo fuit adoratum à Magis, in cruce pependit, reſurrexit à mortuis, & jam ad Dei Patris dexteram ſedet, eminentiam ac dignitatem, ipſique debitam ab omni creatura reverentiam emphaticè deprædicat, atque proſequitur: *Nos cœlorum cives imitemur vel Barbaros*. Utique tres Magos. *Nam illi quidem, cum & in præſepi vidiſſent & in tugurio, neque tale quidpiam vidiſſent, quale tu nunc, cum magna acceſſerunt reverentia. Tu autem non in præſepi vides, ſed in Altari. Non fœminam eum tenentem, ſed Sacerdotem adſtantem, & ſpiritum cum magna copia ſupervolantem ea quæ ſunt propoſita.* Palàm profitetur Chriſtum Dominum illic & ſumi, & à ſumentibus eſſe adorandum. Palmare cujuslibet Regii Palatii ornamentum affirmat eſſe non marmoreos parietes, aut tecta aurea, ſed Regis in ſolio corpus. Addit cœleſtis Palatii Regem eſſe Chriſtum Dominum, & pergit: *Hoc, utique hujus cœleſtis Regis corpus, nunc licet tibi videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, nec cœlos & cœlos cœlorum, ſed iſtorum ipſorum oſtendo Dominum. Vidiſti, quemadmodum quod eſt omnium præſtantiſſimum & maximè honorandum vides in terra. Neque ſolùm vides, ſed etiam tangis, ſed etiam comedis, & eo accepto domum reverteris.* Hæc verba utramque Berengarii profeſſionem luculentiſſimè confirmant. Et quidem Euchariſtiam eſſe tremendum & formidandum myſterium frequentiſſimè aſſerit & inculcat. Et de nullo alio id dixit Sacramento. Hoc item in loco affirmat Dominum à Magis fuiſſe adoratum intra tugurium & præſepe.

Eadem in homilia exponit Apoſtoli verba: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Hunc calicem denuò affirmat eſſe terribilem & formidandum. Quin & iſtud Apoſtoli verbum affirmat eſſe non tantummodò fidele, ſed etiam terribile. Et

dat

dat rationem: *Hoc eſt autem quod Apoſtolus dicit. Id quod eſt in calice eſt id quod fluxit è latere: Et illius ſumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quòd eum habentes in manibus, ſic eum hymnis & laudibus proſequimur admirantes, ineffabile donum ſtupentes, benedicentes, boniſque verbis proſequentes, quòd eum ipſum effudit, ne maneremus in errore. Et non ſolùm effudit, ſed etiam eum ipſis nobis impertiit. Quamobrem ſi ſanguinem, inquit, cupis, non idolorum aram brutorum ſanguine, ſed meum Altare meo cruenta ſanguine. Quid eſt hoc horribilius? Quid autem amabilius?* Berengarii coram noſtro ſeptimo Gregorio profeſſionem lucidiſſimè etiam hìc confirmat. Quod ipſum facit in tertia homilia ſuper epiſtolam ad Epheſios. Myſticum Domini corpus exponit, membrorum mutuas in ſeſe injurias exaggerat, atque proſequitur: *Sed quoniam agitur de corpore Domini, agè illius etiam meminerimus, quod in crucem fuit actum, quod clavis confixum, & ſacrificatur.* Utique in Altari. Hinc pergit: *De corpore à nobis agitur, & hoc quod ab illo nihil differt, nec diſtat. Quicumque ſumus corpori participes, quicumque guſtamus ſanguinem, cogitemus quòd illius ſanguinem guſtamus, qui ſuprà ſedet, qui adoratur ab Angelis, qui propè accedit ad illam virtutem, in quam non cadit interitus. Heu mihi quàm multæ ad ſalutem patent viæ. Nos corpus ſuum fecit*: Utique myſticum: *Nos corpore ſuo impertit*: Utique vero. *Et horum nihil nos avertit à malis.*

In vigeſima ſeptima ſuper laudatam ad Corinthios epiſtolam homilia exponit Apoſtoli verba. *Qui manducat aut bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Qualiter ad ſumendam, & qualiter poſt ſumptam Euchariſtiam debeat ſe parare & gerere fidelis, eleganter oſtendit, ac inter cætera ſcribit: *Tu autem priuſquam communices, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas. Quando autem communicaveris, cùm te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis. Atqui non ſunt paria eſſe ſobrium ante & poſtea. Nam in utroque quidem oportet eſſe ſobrium & temperantem, maximè autem poſtquam ſponſum excepiſti. Anteà quidem, ut ſis dignus accipere; poſteà autem, ne appareas indignus iis, quæ accepiſti. Quid ergo? Oportetne jejunare poſtquam acceperis? Non hoc dico: Neque te cogo. Nam eſt quidem hoc quoque bonum, ſed non ad hoc tibi vim facio, ſed ſuadeo ne te deliciis ita impleas, ut ſis inexplebilis.* Eos qui diebus feſtis poſt ſumptam Euchariſtiam dant ſe commeſſationibus aut potationibus, durè inſectatur, & concludit: *Tu autem pane vitæ accepto, facis rem mortis, & non horreſcis? Neſcis quàm multa mala proficiſcantur & ſubeant ex deliciis? Riſus intempeſtivus, verba inſolentia, & incompoſita urbanitas, & facetiæ exitio plenæ, nugæ inutiles, & ea quæ nefas quidem eſt dicere. Et hæc facis Chriſti menſa exceptus, illo die quo dignus es habitus, qui ejus carnes lingua tangeres. Quicumque ergo ſis, manum tuam expurga, & caſtiga linguam, & labia, quæ ingreſſui Chriſti fuere veſtibula.* Berengarii coràm Nicolao ſecundo profeſſionem denuò confirmat. Et nota hìc avitam pietatem: Majores noſtri communicare non ſolebant, niſi præmiſſo jejunio. Nota & verba: *Manum tuam.* Evincunt Euchariſtiam tunc Græcorum laicis fuiſſe adhuc datam in manus, adeoque cochlear tunc à Sancto Joanne necdum fuiſſe inductum. Si tamen ille hoc induxerit. Suo loco diſquiretur. Nota item modeſtiam, quam toto poſt ſumptam Euchariſtiam die ſervari oportet. Legenda eſt integra homilia. Longè plura à Sancto Joanne Chryſoſtomo habemus teſtimonia. Adducta ſufficiunt.

CAPUT IX.

Exponitur ſententia, quam mediis ſæculis tenuere Græci, & etiamnum hodiè tenent.

UTi apud nos Petrus Lombardus, Pariſienſis Epiſcopus, ita apud Græcos Sanctus Joannes Damaſcenus eſt ſententiarum Magiſter, & antiquorum Patrum Compendiator. Floruit hic octavo Domini ſæculo. Et in quarto Orthodoxæ fidei libro docet peccato lapſum ac deformatum, necnon è Paradiſo ac à vitæ ligno proſcriptum hominem indiguiſſe novis natalibus, novoque alimento; illos Baptiſmum, hoc affirmat eſſe cum vino panem cœleſtem, de quo dixit Dominus: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meum.* Et exponit: *Quamobrem ſi ſermo Dei vivus* Cap. 14.
eſt & efficax, ac Dominus omnia quæ voluit fecit; ſi dixit, Fiat lux, & facta eſt, Fiat firmamentum, & factum eſt; ſi verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum; ſi cœlum & terra, aqua item & ignis, & aer, & omne eorum ornamentum Domini verbo completum & abſolutum eſt, atque hoc etiam nobiliſſimum animal, quod homo nuncupatur; ſi ipſemet Deus Verbum, poſteaquam ita voluntas ipſius tulit, homo factus eſt, atque ex puris & immaculatis ſanctæ ac ſemper Virginis ſanguinibus carnem ſibi ipſi ſine ſemine condidit, quid tandem adferri poteſt, quin ex pane corpus ſuum, ex vino & aqua ſanguinem ſuum efficere queat? Dixit antiquitùs, Producat terra hèrbam virentem, atque ea etiamnum orto imbre fœtus ſuos producit, Divino Præcepto impulſa ac roborata. Dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus, &, Hoc facite in meam commemorationem: Atque omnipotenti ipſius Præcepto, donec ipſe veniat, hoc efficitur. His enim verbis uſus eſt: Donec veniat. Ac pluvia huic novæ ſegeti per conſecrationem exiſtit ſancti Spiritus vis inumbrans. Admirabilem Dei Hominis è Virgine conceptum affirmat factum omnipotentia ſancti Spiritus, de quo dixit ad Virginem Archangelus Gabriel: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Et pergit: *Tu quoque nunc quæris, quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua conjunctum fiat Chriſti ſanguis? Tibi item reſpondeo: Spiritus Sanctus ſupervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt.* Rationes, ob quas Divina providentia in Eu-

chari-

chariſtica elementa aſſumpſit panem & vinum, exponit, atque proſequitur: *Sanè Divinitati verè unitum eſt illud corpus, quod ex ſancta Virgine ortum eſt. Non quòd aſſumptum illud corpus è cœlo deſcenderit, ſed quia panis ipſe ac vinum in corpus & ſanguinem Dei immutantur. Quod ſi, quo pacto fiat, requiris, ſat tibi ſit audire, quòd per ſanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex ſancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus ſibi ipſi & in ſe ipſo carnem condidit.*

Lucidiſſimè docet Tranſubſtantiationem. Lucidiſſimè item docet ipſam fieri non per neſcio quas orationes, ſed virtute horum verborum: *Hoc eſt corpus meum.* His à Domino prolatis affirmat ineſſe virtutem horum item Divinorum verborum: *Fiat lux*, *Fiat firmamentum*. Eadem à nobis Sacerdotibus quotidiè prolata affirmat eſſe quotidianam conſecrationis pluviam, quam Divina inſtitutio voluit ſibi uſque ad ſæculi finem cooperari. Et conſecratum à Domino calicem conſtanter aſſerit fuiſſe mixtum ex vino & aqua. Et hinc vides hodiernum Schiſmaticorum Græcorum, de conſecrantibus verbis, errorem tempore Sancti Joannis fuiſſe adhuc ignotum. Sub Saracenis, omnem tunc Syriam occupantibus, in Damaſcena Eccleſia vixit Sanctus Joannes. Et inter alios, quos illi in Chriſtiana fide culpabant, articulos fuit ſacroſanctæ Euchariſtiæ veritas & tranſubſtantiatio. Cenſuerunt hanc impoſſibilem, & aſſidua ipſorum vox erat: *Quomodo fiat iſtud?* Hinc non ſolùm Dominicæ, quam illi diffitebantur, Incarnationis exemplum, ſed etiam ſolo Dei verbo factam totius mundi creationem adduxit Sanctus Joannes, ita conatus myſterii noſtri poſſibilitatem perſuadere. Et quia Mahometica Saracenorum cœcitas eſt carnis luto penitus infixa atque obtenebrata, addidit & aliud argumentum: *Quin, ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in comedentis & bibentis corpus & ſanguinem immutantur, corpuſque alterum fiunt, atque à priori ipſius corpore diverſum; ſic propoſitionis panis, ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo, ſed idem & unum.* Quod argumentum in dialogo cum Saraceno etiam uſurpavit Theodorus Abucara Charrarum in Meſopotamia Epiſcopus, ac inſigniter ampliavit. Putatur Sancti Joannis fuiſſe Diſcipulus. Eodem argumento, cujus Authorem ſuprà oſtendi eſſe Sanctum Gregorium Nyſſenum, etiam utitur Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Eodem tempore Romanum Imperium rexit Leo Iſaurus, Author Iconoclaſticæ hæreſis. Hic, quo ſe oſtenderet non eſſe ſine ſacris imaginibus, aſſeruit Euchariſtiam eſſe veram ac ab Evangelio prædicatam Chriſti Domini imaginem, ideoque ſolam poſſe ac debere honorari. De denegata veritate, ac aſſerta ſola figura fuit ſuſpecta iſta hæreſis. Hinc adverſus ipſam adjungit Sanctus Joannes: *Nec verò panis & vinum corporis Chriſti figura ſunt, abſit hoc, verùm ipſummet Domini corpus Divinitate affectum. Quippe cum Dominus ipſe dixerit: Hoc eſt, non corporis mei ſignum, ſed corpus: Ne ſanguinis ſignum, ſed ſanguis.* Quod ſuprà audivimus dici etiam à Jacobi Gretzeri Anaſtaſio Sinaita, à laudato Nicephoro, ac à Bulgarorum Antiſtite Theophylacto. Et omnem hanc doctrinam confirmavit ſeptima Synodus. Iconoclaſtarum ſententiam audiamus ex Pſeudo-Synodo, quam in Hieriæ Palatio celebrarunt ſub Imperio Conſtantini Caballini: *Lætentur & exultent, & fiducialiter agant hi, qui veram Chriſti imaginem ſinceriſſima anima faciunt, & deſiderant, & colunt, & in ſalutem animæ & corporis offerunt, quam ipſe ſacratiſſimus immolator & Deus noſter ex nobis ex toto maſſam aſſumens, ſecundùm tempus propriæ Paſſionis in typum & rememorationem evidentiſſimam tradidit miniſtris ſuis. Seſe namque voluntariè traditurus memorabili & vivificæ morti ſuæ, acceptum panem benedixit, & gratias agens fregit, & dans dixit: Accipite & comedite in remiſſionem peccatorum, Hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem tradens dixit: Hic eſt ſanguis meus. Hoc facite in meam commemorationem. Veluti nulla alia ſpecie ab eo electa ſub cœlo, vel forma imaginari ejus incarnationem valente. Vide ergo quòd imago vivifici corporis ejus precioſè ac honorabiliter facta ſit. Quid enim argumentatus eſt in hoc ſapientiſſimus Deus? Nonnè ut oſtenderet & exprimeret evidenter nobis hominibus myſterium, quod operatus eſt per ſuam diſpenſationem? Quia ſicut id, quod ex nobis ſuſcepit, materia ſola eſt humanæ ſubſtantiæ per omnia perfectæ, non figurantis propriè ſubſiſtentem perſonam, ut non additamentum perſonæ Divinitatis intercidat; ita & imaginem materiam præcipuam, id eſt, panis ſubſtantiam præcepit offerri, non figurantem hominis formam, ne idololatria ſubintroducatur. Sicut ergo corpus Chriſti, quod ſecundum naturam ſanctum eſt, utpote Deificatum; ita manifeſtum eſt, quod adoptione, id eſt, ipſa imago ejus ſancta eſt, utpote per quandam ſanctificationis gratiam Deificata. Hoc enim & induſtriè geſſit Dominus Jeſus, ut ſicut carnem, quam ſuſcepit, propria ſecundum naturam ſanctificatione ex ipſa unctione Deificavit; ſimiliter & Euchariſtiæ panem, ut non falſam imaginem naturalis carnis, per ſancti Spiritus adventum ſanctificandam, Divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote, qui oblationem de communi ſeparans ad ſanctificationem pertingere facit. Itaque Chriſti caro ſecundum naturam animata, & mente prædita, eſt uncta per Spiritum Sanctum Divinitate, ſimiliter & Divinitus tradita imago carnis ejus, Divinus videlicet panis, repletus eſt Spiritu Sancto, cum calice vitam ferentis ſanguinis lateris ejus. Hæc ergo demonſtrata eſt vera imago diſpenſationis, quæ in carne facta eſt, ſcilicet Chriſti Dei noſtri, quam ipſe nobis verus naturæ vivificator & fictor voce propria tradidit.*

Palmaris difficultas erat de ſacra crucifixi Domini imagine. Etenim veros Chriſtianos ſine iſta non poſſe vivere, altè clamat ipſa per illam regenerata ac reformata natura. Et hinc Iconoclaſtæ retinuerunt ſacræ crucis imaginem: Verùm ſine crucifixo. Omnem humanam formam cenſuerunt eſſe idolum. Addiderunt ſe nequaquam

eſſe

eſſe ſine crucifixi imagine: Eſſe ſibi Evangelicam ac Divinitus inſtitutam ejus imaginem, Euchariſticum panem & vinum. Dominicæ Incarnationis veritatem profitentur ante omnia. Aſſumptum hominem profitentur fuiſſe perfectum & plenum, & non figuram divinæ perſonæ, ſed ipſam divinam perſonam: Ne in Deo eſſet non Trinitas, ſed quaternitas. Profitentur & adverſus Eutychetem, & adverſus Neſtorium. Hinc pergunt ad Euchariſtiam. Quòd ſolam in ipſa figuram dogmatizarint, nunquam crediderо. Etenim profitentur ipſam eſſe Deificatam per gratiam Sanctificationis, eſſe ſanctificatam Spiritus Sancti adventu, eſſe Divinum panem, factum eſſe Divinum corpus mediante Sacerdote, id eſt, ſolemnium verborum virtute tranſubſtantiatum. Et hanc ſanctificationem non ſine aliqua elegantia vocant *Adoptionem*. Etenim panis ante conſecrationem eſt ſimplex, nudus, & ab hac tremenda gratia extraneus, adeoque per iſtam non malè dicitur in hanc adoptari. Interim hæc ſcelerata Synodus figuram magis prædicavit quàm veritatem. Aſſeruit hanc ex Divino Chriſti Domini Inſtituto & juſſu eſſe unicam aſſumpti hominis imaginem, ultrà quam nulla poſſit fingi alia: Quoniam omnis *figurans hominis forma introducit idololatriam*. Fuit uſa novo locutionis genere. Et Euchariſtiam ad novos fines detorſit. Hinc & ſe & omnem ſuam factionem reddidit de negata veritate ſuſpectam. Et glorioſus Martyr Stephanus, Auxentiani in Bithynia Monaſterii Præfectus, illis reſpondit nullam hæreſim unquam eſſe unico errore contentam, ideoque & Iconoclaſtas de errore provolui in errorem, & pergit: *Nullus aliquando tubarum Spiritus, ſanctorum videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Nequè enim à Domino acceperunt ſic dicere vel confiteri. Sed audiunt Evangelicè, dicente eo: Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non intrabitis in Regnum cœlorum. Et accepto pane gratias agens fregit & dedit diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum. Non dixit: Accipite & comedite imaginem corporis mei.* Euchariſtiæ veritatem pluribus Evangelicis ac Apoſtolicis teſtimoniis confirmat, & concludit: *Ergo liquidò demonſtratum eſt, quòd nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres imaginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem. Et ante ſanctificationis quidem celebrationem typos quibuſdam Sanctorum Patrum hæc piè viſum eſt nominare.* Ita locutos affirmat Sanctum Euſtatium Antiochiæ Patriarcham, & Magnum Baſilium. Euſtatius hunc Proverbiorum locum, *Comedite panem meum & bibite vinum quod miſcui vobis*, ita commentatur: *Per panem & vinum prædicat typos corporalium Chriſti membrorum.* Magnus verò Baſilius in ſua Liturgia poſuit hanc orationem: *Confidentes appropinquamus Sancto Altari, & proponentes typos Sancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, te deprecamur, & te rogamus, & te obſecramus Sancte ſanctorum per tuæ bonitatis placitum, ut Spiritus Sanctus tuus ad nos veniat & ad hæc dona propoſita, & ea benedicat & ſanctificet, & efficiat Chriſti corpus & ſanguinem.* Poſteriora hæc verba omittit Sanctus Stephanus, & de ipſis ſcribit: *Quod deinceps inſertum, certiorem Patris hujus perfecit intellectum, qualiter antequam ſanctificata fuerint, vocata ſint typi, poſt ſanctificationem autem corpus propriè & ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur.* Et pergit adverſum Iconoclaſtas: *Ipſi verò viri fortes volentes venerabilium imaginum demoliri viſionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non eſt imago, ſed corpus & ſanguis. Porrò fatigatione & aſtutia depreſſi, ſchiſmate pravo ſemet offundentes, adoptione nominaverunt fieri hanc divinam oblationem. Et quemadmodum hoc dicere eſt aperta inſania, ſic & imaginem aſſerere corpus & ſanguinem Domini habet ampliorem indiſciplinationis impietatem. Deinde dimiſſo mendacio, tangunt paucillum quid veritatem, Divinum corpus dicentes fieri. Et ſi imago corporis eſt, non poteſt eſſe hoc Divinum corpus. Ergo hinc inde circumductis, invalida omninò manent ea, quæ ab illis ſuſurrata ſunt. Sicut enim oculus turbatus non rectè videt, ita & ipſi nequam confuſione cogitationum ſenſum ſuum turbantes, & turbatum reddentes, id ipſum patiuntur quod inſanientes, alia ſcilicet pro aliis phantaſticè paſſi: Aliquando quidem imaginem dicentes Sancti corporis Chriſti ſacrum noſtrum ſacrificium, aliquando verò poſitivè corpus. Porrò hæc paſſi ſunt imaginalium formationum vultum ab Eccleſia volentes exterminare, gaudentes ſuper everſione Eccleſiaſticarum traditionum.*

Docet varia. Primò, Euchariſtiæ veritatem lucidiſſimè profitetur. Secundò, ipſam fundari aſſerit in hiſce verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Tertiò, quod iſta verba non figuram importent, ſed omninò veritatem: Eò quod Dominus non dixerit, *Hoc eſt figura mei corporis*, ſed, *Hoc eſt corpus meum.* Palam loquitur cum Anaſtaſio Sinaita ac Sancto Joanne Damaſceno. Et poſteà ipſum ſecuti ſunt Sanctus Nicephorus Patriarcha, & Archiepiſcopus Theophylactus. Quartò aſſerit, quod conſecrata Euchariſtiæ elementa nullus unquam Apoſtolus, nulluſque Eccleſiæ Pater dixerit eſſe Dominici corporis aut ſanguinis antitypa vel figuras. Quintò, quòd ſanctus quidem Euſtatius ac Magnus Baſilius ita ſint locuti: Verùm de elementis dumtaxat propoſitis, ſeu verbaliter oblatis, nequaquam de conſecratis ac tranſubſtantiatis. Sextò, quod Iconoclaſtæ ſtultè dicant hanc elementorum tranſmutationem fieri per adoptionem. Et reverà divina adoptio eſt divinæ filiationis ſpecies, ideoque cadere non poteſt niſi in creaturam intellectualem. Attamen Pſeudo-Synodus per tropum locuta eſt, ideoque iſta ejus phraſis non caret omni colore. Septimò, Iconoclaſtas Stephanus graviſſimè arguit, quòd Euchariſtiam dicant Dominici corporis & ſanguinis imaginem: Affirmat eſſe veritatem ſolummodò, nullo modo figuram. Et hanc ejus phraſim poſteriores Græci ſunt paſſim imitati. Octavò, eoſdem arguit quòd circa hoc Myſterium

ſterium utroque pede claudicent: Quòd modò figuram aſſerant, modò veritatem. Et hinc vides, quòd etiam Sanctus Stephanus certò non cenſuerit Iconoclaſtas errare circà hoc myſterium, ſed dumtaxat habuerit ſuſpectos.

Et omnem hanc doctrinam probavit ſeptima Synodus. Etenim hunc laudatum Sancti Stephani librum, licèt in Canonem non admiſerit, tamen ſibi legi juſſit, & ſuo firmavit ſuffragio. Non quidem ſingulos apices, omninò tamen illa, quæ pro ſacris imaginibus habet & pro Euchariſtia. Quod ipſum fecit Adrianus primus Pontifex. Etenim ſeptimam Synodum olim penitus abjecerunt Francorum Epiſcopi, eique impoſuerunt errores varios, inter quos fuit & hic: *Quòd magnæ ſit temeritatis, ingentiſque abſurditatis, ſacras imagines corpori & ſanguini Dominico æquiparare velle.* Et Adrianus reſpondit: *Non æquiparaverunt*, utique Patres ſeptimæ Synodi, *ſed magis ſcripturaliter dixerunt.* Adducit quædam ex memoratis Stephani verbis, & concludit. *Et alia plurima* adducit Stephanus *ex Domini doctrina & Beati Pauli Apoſtoli, quæ exarare noluimus, quia in eadem per ordinem ſcribitur Synodo. Nam æquiparare, ut dicunt Iconoclaſtæ hæretici in eodem pſeudo ſyllogo, venerandas imagines corpori & ſanguini Dominico, inſenſabiliter æquiparaverunt.* Affirmat non à ſeptima Synodo, nec ab iſtic lecto Stephani libro, ſed ab Iconoclaſtis ſacras imagines Dominico corpori & ſanguini æquiparari. Addit errorem hunc damnari à ſeptima Synodo. Ex quo vides quòd iſte ſeptimi Concilii Francus impugnator aut dormitantibus, aut alienis oculis legerit Acta Synodalia. Etenim hunc à Synodo damnatum Iconoclaſtarum errorem adſcribit Synodo. Ejuſdem Stephani librum laudavit & probavit Florentina Synodus. Et ad Imperatorem Michaelem tertium ſcripſit Nicolaus primus Pontifex: *Panis, qui ſuper Altare offertur, panis eſt quidem communis, ſed quando ipſe Sacramento ſacratus fuerit, corpus Chriſti in veritate fit & dicitur. Sic & vinum, modicum aliquid digna exiſtentia ante benedictionem, poſt Spiritus ſanctificationem ſanguis efficitur.* Hæc verba ſapiunt Græcam phraſim, videnturque omninò deſumpta ex Sancto Stephano. Ad Græcos enim hæc Nicolaus ſcripſit pro ſacris imaginibus, noratque hujus Patris eſſe apud iſtos ſummam authoritatem. Quidquid ſit, in octava ex ſolis Græcorum Epiſcopis conſtante Synodo fuit lecta iſta Epiſtola, probata, & inſerta Actis, atque ita etiam hæc Synodus Euchariſtiæ veritatem patenter confirmavit.

Cap. 33.

Eandem fidem Græci conſtantiſſimè tenent etiam poſt ſchiſma Michaelis Cerularii. De Theophylacto Acridenſi apud Bulgaros Archiepiſcopo ſcribit repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Theophylactus Bulgarorum Archiepiſcopus eſt tempore ſchiſmatis à Photio miſſus in Bulgariam, ut ipſos Bulgaros, tunc temporis Romanæ Eccleſiæ devotos & obedientes, ad Græcorum ritus & obedientiam revocaret. Quod & factum eſt. Iſte Theophylactus, cum omnia ferè Scripta Beati Joannis Chryſoſtomi ſuo ingenio abbreviaſſet, quidquid pro Latinorum Eccleſia facere videbatur, aut omninò tacuit, aut de ſuo ſuperaddendo verum intellectum corrupit.* Verùm longè aliter ſcribit ejus in eodem Archiepiſcopatu ſucceſſor Demetrius Chomatenus. Ad hanc Conſtantini Cabaſilæ Metropolitæ Dyrrachienſis quæſtionem, *Quo jure cenſentur conſecrata Latinorum azyma, prophana, an ſancta?* reſpondet ipſa eſſe adiaphora & tolerabilia, nec propter ipſa continuandum ſchiſma. Addit plures à Græcis paſſim damnatas Latinorum conſuetudines eſſe iſtiuſmodi, damnandum ſolum articulum de proceſſione Spiritus Sancti, ita ſentire plures & graves etiam Græcorum Doctores, ac pergit: *Quorum unus eſt & ſapientiſſimus Bulgariæ Beatus Archiepiſcopus Theophylactus.* Multis demonſtrat ipſum non fuiſſe averſum à Latinis, nec alienum ab ineunda cum illis unione. Quod ipſum in ſecunda ſua Apologia ſcribit Joannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui factam in Lugdunenſi Gregorii decimi concilio unionem admiſit, & eſt executus. Non ita pridem editæ, quarum plures undecimo ſuorum Annalium tomo indidit Dominus Cardinalis Cæſar Baronius, Theophylacti Epiſtolæ evincunt ipſum vixiſſe ſub Pontificatu Gregorii ſeptimi, ac ſub Imperio Michaelis Parapinacii, ac etiam Alexii Comneni. Nempè dictus Michael, cujus iniquam degradationem jacto in Nicephorum Botoniatem anathemate vindicavit laudatus Gregorius, ſtuduit ſchiſma evellere ac reducere unionem, Theophylactum conſuluit, & hic opus bonum eſt conatus adjuvare. Hinc & dictus Demetrius, & dictus Joannes Veccus, qui ſub Gregorio nono tentatam, & tandem ſub Gregorio decimo factam unionem adjuverunt, ejus authoritate fuerunt uſi. Hinc item ad Imperatorem Henricum quartum ſcribit idem Gregorius ſeptimus: *Conſtantinopolitana Eccleſia de Sancto Spiritu à nobis diſſidens, concordiam Apoſtolicæ Sedis exſpectat.* Solam de Spiritu Sancto quæſtionem memorat: Quòd nempè Græci omnes, Theophylacti judicium ſecuti, circa iſtam ſolam nos errare cenſerent, ideoque de ipſa ſola litigarent. Non igitur ſub Photii, ſed ſub Michaelis Cerularii ſchiſmate Theophylactus vixit & docuit. Lucidè docuit Euchariſtiæ veritatem. Lib. 2. Ep. 31.

Quòd à Dominicis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, non figuram, ſed veritatem omninò importari docuerit, eſt ſuprà demonſtratum. Quod ipſum docet in pluribus aliis locis. Audiamus unicum è commentario Evangelii ſecundùm Joannem: *Attende quòd panis, qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantùm figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit: Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille, per myſticam benedictionem, & acceſſionem Spiritus Sancti, in carnem Domini. Et ne quem conturbet, quòd panis credendus ſit caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus ejus mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ ejus carni, & in augmentum & ſuſtentationem* Cap. 7.

nem conferebat juxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo, inquis, non apparet nobis caro, ſed panis? Ut non abhorreamus ab ejus eſu. Nam ſi quidem caro apparuiſſet, inſuaviter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autem condeſcendente Domino noſtræ infirmitati, talis nobis apparet myſticus cibus, qualibus alioquin ſumus aſſueti. Omnem Romanam de Euchariſtia fidem lucidè profitetur. Nam & Tranſubſtantiationem affirmat fieri arcanis Domini verbis, *Hoc eſt corpus meum*. Quòd nempè etiam de hoc articulo cenſeret cum Latinis non litigandum. Ad firmandam Tranſubſtantiationem item utitur argumento, quo adversùm Saracenos fuerunt uſi etiam Sanctus Joannes Damaſcenus, ac ejus diſcipulus Theodorus Abucara.

Eadem in fide alios etiam ſchiſmaticorum Græcorum Doctores fuiſſe ſemper conſtantiſſimos, eſt omnibus manifeſtum. Videri poſſit & Myſtagogica Eccleſiaſticarum rerum contemplatio, ſcripta per Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Scio opus hoc paſſim adſcribi Sancto Germano, qui ſub Leonis Iſauri Imperio floruit. At eſſe Germani ſecundi, hominis Schiſmatici, qui cum Gregorio nono Pontifice vixit, multa firmiſſimè ſuadent. Opus iſtud Euchariſtiæ veritatem in pluribus locis profitetur conſtantiſſimè, & adjungit: *Dominus conſpicitur, & tangi ſe patitur per tremenda myſteria*. Berengarii coram Nicolao ſecundo profeſſionem disertè confirmat. Quod item Imperatoris Manuelis Paleologi ad Henricum quintum Anglorum Regem Legatio, de Sacramentariis Joannis Wicleffi erroribus interrogata, Romanam de Euchariſtia & omnibus ſeptem Sacramentis fidem fuerit lucidiſſimè profeſſa, nobis ſupra dixit Thomas Waldenſis.

Quòd Græci in Florentino Concilio diſputarint aut titubarint de Euchariſtiæ veritate, eſt inſignis fabula. Ipſam lucidiſſimè fuerunt profeſſi. Græci adversùm Latinos nullam penitùs, Latini autem adversùm Græcos moverunt plures de Euchariſtia quæſtiones. Hæc fuit prima: *Cur inclinatis capita, cum de minori Altari ad majus necdum conſecrata deferuntur ſacra munera?* Græci ante Miſſæ offertorium faciunt magnum & ſolemnem introitum: Benedicta, & nondum conſecrata panis ac vini elementa è Protheſi ac Diaconico deferunt cum ſolemniſſima proceſſione ad Altare, & omnis populus illis exhibet ſummam reverentiam. Quidam Latini dubitarunt, an illa Græci tunc latricè adorarent, ideoque iſtam propoſuere quæſtionem. Et hæc lucidiſſimè ſupponit Græcos de Euchariſtiæ veritate non dubitaſſe. Supponit Euchariſtiam à Græcis fuiſſe latricè adoratam. Hæc fuit altera quæſtio: *Cur dicitis, quando necdum eſt corpus Chriſti, Unus autem militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua?* Tertia fuit hæc: *Quare non contenti eſtis Dominicis verbis, Accipite & comedite, ſed poſteà dicitis; Et fac panem quidem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, tranſmutans ea Spiritu Sancto tuo, Amen, Amen, Amen?* Nos Latini ab illis petivimus, an tranſubſtantiationem crederent fieri per Dominica verba, *Hoc eſt corpus meum;* an per ſubſequentes in ipſorum Miſſa orationes? Et Acta Synodalia habent: *Hæc à Latinis objecta Mitylenenſis Epiſcopus canonicè omnia, legitimeque diſſolvit*. Demonſtravit in hiſce diverſis ritibus Græcorum fidem à Latina non diſcordare.

Eadem in fide conſtantiſſimi ſemper permanſerunt, & uſque hodiè permanent Græci etiam poſt Turcicam captivitatem. Lucet ex Synodalibus ipſorum Actis adversùs Cyrillum Lucarim Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Hollandorum nummis intruſus ac ſeductus, Calvinianam hæreſim conabatur intromittere ac ſeminare. Adversùs illum Synodaliter ſtatuit Patriarcha Cyrillus Berrhæenſis: *Anathema Cyrillo, dogmatizanti & credenti non tranſmutari panem propoſitionis, & inſuper vinum per Sacerdotis benedictionem & Spiritus Sancti adventum, in verum corpus & ſanguinem Chriſti. Scriptum enim eſt in decimo ſeptimo hæreticorum ejus capitum: Corpus Chriſti non eſt, quod in Sacris cernitur oculis, & accipitur. Ut tranſgreſſori certiſſimorum Spiritus oraculorum, & ex ſpontanea malitia Deum Hominem præceptorem non audienti: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Pluribus Evangelii ac Apoſtoli teſtimoniis ſuum anathematiſmum confirmat. Facta fuit hæc Synodus præſentis ſæculi anno trigeſimo quarto. Aliam anno quadrageſimo ſecundo fecit Patriarcha, & inter cætera ſanxit: *Divinam Euchariſtiam Cyrillus ita convellit, ut ipſi nihil aliud, niſi nudam figuram relinquat, quaſi adhuc in umbra veteris Teſtamenti ſerviremus. Neque enim eum, qui videtur & comeditur, panem jam ſanctificatum eſſe verum Chriſti corpus, ſed ſpiritaliter tantùm intellectum, aut potiùs imaginando fictum. Quod omni impietate plenum eſt. Neque enim dixit* JESUS, *Hoc eſt figura corporis mei, ſed, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Hoc ſcilicet quod videtur, & accipitur, & comeditur, & frangitur, ſanctificatum jam & benedictum*. Loquitur juxta Berengarii profeſſionem factam coram Nicolao ſecundo. Quòd Græci omnem Calviniſmum, & quoſvis illius ſectatores deteſtentur acerrimè, copiosè demonſtrat in Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ concordia Leo Allatius.

CAPUT X.

Quomodo Græcorum Patres utantur voce, Antitypa.

IN memoriam reduci oportet hæc Sancti Stephani Auxentiani verba: *Nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres imaginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus, & ipſum ſanguinem. Et ante ſanctificationis quidem celebrationem typos quibuſdam ſanctorum Patrum hæc piè viſum eſt nominare; poſt ſanctificationem autem corpus propriè & ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur.*

Et

Et iſtum loquendi modum oſtendit placuiſſe Sancto Euſtatio Antiocheno, & Magno Baſilio. Loquitur ex quarto Sancti Joannis Damaſceni libro de Orthodoxa Fide: *Quòd ſi nonnulli panem & vinum corporis & ſanguinis Domini figuram eſſe dixerunt, quemadmodum ille Divinitùs afflatus Baſilius, non hoc poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam oblatio ea conſecraretur, hoc vocabulum uſurparunt*. Quod ipſum docent Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & alii plures. Et hinc naſcuntur aliquot quæſtiones.

Prima eſt, An Græci Patres conſecrata Euchariſtiæ elementa nunquam appellaverunt Dominici corporis & ſanguinis Antitypa, ſeu imagines & figuras? Anaſtaſius Bibliothecarius in marginali ad Sancti Stephani Auxentiani librum Scholio reſpondet: *Græci Patres jam ſanctificata non rarò vocant antitypa*. Et probat authoritate Sancti Gregorii Nazianzeni, & Sancti Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani. Et rectè. Etenim ſororem ſuam Gorgoniam in funebri ejus elogio Gregorius laudat, quòd infirma ſe proſtraviſſet ante domeſticum altare, plenaque fide Chriſtum Dominum interpellaſſet, atque adjungit: *Et ſi quid uſpiam antityporum pretioſi corporis & ſanguinis manus recondiderat, cùm id lachrymis admiſcuiſſet, ſtatim ſe morbo liberatam ſentit*. Per antitypa palàm intelligit domum deferri à fidelibus, ac domi conſuetam ſervari & ſumi, adeoque anteà in Eccleſia conſecratam Euchariſtiam. Et nota quòd venerabilis Gorgonia non ſolùm panis, ſed & vini ſpeciem haberet in ſuo domeſtico altari. Præter morem. Quòd enim ſolam panis ſpeciem deportari domum, ac ibidem ſervari & ſumi permiſerit olim omnis Eccleſia, cunctis antiquæ diſciplinæ peritis eſt exploratum. Porrò ſacra Virgo Gorgonia erat & Epiſcopi dilecta ſoror, & alterius Epiſcopi dilecta filia: Hinc ab illis habuit ſingulare privilegium.

Sanctus Helladis Anachoreta Lucas olim interrogavit Corinthiorum Epiſcopum: *Amabo, o Domine, qua nos ratione, qui propter multa peccata noſtra montes colimus & ſolitudines, qua, inquam, ratione poſſimus percipere horrenda myſteria? Vides enim, ut nedum Collecta, ſed neque Sacerdos ſuppetat*. Et Epiſcopus reſpondit: *Benè, Pater, deque bona re ac maxima interrogaſti. Nam bonum quoque, ut ajunt, non bonum eſt, ſi non benè fieri contingat. Primò igitur ac principaliter Sacerdotem adeſſe decet. Quòd ſi ille neceſſaria omni ratione abſit, imponendum ſacræ menſæ Præſanctificatorum vaſculum, ſi quidem eſt oratorium; ſin autem Cella, ſcamno mundiſſimo. Tunc explicans velum minus, propones in eo ſacras particulas, accenſoque thymiamate, typicorum Pſalmos, aut Hymnum Ter-Sanctus cantabis cum ſymbolo Fidei, trinaque genuum flexione adorans manus quidem contrahes, ore autem ſacrum pretioſi Chriſti ac Dei noſtri corpus ſumes, dicendo: Amen. Loco autem ſacri calicis, vini poculum bibes, nec verò ultra calicem in aliorum communem uſum aſſumes. Rurſùm verò reliquas particulas in vaſe linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens, ut ne margarita decidat & conculcetur*. Hic fuit antiquus modus, antiqua pietas, antiqua reverentia in ſumenda domeſtica Euchariſtia.

Notanda ſunt hìc varia. Primo, Quòd quidam fideles haberent, quidam non haberent altare domeſticum. Secundò, quòd ſumenda Euchariſtia flexis genibus adoraretur. Tertiò, quòd domeſtica Euchariſtia eſſet ſola panis ſpecies. Quartò, quòd vice Euchariſtici calicis ſumeretur ſimplex vinum. Quod ipſum & nos Latini, dum populum à ſacro calice cœpimus abſtinere, fecimus in multis Eccleſiis. Quintò notandum eſt, quòd Græcorum populus communicet minutas Euchariſtiæ particulas, ipſaſque titulet margaritas, qui titulus eſt antiquiſſimus ac eminentiſſimus, lucideque firmat Euchariſtiæ veritatem. Sextò notandum, quòd avita fidelium circa panem & calicem, ne quid in terram decidat, per Tertullianum laudata cura fuerit circa Euchariſtiam. Et quidem Sancta Gorgonia pro domeſticis ſuis myſteriis habuit domeſticum altare, & omnem à Corinthiorum Epiſcopo laudatam reverentiam & ſumendi rationem ipſis exhibuit, ideoque & hæc videntur eſſe antiquiſſima. Et olim Corinthiorum Epiſcopus ſpectabat ad Romanum Patriarchatum, atque ita poſſit illa eſſe Romana Inſtitutio. Notandum item eſt, quòd Sancta Gorgonia Dominicum ſanguinem miſceret ſuis lachrymis. Suos forſitan lachrymis tinctos oculos ac genas tingebat etiam iſtis myſteriis, juxta ſuperiùs laudatum ritum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Porrò etiam hujus Epiſcopus Sanctus Cyrillus in quinta myſtagogica catecheſi ſcribit à nobis ſumi in Euchariſtia non panem & vinum, ſed Dominici corporis & ſanguinis antitypa. Lucidè loquitur de conſecrata Euchariſtia, Eundem loquendi modum reſumit Nazianzenus Gregorius in prima oratione Apologetica; *Quo tandem modo externum illud ſacrificium, magnorum myſteriorum antitypum, offerre auderem?* Quod ipſum in quinto Apoſtolicarum Conſtitutionum libro facit antiquus Author, vulgò dictus Clemens Romanus.

Et hinc naſcitur altera quæſtio, An Magnus Baſilius ac Magnus Euſtatius Euchariſtica elementa dumtaxat ante, non poſt conſecrationem dixerint antitypa? Reſpondeo Magni Euſtatii mentem eſſe mihi ignotam. Etenim ipſius in Salomonis Parabolas commentaria non vidi uſque huc, & ex illius paucis per Stephanum Auxentianum adductis verbis non poteſt firmari judicium. Etiam Magni Baſilii mens eſt obnoxia dubietatibus, Etenim Baſiliana Liturgia habet iſta verba in precibus, quas poſt ſolemniter recitata Dominica verba, *Hoc eſt corpus meum*, adeoque & poſt factam conſecrationem & tranſubſtantiationem recitant hodierna Græcorum Euchologia, & per quas iſtam fieri errant Græci ſchiſmatici, Quòd omnes orthodoxi Græci conſecrationem ſemper cenſuerint per Dominica verba fieri etiam à nobis Sacerdotibus, eſt certum, ac utcumque demonſtratum in ſuperioribus. Quare videtur Baſilius non propoſita & verbaliter oblata, ſed omninò conſecrata elementa

menta appellaſſe antitypa. Et in opuſculo de Euchariſtiæ conſecratoriis verbis Dominus Cardinalis Beſſarion liberè profitetur Sanctum Joannem Damaſcenum in hoc puncto erraſſe. Magnus Alexandriæ Patriarcha Dionyſius Pepuzenos Montaniſtas, licet in ſacroſanctæ Trinitatis nomine non baptizatos, tamen docuit non rebaptizandos. Admiratus hoc fuit in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litteris Magnus Baſilius, atque ita glorioſi Martyris ac Doctoris auctoritatem non reveritus ſcripſit: *Miror quomodo hoc latuerit Dionyſium, quamvis omnium Canonum peritiſſimum*. Hoc ipſum de Sancto Joanne Damaſceno, primùm uti filius à patre precatus veniam, hoc noſtro in puncto ſcribit Cardinalis Beſſarion, ſcribit conſecratam Euchariſtiam eſſe Dominici corporis & ſanguinis non tantùm veritatem, ſed etiam imaginem atque figuram, ideoque adjungit: *Non video, quid formidans Damaſcenus Præfigurativi ſeu Antityporum vocabulum timuerit, atque ita exponere ſit conatus.*

Attamen non perſiſtit in hoc Reſponſo, ſed adjungit hoc temperamentum: *Fortaſſe autem, quod impoſſibile non eſt, diceret quiſquam verba illa Baſilii, quibus hæc munera præfigurativa ſeu antitypa nominavit, Damaſceni tempore locum ante verba Domini in Miſſa habuiſſe, ideoque eo modo & rectè expoſuiſſe Damaſcenum; nunc verò neſcio quomodo ea verba fuiſſe tranſpoſita. Multa enim huic ſimilia tam longo temporum intervallo acciderunt*. Græcorum Liturgiis varias vario tempore factas eſſe mutationes & tranſpoſitiones demonſtrat exemplis, ideoque & hanc cenſet poſſibilem. Et fuiſſe reverà factam ſuadet antiqua Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Liturgia, cujus aliquod compendium ſuæ quintæ myſtagogicæ Catecheſi inſeruit Sanctus Cyrillus ibidem Epiſcopus. Canonis in iſta Liturgia præfationem eleganter exponit, atque proſequitur de Cherubico hymno: *Propterea traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœleſti hymnodia cum ſupra-mundana militia communicemus, atque ſic per ejuſmodi hymnos nos ipſos ſanctificantes, Deum benigniſſimum oramus, ut ſuper illa*, Euchariſtica elementa, *propoſita Sanctum Spiritum emittat, & panem quidem faciat corpus Chriſti, vinum verò Chriſti ſanguinem. Omninò enim quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc ſanctificatur & transmutatur. Deindè verò poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis, pro afflictis, & ſumma pro iis qui egent auxilio*. Hinc dicit ſubſequi commemorationem ac orationem pro defunctis. Lucidè affirmat poſt præfationem & Seraphicum hymnum proximè ſequi Euchariſticæ tranſelementationis expoſtulatrices preces, & tunc fieri ſpirituale ac incruentum ſacrificium, videlicet ipſam per ipſa Domini verba tranſelementationem. Quòd ipſa verba non expreſſerit, fecit appoſita tunc illis lex Secreti, ex quo tunc paſſim in ſuis ſcriptis & dictis Sancti Patres addebant: *Norunt fideles*. Attamen verba disertè expreſſit, atque ipſorum ex opere operato virtutem abundè expoſuit cum Sancto Gregorio Nyſſeno Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Laudata Hieroſolymæ Liturgia eundem planè cum cunctis Græcorum Liturgis habet ordinem: Unica differentia eſt, quòd illa poſtulatrices tranſelementationis preces præponat Dominicis verbis; hæ poſtponant. Et illi, qui Baſilianam, omninò ita alterarunt etiam Liturgiam Sancti Joannis Chryſoſtomi, immò & Sancti Apoſtoli Jacobi. Quòd non ſoli Conſtantinopolitani Patriarchæ, ſed & ipſi Imperatores ſacris Liturgiis addiderint, detraxerint, ac alias variationes intulerint, eſt omnibus notum. An præſens variatio proceſſerit ab aliquo Schiſmatico, non poſſim conſtans affirmare. Quidquid ſit, illa ſchiſmaticis præbuit novi erroris fundamentum atque fomentum.

Poſſint opponi duo. Primò authoritas Sancti Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Sancto Joanni Damaſceno coætaneus, Liturgiæ ordinem refert atque exponit ad hodiernum morem: Tranſmutationis poſtulatrices preces manifeſtè ſupponit eſſe Dominicorum verborum recitatione poſteriores. Secundò opponi poteſt authoritas omnium hodie Græcorum Euchologiorum, in quibus & Sancti Jacobi, & Sancti Baſilii, & Sancti Joannis Chryſoſtomi Liturgia iſtas ſibi preces inſertas habent poſt ſacroſancta Chriſti Domini verba. Nec poſſit adduci aliud exemplar. Nec antiquum nec novum. At verò hæc omnia vitiata aut certè alterata aſſerere eſt in antiqua Eccleſiæ documenta palam graſſandi, & conſuetæ Hæreticorum audaciæ dare peſſimum exemplum, & ab omni Chriſtianitate damnatam licentiam. Reſpondeo præfatum opus eſſe valdè ambiguum, ideoque modicæ authoritatis. Eruditi plures ipſum non Sancto Germano adſcribunt, ſed Germano ſecundo, viro ſchiſmatico, cujus de facienda Eccleſiarum unione ad Gregorium nonum Epiſtolas habes apud Matthæum Pariſienſem. Ad ſecundum reſpondeo Rituales Eccleſiarum libros non ſpectare ad Bibliothecas, nec paſſim in ipſis aſſervari. Nam & apud nos Latinos plurimi olim fuerunt Pœnitentiales, Miſſales, aliique rituales libri, quorum nulla reperire eſt authentica exemplaria. Adeò ut nec habeamus antiquum Miſſale Sancti Gelaſii. Nec accuſari hìc poſſim de uſurpata graſſandi licentia. Etenim me palam tuetur irrefragabilis & clara authoritas Sancti Cyrilli. Et cuncti paſſim Græcorum Patres conſtanter profitentur duo. Primò, tranſelementationem fieri per ſingulare opus Spiritus Sancti. Secundò, Spiritum Sanctum ad iſtud patrandum per ſingulares preces à Sacerdote advocari. Profitentur & tertium: Quòd nempe iſtæ preces illud opus antecederent. Varia Patrum loca adduxi ſuperiùs. Et hinc vides Franciſcum Turrianum ac Jacobum Billium, dum adducta Sancti Joannis Damaſceni de Magni Baſilii ſenſu verba affirmant eſſe ſpuria atque intruſa, eſſe locutos ſine fundamento.

Quæ omnia inſigniter confirmantur ex Sancto Fulgentio. Etenim inter quæſtiones, quas illi Monimus propoſuit, fuit & hæc: *Cur à Patre mittendus ad conſecrandum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini Spiritus Sanctus poſtuletur?* Et Fulgentius reſpondit: *Jam nunc illa nobis eſt de Spiritus Sancti miſſione quæſtio revoluenda. Cur ſcilicet, ſi omni Trinitati ſacrificium offertur, ad ſanctificandum oblationis noſtræ munus Sancti Spiritus tantùm miſſio poſtuletur? Quaſi verò, ut ita dicam, ipſe Pater Deus, à quo Spiritus Sanctus procedit, ſacrificium ſibi oblatum ſanctificare non poſſit, aut ipſe filius ſanctificare nequeat ſacrificium corporis ſui, quod offerimus nos, cum corpus ſuum ipſe ſanctificaverit, quod obtulit, ut nos redimeret, aut ita Spiritus Sanctus ad conſecrandum Eccleſiæ ſacrificium mittendus ſit, tanquam Pater & filius ſacrificantibus deſint.* Demonſtrat noſtrum ſacrificium ſanctificari ab omnibus tribus Perſonis, addit per Spiritum Sanctum frequenter in ſacris litteris intelligi diffuſa per ipſum dona in noſtris cordibus, & concludit: *Cum itaque Eccleſia Spiritum Sanctum ſibi cælitus poſtulat mitti, donum ſibi charitatis & unanimitatis poſtulat à Deo conferri. Quando autem incongruentiùs, quàm ad conſecrandum ſacrificium corporis Chriſti, ſancta Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, Spiritus Sancti depoſcat adventum, quæ ipſum caput ſuum ſecundùm carnem de Spiritu Sancto noverit natum? Sic enim Angelico Maria informatur eloquio: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obrumbabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Affirmat Latinæ etiam Eccleſiæ Miſſalibus libris tunc infuiſſe preces Sancti Spiritus invitatorias ad peragendum myſterium tremendæ conſecrationis, & tranſelementationis. Et dat cauſam: *Quia idem Deus homo, qui ſemel natus eſt ex Virgine, quotidie nobis in altari naſcitur, ideoque non minus hic & nunc, quàm ibi & tunc opus eſt Spiritu Sancto.* Eaſdem preces reſpicit & laudat in libris de ſanctiſſima Trinitate Sanctus Auguſtinus: *Quod per manus hominum ad illam viſibilem* panis *ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, ut ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei.* Quòd iſtæ preces fuerint ſolemniſſimæ, evincit propoſita per Monimum quæſtio. Et tamen ipſarum nullus apertè meminit antiquus Pater, niſi ſolus, cui multas debemus gratias, Sanctus Fulgentius. Quid ergo mirum eſt, quod etiam iſtius poſteriores Græcos factæ tranſpoſitionis non habeamus aperta teſtimonia? Verumtamen Sancti Cyrilli teſtimonium eſt ſatis apertum.

Lib. 1. cap. 2. — Lib. 2 cap. 6. — Cap. 10. — Lib. 3. cap. 4.

Præterea & Latinæ & Græcæ Liturgiæ, licet in accidentibus differant, eadem eſt ſubſtantia, idem ſubſtantialis ordo: Et quin iſtas preces Latina olim Eccleſia ante ſolemnia Domini verba dixerit, non eſt dubitandum. Hæc ſemper credidit ſe per iſta verba conſecrare. Nicolaus Cabaſilas, qui antiquam Latinorum Eccleſiam, & ipſum hodiernum Sancti Gregorii Miſſale ſtudet vocare in ſuum errorem, manifeſtè perdit operam, & inaniter ſe fatigat. Etenim in Gregoriano Miſſali Sacerdos proximè ante Divina Domini verba Deo Patri ſupplicat ſuam oblationem *fieri ratam, rationabilem, atquè acceptabilem, ut nobis corpus & ſanguis fiat Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Hoc verborum compendium Magnus Gregorius poſuit in locum longiorum precum, quas laudat Sanctus Fulgentius. Et Monimi quæſtionem præcidit. Suum compendium dixerit non ad ſancti Spiritus, ſed ad nomen Dei Patris. Eadem verba habentur apud Sanctum Ambroſium in quarto libro de Sacramentis, ideoque quidam exiſtimant ex Ambroſiano Miſſali mutuata à Magno Gregorio. Alii tamen inde opinantur libros iſtos non eſſe veraciter Ambroſianos, ſed Magno Gregorio poſteriores. Quidquid ſit, quin etiam Græca olim Eccleſia iſtas ſancti Spiritus advocatorias preces eodem ordine dixerit, videtur non dubitandum. Etenim notanda ſunt hæc Baſilianæ Liturgiæ verba: *Confidentes ſancto tuo altari appropinquamus, & propoſitis ſancti tui corporis & ſanguinis antitypis rogamus.* Altè clamant ſe dicenda eſſe, adeoque olim fuiſſe dicta in primo ex Protheſi ad altare acceſſu, dudum ante conſecrationem. Altiſſimè iſtud ipſum clamat Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Liturgia. Etenim dudum poſt prolata Dominica verba rogat mitti Spiritum Sanctum *ſuper has oblationes venerandas, quas incipio apponere coram te.* Quomodo ad Miſſæ finem dicat Sacerdos: *Incipio apponere?* Certum videtur preces iſtas à Sancto Cyrillo fuiſſe poſitas non diu poſt magnum introitum. Et etiamnum hodie ſimiles preces eodem loco habent Sancti Baſilii, & ſancti Jacobi, & præſertim Sancti Joannis Chryſoſtomi Liturgiæ. Similes item habent ante Dominica verba. Omninò credo omnes, & quas ante, & quas poſt laudata verba hodie videmus, preces olim fuiſſe conjunctas. Et ita etiamnum hodie eſt in Miſſa Æthiopum, quos certum eſt ſemper ſpectaſſe ad Patriarchatum Alexandrinum, & iſtius Eccleſiæ ritum fuiſſe ſecutos. Iſtæ preces ſunt ibi ante prolata Domini verba, nulla poſt ipſa. Et ad prolata per Sacerdotem Dominica ſuper panem verba populus ſtatim acclamat: *Amen, Amen, Amen, credimus, & confidimus, & laudamus te, o Domine Deus noſter. Hoc verè corpus tuum eſt.* Eodem modo acclamat ad Dominica verba prolata ſuper calicem. Palam profitetur conſecrationem per ipſa perfici. Ad eundem Patriarchatum & ritum olim ſpectavit etiam Orientalis India, utpote ad Chriſtum Dominum converſa per Sanctum Frumentium, illi datum & conſecratum Epiſcopum à Magno Athanaſio. Hinc & iſtius gentis antiqua, quam vulgavit & à Neſtorianis erroribus expurgavit in ſua Angamallenſi Synodo venerabilis Alexius Menezius, ex noſtro Ordine Archiepiſcopus Goanus & Orientalis Indiæ Primas, Miſſa in Sanctorum Patrum Catalogo primum locum dat Sancto Athanaſio. Eadem Miſſa Spiritus Sancti invitatorias ad conſecrandum preces habet dudum ante Dominica verba, & nullas poſt ipſa. Per ipſa conſecrationem fieri manifeſtè profitetur. Nempè ſchiſmatici Græci nullum cum iſtis Indis unquam habuere commercium, ideoque eorum Rituales libros non potuerunt corrumpere.

Cap. 30.

Ter-

Tertia quæſtio eſt, An adductæ Liturgicæ preces, licet poſt Dominica verba & peractam ab ipſis tranſelementationem dicantur, non poſſint habere legitimum ſenſum? Reſpondeo poſſe. Etenim ipſa eodem ordine habet antiquæ Baſilianæ Liturgiæ Latina translatio, & interpretatur hoc modo: *Te poſtulamus, Sancte Sanctorum, beneplacita tibi benignitate venire Spiritum Sanctum tuum ſuper nos, & ſuper propoſita munera iſta, & benedicere ea, & ſanctificare, & oſtendere quidem panem iſtum, ipſum honorificum corpus Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod autem eſt in calice iſto, ipſum ſanguinem Domini Dei & ſalvatoris noſtri* JESU *Chriſti, qui effuſus eſt pro mundi vita*. Libri, quibus uſus fuit Dominus Cardinalis Beſſarion, pro *oſtendere* habent *facere*. Et ita omninò habent etiam hodierna Græcorum Euchologia. Attamen Leo Allatius in libris de utriuſque Eccleſiæ Concordia probat & ſequitur priorem contextum. Preces iſtæ poſſint expoſtulare, ut divina gratia jam factam tranſelementationem firmet, conſervet, & nobis oſtendat, ſeu nos in ejus fide illuminet atque ſtabiliat. Illuſtrat hæc noſter adverſarius
Cap. 29. Nicolaus Cabaſilas: *Et Sacerdotis & Pontificis ordinatio perficitur per orationem*. Oremus enim pro ipſo, ut veniat in ipſum gratia ſanctiſſimi Spiritus, *poſt impoſitionem manus is qui ordinat, ad Clerum clamat*. Ita clamat poſt datum à manuum impoſitione Spiritum Sanctum. Nempe ejus jam factam donationem ſupplicat eſſe ſtabilem ac firmam. Eodem modo & ſenſu antiqui Græcorum Patres poſſint oraſſe pro jam ſanctificatis & tranſmutatis Euchariſtiæ elementis. Et hinc ad prolata per Sacerdotem Dominica tam ſuper calicem, quàm ſuper panem verba circumſtans Græcorum populus reſpondet, *Amen*. Etiam in hodiernis Euchologiis. Factam conſecrationem profitetur, ac ipſi conſentit. Conſecrationis enim verba Græci Sacerdotes dicunt alta voce: Ex Inſtituto Imperatoris Juſtiniani. Et hinc Græci à Florentina Synodo, licet priorem de iſtis precibus errorem deponere fuerint coacti, de illarum tamen facienda tranſpoſitione nullus fuit ſermo, nulla memoria. Nec ipſam fieri ſuaſit unquam Cardinalis Beſſarion, potentiſſimus expugnator iſtius erroris. Quin immò tradit varios modos, quibus iſtæ preces, licet dictæ poſt Dominica verba, poſſint habere ſenſum legitimum atque orthodoxum. Et hinc lucet nullum eſſe fundamentum, ex quo ſchiſmatici Græci Magnum Baſilium, Sanctum Joannem Chryſoſtomum, aut alium ſuæ Eccleſiæ Patrem advocent in ſui erroris patrocinium. Attamen nunquam credidero hodiernum Ordinem fuiſſe in antiquis Liturgiis.

Quarta quæſtio eſt, Qua ratione ſancti Græcorum Patres conſecratam Euchariſtiam appellent Dominici corporis & ſanguinis antitypa? Reſpondeo quòd variis modis. Primum edicit in ſuo ad primam Sancti Gregorii Nazianzeni apologeticam orationem Elias Metropolita Cretenſium. Primò audiamus ejus lucidam de Euchariſtica veritate profeſſionem: *Per externum ſacrificium Gregorius intelligit illud, quod per panem & vinum peragitur. Quæ quidem in ſacra menſa propoſita per ineffabilem quamdam Omnipotentis Dei vim ac facultatem in Chriſti corpus & ſanguinem verè commutantur. Etenim ne carnem & ſanguinem in ſanctis Eccleſiarum menſis propoſita conſpicientes horrorem concipiamus, idcircò Deus ad infirmitatem noſtram ſe demittens, propoſitis rebus vivificam vim immittit, atque ea ad carnis ſuæ operationem transfert. Neque verò quin hoc verum ſit, ullo pacto ambige: Cùm ipſe apertè dicat, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Quin potiùs Salvatoris ſermonem fide accipe. Nam cùm verus ſit, minimè mentitur.* Hinc pergit ad noſtri præſentis vocabuli commentarium: *Per antitypum autem iſotypum intelliges, ſi quidem de magnis illis myſteriis, hoc eſt, de ſanctiſſimo Chriſti corpore ac pretioſo ſanguine iſtud accipias. Sic enim Magnus Baſilius hoc quoque appellavit. Præpoſitio enim hæc* ἀντὶ, *nonnumquam æqualitatem etiam ſignificat. Si autem ad futura myſteria hæc referantur, nec enim deſunt qui hæc verba ad hunc modum acceperint, non tanquam Chriſti corpus ac ſanguis non verè ſint, antitypa dicuntur, ſed quia nunc quidem per ea Divinitatis Chriſti participes efficimur, noſtris videlicet corporibus velut commixti & contemperati, tunc autem ſpiritualiter per ſolam contemplationem. Verùm quonam pacto, cùm Salvator ipſe per demonſtrationis modum dixerit, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, Divini tamen hi Magiſtri, nempè Magnus Baſilius & Gregorius Theologus, antitypa Dominici corporis & ſanguinis appellant? Nimirùm eximius ille Joannes* Damaſci *alumnus interventu ſuo diſſenſionem eam, cujus hic ſpecies quædam objicitur, diſſolvit, his verbis utens*. Adducit adducta ſuperiùs Sancti Joannis verba. Quæ omnia confirmat in undecimæ orationis commentario, & adjungit. *Sciendum eſt, quòd per antitypa hoc loco Gregorius intelligat iſotypa. Id quod frequens eſt tum apud externos, tum apud Divinos noſtros Magiſtros*. In quadrageſima ſecunda oratione Gregorius affirmat Eccleſiæ luminaria eſſe cœleſtium & ſupercœleſtium luminarium antitypa, & Nicetas Serronus commentatur: *Ea vox duplicem ſignificationem habet. Nam & pro contraria figura accipitur. Sic ſerpens æneus ſuſpenditur, non ut typus Chriſti, ſed ut antitypus. Et pro æquali figura, ut hoc loco*. Affirmat uterque Commentator vocem, *antitypa*, accipi tribus modis: Pro contraria figura, pro iſotypo ſeu figura æquali, & pro ſimplici ſigno ſeu ſimilitudine. Affirmat ipſam dici poſſe & de conſecratis elementis, & de propoſitis dumtaxat, ſeu ſimplici benedictione ad conſecrationem præparatis. Priori modo acceptam affirmat eſſe idem quod iſotypum: Quia nempè tunc accipitur pro inviſibili Chriſti corpore, quod corporis viſibilis eſt æqualis & conſubſtantialis figura. Confirmat duplex Chriſti corpus, quod à multis etiam Latinis Patribus ſuprà audivimus laudari. Per poſteriori modo acceptam vocem affirmat importari ſimplex ac inæquale ſignum, & adjungit ita fuiſſe acceptam non tantùm à Sancto Joanne Damaſceno, ſed etiam à Magno Baſilio, & Nazianzeno Gregorio. Quòd nempè etiam Gregorius

fuerit uſus Liturgia Baſilii: Nec enim in ſuis Scriptis eſt uſpiam ita locutus. Et quidem Elias diſertè profitetur tranſelementationem fieri per Dominica verba, adeoque etiam aſſerit Sancti Spiritus advocatrices preces non tantùm in Baſilii atque Gregorii, ſed etiam in Sancti Joannis Damaſceni Liturgia fuiſſe laudatis verbis anteriores.

Aliam inſuper vocis *Antitypum* ſignificationem adducit Hæreſiarcha Neſtorius. Laudat Apoſtoli teſtimonium, *Quotieſcumque manducabitis panem hunc*, & commentatur; *Cujus eſt ipſum Domini corpus antitypum*. Exſtant verba in quarto adversùs dictum Erronem libro Sancti Cyrilli
Cap. 6, Alexandrini. Per *Antitypon* intelligit *Prototypon*. Dominicum corpus & ſanguinem affirmat eſſe tremenda ac vera myſteria, quæ per tranſubſtantiata panis ac vini elementa repræſentantur. Circa Dominicæ Incarnationis ac Perſonæ unitatem Judaicè, circa Euchariſtiæ contenta graviſſimè, circa tranſelementationem nullatenus erravit Neſtorius, atque ita omninò videtur juxta ſui temporis morem fuiſſe locutus. Et hinc iſtam ejus phraſim Sanctus Cyrillus non redarguit. Attamen Magnus Baſilius & Nazianzenus Gregorius videntur iſto modo non locuti. Nec enim corpus & ſanguinem eſſe panis & vini antitypa, ſed hæc dixerunt antitypa iſtorum. Quòd in Euchariſtia ſint ſimul figura & veritas, quòd tranſmutata elementa iſtius corporis & ſanguinis, in quæ ſunt tranſmutata, ſint ſigna & ſymbola, eſt abundè demonſtratum. Et ab hac profeſſione Sanctus Joannes Damaſcenus, Sanctus Stephanus Auxentianus, Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, aliique Iconoclaſtis adverſi Græcorum Patres ſola voce, non ſenſu diſceſſerunt. Quòd dumtaxat voluerint Euchariſtiam non eſſe ſolam figuram, affirmat atque demonſtrat in ſuperiùs laudato opuſculo Cardinalis Beſſarion.

CAPUT XI.

Joannis Calvini ſententia breviter exponitur.

NOlo actum agere, nec ab aliis proſtrati hoſtis ſpolia circumferre. Nolo abundè expugnatum Joannem Calvinum denuò impetere. Paucis dumtaxat volo ejus ſenſa aperire, ac demonſtrare hominem invitum ac repugnante conſcientia lapſum, imò deſperatè ſe præcipitaſſe in ſuas de ſacroſancta Euchariſtia blaſphemias. Adeò lucida eſt hæc veritas, ut nec ipſe hic Er-
N. 17. ro videatur de ipſa dubitaſſe. Eam pertractat in quarto libro Inſtitutionum. Primò itaque hujus Sacramenti eminentiam inſigniter exponit, adeo que extollit, ut Romanam de ipſo fidem videatur profiteri. Audi hæc ejus verba; *Statuendum*
N. 1. 2. 3. *eſt verè nobis exhiberi* Dominicum corpus & ſanguinem, *non ſecùs ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri, nec illudere nobis poteſt: Accipite, edite, bibite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic eſt ſanguis meus, qui in remiſſionem peccatorum effunditur.* Scribit ejuſmodi plura, quæ verſuti Hæretici ſtrophas ignoranti lectori ſuadeant ipſum recta ſentire. Scribit non ſola Euchariſtica elementa, ſed ipſum etiam ſub illis Dominicum corpus & ſanguinem edi ac bibi, & pergit: *Porrò nobis hic duo cavenda ſunt vitia. Ne aut in extenuandis ſignis* N. 5.
nimii, à ſuis Myſteriis ea divellere quibus quodammodo adnexa ſunt, aut in iiſdem extollendis immodici, Myſteria interim etiam ipſa nonnihil obſcurare videamur. Et ſtatim infrà: *Sunt enim qui mandu-* N. 6.
care Chriſti carnem, & ſanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt nihil eſſe aliud, quàm in Chriſtum ipſum credere, ſed mihi expreſſius quiddam ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, ubi carnis ſuæ manducationem nobis commendat. Nempe vera ſui participatione nos vivificari. Dominicum corpus & ſanguinem docet à nobis non per ſolam fidem, ſed reipſa edi ac bibi. Oſtendit Sanctum Auguſtinum iſtis Erronibus non patrocinari. Quòd Auguſtinus hanc manducationem non oris, ſed fidei eſſe aliquando doceat, admittit, atque proſequitur: *Quod neque ipſe nego, ſed ſimul tamen addo nos fide complecti Chriſtum non eminus apparentem, ſed ſe nobis unientem, ut ipſe caput noſtrum, nos verò ejus membra ſimus.* Et poſt quædam: *Atque idipſum eſt quod alicubi ſcribit Chryſoſtomus, Chriſtum non fide tantùm, ſed reipſa nos ſuum efficere corpus.* Ex iiſdem principiis damnat eos, qui *volunt cœnam eſſe ſolam externæ profeſſioni notam.* Ipſos prætererit ut alibi abundè refutatos. Quin & realem præſentiam diſertè profitetur, ac Papiſtis, qui ipſam ab illo affirment negari, indignatur. *Veritatem Dei*, inquit, *hic ſine controverſia amplector. Pronunciat Dominus carnem ſuam eſſe animæ meæ cibum, ſanguinem eſſe potum. Talibus alimentis illi animam meam paſcendam offero. In ſacra ſua cœna* N. 31. 32.
jubet me ſub ſymbolis panis & vini corpus ac ſanguinem ſuum ſumere, manducare ac bibere: Nihil dubito, quin & ipſe verè porrigat, & ego recipiam. Euchariſticæ veritatis profeſſioni aſſuetum Chriſti populum, ac ipſius pias aures timet offendere, Sacramentarium lupum tegit intra ovinas Catholicæ atque avitæ locutionis lanas, & ita ſtudet circumſcribere, ſeducere, ac occidere.

Dominicam carnem eſſe ex Verbi unione vivificatricem ac immortalitatis donatricem, & ex ipſa, uti ex vulgari pane corpus, noſtram ani-
mam paſci profitetur, & proſequitur: *Etſi autem* N. 8. 9. 10.
incredibile videtur in tanta locorum diſtantia penetrare ad nos Chriſti Carnem, ut nobis ſit in cibum, meminerimus quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quam ſtultum ſit ejus immenſitatem modo noſtro velle metiri. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides. Nequaquam Dominici corporis immenſitatem ſeu ubiquitatem docet: Errorem hunc deteſtatur peſſimè, acerrimè impugnat, affirmat longè plus quàm Papiſticum dogma à vero deviare. Affirmat in cœna nobis exhiberi rem ſigna-

ſignatam, verbo iſtic & precibus conſecrari Dominicum ſanguinem, & proſequitur: *Nec eſt quod objiciat quiſpiam eſſe figuratam locutionem, qua ſignatæ rei nomen ſigno deferatur. Fateor ſanè fractionem panis eſſe ſymbolum, non rem ipſam. Verùm hoc poſito, à ſymboli tamen exhibitione rem ipſam exhiberi, ritè colligemus. Niſi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi nunquam dicere audeat. Itaque ſi per fractionem panis Dominus corporis ſui participationem verè repræſentat, minimè dubium eſſe debet, quin verè præſtet, atque exhibeat. Atque omninò iſthæc piis eſt tenenda regula, ut quoties ſymbola vident à Domino inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certò cogitent, ac ſibi perſuadeant.* Et infrà: *Dico igitur, quod & ſemper in Eccleſia receptum fuit, & hodiè docent quicumque rectè ſentiunt, duabus rebus conſtare ſacrum cœnæ myſterium; corporeis ſignis, quæ ob oculos propoſita res inviſibiles ſecundum imbecillitatis ſuæ captum nobis repræſentant, & ſpirituali veritate, quæ per ſymbola figuratur ſimul & exhibetur.* Quis ex hiſce verbis non credat ipſum recta docere? Nam & plura illic adducit, quæ videantur profiteri Euchariſtiam eſſe imaginem ſimul ac veritatem.

Papiſticos Sophiſtas tandem accuſare incipit: Præſertim de duobus. Nempè quòd circa Euchariſtiam doceant illa, quæ evertant humanam naturam, necnon æternam gloriam Dominici corporis. Et proſequitur: *Cæterùm his abſurditatibus ſublatis, quidquid ad exprimendam veram,*
N. 19. *ſubſtantialemque corporis & ſanguinis Domini communicationem, quæ ſub ſacris Cœnæ ſymbolis exhibetur fidelibus, facere poteſt, libenter recipio, atque ita ut non imaginatione dumtaxat, aut mentis intelligentia percipere, ſed ut reipſa frui in alimentum vitæ æternæ intelligantur.* Et infrà: *Nos rationi humanæ ita addictos eſſe jactant Papiſtæ, ut nihilo plus tribuamus Dei potentiæ, quàm naturæ*
N. 24. *ordo patitur, & dictat communis ſenſus. A tam improbis calumniis provoco ad ipſam doctrinam quam tradidi, quæ ſatis dilucidè oſtendit me hoc myſterium minimè rationis humanæ modo metiri, vel naturæ legibus ſubjicere.* Nempè quòd in Euchariſtia ſint Divinæ omnipotentiæ ſupra naturam opera, ſemper credidit omnis ſub cœlo Eccleſia: Et ab hac profeſſione Calvinus, ne à fideli populo lapidaretur, non fuit auſus diſſonare. Hinc miſcet vera falſis, & ſpontaneos contra propriæ conſcientiæ judicium ex Romanæ Eccleſiæ odio aſſumptos errores ita velare tentat atque fucare.

E variis hujuſmodi erroribus atque blaſphemiis audiamus unam: *Jam ad hyperbolicas mixturas, quas ſuperſtitio invexit, deſcendo. Mira enim aſtutia hic luſit Satan, ut mentes hominum è cœlo abſtractas perverſo errore imbueret, ac ſi panis elemento adfixus eſſet Chriſtus. Ac primò quidem, præ-*
N. 12. *ſentia Chriſti in Sacramento minimè talis ſomnianda eſt nobis, qualem Romanæ Curiæ artifices confinxerunt, ac ſi locali præſentia corpus Chriſti manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum ſiſteretur. Hanc enim palinodiæ formulam dictavit Berengario Nicolaus Papa, quæ pœnitentiæ teſtis foret: Verbis ſcilicet eò uſque prodigioſis, ut gloſſæ author exclamet periculum eſſe, niſi prudenter ſibi caveant Lectores, ne hæreſim indè hauriant pejorem, quàm fuerit Berengarii.* Reſpondeo iſtam formulam non ab ipſo Papa Nicolao, ſed à Cardinali Humberto fuiſſe compoſitam. Attamen ex mandato Papæ, & omnis iſtius Synodi. Ad formulæ verba, *Dentibus atteri*, hic eſt gloſſæ commentarius: *Niſi ſanè intelligas verba, in majorem incides hæreſim, quàm ipſe Berengarius habuit. Et ideò omnia referas ad ſpecies ipſas, quia de Chriſti corpore partes non facimus.* Eſt rectiſſimus commentarius. Etenim ſi verba ad ipſum Chriſti corpus referas, incides in errorem Capharnaitarum, Berengariano longè fœdiorem. Porrò quòd iſta verba etiam Sancto Joanni Chryſoſtomo, aliiſque Græcis ac Latinis Patribus fuerint familiaria, ideoque & rectè aſſumpta ac Berengarianæ profeſſioni inſerta per ipſam Synodum, eſt abundè demonſtratum. Expoſitum eſt & noſtri Gregorii de ipſis judicium. Quòd Calvinus hanc blaphemiam ſit à Wicleffo mutuatus, videre poſſis apud Thomam Waldenſem. Calvinus itaque, Cap. 42.
qui veram ac realem Chriſti Domini in Euchari- 43.
ſtia præſentiam profitetur, negat localem. Et hanc onerat plenis horrendorum elogiorum plauſtris. Quaſi vera & realis præſentia ſit alia quàm localis. Ejus fundamentum eſt, quòd hæc evertat & humanæ naturæ veritatem, & Dominici corporis cœleſtem gloriam. Exponit ſeipſum: *Dominicum corpus, ut finitum eſſe pro perpetua humani corporis ratione minimè ambigimus, cœloque contineri, quo ſemel receptum eſt, donec ad judicium redeat; ita ſub hæc corruptibilia elementa retrahere ipſum, aut ubique præſens imaginari, prorſus ducimus nefas eſſe.* Affirmat localem præſentiam fieri non poſſe, niſi Dominicum corpus ponatur ubique, aut ſaltem in diverſis locis, vel certè detrahatur de cœlo, ac in pane includatur. Primum naturæ corporis, alterum cenſet cœleſti Dominici corporis gloriæ adverſari. Et in alio loco ſcribit: *Nos talem Chriſti præ-* N. 19.
ſentiam in Cœna ſtatuere oportet, quæ nec panis elemento ipſum affigat, nec in panem includat, nec ullo modo circumſcribat. Quæ omnia derogare cœleſti ejus gloriæ, palam eſt. Deindè quæ nec menſuram illi ſuam auferat, vel pluribus ſimul locis diſtrahat, vel immenſam illi magnitudinem affingat, quæ per cœlum & terram diffundatur. Hæc enim naturæ humanæ veritati non obſcurè repugnant. Has N. 31.
duas exceptiones nunquam patiamur nobis eripi. Et iterùm: *Longè falluntur, qui nullam carnis Chriſti præſentiam in Cœna concipiunt, niſi in pane ſiſtatur. Ita enim arcanæ Spiritus operationi, quæ nobis Chriſtum ipſum unit, nihil reliquum faciunt. Chriſtus præſens illis non videtur, niſi ad nos deſcendat. Quaſi verò ſi nos ad ſe evehat, non æquè potiamur ejus præſentia. Ergò tantùm de modo quæſtio eſt: Quia Chriſtum ipſi in pane locant, nobis autem non ducimus fas eſſe eum de cœlo detrahere.* Euchariſtiam ex panis ac vini elementis & ex ſedenti ad Patris dexteram Dominico corpore componit. Ait hoc à nobis verè ac realiter ſumi: Aſt ipſum non ad nos deſcendere, ſed nos adſcendere ad ipſum. Hoc in puncto vult conſiſtere Eucha-

riſtiæ prædicatum à Patribus miraculum: Quod corpus in cœlo exiſtens paſcat noſtras animas exiſtentes in terra. Audiamus ejus verba: *Obſecro, an ex Phyſicis didicimus Chriſtum perindè animas noſtras è cœlo paſcere carne ſua, atque corpora pane & vino aluntur? Undè hæc carni virtus, ut animas vivificet? Naturaliter non fieri omnes dicent. Humanæ rationi nihilo magis placebit penetrare ad nos Chriſti carnem, ut nobis ſit alimentum. Denique quiſquis doctrinam noſtram guſtaverit, capietur in admirationem arcanæ Dei potentiæ. Iſti autem boni ejus zelotæ miraculum ſibi fabricant, quo ſublato evaneſcit Deus ipſe cum ſua potentia.* Prædicat duo miracula. Primò, quòd Dominica caro paſcat etiam animas. Secundò, quòd ipſa in cœlo poſita paſcat animas degentes in terra, nempè animas ad ſe per fidem adſcendentes. Quod quid eſt aliud quàm impugnata à Calvino & damnata Dominicæ carnis manducatio per ſolam fidem? Ita Sophiſticis, de quibus nos accuſat, ſubtilitatibus ſimplicem populi fidem doloſus Erro circumſcribit. Et Dominica caro, ſi nos ad ipſam adſcendamus in cœlum, quomodo ad nos penetrat in terras? Nempè fabula ſibi ipſi non cohæret. Ficta eſt contra propriam conſcientiam, cujus adversùm ſe clamores nemo poteſt exſtinguere.

Unicum proindè erroris fundamentum eſt, quòd Dominica caro non poſſit includi intra panem & vinum. Quòd iſta incluſio cogat aut ad Dominicum corpus detrahendum è cœlo, aut ad ipſum donandum infinita & ubiquitaria extenſione, aut ad ponendum in plurimis diſcretis locis. Duo poſteriora impoſſibilia, primum cenſet Dominici corporis gloriæ adverſum. Dominicam ſub pane ac vino exiſtentiam varie calumniatur. Affirmat Dominicum corpus per nos *adfigi albedi-*
N. 13. *ni, ut ſub ipſa lateat & operiatur.* Et concludit: *Proindè hoc in Summa profectum videmus iſta ingenioſa ſubtilitate, ut panis pro Deo haberetur.* Ait quòd *localis præſentiæ Architecti* corpus Chriſti ſubſtantiæ panis permiſceant: Quòd *Chriſti corpus* pane includant: Quòd ipſum pani *inclu-*
N. 15. *dant, infigant, circumſcribant.* Reſpondeo hæc
N. 19. omnia eſſe abundè in ſuperioribus expedita. Addere tamen volo inſignem locum publicati per Jacobum Gretzerum Anaſtaſii Sinaitæ. Dominicum corpus ante paſſionem fuiſſe corruptibile & mortale, poſt reſurrectionem eſſe immortale atque incorruptibile & multum diverſis qualitatibus ornatum demonſtrat inſigniter, atque proſequitur: *Dominus ante paſſionem nunquam viſus eſt in diverſis locis, tametſi poterat, ne inane ſpectrum ac phantaſma cenſeretur, ſed communi cor-*
N. 23 *porum more de loco movebatur ad locum. At poſt reſuſcitationem ex mortuis, corpore jam agilitate, tenuitate, & incorruptibilitate prædito, abſque ullo obſtaculo potuit & clauſo ſepulchro egredi, & per clauſas januas ingredi: Et eadem hora illius diei, quo ſurrexit, cùm jam ſerò eſſet, Hieroſolymæ & Diſcipulis euntibus in Emmaus apparuit. Si autem ab ipſo unionis exordio prorsùs erat incorruptibilis, cur non etiam ante paſſionem omni carni eadem hora in diverſis locis, formis ac figuris conſpiciendum ſe exhibuit?* Calvinus, ut inviſibilem ac ſpiritualem Dominici corporis in myſterio exiſtentiam perſuadeat impoſſibilem, ſepulchri lapidem & clauſas januas negat à reſuſcitato Domino fuiſſe penetrata. Et negare debet. Etenim ejus unicum adversùs Euchariſtiam fundamentum eſt iſta impoſſibilitas. Et ipſam laudatus Anaſtaſius lucidè ac fortiter evertit. Nec de ſuo, ſed ex unanimi omnium Chriſtianorum, etiam tunc graſſantium Hæreticorum ſenſu eſt locutus. Et quòd glorioſum Domini corpus etiam in conſecratis per plurima quotidie altaria elementis doceat replicari, eſt ſuprà demonſtratum. Quod ipſum in authenticis de tempore ſermonibus docet Sanctus Auguſtinus. In Ser. 140.
Emmauntis cœna affirmat à Domino fuiſſe con- cap. 2. 3.
ſecratam, & à nobis quotidie conſecrari Euchariſtiam, & adjungit ad omnes Chriſtianos: *Conſoletur te fractio panis. Abſentia Domini non eſt abſentia. Habeto fidem, & tecum eſt quem non vides.* Utique occultus & opertus ſub conſecratis elementis. Ita illic Auguſtinus ſe-ipſum pluribus exponit. Quod ipſum lucidè tradit in ſecundo ſermone de verbis Apoſtoli, & in habito ante altare ad Neophytos ſermone, quem nobis in libro de Baptiſmo Æhtiopis cuſtodivit Sanctus Fulgentius: Et in litteris ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Sanctus Leo Magnus oſtendit veram & nobis cònſubſtantialem carnem fuiſſe Mediatori neceſſariam, & pergit: *Aliter in* Ep. 40.
Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt cap 2.
Sacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtra proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni ſanguis emundet. Qui licet in Patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex Virgine, Sacramentum propitiationis exequitur. Animalis Calvinus ſpiritales glorioſi corporis dotes non intellexit, aut finxit à ſe non intelligi. Et certè caro & ſanguis Dei Regnum, uti poſſidere non poſſunt, ita nec intelligere. Porrò Dominicum corpus profitemur ſub myſterii elementis contineri & operiri, non tamen affigi, includi, aut circumſcribi. Hujuſmodi voces laborant cacophonia, & ſunt offenſivæ piarum aurium.

Audiamus & aliud palmare Calvini argumentum. Noſtram de Dominico intra Euchariſtiam inviſibili corpore doctrinam exponit, neſcio quem paradoxum de viſibili & adhuc in terris mortali corpore errorem affingit quibuſdam Doctoribus ſcholaſticis, atque proſequitur: *Alii* N. 17.
paulò argutiùs elabuntur, corpus hoc, quod in Sacramento datur, glorioſum eſſe atque immortale. Itaque nihil eſſe abſurdi, ſi pluribus in locis, ſi nullo loco, ſi nulla forma, ſub Sacramento continetur. Sed quæro, quale dabat Diſcipulis Chriſtus pridie quàm pateretur? An non verba ſonant mortale illud, quod paulò poſt tradendum erat, dediſſe? Jam ante, inquiunt, gloriam ſuam tribus Diſcipulis in monte conſpiciendam præbuerat. Verùm id quidem, ſed ea claritate guſtum immortalitatis ad horam præbere illis voluit. Intereà non reperient illic duplex corpus, ſed unum illud, quod Chriſtus geſtabat, nova gloria ornatum. Cùm verò corpus ſuum in prima cœna diſtribueret, imminebat jam hora, qua à Deo percuſſus & humiliatus, ſine decore, ut leproſus jaceret. Tantum abeſt, ut tunc gloriam

Re-

Reſurrectionis proferre vellet . Et hic Marcioni quanta feneſtra aperitur , ſi Chriſti corpus uno in loco mortale & humile videbatur, in alio immortale & glorioſum tenebatur ? Quamquam ſi valeat eorum opinio, idem quotidiè accidit. Quia fateri coguntur corpus Chriſti in ſe viſibile inviſibiliter latere ſub panis ſymbolo. Affirmat Domini corpus in noviſſima cœna fuiſſe adhuc paſſibile, ideoque poni non potuiſſe in Euchariſtia. Deinde, ejuſdem Dominici corporis in viſibile ac inviſibile diſtinctionem cenſet fictitiam , impoſſibilem , ſuſpectam de Marcione. Spiritualem corporis exiſtentiam addit ſuſpectam etiam de Andrea Servetto; qui cum antiquis hæreticis deliravit Dominicum corpus per reſurrectionis gloriam fuiſſe abſorptum & exſufflatum penitus à Divinitate. Iſtam exiſtentiam acerrimè deteſtatur. Nempè vidit nullam ſcripturam, nullum Eccleſiæ Patrem, nullam traditionem ſibi ſuffragari, ideoque ad naturam debuit confugere, & ad ejus impoſſibilitates appellare. Æmulatus eſt Joannem Wicleffum, cujus palmare adverſus hæc tremenda myſteria fundamentum fuit ſimilis hic articulus: *Accidentia per Dei omnipotentiam nequeunt exiſtere ſine ſubjecto.*

Dei omnipotentiam offendentibus Platonicis rectè olim repoſuit Sanctus Auguſtinus: Quaſi verò Deus ſit omnipotens , non quouſque Chriſtiani credunt, ſed dumtaxat *quouſque Platonici volunt*. Etiam ergo reſpondeo: Deus omnipotens eſt, non tantùm quouſque Wicleffus & Calvinus volunt, ſed quo uſque Orthodoxi fideles ſemper crediderunt. Iſtam ejuſdem corporis diſtinctionem eſſe vetuſtiſſimum Latinorum ac Græcorum Patrum, adeoque & Apoſtolorum dogma, eſt ſuprà abundè demonſtratum. An Dominus in noviſſima cœna paſſibile, an impaſſibile corpus poſuerit in prima Euchariſtia, etiam ſuo loco eſt examinatum. Addo hunc Sancti Auguſtini locum ex primo libro E-
Qu.43. vangelicarum quæſtionum: *Quod Dominus ſub Paſſionis tempore dicit diſcipulis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, dum bibam illud vobiſcum novum in Regno Patris mei, vult intelligi hoc eſſe vetus, cùm illud novum dicit. Quia ergò de propagine Adam, qui vetus homo appellatur, corpus ſuſceperat, quod in Paſſione morti traditurus erat, inde etiam per vini ſacramentum commendat ſanguinem ſuum.* Videtur aſſerere primam Euchariſtiam fuiſſe conſecratam in corpus paſſibile. Oppoſitam tamen ſententiam ſequitur in libris de Euchariſtia venerabilis Algerus ex Leodienſi Canonico Sanctus ac eruditus Monachus Cluniacenſis. Et dat rationes: *Non eſt mirum, ſi ille, qui ante Paſſionem transfiguravit ſe in tale corpus, quale poſt Reſurrectionem habiturus erat, & poſt Reſurrectionem oſtendit corpus ſuum vulneratum & palpabile, quale ante Paſſionem habuerat, ita immortale dederit corpus ſuum in Sacramento, quod erat moriturum, ſicut poſt Reſurrectionem idem corpus ſuum, quod erat invulnerabile, oſtendit vulneratum. Sicut hoc, ſic & illud divinæ potentiæ adſcribatur.* Eandem quæſtionem verſat in
Cap.7. Speculo de Eccleſiæ myſteriis, & in ſecundo li-
Parte 8. cap.3. bro de Sacramentis Hugo de Sancto Victore. Profitetur eſſe rem inſcrutabilem, ſentit cum venerabili Algero, & ſolvit adverſæ ſententiæ argumenta. Quidquid ſit, neutra ſententia adju- Cap.17.
vat Calvinum. Laudatus Algerus etiam præfatam ejuſdem corporis diſtinctionem inſigniter digerit atque exponit.

Calvinus etiam peſſimè odit tranſubſtantiationem, & horrendis impetit blaſphemiis. Reſidua tranſubſtantiati panis accidentia affirmat eſſe vanum panis ſpectrum, & adjungit: *Voluit Chriſtus externo ſymbolo teſtari carnem ſuam eſſe cibum. Si inane dumtaxat panis ſpectrum, non panem verum proponeret, ubi analogia vel ſimilitudo, quæ deducere nos à re viſibili ad inviſibilem debet?* Remanentem panis ſubſtantiam cenſet neceſſariam, & ſola ejus accidentia eſſe inepta, ut ſint elementum Sacramenti. Et proſequi- Lib.14.
tur: *Bernardi quidem ætate, etſi durior invaluerat loquendi ratio, tranſubſtantiatio tamen necdum agnita erat. Ac omnibus retrò ſæculis illa ſimilitudo in ore omnium volitabat, pani & vino rem ſpiritualem conjunctam eſſe in hoc myſterio.* Reſpondeo hominem inſigniter hallucinari. Etenim hæreſiarcha Berengarius toto ferè ſæculo præceſſit Sanctum Bernardum: Et nonne contra illum Leo nonus, Victor ſecundus, Nicolaus ſecundus, ſecundus Alexander, Gregorius ſeptimus, necnon plures tunc & magnæ Synodi definierunt panis & vini ſubſtantias deſinere, & manere ſola accidentia? Nec de ſuo, ſed ex perpetuo Eccleſiæ ſenſu definierunt. Et non ſola res, ſed & ipſa vox, *Tranſubſtantiatio*, tunc famoſa fuit, ac familiaris omni Latinæ Eccleſiæ. Etenim Stephanus Eduenſis Epiſcopus, quem decimo ſæculo floruiſſe cenſent paſſim Eruditi, hæc Miſſalis Canonis de propoſitis elementis verba, *Ut nobis corpus & ſanguis fiant Domini noſtri* JESU *Chriſti*, commentatur: *Oramus ut cibus hominum fiat cibus Angelorum, ſcilicet ut oblatio panis & vini tranſubſtantietur in corpus & ſanguinem* JESU *Chriſti*. Adeò errant etiam quidam Catholici Scriptores, qui exiſtimant iſtam vocem eſſe inductam ab Alexandro tertio. Et quis neſciat vocem, *Tranſelementatio*, eſſe apud Græcos longè vetuſtiſſimam? Eſt omninò ab Apoſtolis: Et per omnia æquivalet voci, *Tranſubſtantiatio*.

Joannes Franciſcus Commendonius, Zachynti Epiſcopus, & in noſtro Belgio Apoſtolicus Legatus, olim noſtro Lovanienſi Collegæ Joanni Heſſelio propoſuit hanc quæſtionem: *An ulla ratione vox Tranſubſtantiationis ſemel contra Berengarianos à Concilio Lateranenſi recepta, poſſet propter Hæreticos vel quoſdam Catholicos id poſtulantes taceri aut omitti, dum de veritate corporalis præſentiæ Dominici corporis in Euchariſtia tractatur?* Et laudatus Doctor ad ipſam reſcripſit: *Nec ſat tibi fuit, quid mihi videretur audire, niſi etiam ad meæ ſententiæ confirmationem latè tibi hiſtorias præcedentium temporum recitarem, ex quibus pateret Catholicos aut noluiſſe vel apicem ex præcedentibus definitionibus abolere vel ſubticere, aut ſi quando humana quadam ratione ad hoc declinarunt, rem fuiſſe infeliciſſimi exitus.* Reſpondeo Heſſelium optimè judicaſſe. Etenim à Ni-

cæna Synodo adverſùm Arianos inductam vocem, *Conſubſtantiale*, quidquid illorum molliores allegarent aut promitterent, numquam circumducere aut circumſcribere voluit Mater Eccleſia: Ipſam habuit pro immobili conteſſeratione orthodoxæ Chriſtianitatis. Et Syrmienſis & Ariminenſis Synodorum unicus ferè lapſus fuit, quòd iſtam vocem tacuiſſent. Hinc omnes earum Epiſcopi fuerunt dejecti in laicam communionem. Eadem conſtantia Mater Eccleſia adverſùm Neſtorianos vocem *Deipara*, & adverſùm Eutychianos tractavit vocem, *In duabus naturis*: Et adverſùm Græcos Schiſmaticos etiamnum hodiè tractat vocem Symboli, *Filioque*. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Mater Eccleſia non tantùm credendi, ſed etiam loquendi leges debet præſcribere Hæreticis, & hi ab ipſa accipere.

S. GREGORII VII.
SEPTIMUM ROMANUM
CONCILIUM.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo, Pontificatus verò Domini Gregorii ſeptimi Papæ anno ſeptimo, indictione tertia, celebravit ipſe Dominus Papa Synodum Romæ, ubi interfuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi diverſarum Urbium, nec non & Abbatum, ac diverſorum Clericorum, & Laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apoſtolica Conſtituta corroboravit, multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmavit. Inter cætera namque in fine Synodalis abſolutionis hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribenda mandavit, ita dicendo.

CANON I.

SEquentes Statuta ſanctorum Patrum, ſicut in prioribus Conciliis, quæ Deo miſerante celebravimus, de ordinatione dignitatum Eccleſiaſticarum ſtatuimus, ita & nunc Apoſtolica auctoritate decernimus, ac confirmamus, ut ſi quis Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo vel Abbati audientia concedatur. Inſuper etiam ei gratiam Sancti Petri & introitum Eccleſiæ interdicimus, quo uſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis quàm inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, cepit, reſipiſcendo non deſerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus.

SCHO-

SCHOLION.

REgias Antiſtitum & quorumvis Eccleſiaſticorum graduum nominationes ac Inveſtituras denuò damnat Gregorius juxta trigeſimum primum è vulgaribus Apoſtolicum Canonem: *Si quis Epiſcopus ſæcularibus Poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur. Et ſegregentur omnes qui ei communicant.* Quæſtio eſt, an hæc Gregorii verba, *Nullatenus inter Epiſcopos aut Abbates habeatur*, ſtatuant impoſitam illis manum eſſe ſubſtantialiter irritam, ac repetendam? Partem affirmativam firmare videtur in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria Sanctus Theophanes, de Dioſcoro ſecundo per Anaſtaſii Imperatoris nominationem intruſo in Sedem Alexandrinam, hæc ſcribens: *Dioſcoro Epiſcopo creato, oppidanorum multitudo à reliquo Eccleſiæ cœtu ſegregavit ſe, dicens; Non ſedet Epiſcopus, niſi qui, prout ſancti Apoſtolici Canones præſcribunt, fuerit inſtitutus. Principis enim Magiſtratus eum ad thronum ſubvexerant. Igitur ad Sancti Marci Dioſcoro profecto, convenientes Clerici veſtibus iterùm induerunt & ordinationis ritum circa eum iteratò perfecerunt. Atque ita ad Sancti Joannis progreſſus, ſacram ſyna-*
An.508. *xim peregit.* Conſonat in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius: *Cùm Dioſcorus manus impoſitionem accepiſſet, receſſere multitudines ruſticorum, dicentes; Quia niſi ſecundùm quod ſanctorum continent Apoſtolorum Canones fiat, non recipietur Epiſcopus. Principes enim intronizaverunt eum. Dioſcorus autem venit ad Sanctum Marcum, & venientes Clerici induerunt eum ſecundò, & iterùm conſecraverunt. Et ita veniens ad Sanctum Joannem perfecit Collectam.* Et electionem & conſecrationem eſſe duas Epiſcopalis promotionis eſſentiales cauſas, adeoque uti ſine hac, ita & ſine iſta validè creari non poſſe Epiſcopum, ſuprà audivimus a Goffredo Abbate Vindocinenſi. Reſpondeo hanc Goffredi doctrinam eſſe paradoxam, & ſuo loco abundè expugnatam. Porrò memoratum Dioſcorum nequiſſimi Timothei Æluri nepotem Theophanes, conſobrinum affirmat Anaſtaſius, additque de ipſo Liberatus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus: *Uſque ad il-* Cap.18.
lum Dioſcorum in diviſione erat Alexandrina Eccleſia. Hoc eſt, non ſolùm in Catholicos & Eutychianos, ſed etiam in plures Eutychianorum factiones lacerata. Hic doloſus Dioſcorus totam reddidit unius ſpiritus Eutychianam. Quare tumultuaria ejus reordinatio nullius eſt auctoritatis. Et ſanè plurimos Regia nominatione intruſos Epiſcopos degradavit variis temporibus, ac poſteà pœnitentes reparavit Apoſtolica Sedes, & tamen nullum umquam legitur reordinaſſe. Interim omnes ad propria ſponte deponendam dignitatem coegit hìc noſter Gregorius, alioquin reparationis ſpe carituros.

CANON II.

ITem ſi quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium Poteſtatum aut perſonarum Inveſtituram Epiſcopatuum vel alicujus Eccleſiaſticæ Dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat. Inſuper etiam niſi reſipiſcat, & Eccleſiæ propriam libertatem dimittat, Divinæ animadverſionis ultionem in hac præſenti vita tam in corpore ſuo, quàm in cæteris rebus ſuis ſentiat, ut in adventu Domini ſpiritus ſalvus fiat.

SCHOLION.

ANtiſtitum Inveſtituram dimittere adeò noluit Henricus quartus Imperator, ut quoſvis ſine ipſa promotos ejiceret, aut certè ipſorum poſſeſſiones invaderet ac dilapidaret. Quam inſolentiam & alii exercebant Principes. Etiam Brabantiæ Dux, de quo gravia queritur in ſui Cœnobii Chronico Rudolphus Abbas Sancti Trudonis. Hinc ergò ipſos degradationis pœna frænandos cenſuit præſens Canon. Porrò de Valciodorenſi Leodienſis Diœceſis Abbate ſcribit ejuſdem Monaſterii Chronicon: *Abbas noſter In-*
Fol.575. *veſtituram ab Epiſcopo Metenſi accipit.* Ab eodem ipſam olim accepit Abbas Trudonopolitanus. Et Lobienſis in Cameracenſi Diœceſi Abbas ab Epiſcopo Leodienſi. Et eruditus Lucas Dacherius nuper publicavit hocce pro Sancti Blaſii apud Baſileenſes Abbatia inſtrumentum: *Controverſiam, quæ agitata eſt inter Baſileenſem Eccleſiam & Monachos Sancti Blaſii, nos Gregorius Presbyter Cardinalis, & Pontius Cluniacenſis Abbas, vice fungentes Domini Papæ Calixti ſecundi, per Dei gratiam ſic definimus audita utriuſque partis cauſa. Si alii Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Regni, qui ſunt Advocati in Abbatiis aliorum Epiſcopatuum jure Eccleſiæ ſuæ, ex conceſſione vel ex tolerantia Sedis Apoſtolicæ, electis Abbatibus conceſſionem per virgam fecerint, Epiſcopus quoque Baſileenſis Abbatibus, qui in Eccleſia Beati Blaſii præponendi ſunt, poſt electionem hoc ipſum faciat. Quod ſi Romana Eccle-*

ſia cæteris Epiſcopis conceſſionem per virgam contradixerit, ſic ſe habeat Dominus Epiſcopus Baſileenſis, ſicut & cæteri Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, diſpoſitione Romanæ Eccleſiæ ſe habuerint. Hæc ergò Abbatum per alienum Epiſcopum Inveſtitura fiebat titulo Advocatiæ. Alium adhuc ejus titulum producit laudatum Valciodorenſe Chronicon: *Metenſis Epiſcopus erat loci Dominus*. Et hanc Inveſtituram, dummodò tamen Canonicam electionem non læderet, præſenti, qui de Epiſcopis nullam mentionem facit, Canone noſter Gregorius nec prohibuit nec damnavit.

CANON III.

ITem ſi quis Nortmannorum terras Sancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ, quæ nondum pervaſa eſt, & Ducatum Spoletanum, & Campaniam, necnon Maritimas, atque Sabinum, & Comitatum Tiburtinum, nec non Monaſterium Sancti Benedicti Montis Caſſini, & terras ſibi pertinentes, inſuper etiam Beneventum invadere, vel deprædari præſumpſerit, gratiam Sancti Petri & introitum Eccleſiæ ei uſque ad ſatisfactionem interdicimus. Verumtamen ſi quis illorum adversùs habitatores harum terrarum aliquam juſtam cauſam habuerit, priùs à nobis, vel à Rectoribus, ſeu Miniſtris inibi conſtitutis juſtitiam requirat. Quæ ſi ei denegata fuerit, concedimus, ut pro recuperatione ſuarum rerum de terra illa accipiat, non tamen ultra modum, nec more prædonum, ſed ut decet Chriſtianum, & eum qui ſua magis quærit accipere, quàm aliena diripere, & qui timet gratiam Dei amittere, & maledictionem Beati Petri incurrere.

SCHOLION.

DE neſcio quo agreſti & moroſo homine, qui domum ſuam ob prætenſum à defuncto famulo debitum privato bello vexaverat ac ſpoliaverat, apud Candidianum Provinciæ Præfectum
Ep. 175. queſtus olim fuit Magnus Baſilius: *Me non interpellato, præter omnem prætenſam accuſationem, immò etiam petitionem, ut quidquam à voluntario, cùm viveret, acciperet, citra ullas etiam violentæ exactionis minas, ſi non accipiat debitum, ex inſperato quibuſdam paris audaciæ complicibus adjutus in ædes noſtras irruit, mulierculas domus cuſtodes percutiendo attrivit, fores domus effregit, omnia exſpoliavit, alia ipſe ſibi ſumens, alia quorumlibet rapinæ exponens*. Et in Narbonenſi, quam nuper inter Domini Petri de Marca libros publica-
L. 4. c. 14. vit Stephanus Baluzius, adversùm privata bella Synodo ſtatuit Guifredus Archiepiſcopus: *Statuimus inter vos de contentionibus terrarum & de debitoribus ac fidejuſſoribus, Dei auctoritate & noſtra, ut nemo ex eis vindictam ſumat, donec ante ſui proprii Epiſcopi, & Poteſtatis, cujus ditionis fuerit, præſentiam veniens, cauſam ſuam exponat, ut alicujus eorum judicio terminetur atque definiatur. Epiſcopus autem & Princeps regionis ipſius, quibus eadem res pertinuerit, ad diſtringendum, noceat reſiſtenti, & adjuvet obedientem*. Et Hugonem Puteacenſem, quòd *nulla denegata juſtitia* privato bello vexaret Eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones, excommunicavit, & iſtud vinculum à ſuo Metropolita Daimberto firmari poſtulavit Sanctus Ivo Ep. 111.
Epiſcopus Carnutenſis. Et de Philippo Francorum Rege, quòd ſuis ſubditis nullam faceret juſtitiam, ideoque Regnum ſuum privatis bellis miſerrimè lacerari permitteret, in litteris ad ejus Archiepiſcopos graviſſimè queritur noſter Gregorius. Violentæ exactionis minas poſterior ætas Lib. 2. Ep. 5.
barbaro vocabulo dixit diffidationem, ſeu defiduciationem, ipſamque etiam ad privati belli juſtitiam requiri ſcribit ad Paſchalem ſecundum laudatus Ivo. Erat hoſtilitatis denuntiatio, ſine qua bellum non poſſit eſſe juſtum. Inermem enim & improviſum invadere eſt latrocinium. Eadem principia ſecutus præſens Canon mandat neminem bello privato vexari, niſi poſt acceptam à legitima Poteſtate ſententiam, aut denegatam juſtitiam. Hanc barbariem plenè eliminari, temporis iniquitas tunc non patiebatur.

CANON IV.

PRæterea admonemus omnes, qui æternæ damnationis pœnas evadere, & veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut à falſis ſibi caveant pœnitentiis. Sicut enim falſum Baptiſma non lavat originale peccatum, ita poſt Baptiſmum falſa pœnitentia non delet nefas commiſſum. Ideoque valde neceſſarium eſt, ut qui ſe aliquod grave crimen commiſiſſe cognoſcit, animam ſuam prudentibus & Religioſis viris committat, ut per veram pœnitentiam peccatorum ſuorum certam conſequatur veniam. Hæc eſt enim vera pœnitentia, ut poſt commiſſum alicujus gravioris criminis, utpotè meditati homicidii, & ſpontè commiſſi, ſeu perjurii pro cupiditate honoris aut pecuniæ facti, vel aliorum his ſimilium, ita ſe unuſquiſque ad Dominum convertat, ut relictis omnibus iniquitatibus ſuis, deindè in fructibus bonæ operationis permaneat. Sic enim Dominus per Prophetam docet: *Si converſus fuerit impius ab omnibus iniquitatibus ſuis, & cuſtodierit univerſa mandata mea, vita vivet, & non morietur.* In quibus verbis manifeſtè datur intelligi, quoniam qui aliena bona diripuit, & ea cùm poſſit reddere vel emendare noluerit, vel qui arma contra juſtitiam portaverit, aut odium in corde retinet, vel qui huiuſmodi negotiationibus aut officiis implicatus fuerit, quæ ſine fraude, ſine falſitate, ſine invidia, ſine deceptione fratrum exercere non poſſit, nec ad Dominum converſus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus eſt. Undè inter omnia vos hortamur atque monemus, ut in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religioſa vita, nec eſt conſulendi ſcientia, qui animas hominum magis ad interitum, quàm ad ſalutem ducunt, teſte veritate, quæ ait: *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt.* Sed ad eos qui religione & Scripturarum doctrina inſtructi, viam veritatis & ſalutis vobis oſtendere valeant.

SCHOLION.

SErvilis attritionis nullam hìc Pontifex facit memoriam, quòd peccatorem ſine fide in Deum, ſpe, & charitate, quæ ſaltem affectu ſit ſuper omnia, non poſſe reponi in Divinam gratiam, uſque tunc nemo vel cogitaſſet. Necdum nati erant Melchior Canus, aut Henricus Salmaticenſis, de quibus rectè ſcribit in eruditis ad Robertum Cardinalem Pullum notis Hugo Mathoud: *Conſtat attritionem ex ſolo gehennæ metu conceptam, ut veram Sacramenti partem, nec voce tenus nec ſignificato, veteribus & Pullo coætaneis auctoribus innotuiſſe, ut meritò Lopez in Inſtructorio conſcientiæ ſcripſerit illius opinionis parentes fuiſſe Melchiorem Canum & Henricum quemdam Salmaticenſis Academiæ Doctorem.* Adeò igitur nova eſt iſta ſubtilitas, ut ejus auctores nuperrimè adhuc ambularent. Et ſanè noſter Gregorius veram pœnitentiam disertè affirmat debere eſſe converſionem ad Deum, quæ omnes iniquitates relinquat, & in bonæ operationis fructibus permaneat, ſeu permanere ſtudeat. Quam quis non videat eſſe caſtam Dei charitatem? Etiam hodie cunctis neceſſaria eſt hæc admonitio: Ut in accipiendis pœnitentiis eligant & vita & doctrina probatos Sacerdotes. Hoc ipſum inculcant Sanctus Cyprianus, Sanctus Auguſtinus, Magnus Gregorius, & alii plures. Et ad hanc quæſtionem, *An bonum ſit nos confiteri peccata noſtra viris ſpiritualibus*, in Jure Græco-Romano reſpondit Petrus magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Chartophylax: *Bonum eſt ac valde utile, ſed non iis qui non experientes & rudes ſint harum rerum, ne quis per alienam à ratione compaſſionem & diſpenſationem, vel per intempeſtivam & imperitam intenſionem pœnarum, te contemptorem, aut deſidem, aut diſſolutum reddat. Itaque ſi virum inveneris ſpiritualem & experientem, qui medicinam tibi adhibere poſſit, abſque verecundia & cum fide confitearis ei, tamquam ipſi Domino, non homini.*

Part. 5. c. 31.

Lib. 6. f. 397.

CANON V.

QUoties defuncto Paſtore alicujus Eccleſiæ , alius eſt ei Canonicè ſubrogandus , inſtantia Viſitatoris Epiſcopi , qui ei ab Apoſtolica vel Metropolitana Sede directus eſt , Clerus & populus , remota omni ſæculari ambitione , timore atque gratia , Apoſtolicæ Sedis vel Metropolitani ſui conſenſu Paſtorem ſibi ſecundùm Deum eligat . Quòd ſi aliqno vitio corruptus aliter agere præſumpſerit , electionis perperam factæ omni fructu carebit , & de cætero nullam electionis poteſtatem habebit ; electionis verò poteſtas omnis in deliberatione Sedis Apoſtolicæ ſive Metropolitani ſui conſiſtat . Si enim is ad quem conſecratio pertinet , non ritè conſecrando , teſte Beato Leone , gratiam benedictionis amittit , conſequenter is , qui ad pravam electionem declinaverit , eligendi poteſtate privatur .

SCHOLION.

VAcantem Epiſcopalem Cathedram , non per Capitulum aut ejus Vicarium , ſed per Viſitatorem Epiſcopum regi eſt adeò vetuſtum ,
Lib. 3. c.21.22. ut in Magni Gregorii vita Joannes Diaconus adfirmet eſſe *antiquiſſimum Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordinem , traditum ab Apoſtolis , & ad ſua uſque tempora ſolemniter conſervatum* . Etenim de Fortunio Tuburſicenſi Donatiſtarum Epiſcopo , & ſua adverſùs illum diſputatione ſcribit ad quoſdam ejuſdem factionis Epiſcopos Sanctus Auguſtinus :
Ep.163. *Narravit Fortunius etiam in ipſa ſchiſmatis novitate Majores ſuos , cùm cogitarent culpam Cæciliani , ne ſchiſma fieret , quoquomodo velle ſopire , dediſſe quendam Interventorem populo ſuæ communionis apud Carthaginem conſtituto , antequam Majorinus adverſùs Cæcilianum ordinaretur Epiſcopus . Hunc ergò Interventorem in ſuo Conventiculo à noſtris dicebat occiſum* . Volebat adverſùs Cæcilianum non temerè proceſſum , nec ſtatim fuiſſe degradatum , ſed priùs ſuſpenſum ab Epiſcopali officio , & Sedi interim datum Viſitatorem ſeu Rectorem Vicarium , quem Africana Eccleſia paſſim vocavit Interventorem ſeu Interceſſorem . Hinc habemus in quinta Carthaginenſi Synodo : *Nulli Interceſſori licitum ſit Cathedram , cui Interceſſor datus eſt , quibuslibet populorum ſtudiis , vel ſeditionibus retinere , ſed dare operam , ut intra annum eidem Epiſcopum provideat . Quod ſi neglexerit , Interventor alius tribuatur* . Et Felici Viſicenenſis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo dicenti ,
Lib. 1. c.128. *Præſto ſum , Epiſcopum contra me non habeo* , in Carthaginenſi Collatione repoſuit Victor Taborenenſis Donatiſtarum Epiſcopus : *Proximè receſſit , ego tibi intervenio* . Et in Carthaginenſi Bonifacii Archiepiſcopi Synodo Petrus Abbas adſeverat ſuum Monaſterium nec vicinis Epiſcopis , nec proximæ Eccleſiæ Interventori umquam ſubfuiſſe ,
Tom.6. ſed ſemper reſpexiſſe ad Eccleſiam Carthaginenſem . Exſtant hæc fragmenta apud Lucam Dacherium . In libro tamen de Paſtoribus ſcribit Sanctus Auguſtinus : *Qui à Secundo Tigiſitano
Epiſcopo ac Numidiæ tunc Primate miſſi ſunt Cle-* Cap.15.
rici , extra congregaverunt ab Eccleſia , ad Clericos Carthaginis accedere noluerunt , Viſitatorem poſuerunt , à Lucilla recepti ſunt . Agit de Donatiſtici ſchiſmatis exordio , & in ſuſpenſi Cæciliani ſedem intruſo Interventore : Ipſum ordinario vocabulo titulat Viſitatorem . Quocirca hæc ejus ad ſupra adductam Fortunii Tuburſicenſis Epiſcopi relationem verba , *Quod , fateor , numquam antea prorſùs audieram* , non de intruſo Viſitatore accipienda ſunt , ſed de ſola ejus per Catholicos patrata cœde . Donatiſtæ eodem modo tractarunt Sanctum Sylveſtrum , aut neſcio quem alium Pontificem . Etenim de Romam per ipſos miſſis Rupitanis & clanculariis Epiſcopis ſcribit in libro de unico Baptiſmo Sanctus Auguſtinus : *In* Cap.16.
Romana Eccleſia nec damnare quemquam ſuo qualicumque judicio potuerunt , nec aliquem ſuorum velut in locum ſurrogare damnati , contra quem pauciſſimis Afris partis ſuæ primò Interventores adventitios furtim longèque mittebant , donec deceptæ plebeculæ quaſi proprios Epiſcopos ordinarent . Sylveſtrum clandeſtinè primùm ſuſpenderunt , & contra ipſum miſerunt clandeſtinum ac furtivum Interventorem ; exindè etiam clandeſtinè & imaginariè degradarunt , & tunc ipſi ſuum in neſcio qua rupe latitantem Tenebrionem & Catepiſcopum ſuperintruſerunt . Quod re ipſa non poterant , imaginariè attentarunt . Hunc viſitandi morem omninò reſpicit in litteris ad Sanctum Papam Cornelium etiam Sanctus Cyprianus . Neſcio cujus in Africa civitatis Epiſcopum Novatum accuſat de multis , ejus cum quinque ſuis rebellibus Presby-
teris factiones exponit , ac proſequitur : *Idem eſt* Ep.49.
Novatus , qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminavit , qui quoſdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregavit . Ipſe eſt qui Feliciſſimum , Satellitem ſuum , Diaconum , nec permittente me nec ſciente , ſua factione & ambitione conſtituit . Quinque illi Presbyteri adfirmabant Cyprianum

priaṇum Cathedræ intruſum contra Canones, parabant extrudere, ab ejus communione ſe ſepararunt, Novatum illi ſuperpoſuere Viſitatorem, atque ita ille ſuum congerronem Feliciſſimum ordinavit Diaconum. Adeò antiquum eſt Viſitatoris officium. Eſt Apoſtolicum Inſtitutum. Apud laudatum Lucam Dacherium ex-
Tom. 8. ſtat Carturcenſis Cleri de Guasberto Electo Decretum, in quo datum ſibi à Dagoberto Bituricenſi Archiepiſcopo Viſitatorem appellat *viduatæ Eccleſiæ Conſolatorem*. Valentina Hiſpanorum Synodus vocat *Eccleſiæ Commendatorem*.

Variæ de illo occurrunt quæſtiones. Prima eſt, An Viſitator debuerit ſemper eſſe Epiſcopus? Reſpondeo non debuiſſe. Etenim Creſconio Silemſilenſi Donatiſtarum Epiſcopo dicenti, *Traditores non habeo in plebe mea*, in Carthaginenſi Collatione reſpondit Aurelius Macoma-
Lib. 1. c. 201. dienſis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus: *Presbyterum habemus, qui intervenit*. Et Montano Cemerianiamienſi dicenti, *Adverſarium non habeo*, repoſuit Fortunatianus Catholicorum Siccenſis Epiſcopus: *Conſtantinam illic habemus Eccleſiam, & Presbyterum Terentium*. Ad quæ Adeodatus
C. 202. Donatiſtarum Epiſcopus Milevitanus: *Intervenit, dixiſti, ſi ubique veſtros ſpargere velitis, jam videmini habere nobiſcum partem in eis locis, ubi Chriſtiani ſunt*. Nequaquam negat poſſe intervenire Presbyterum, ſed vult modicam Romanæ fidei communionem eſſe tanto officio indignam. Etiam adductus, qui Interventorem vetat eligi in Epiſcopum, Canon lucidè ſupponit illum poſſe eſſe Presbyterum. Damnat quorumdam Interventorum technas & artes, quas in quibuſdam ad majorem Civitatem tranſire ambientibus Epiſcopis damnavit & Sardicenſis Sy-
Can. 2. nodus: *Si quis adeò inſanus vel audax inveniatur, ut de iis videatur aliquam adferre excuſationem, aſſerens ſibi à populo allatas eſſe litteras, clarum eſt potuiſſe paucos aliquos mercede & pretio corruptos in Eccleſia ſeditionem movere, ut eundem utique poſtulent habere Epiſcopum*. Interventorem non poſtulari, ſed eligi vetat laudatus Afrorum Canon, & Epiſcoporum tranſlationes non minus quàm rebaptizationes abominata eſt eorumdem Eccleſia, ideoque lucide non de Epiſcopo agit, ſed de Presbytero. Et hic mos videtur Afris fuiſſe ſingularis.

Verùm his obſtare videtur Magnus Gregorius in litteris ad Balbinum Epiſcopum Roſſelanum:
Lib. 1. *Pervenit ad nos, quòd Populonenſis Eccleſia ita*
Ep. 15. *ſit Sacerdotis officio deſtituta, ut nec Pœnitentia decedentibus ibidem, nec Baptiſma poſſit præſtari infantibus. Hujus igitur tam piæ rei, tamque neceſſariæ mole permoti jubemus Dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ Eccleſiæ Viſitator accedas, & unum illic Cardinalem Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare*. Eodem tenore ſcribit ad Felicem Sipontinum Epiſcopum de Canuſina Eccleſia. Eis dat
Ep. 51. Viſitatores Epiſcopos, quòd nec unum haberent Presbyterum, qui utique poſſet ipſas regere, atque ita ſupponit etiam Presbyterum poſſe eſſe Viſitatorem. Scribit item ad Clerum & populum vacantis Eccleſiæ Vivanenſis: *Eccleſiæ veſtræ cu-*

ram, utilitateſque Honorato Presbytero committendas Ep. 78.
elegimus, quatenus res utilitateſque ejus per eum & procurari valeant, & modis omnibus cuſtodiri. Ipſum inſtituit Viſitatorem. Et Sancti Andreæ Abbates ſemper fuiſſe Lugdunenſium Archiepiſcoporum in adminiſtranda Eccleſia Vicarios, ſcribit ad Carolum Magnum Sanctus Ledradus ejuſdem Sedis Epiſcopus, & adjungit: *In tantum*
erat commiſſa illis cura, ut ſi Eccleſia Lugdunen- Ep. 1.
ſis viduaretur proprio Patrono, ipſi in cunctis adeſſent Rectores & Conſolatores, quo uſque Eccleſia à Domino illuſtraretur digniſſimo Paſtore. Viduatam quoque Leodienſium Eccleſiam fuiſſe olim à Lobienſibus Abbatibus adminiſtratam docet in iſtius Monaſterii Chronico Abbas Folcuinus. Et de Virdunenſi per Madelvei Epiſcopi mortem vacante Eccleſia ſcribit Hugo Flaviniacen-
ſis: *Tunc fuit Epiſcopatus Virdunenſis per duode-* Fol. 117.
cim annos vacuus, & quidam ſervus Dei Amelbertus nomine, juxta morem temporis illius factus Chorepiſcopus, regebat ipſam Eccleſiam, & in quodam Oratorio ſub honore omnium Apoſtolorum quaſi ſolitariam vitam ducebat. Et Hincmarum Remenſem Metropolitam laudat in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria Flodoardus, quòd de vario Chorepiſcoporum exceſſu fuerit queſtus apud Leonem quartum, præſertim *quòd terrena Poteſtas*
hac materia ſæpè offenderet, ut videlicet Epiſcopo Lib. 3.
quolibet defuncto, per Chorepiſcopum ſolis Pontifi- cap. 10.
cibus debitum Miniſterium perageretur, & res ac facultates Eccleſiæ ſæcularium uſibus expenderentur, ſicut & in noſtra Eccleſia ſecundò jam actum fuiſſet. Chorepiſcopos de vario exceſſu notat etiam Meldenſis Synodus, ac pergit: *Si civitatis Epiſcopus obierit, nihil ex Epiſcopali miniſterio ſpecialiter Epiſcopis debito Chorepiſcopus attentet, quia ex hoc magnum ſcandalum, & diviſionem rerum Eccleſiaſticarum, atque dilationem in Canonicè ordinandis Epiſcopis, Dei Eccleſiis accidiſſe conſpeximus. Nam ſi Epiſcopus civitatis propter deſidiam aut ſæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum ſuum Chorepiſcopos tranſcendere conſenſerit, ſententiam Canonicam debet attendere, qua Decretum eſt, ut qui contra dicta Canonum fecerit, gradus ſui periculo ſine retractatione ſubjaceat*. Chorepiſcopi Gallicanis Epiſcopis erant generales in Pontificalibus Vicarii, & vacantem Sedem adminiſtrabant, atque ità Regibus vacantium Eccleſiarum proventus percipientibus dabant irritamenta & fomenta ad Eccleſias in longa vacatione detinendas. Hinc eos ab omni Pontificali officio ſuſpendit laudata Synodus. Hincmarus autem voluit penitus exſtinctos. Eandem formam viguiſſe in Cantuarienſi Eccleſia, oſtendit in Sancti Lan-
franci illic Archiepiſcopi vita Milo Criſpinus: Cap. 13.
In Suburbio civitatis Cantuariæ eſt quædam Eccleſia Sancti Martini, in qua, ut fertur, priſcis temporibus fuit Sedes Epiſcopalis, & ut aiunt, Epiſcopum habuit, antequam ad illas partes tranſiret Lanfrancus. Sed quia auctoritate Canonum conſtat præceptum, ne in una civitate duo ſimul Pontifices habeantur, ſtatuit Lanfrancus ne ulteriùs ipſi loco ordinaretur Epiſcopus. Rectius ſcribit in Cantuarienſium Pontificum hiſtoria Gervaſius Monachus:

Cap. 3c. chus: *Habebat quondam Cantuarienſis Archiepiſcopus Chorepiſcopum quendam, qui in Eccleſia Sancti Martini extra Cantuariam manebat, qui adveniente Lanfranco deletus eſt, ſicut ubique terrarum factum audivimus.* Et abſentis & defuncti Archiepiſcopi vices Chorepiſcopus ille in omnibus ſupplebat. Atque ita lucet vacantes Eccleſias fuiſſe per Presbyteros, aut certè Chorepiſcopos, non ſolùm in Africa, ſed in aliis etiam Regionibus adminiſtratas.

Reſpondeo antiquum Anglicanæ Eccleſiæ morem edici à Simeone Monacho Dunelmenſi, qui in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria ſcribit de ipſa vacan-
Lib. 1. c. 1c. te per mortem Sancti Cutberti: *Epiſcopatum Eccleſiæ illius ſervavit venerabilis* Eboracenſium *Antiſtes Wilfridus, donec eligeretur qui pro Cutberto Antiſtes ordinari deberet.* Addit de carcerato per Eadbertum Regem Cynenulfo Lindisfarnenſi
L. 2. c. 2. Epiſcopo: *Friothnibertus Haguſtaldenſis Epiſcopus Lindisfarnenſem Epiſcopatum adminiſtravit, donec placato Rege de captione relaxatur Cynenulfus ad ſuam rediret Eccleſiam.* Et de Aedgaro Rege ſcri-
An. 962. bit Radulphus de Diceto: *Rex Aedgarus Londonienſem Eccleſiam Paſtore proprio viduatam commiſit regendam Dunſtano Vigornenſi Epiſcopo, & ſic Dunſtanus Londonienſem Eccleſiam commendatam habuit, & non titulatam.* Proindè vacantium in Anglia Eccleſiarum Viſitator ſolebat omninò eſſe Epiſcopus. Porrò Cantuarienſis Eccleſiæ proprium ab antiquo Capellanum Roffenſis, Cantorem Vintonienſis, Decanum eſſe ſe allegat apud Gervaſium Monachum Londonienſis Epiſcopus, & longam agunt litem de jure con-
An. 1162. ſecrandi Cantuarienſem Electum. Quin etiam de viſitandi jure olim litigaverint, non eſt dubitandum, ideoque ad iſtos motus evitandos voluerit Primatialis Eccleſia ſe viduatam per proprium Chorepiſcopum adminiſtrari. Eandem, quæ in Sancti Thomæ Martyris conſecratione contigit, litem memorat & Radulphus de Dice-
A. 1162 to: *Electus ordinatus eſt in Presbyterum in Eccleſia Cantuarienſi à Waltero Roffenſi Epiſcopo, in ordinationibus & dedicationibus faciendis Eccleſiæ Cantuarienſis Vicario. Sequenti die Dominica conſecratus eſt ab Henrico Vintonienſi Epiſcopo, vice Londonienſis Eccleſiæ tunc vacantis. Quod ad jus ſuum ſpectare dicebat Roffenſis Epiſcopus, ſed non obtinuit.* Bartholomæi Exonienſis Electi conſecrationem eidem Waltero delegaverat in mortis lecto Sanctus Theobaldus Cantuarienſis Archi-
A. 1161. epiſcopus, pergitque laudatus Radulphus: *Et licet morte mandatoris finitum fuiſſet mandatum, tamen quia Richardus Londonienſis Epiſcopus laborabat paralyſi, Henricus etiam Vintonienſis, Vicarius Londonienſis Eccleſiæ, morabatur apud Cluniacum tunc temporis, Roffenſis Epiſcopus memoratum conſecravit Electum.* Addit de Balduino Archiepiſcopo profecturo ad ſacrum bellum:
A. 1119. *Balduinus ex communi conſilio ſuorum Suffraganeorum vices ſuas Epiſcopo Londonienſi Richardo commiſit. Roffenſis Epiſcopus ab antiquo Vicarius Archiepiſcopi tam in territorio Cantiæ, quàm in Eccleſiis Maneriorum, Archiepiſcopi curam Paſtoralem ſuſcepit.* Conſonat Gervaſius Monachus Cantuarienſis: *Eſt in Eccleſia Cantuarienſi conſuetudo ab antiquis temporibus conſtituta, & à piis Patribus obſervata, quòd vacante Sede Cantuarienſi,* A. 1147.
vel abſente Archiepiſcopo, debeat Epiſcopus Roffenſis in Cantuarienſi Eccleſia miniſtrare, ſicut proprius & privatus Cantuarienſis Eccleſiæ Capellanus, ſi tamen à Cantuarienſi Eccleſia fuerit vocatus. Ea de cauſa addit Roffenſem Electum non à Rege, ſed ab Archiepiſcopo ſemper inveſtitum, & defuncti Epiſcopi baculum, non ad Palatium, ſed ad Cantuarienſis Eccleſiæ Altare fuiſſe deportatum. Ex eodem principio adfirmat vacan- A. 1184.
tis Roffenſis Eccleſiæ bona nunquam per Regem, ſed ſemper per Archiepiſcopum fuiſſe cuſtodita, adjungens hoc obtinere etiam in ſimultanea utriuſque Eccleſiæ vacatione, atque pergens: *Recognitum eſt,* in Londinenſi Guilielmi Elienſis Epiſcopi & Apoſtolici Legati Synodo, *Roffenſem Epiſcopum Cantuarienſis Eccleſiæ proprium ab antiquo fuiſſe Capellanum, eumque vacante Cantuarienſi Sede ad vocationem Conventus debere Cantuariam accedere, Chriſma conficere, & cætera Sacramentalia miniſtrare, eumque in expenſis procurare debere, qui Archiepiſcopatum cuſtodi-* A. 1192.
ret. Vivente autem Archiepiſcopo, ſed abſente vel ægrotante, ad vocationem ejuſdem ſimul & procurationem debet accedere. Venit igitur Cantuariam ad proximum Paſcha à Conventu vocatus idem Epiſcopus, & in Curia Canonicorum Sancti Gregorii hoſpitatus eſt, ne ignorantibus videretur ad expenſas fuiſſe Monachorum, ſi in eorum Curia haberet hoſpitium. In Metropolita aliud eſt Metropolitica, aliud Diœceſana Poteſtas: Et hujus ſolius vices in Cantuarienſi Metropoli habebat Epiſcopus Roffenſis. Ordinare Clericos, dedicare Eccleſias, conficere chriſma, aliaque id genus Pontificalia exercere potuit, nequaquam tamen conſecrare Epiſcopos, nec ipſum Metropolitam: Spectabant hæc ad Proto-Thronum Londinenſem, aut ipſo defuncto vel impedito, ad Vintonienſem. Et iſta fuit antiquiſſima illius Eccleſiæ conſuetudo. Per quem vel quâ de cauſa inductus fuerit Chorepiſcopus Viſitator, uſque huc non inveni. Quidquid ſit, avitum morem reparavit Sanctus Lanfrancus, atque ita lucet antiquos de hac re Canones in Anglia omninò viguiſſe.

Eadem eſt ratio Gallicanæ Eccleſiæ. Etenim Cap. 6. 7.
Rejenſis Synodus ſtatuit, ut ad ſepeliendum viduatæ Cathedræ Epiſcopum ſolus vicinioris civitatis Antiſtes accedat, qui Viſitatoris vice diſponat de rebus Eccleſiæ, idque intra ſeptem dies, quibus lapſis recedat ad propria, & cum aliis ſuæ Provinciæ Epiſcopis exſpectet ulteriora Metropolitæ mandata. Hilarius Arelatenſis Archiepiſcopus de Primatiali jure diſputabat tunc cum vicinis Provinciis, ad Jacobum Ebredunenſem Metropolitam ſepeliendum duo acceſſerant Epiſcopi, & Hilarii faſtum averſatus Clerus & populus ipſos coegerat ad ſine facta ad ipſum relatione conſecrandum ſuum electum Armentarium. Ejuſmodi auſus adductis Decretis conata eſt iſta Synodus ſiſtere. Et ad Sanctum Cæſarium Arelatenſem item Archiepiſcopum de Epiſcopalis electionis forma ſcripſit Symmachus Pontifex: *Decretum ſine Viſitato-*
ris Epiſt. 3. c. 6.

ris præſentia nemo conficiat, cujus teſtimonio Clericorum & Civium poſſit unanimitas declarari. Et poſt degradatum Contumelioſum Reienſem Epiſcopum Joannes ſecundus ad omnes Galliæ Epiſcopos: *Ne ejus Eccleſia deſtituta videatur, in*
Epiſt. 2. *ejus loco Viſitatorem dari præſenti auctoritate decernimus, ut nihil de Ordinibus Clericorum, nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat, ſed ea quæ ad ſacro-ſancta Myſteria pertinent exequatur.* Et ad
Epiſt. 3. Reienſis Eccleſiæ Clerum: *Neceſſaria vobis ſolatia credimus Viſitatoris adjungere, ut Eccleſia ſuo privata Præſule ſummi nequeat Pontificis ſolatiis indigere.* Et ejus ſucceſſor Agapetus ad laudatum
Epiſt. 1. Metropolitam Cæſarium, *Patrimonio Eccleſiæ in gubernatione Archidiaconi conſtituto, Viſitatoriam in Contumelioſi loco præcipimus ordinari perſonam.* Viſitatores etiam ſub Francorum Regno Epiſcopos aſſiduè laudant antiquæ, per Jacobum Sirmondum publicatæ, Epiſcopalium promotionum formulæ, quibus elegantiſſimam aliam nu-
Tom. 8. per adjunxit Lucas Dacherius. Quod Morinenſi & Tornacenſi viduatis Eccleſiis Viſitatores etiam Hincmarus Remenſis Metropolita dederit, laudat in ejuſdem Eccleſiæ Hiſtoria Flo-
Lib. 3. c. 23. doardus, & addit de illius Succeſſore Sancto Fulcone: *Fulco Herilandum Terravanenſem Epiſcopum, ejus Epiſcopio à Nortmannis depopulato,*
L. 4. c. 3. *ad ſe venientem ſuſcepit, & Viſitatorem cuidam viduatæ Eccleſiæ conſtituit, ut viſitando ſuſtentationem interim, dum Epiſcopus ibi ordinaretur, ex illa caperet.* Plura ſunt hujuſmodi exempla. Verùm quòd Gallicanæ Epiſcoporum Parochiæ ſint paſſim vaſtæ, à propria abeſſe, & alienæ frequenter adeſſe fuit difficile Viſitatori Epiſcopo. Hinc quædam Eccleſiæ officium illius per Chorepiſcopum expleverunt. Quod tamen numquam ſub Romano Imperio, ſed factum dumtaxat reperies ſub Regno Francorum. Nec fuit iſtud univerſale. Etenim de Lupo Catalaunenſi Epiſcopo habet ſexta actio ſecundi Sueſſionenſis Concilii: *Quia Metropolis Rhemorum Eccleſia carebat Paſtore, juſſus eſt Regiis litteris Domini Caroli Calvi, ut in confectione chriſmatis, & in aliis neceſſitatibus, videlicet ut ſuæ Matri Eccleſiæ, pro ſua poſſibilitate in Eccleſiaſticis negotiis conſulere procuraret.* Etiam Clericos ibidem Lupus ordinavit.

An Sancti Andreæ Abbas aliquando fuerit viduatæ Lugdunenſis Eccleſiæ Viſitator ignoro. Etenim aliud edicere videtur in ſuo, per Lucam Dacherium publicato, ad Edunenſem Ec-
Tom. 8. cleſiam Edicto Francorum Rex Philippus Auguſtus: *Legitimorum hominum teſtimonio Lugdunenſis Eccleſiæ jus eſſe didicimus, ut quoties Eduenſis ſedes vacaverit, toties Lugdunenſis Archiepiſcopus & Regalia noſtra Eduenſia, & alia quæ ad Epiſcopatum Eduenſem pertinent, in manu ſua habeat, & vice verſa quoties Lugdunenſem ſedem vacare contigerit, toties Epiſcopus Eduenſis in manu ſua habeat & cuſtodiat univerſa ad Archiepiſcopatum Lugdunenſem pertinentia.* Et in litteris ad ſuum Clerum & populum Aymarus Lugdunenſis Archiepiſcopus: *Nobis conſtat vacante ſede Metropolitana Lugdunenſi Epiſcopum Eduenſem debere de antiqua & approbata conſuetudine dictam Metropolitanam ſedem tenere, & omnem adminiſtrationem tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus habere, & omnia caſtra & fortalitia, villas & domus prædictæ ſedis tenere, & fructus levare, & ſuos integrè facere; ſicut è contra idem jus per omnia de antiqua & approbata conſuetudine Archiepiſcopus Lugdunenſis ſede Eduenſi vacante obtinet in prædictis.* Quod ipſum Radulphus Lugdunenſis Archiepiſcopus & Hugo Eduenſis Epiſcopus in ſuo deſuper Concordato teſtantur ibidem atque confirmant. Lugdunenſis & Eduenſis Eccleſiæ ultrò citroque videntur ſe habuiſſe, uti Roffenſis ſe habuit ad Cantuarienſem. Vacantium Regalium cuſtodiam Rex illic non habuit, & uterque Epiſcopus fuit utriuſque vacantis Eccleſiæ Vicarius ac Viſitator. An Eduenſis ſimul cum Sancti Andreæ Abbate habuerit iſtam poteſtatem, an ipſi ex illa extruſo ſucceſſerit, nequeo adfirmare. Vacantium Eccleſiarum facultates in omnibus Europæ Regnis paſſim ſubjacuerunt Ducum & Comitum violentiis ac rapinis: An Sancti Andreæ Abbas ad ipſis reſiſtendum ſufficientes vires non habuerit, atque ita ejus in locum Lugdunenſis Eccleſia ſub ſimilis adjutorii debito aſſumpſerit Eduenſem Epiſcopum, permitto decidendum illis, qui plura & meliora habuerint ex antiquis Scriniis documenta. Quidquid ſit, Abbas ille nequit fuiſſe Viſitator. Alia eſt ratio Abbatum Lobienſium. Horum primi habuerunt Epiſcopalem conſecrationem, videntur Leodienſium Pontificum fuiſſe Chorepiſcopi, atque ita poterant eſſe Viſitatores. Verùm hæc tangunt ſingularia archiva iſtorum Monaſteriorum.

Aymarus Archiepiſcopus rectè diſtinguit inter Eccleſiarum temporalia ac ſpiritualia. Etenim ſuprà nobis Agapetus Pontifex dixit etiam Reienſis Eccleſiæ temporalia per Archidiaconum, ſpiritualia per Viſitatorem eſſe adminiſtranda. De eodem dixit Joannes ſecundus: *Quæ ad ſacroſancta pertinent Myſteria exequatur.* Et iterùm: *Ut vidua Eccleſia Summi Pontificis nequeat ſolatiis indigere.* Vult per ipſum Pontificalia præſertim exercenda. Caturcenſis Eccleſia in ſuo, quo ad decimi ſæculi finem elegit Guasbertum, Decreto exponit: *Per Viſitatorem Epiſcopum perficiatur Eccleſiaſticarum rerum Inven-* Tom. 8.
tarium, tunc verò prioribus viduatæ ſedis diſpoſitis Œconomis commendetur. Exſtat apud Lucam Dacherium. Et in Nemauſenſi Synodo ſtatuit Urbanus ſecundus: *Quoties alicujus Eccleſiæ Antiſtes ex hac vita emigraverit, duæ de melioribus perſonæ eligantur ejuſdem Eccleſiæ, qui res Epiſcopi defuncti, ſicut ipſe diſpoſuerat, tractent fideliter,* Can. 7.
& quæ ad Epiſcopatum pertinent, ſucceſſuro Paſtori conſervent. Et ad Antonium Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, ac Apoſtolici in Dalmatia Patrimonii Rectorem, ſcribit Magnus Gregorius: *De rebus vel ornamento Eccleſiæ fideliter Inventarium facito te præſente conſcribi. Et ne de* L. 2. indict. 11. Ep. 24.
rebus ipſis poſſit aliquid deperire, Reſpectum Diaconum atque Stephanum Primicerium Notariorum, ut ipſarum rerum omninò gerant cuſtodiam, admoneto, interminans eis de propria eos ſatisfacturos eſſe ſubſtantia, ſi quidquam exinde eorum negligen-

tia fuerit imminutum. Et ad Leontium Urbinatem Epiſcopum, Ariminenſis Eccleſiæ Viſitatorem: *Clero Ariminenſis Eccleſiæ, cujus Viſitator es, conquerente comperimus, quòd remotis omnibus Clericis, Fraternitas tua hominibus ſuis Patrimonii ejus gubernationem, cæteraſque utilitates commiſerit peragendas. Quod ſi ita eſt, querelam ineptam non eſſe credimus.* Patrimonii iſtius diligentem commendat curam atque cuſtodiam, ipſum tamen per propriæ Eccleſiæ Clericos vult regi: Viſitatori Epiſcopo aliud non permittit, quàm ut hiſce, dum ex cauſis ſuſpecti fuerint, aliquos de ſuis poſſit adjungere. Loquitur ex Chalcedonenſi Synodo: *Eccleſiæ viduatæ redditus penes Eccleſiæ Œconomos integri reſerventur.* Undè dum Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham eadem Synodus, & Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum degradavit Synodus Epheſina, iſtarum Eccleſiarum Œconomis eandem curam atque cuſtodiam commendarunt. Eſt antiquiſſima, immò Apoſtolica omnium fidelium gentium conſuetudo. Quare Viſitator Epiſcopus in ſolos Pontificalis ordinis Actus habebat Vicariam auctoritatem, nullam in facultates Eccleſiæ, aut alias ejus functiones. Spectabant hæc ad Œconomos aut alios Capituli Vicarios. Et hæc ſunt, quæ in Vivanenſi Eccleſia Honorato Presbytero delegavit Magnus Gregorius. Nullo modo ipſum creavit Viſitatorem.

L. 4. Epiſt. 22.

Can. 25.

Secunda quæſtio eſt, An Viſitator in commendata ſibi Eccleſia exercere potuerit quoſvis Pontificales actus? Reſpondeo negativè. Nec enim potuit Clericos ordinare. Hinc enim Cœleſtino Hiſtonienſis, & Sabino Grumentinæ Eccleſiæ Viſitatoribus, dum Juliani Diaconi in Presbyterum, & Quarti Defenſoris in Diaconum conſecrandi fecit facultatem, addidit Sanctus Papa Gelaſius: *Noverit Dilectio tua hoc ſe delegantibus nobis exequi Viſitatoris officio, non poteſtate proprii Sacerdotii.* Hoc eſt, ex ſingulari mandato. Exſtant Epiſtolæ apud Dominum Lucam Holſtenium. Et Joannem ſecundum Pontificem audivimus ſupra edicentem de Reienſis Eccleſiæ Viſitatore: *A ſe noverit ita omnia exhibenda, ut nihil de Ordinibus Clericorum præſumat.* Et in litteris ad dictæ Eccleſiæ Clerum; *Clerus in eo quo nunc eſt ordine conſtitutus, nullis gradibus promoveatur, donec proprium Sacerdotem poſſit habere.* Et ad Leonrium Urbinatem Epiſcopum, Ariminenſis Eccleſiæ Viſitatorem, ſcribit Magnus Gregorius: *Præter ordinationes Clericorum cætera omnia tamquam Cardinalem & proprium te volumus agere Sacerdotem.* Et ad Chryſantum Spoletanum Epiſcopum, Vivanenſis Eccleſiæ Viſitatorem; *Fraternitati tuæ Vivanenſis Eccleſiæ Viſitatoris deputavimus officium, in quo de more Scrinii noſtri nihil vos de provectionibus facere volumus Clericorum.* Verùm quod & Cathedralium, & Pagenſium Presbyterorum inopiam ex longa vacatione poſtmodum incurriſſet eadem Eccleſia, Epiſcopi Electionem accelerari juſſit Pontifex, & dignos interim Presbyteros à Chryſanto conſecrari. Quod ipſum ferè ſcribit ad Gaudioſum Eugubinum Epiſcopum, Viſitatorem Eccleſiæ Tadinatis. Et de Neapolitana, quod diu vacaſſet, Eccleſia ſcripſit ad Paulum Viſitatorem: *Clericos ex Laicis ordinari, necnon & manumiſſiones apud te in eadem Eccleſia ſolemniter celebrari concedimus.* Manumiſſiones enim ſpectant ad temporalem adminiſtrationem, ideoque fieri poterant per ſolum Cardinalem Epiſcopum. Notanda ſunt verba, *Clericos ex Laicis ordinari*: Videntur ſtrictè intelligenda, ideoque non dare ſaculatem evehendi Clericos in altiorem gradum. Nam & iſtud Reienſis Eccleſiæ Viſitatori diſertè interdixit Joannes ſecundus. Et de vacantibus Sedibus generatim ſtatuit quinta Synodus Aurelianenſis: *Nullus Epiſcopus*, utique Viſitator, *aut in Civitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut Altaria audeat conſecrare.* Quem Canonem innovavit & ſecunda Synodus Arvernenſis. An illa Canonis pars, quæ & Altarium conſecrationem interdicit Viſitatori, ubique gentium viguerit, fateor me ignorare. Certè apud varias gentes etiam Cardinalis Epiſcopus ipſum non poterat ſine venia Metropolitani. Quidquid ſit, iſtam diſciplinam in Italia adhuc viguiſſe ſub ſæculi noni finem docet Joannis octavi Epiſtola ad Joannem Ficoclenſem Epiſcopum, Viſitatorem Eccleſiæ Faventinæ.

Ep. 32. 33.

L. 2. indict. 11. Ep. 24.

L. 7. indict. 2. Ep. 77.

Ep. 89. 90.

L. 2. Epiſt. 7.

Can. 8.

Quæſtio tertia eſt, Cujus auctoritas ad ordinandos Clericos fuerit Viſitatori neceſſaria? Reſpondeo Epiſcopales Cathedras juxta antiquos Canones vacare non potuiſſe niſi ad tres menſes, & de iſto præſertim tempore loqui omnia jam adducta Decreta. Et hinc Sacroſancta Tridentina Synodus, dum per Capitula intra primum vacantis Sedis annum noluit dari Dimiſſionales litteras, novam non induxit Regulam, ſed antiquam innovavit. Quis lapſo trimeſtri dare olim potuerit iſtam auctoritatem, non ita conſtat. Eccleſiæ Italicæ, quæ ab Apoſtolica Sede Viſitatorem debebant accipere, ejuſdem Sedis auctoritate indigebant ad Clericos ſeu faciendos ſeu promovendos. Ita lucet ex adductis Sancti Gelaſii ac Sancti Gregorii teſtimoniis. Aliis in Regionibus videtur ſuffeciſſe licentia & auctoritas Metropolitæ. Hinc enim poſtquam Reienſis Eccleſiæ Viſitatori ſuos præfixiſſet limites Joannes ſecundus, adjunxit: *Omnem hanc ſolicitudinem Cæſario fratri & Coepiſcopo noſtro injungimus, ad cujus curam, cuncta quæ neceſſe ſunt, pertinere cenſuimus.* Adfirmat limites iſtos per Arelatenſem Metropolitam poſſe & contrahi & prorogari. Et Sigeboldo Narbonenſi Archiepiſcopo, Rudolphum Primarem Bituricenſem, quod Primatus ſui jure ſe miſceret alienis Eccleſiis, accuſanti reſpondit Nicolaus primus Pontifex fieri iſtud non poſſe, niſi ex cauſa appellationis, aut Sedis vacantis. Et de vacante Sede Gratianopolitana ſcripſit ad Adonem Viennenſem Archiepiſcopum Francorum Rex Carolus Calvus: *Quidquid neglectum fuerit, vobis imputabitur, qui diſponere ac ordinare ipſum Epiſcopatum, ac omnia ipſius Eccleſiæ debuiſtis.* Omnem vacantis Eccleſiæ providentiam adfirmat ad Metropolitam pertinere. Exſtat Epiſtola apud Jacobum Sirmondum in Regeſto Adriani ſecundi. Et

Epiſt. 3.

Ep. 39.

ad Conſtantium Epiſcopum de vacante ad Cornelii forum Eccleſia ſcribit Sanctus Ambroſius : Ep. 13. *Commendo tibi Eccleſiam , quæ eſt ad forum Cornelii , quo eam de proximo interviſas frequentiùs , donec ei ordinetur Epiſcopus. Occupatus diebus ingruentibus Quadrageſimæ , tam longè non poſſum* Ep. 19. *excurrere* . Adfirmat omnem vacantis Eccleſiæ curam ad Metropolitam reſpicere, & Viſitatorem eſſe dumtaxat hujus quaſi Vicarium. Pedetentim tamen decreſcere cœpit Metropolitarum poteſtas , cœperuntque Viſitatores ad ſolas vacantis Eccleſiæ preces facere omnia , etiam Clericos ordinare. Ita Roffenſem Epiſcopum ad in vacante Cantuarienſium Metropoli faciendum omnia , non Comprovincialium auctoritate , ſed ſolius Cathedralis Monaſterii invitatu eguiſſe , ſuprà nobis dixit Gervaſius ejuſdem Eccleſiæ Monachus. Eadem ratione videntur in Gallia Chorepiſcopi vacantibus Eccleſiis Clericos ordinaſſe. Quidquid ſit, iſta libertate poſt lapſum vacationis annum gaudent etiamnum hodie omnia Capitula Cathedralia.

Quarta quæſtio eſt, Quæ fuerit ordinaria Viſitatoris poteſtas? Reſpondeo fuiſſe variam. Prima olim fuit ſepelire defunctum Epiſcopum. Lucet ex Valentina Hiſpanorum Synodo : *Quia ſæpè ſanctorum Antiſtitum, per abſentiam Commendatoris Epiſcopi, exequiæ differuntur, ita ut veneranda Pontificis membra , dum tardius funerantur, injuriæ omninò ſubjaceant ; Epiſcopus qui poſt mortem fratris ad ſepeliendum eum ſolet invitatus occurrere, infirmum magis , & adhuc in corpore poſitum, admonitus viſitare non differat, ut aut de relevatione Conſacerdotis amplius gaudeat, aut certè de ordinatione domus ſuæ fratrem admoneat, ejuſque probabilem voluntatem in effectum transmittat, ac recedentem à ſæculo, poſt oblatum in ejus commendatione ſacrificum Deo, mox ſepulturæ tradat diligentiſſimè, & ſuperius Conſtituta Canonica non differat adimplere. Si autem , ut fieri aſſolet, Antiſtes obitu repentino deceſſerit, & cum limitanei Sacerdotes de longinquo minimè adeſſe potuerint, uno die tantùm cum nocte exanimatum corpuſculum Sacerdotis maneat , non ſine fratrum ac Religioſorum frequentia, ut pſallentium excubatione ſervatum, à Presbyteris cum omni diligentia in loculo conditum ſeorſim, non ſtatim humetur, ſed honorificè commendetur, donec ſine mora invitato undecumque Pontifice , ab ipſo , ut condecet , ſolemniter tumuletur, & ut injuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis Sacerdotibus obſervetur.* Defunctum Epiſcopum ab Eccleſiæ Viſi-
Can. 4. tatore ſeu Commendatore Epiſcopo lucidè adfirmat olim fuiſſe ſepultum. Verùm quod Viſitatoris deſignatio ſpectet ad longè quandoque diſtantem Metropolitam, Epiſcopale cadaver dudum ſubindè manebat inſepultum , & patebat injuriis : Hinc Synodus addit inductum, ut quis vicinior Epiſcopus ad iſtud pietatis officium à Capitulo invitaretur. Invitationem hanc ſuadet ante mortem fieri , ut ægrotans Epiſcopus non ſolum corporis poſt mortem, ſed & animæ ſuæ in vitæ exitu habeat à fratre ſolatium. Sine hoc ſolatio defunctum vult à Clero deponi ſolummodò, non ſepeliri : More antiquo vult Epiſcopum ſepeliri ab Epiſcopo, ideoque ad id quemvis Epiſcopum poſſe invitari. Et pro ſuo Decreto adducit Reienſem Canonem, mandantem ne quis ad vacantem Eccleſiam accedat, niſi ſolus vicinior Epiſcopus, ad Viſitatoris vice defunctum ſepeliendum. Quod Can. 2.
ipſum ſtatuit ſeptima Toletana Synodus, rigidè mandans, ne quis invitatus Epiſcopus ſeſe ſine fundamentis excuſet ab hoc extremo pietatis officio, alioquin in proxima Synodo caſtigan- Can. 3.
dus. Super vicinas aliquot Provincias, quem non ita pridem Patroclus Arelatenſis Archiepiſcopus invaſerat , Primatum continuabat Sanctus Hilarius, atque ita nullum illic Metropolitanum aut Provincialem Epiſcopum permittebat ſine ſua prævia venia & confirmatione conſecrari. Jugum iſtud omnes peſſimè oderant, præſertim Ebredunenſis Eccleſia, Alpium Graarum Metropolis, ideoque defuncto Epiſcopo ſuo Jacobo ſtatim elegit Armentarium, & per duos, qui ad illum tumulandum advenerant, Epiſcopos fecit hunc inſcio Hilario conſecrari. Hinc Reienſis Synodus, hinc punitus Armentarius, hinc ſtatutum ut ſolus deinceps vicinior Epiſcopus accederet viduatam Eccleſiam, & Viſitatoris vice defunctum tumularet. Primatum iſtum excuſſit poſteà & proſcripſit Sanctus Leo Pontifex , perſeverarunt tamen Gallicani Epiſcopi non per Viſitatorem, ſed per viciniorem Collegam ſepeliri. Ita non obſcurè habent quintus & ſextus Canon ſecundæ Aurelianenſis Synodi, ac præſertim Trosleanæ quartus decimus, laudatos Reienſem, Valentinum, ac Toletanum Canones, innovans, & adjungens : *Quoniam in quibuſdam opportunitas locorum ſe offert, ut ad obitum vel exequias alicujus ex nobis duo vel tres Epiſcopi convenire poſſint, decet ut ſancta charitas ſe oſtendat in mortuorum funeribus, quæ in vivorum flagravit pectoribus.* Nempè Reienſis Synodi motiva ratio jam dudum deſierat. Decretum, quod non ita dudum poſt de Guasberti Epiſcopi Electione fecit Caturcenſis Eccleſia, habet apud Lucam Dacherium : *Priſca modernaque Eccleſiarum moderamina Theoloquelariis ſanxere Canonibus, quo arripientibus viam univerſæ terræ quarumlibet ſedium Præſulibus, per viciniorem Epiſcopum, aut per quamlibet alium Epiſcopum, cui Archipræſul injunxerit, exſtincti fratris tumulatorem, orbatæque ſedis Viſitatorem atque Conſolatorem, perficiatur Eccleſiaſticarum rerum Iuventarium.* Defun- Tom. 8.
ctum Epiſcopum adfirmat quandoque per viciniorem Collegam ſepeliri , quandoque per Viſitatorem. Videtur tunc in viduati Cleri fuiſſe arbitrio.

Ubi vides & ſecundam Viſitatoris ordinariam poteſtatem. Nempè conficere Eccleſiaſticarum rerum Inventarium. Quod ipſum illi olim comperiiſſe profitentur, aſt deinceps in tumulatorem Epiſcopum tranſcribunt Hiſpanorum Valentina , & ſecunda Synodus Aurelianenſis. Inventarii enim confectio, uti & defuncti ſepultura, non patitur moram. Etiam ad Sanctum Maximianum Syracuſæ Epiſcopum ſcribit Magnus Gregorius: *Si quiſpiam Epiſcoporum de hac luce migraverit , vel pro ſuis fuerit remotus exceſ-*

ceſſibus, convenientibus Hierarchicis, cunctiſque Cleri Primoribus, atque in tui præſentia Inventarium Eccleſiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta
L. 3. Ep. 11. *fuerint ſubtiliter deſcribantur.* Romana Provincia ac Metropolitica Pontificis Poteſtas olim fuit vaſtiſſima. Ei non ſolùm Campania omnis, Apulia atque Calabria ſuberant, ſed & Sicilia. Hinc ſuas iſtic, non Apoſtolicas, ſed Metropoliticas vices Maximiano delegavit Gregorius, voluitque per ipſum fieri vacantium Eccleſiarum Inventaria. At verò de vacante Salonitana apud Dalmatas Metropolitana Eccleſia ſcripſit ad Antonium ſuum Subdiaconum, Apoſtolici ibidem
L. 2. Ep. 11. Patrimonii Rectorem: *De rebus vel ornamento Eccleſiæ fideliter Inventarium facias te præſente conſcribi.* Variis in Eccleſiis videtur fuiſſe varia conſuetudo.

Tertium Viſitatoris officium exponit laudata Aurelianenſis Synodus: *Epiſcopus, qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non*
Can. 6. *pereant.* Mandat ut Viſitator, ſeu potiùs Viſitatoris vice tumulator Epiſcopus deſcriptis rebus det Œconomos ſeu Cuſtodes. Nam & hoc Viſitatoris officium & hæc, & laudata Valentina, Rejenſem imitatæ, Synodi tranſcribunt in Tumulatorem. Viſitatori reddit ſuprà laudatum Decretum Caturcenſis Eccleſiæ, Inventarium fieri mandans per Viſitatorem Epiſcopum, & adjungens: *Tunc prioribus viduata ſedes diſpoſitis Œconomis commendetur.* Hinc Leontius Urbinatum Epiſcopus, ac Ariminenſis Eccleſiæ Viſitator, ſuos Clericos volebat dare Œconomos, verùm interdixit Magnus Gregorius, affirmans iſtud officium ſpectare ad proprios Eccleſiæ filios, & adjungens: *Si verò quædam de eis infidelitatis eſt fortaſſe ſuſpicio, cum eis quoque homines tuos in actione conſtitue, ut alterna erga ſe ſolicitudine debeant eſſe cuſtodes, rationes tibi modis omnibus poſituri.* Cur ſolos Viſitatoris Clericos nolit impendi, addit cauſam: *Ut nulla adverſus te murmurandi*, vel ſuſpicandi *juſta relinquatur occaſio.* At verò de vacanti Salonitana Metropoli ſcripſit ad præfatum Subdiaconum Antonium: *Ne*
L. 2. indict. 11. Epiſt. 22. *de rebus aliquid poſſit deperire, Reſpectum Diaconum atque Stephanum Primicerium Notariorum, ut ipſarum omninò curam gerant, admoneto, interminans eis de propria ſatisfacturos ſubſtantia, ſi quidquam exindè eorum negligentia fuerit imminutum.* Ipſe Pontifex conſtituit Œconomos. Fortaſſe quòd Malchus Epiſcopus, qui videtur fuiſſe Viſitator, ſuſpectus eſſet, & ab ipſo officio dejectus. Quidquid ſit, aliter ſtatuit Valentina Hiſpanorum Synodus, mandans Inventarium
Cap. 2. fieri intra octo dies, & adjungens: *Dehinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatè deſcriptio deferatur, ut ejus electione talis perſona ordinandæ domui Eccleſiaſticæ procuretur, &c.* Œconomum vult conſtitui à Metropolita, & ipſi, ſi novi Epiſcopi creatio differatur, obligari ad rationes. Proindè & hic Eccleſiarum conſuetudo fuit varia.

Quartum Viſitatoris officium ſuprà in litteris ad Conſtantium Foro-Cornelienſis Eccleſiæ Viſitatorem expreſſit Sanctus Ambroſius: *Eccleſiam, quæ eſt ad Forum Cornelii, inviſas frequentius.* Ep. 19. Et ad Sanctum Maximianum Syracuſæ Epiſcopum ſcribit Magnus Gregorius: *Viſitatores Eccleſiarum, Clericique eorum cum ipſis per non ſuæ Civitatis Parochias fatigantur.* Utique ſæpius viſitando. Et ad Paulinum Liparitanum Epiſcopum, Taurinatenſis Eccleſiæ Viſitatorem: *Eccleſiam Taurinatenſem, quoties opportunum tempus credideris, viſitabis. Ita Fraternitas tua omnia diſponere feſtinet, ut & ſui præſentia Liparitanam* L. 2. Ep. 13. *ſalubriter diſponat Eccleſiam, & viſitationis ſtudio Taurinatenſem congregare & fovere non deſinat.* Et ad Joannem Nepeſinæ Eccleſiæ Viſitatorem: *Fraternitas tua Nepeſinæ Eccleſiæ viſitationem non* Epiſt. 20. *deſiſtat aſſumere, quatenus exigente Paſchali feſtivitate, quidquid Sacrorum ſolemnitas poſcit, te operante modis omnibus impleatur.* Hinc Viſitator ſolebat eſſe quis vicinior Epiſcopus, qui in tanto feſto poſſet iſta officia binare. Pergit in litteris ad Leontium Urbinatem Epiſcopum, Ariminenſis Eccleſiæ Viſitatorem: *Admonemus Charitatem tuam, ut ita efficaciter omnes utilitates Eccleſiæ exerceat, quatenus tui præſentia proprium ſe, non abſentem habere ſentiat Sacerdotem. Quidquid autem tibi viſum fuerit pro utilitate ejuſdem Eccleſiæ ordinare, habebis modis omnibus, noſtra permiſſione licentiam. Reditus verò, vel ordinamenta, miniſteriaque ipſius, ſolicitudinis tuæ intuitus & cura* L. 2. indict. 11. Ep. 24. *conſervet. Et præter ordinationes Clericorum cætera omnia in prædicta Eccleſia tanquam Cardinalem & proprium te volumus agere Sacerdotem.*

Quintum & palmare Viſitatoris officium edicit idem Pontifex in litteris ad Benenatum Viſitatorem Cumanæ Eccleſiæ: *Charitas tua ad Cumanam Eccleſiam ire properabit, & aſſiduis* Ep. 19. *adhortationibus Clerum Plebemque ejuſdem Eccleſiæ admonere te volumus, ut remoto ſtudio diverſarum partium, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto Miniſterio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate Decreti, omnium ſubſcriptionibus roborati, & Dilectionis tuæ teſtimonio litterarum, ad nos ſacrandus occurrat.* Quod ipſum repetit & in aliis litteris. Et de Pontiano Thenitano Epiſcopo, per Sancti Fulgentii mortem ac duram Cleri & populi in electione diſcordiam dudum vacantis Ruſpenſis Eccleſiæ Viſitatore, ſcribit in laudati Fulgentii vita Ferrandus Diaconus: *Ibat ſecundùm Præceptum Datiani Pri-* Cap. 30. *matis, ut Ruſpenſi Eccleſiæ eligeretur Antiſtes.* Et quinta Carthaginenſis Synodus ſtatuit: *Nulli Interceſſori licitum ſit Cathedram, cui Interceſſor datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis vel ſeditionibus retinere, ſed dare operam ut intra annum eiſdem provideat Epiſcopum. Quod ſi neglexerit, anno expleto Interventor alius tribuatur.* Interventores enim ad procurandam ſui ipſius electionem quandoque utebantur artibus damnatis per ſecundum Canonem Sardicenſem. Eandem illis poteſtatem adſcribunt Rejenſis Synodus, ac præſertim antiquæ Epiſcopalium electionum formulæ, publicatæ per Jacobum Sirmondum. Etenim ad Carolum Calvum Regem de vacante

per

per Erprumi Epiſcopi mortem Sylvanectenſi Eccleſia ſcribit illic Hincmarus Metropolita Remenſis: *Dignetur mihi Dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare, quem vultis de Coepiſcopis noſtris, ut ei ex more litteras Canonicas dirigam, & Viſitatoris officio fungens in eadem Eccleſia electionem Canonicam faciat, & aut per ſe, aut per litteras ſuas, Vicario ſuo deferente, eandem electionem cum Decreto Canonico, ſingulorum manibus roborato, ad me referat, ut per me ipſa electio ad Dominationis veſtræ diſcretionem perveniat*. Et ad Epiſt. 1. Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum, à ſe conſtitutum Cameracenſis Eccleſiæ Viſitatorem: *Ad Cameracenſem Eccleſiam quantocius ſtudeas properare, & aſſiduis hortationibus Clerum & plebem publicè admonere feſtines, ut uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ac eligant Sacerdotem, qui & tanto Miniſterio dignus valeat reperiri, & à reverendis Canonibus minimè* Epiſt. 2. *reſpuatur*. Ei tranſmittit faciendæ electionis formam, legi mandat ad Clerum & Populum, juxta ipſam eligi, fieri Decretum, & ſignari Et in litteris ad Cameracenſis Eccleſiæ Clerum & Populum. *De electione Decretum Canonicum unanimi voto agere, & ſigillatim omnium* Epiſt. 3. *veſtrorum manibus in præſentia Viſitatoris roborare ſatagite*. Et ad vacantis Belluacenſis Eccleſiæ Epiſt. 4. Clerum ac Populum: *Decretum ſine Viſitatoris præſentia nemo conficiat*. Et infrà: *Electum ad nos mediante Viſitatore adducite*. Per Hincmari mortem vacans Remenſis Eccleſia accuſabatur ſine Viſitatore electionem attentaſſe, ideoque ad Hildeboldum Sueſſionenſem Epiſcopum, ſecundæ Belgicæ Proto Thronum, & reliquos Comprovinciales Collegas de tam præſumptuoſo & ſtolido opere ſe expurgat, ſpondetque Epiſt. 5. numquam attentare. Et Williberti Catalaunenſis electionem, quod ſine Viſitatore fuiſſet attentata, caſſavit idem Hincmarus. Quòd Ep. 11. Regiam eligendi licentiam Clero & Populo deferre Viſitator etiam debuerit, ibidem docet formula, qua is ſolebat ipſos ad rectè eligendum adhortari. Proindè varium, ac penitus Epiſt. 6. neceſſarium fuit hoc in opere Viſitatoris officium.

Quinta quæſtio eſt, An Viſitator habuerit aliquod ſui laboris ſtipendium? Videtur aliquod olim habuiſſe, at poſteà per Magnum Gregorium in litteris ad Sanctum Maximianum Syracuſæ L. 3. indict. 11. Epiſt. 1. Epiſcopum fuiſſe ablatum: *Nec ſicut anteà fieri dicebatur, ſpecies quædam aut aliud quodlibet de rebus Eccleſiæ, quaſi pro faciendi Inventarii labore tollatur. Sic namque ea, quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, deſideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio*. Reſpondeo Gregorium adversùs ſolum Inventarii confectorem Epiſcopum loqui, non adversùs Viſitatorem, de quo ſtatim ſubdit: *Viſitatores Eccleſiarum, Clericique eorum, qui cum ipſis per non ſuæ civitatis Parochias fatigantur, aliquod laboris ſui, te diſponente, capiant ſubſidium. Juſtum namque eſt, ut illic conſequantur ſtipendium, ubi pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium*. Maximianus erat Metropoliticus Gregorii per Siciliam Vicarius, ideoque per ipſum voluit ſtipendium taxari. Et hinc vides iſtam taxationem ſpectaſſe ad Metropolitanum. Et ad Leonem Corſicæ Epiſcopum, Alerienſis Eccleſiæ Viſitatorem, ſcribit idem Gregorius: *Cunctis Eccleſiæ rebus ut proprium te volumus* L. 1. Epiſt. 76. *uti Pontificem*. Illi aſſignat omnes Epiſcopi proventus. Quod nempe inops eſſet Eccleſia & deſolata. Quod ipſum repetit in litteris ad ejuſdem Eccleſiæ Clerum & Populum, rogans Leoni Ep. 79. nullum hac in re interponi obicem. Et pro Paulo Neapolitanæ Eccleſiæ Viſitatore ſcribit ad Petrum ſuum Subdiaconum, Apoſtolici in Campania L. 2. indict. 11. Ep. 35. Patrimonii Rectorem: *Paulo fratri & Coepiſcopo noſtro centum ſolidos, & unum puerulum orphanum, quem ipſe elegerit, pro labore ſuo de eadem Eccleſia facias dari*. Et ad Leontium Urbinatem Epiſcopum, Ariminenſis Eccleſiæ pro Caſtorio Epiſcopo infirmo Viſitatorem: *Quidquid* L. 4. Epiſt. 42. *de reditibus Eccleſiæ acceſſerit, quatuor juxta conſuetudinem oportet fieri portiones. Unam ſcilicet quæ Clero præbenda ſit, aliaque quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus. Unam ſartis tectis profuturam, aliam pro ſuſtentatione ſua Caſtorio Epiſcopo dirigendam, reliquam tibimet retinendam*. Quòd nempè ſola Epiſcopalis quarta duobus non ſufficeret. Et adjungit Pontifex: *Comperimus aliquid annonæ te de publico conſequi, & hac ex re verecundia comprimi, atque in cauſis Eccleſiæ vel defenſione pauperum, ut congruit, non eſſe efficacem. Propterea abſtinendum eſt ab hoc quod verecundiam incutit, & ſtipendiis, quæ ab Eccleſia conſequeris, debes eſſe contentus*. Addit minas in hujus mandati prævaricationem. Multorum indigam Caſtorii infirmitatem miſeratus Ariminenſis Senatus Viſitatori ſtipendium de publico adſcripſerat: Verùm ob adductas rationes Pontifex judicavit non expedire. Et de vacante Salonitana Eccleſia ſcripſit ad Antonium ſuum Subdiaconum, Apoſtolici in Dalmatia Patrimonii Rectorem: *Expenſa, quæ neceſſaria fuerit, per Œconomum, qui tempore* L. 2. indict. 11. Ep. 22. *mortis Epiſcopi inventus eſt, erogetur, quatenus rationes ſuas futuro Epiſcopo exponat*. Viſitatoris impenſas vult ex ſola, dum quidem ſufficerit, Epiſcopi portione deſumendas. Cujus Regulæ tenaces adeò fuerunt Cathedrales Cantuarienſis Eccleſiæ Monachi, ut ſuo Viſitatori Roffenſi Epiſcopo nec hoſpitium voluerint concedere. Ita ſuprà audivimus ab authenticis teſtibus. Quem omnem morem viguiſſe etiam in Gallia, docet ſecunda Aurelianenſis Synodus: *Epiſcopus, qui defunctum advenerit ſepelire,* Can. 5. *præter expenſam neceſſariam nihil pro fatigatione depoſcat*. Et ejuſdem loci quinta Synodus: *Viſitator nihil de rebus Eccleſiæ præter humanitatem, ſeu rationabiles impenſas, præſumat auferre*. Per res Eccleſiæ intelligit portionem Epiſcopalem. Can. 8.

Quæſtio ſexta eſt, A quo Viſitator ſit dandus? Facundus Hermianenſis Epiſcopus credidit eligi poſſe ab ipſa vacante Eccleſia. A vacante Nazianzena Eccleſia, ac ejus olim Vicario Sancto Gregorio exiſtimat fuiſſe electum Theodorum Epiſcopum Mopſueſtenum: *Cùm ætate* L. 7. c. 7. *confectus Beatus Gregorius longa quoque ægritudine laboraret, & ob hoc ſe cauſaretur onus Eccleſiæ ſuæ*

ferre

ferre non poſſe, neque Apollinarianis gregem Dei vaſtantibus pro eadem gemina debilitate reſiſtere, Epiſcopatus curam depoſiturus, & relicta ſua civitate cum Monachis in rure victurus, ubi etiam defunctus eſt, Theodorum de toto Oriente in defenſionem & viſitationem Eccleſiæ ſuæ delegit, non aliud caput illam Provinciam habere teſtificans, cujus flagitaret auxilium. Adducit Gregorii Epiſtolam, ex ipſa probat Theodorum etiam à tanto viro judicatum Catholicum, ideoque in tanti nominis pace defunctum non poſſe vocari in judicium, longè minus uti Hæreticum condemnari. Ejuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Sanctus Petrus Damiani, vacantem Faventinam Eccleſiam adhortans ad bonam electionem, & ſubjungens: *Ego interim, ſi præcipitis, in veſtrum ſervitium veniam, & vel in conſignandis pueris, vel in aliis Epiſcopalibus officiis, pro charitate Dei & veſtra, forſitan aliquantulum laborabo.* Lucidè ſupponit Viſitatorem ab ipſa Eccleſia eligendum. L. 5. Epiſt. 10.

Reſpondeo Facundum inſigniter hallucinari. Neque enim Mopſueſtienſis in ſecunda Cilicia: ſed Thyanenſis Epiſcopus ac ſecundæ Cappadociæ Metropolita fuit iſte Theodorus. Eum enim eſſe ſuæ Provinciæ Caput dicit Gregorius. Quod nempè nuper in Sancti Baſilii odium Imperator Valens Cappadociam diviſiſſet in duas, & ſecundæ, in qua Nazianzum, Metropolim ſanxiſſet eſſe Thyanam. Ex quo colore Cappadoci ad Ponti Exarchatum ſpectanti Eccleſiæ è ſecunda ad Antiochenum Patriarchatum ſpectante Cilicia quæreretur Viſitator? Numquam Nazianzenus, ſed Sazimorum dumtaxat in prima Cappadocia Epiſcopus fuit Gregorius. Verùm quòd illum à Sancto Baſilio noviter erectum ac litigioſum Epiſcopatum nollet admittere, rediit Nazianzum, ſenis ſui Patris Gregorii ibidem Epiſcopi egit Vicarium, ipſoque defuncto manſit Eccleſiæ Viſitator. Hinc Conſtantinopolim abiit, Orthodoxam fidem ibidem reparavit, atque ab illa cura per generalem Orientis Synodum abſolutus rediit in Patriam, ac in hæreditario Arianzi pagi fundo egit Monachi vitam. Et interim vacabat, & à graſſantibus Apollinariſtis ac Arianis graviter periclitabatur Nazianzena Eccleſia. Hinc igitur ille Theodorum Metropolitam monuit, rogans tandem eligi Cardinalem Epiſcopum, ac interim dari defenſorem ac Viſitatorem. Nimius pro Mopſueſtienſi Theodoro zelus fecit ex ejuſdem nominis occaſione doctiſſimum Facundum hallucinari. Nec mirum: Doctiſſimos enim duodecim libros ſcripſit ſine libris ex ſola memoria. Eundem errorem in Edicto ſuo etiam Juſtinianus Auguſtus, & in ſuis adversùs Mopſueſtienſem Actis quinta Synodus notarunt. Quòd Petri Damiani tempore vacantes Eccleſiæ ſibi Viſitatorem eligerent, facilè crediderim. Jacebat enim tunc Eccleſiaſtica diſciplina, quam circa hunc quoque articulum reformavit ſeptimus Gregorius, ſanciens Viſitatores à Metropolitana Sede dirigendos.

Et hanc eſſe antiquiſſimam Regulam docet per Facundum laudata Sancti Gregorii Nazianzeni Epiſtola. Etiam Ruſpenſis Eccleſiæ Viſitatorem fuiſſe datum à Byſacii Primate, ſupra audivimus à Ferrando Diacono. Et vacanti ad Cornelii forum Eccleſiæ Viſitatorem dedit Metropolita Sanctus Ambroſius. Et vacanti per Contumelioſi Epiſcopi degradationem, Reienſi Eccleſiæ Viſitatorem dari per Sanctum Cæſarium Metropolitam Arelatenſem juſſit Pontifex Joannes ſecundus. Quod ipſum ſupponunt Reienſis Synodus, quinta Aurelianenſis, & Hiſpanorum Valentina. Et cunctis Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, Campaniæ, & vicinarum Provinciarum Eccleſiis Viſitatores dedit Magnus Gregorius, quòd tunc Romanus Epiſcopus eſſet ipſarum Metropolitanus. Quod ipſum aſſiduè clamant antiquæ Epiſcopalium promotionum formulæ apud Jacobum Sirmondum. Etiam Caturcenſis Eccleſiæ de Gualberti electione Decretum. Addit Metropolitanæ Eccleſiæ Viſitatorem ab omnibus Comprovincialibus dandum. Excipe tamen Viſitatores natos, quales in Cantuarienſi Roffenſem, in Lugdunenſi Eduenſem, ac in Eduenſi Eccleſia dixi fuiſſe Epiſcopum Lugdunenſem. Hi nullius creatione aut delegatione indigebant. Porrò de vacante per Erpuini Epiſcopi mortem Sylvanectenſi Eccleſia ſcripſit in laudatis formulis ad Carolum Calvum Francorum Regem Hincmarus Metropolita Remenſis: *Dignetur mihi Dominatio veſtra ſignificare, quem vultis de Coepiſcopis noſtris ut ei litteras Canonicas dirigam, & Viſitatoris officio fungatur.* Et per Hincmari mortem vacans Remenſis Eccleſia, non ſolùm apud Provinciæ Epiſcopos, ſed etiam apud Regem fuit accuſata, quòd ſine Viſitatore electionem attentaſſet. Et in formula, qua vacantem Eccleſiam ad Canonicam electionem ſolebat exhortari, Viſitator Epiſcopus profitetur ſe miſſum à Rege. Nempè Regum conſenſum, immò & perſonæ deſignationem etiam in hoc puncto vigere Francorum Reges voluerunt. Epiſt. 1. Epiſt. 5. Epiſt. 6.

Quæſtio ſeptima eſt, Quomodo in præſenti Canone noſter ſeptimus Gregorius dicat Viſitatorem à Sede Apoſtolica, vel à Metropolita eſſe dirigendum? An hæc directio ſit mixtæ juriſdictionis, & detur locus præventioni? Reſpondeo non dari. Romana Provincia ex Apoſtolico Canone fuit longè vaſtiſſima, comprehendens omnem Thuſciam, Æmiliam, Campaniam, Picenum, Brutios, Apuliam, Calabriam, Corſicam, Siciliam: Harum omnium Provinciarum unicus Metropolita erat Epiſcopus Romanus. Romanus Epiſcopus omnium ſub cœlo Eccleſiarum ac Synodorum judicia, appellationes, conſultationes & quaſvis graviores cauſas diſcutere, ac probare vel improbare debet, ideoque ampliſſima eget Synodo. Eam primus contraxit Sanctus Leo Magnus, ad Valentiniani tertii Imperiales preces Ravennam, quòd Regia tunc eſſet Civitas, evehens in Eccleſiaſticam Metropolim. Attamen ſalvis Romanæ Cathedræ antiquis in ipſam juribus. Ea, inquam, lege ut nec novus hic Metropolita à ſuis Comprovincialibus, ſed veteri more ordinaretur Romæ à Domino Papa, nec ipſe ſuos ordinaret Comprovin-

cia-

ciales, aut ſanè non niſi ad prævia m Papæ confirmationem. Uti laudatæ Regiones ad Metropoliticam, ita omnes ſeptemdecim Illyricianæ Diœceſios Provinciæ ex Apoſtolico Canone ſpectant ad Patriarchicam Romani Epiſcopi poteſtatem. Et ita fuit uſque ad Imperium & hæreſim Leonis Iſauri. Hic ſuam Iconoclaſtiam de Gregorio ſecundo vindicaturus, omnes iſtas gentes violenter abſtulit, ac tranſcripſit in Patriarchicum jus Epiſcopi Conſtantinopolitani. Et quo novitatem firmaret, Syracuſas erexit in Eccleſiaſticam Siciliæ Metropolim, ac Italiam implevit novis & modicis Epiſcopis, quorum Metropolitas accedere juſſit ad Conſtantinopolitani Patriarchæ manus, & juxta vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem in Regia urbe conſecrari. Et licet apud ſeptimam Adrianus primus, apud octavum Synodum Adrianus ſecundus, aliique Pontifices frequentiſſimè reclamaverint, à Græcis tamen nihil obtinuerunt. A variis eorum Imperatoribus habemus Archiepiſcopum Neapolitanum, Tarentinum, Rhegienſem, Hydruntinum, & alios. Ejectis Græcis ſucceſſerunt Nortmanni, qui Eccleſias quidem reddiderunt Pontifici, erectas tamen illic Cathedras non exſtinxerunt, nec ipſarum ſeu Provinciales ſeu Metropolitas Epiſcopos per Papalem manum, ſed à ſeſe mutuo juſſerunt conſecrari. Ita fuit uſque ad Regnum Guilielmi primi, de quo Robertus Abbas Montenſis: *Guilielmus cum Papa Adriano quarto pacem fecit, concedendo ei conſecrationes Epiſcoporum Regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit Romana Eccleſia, undè diſcordia fuerat intra Patrem ſuum Rogerium Regem, & Innocentium ac Eugenium Romanos Pontifices*. Quod ipſum ſcribunt Radulphus de Diceto, ac Matthæus Pariſienſis. Nec Innocentius ſecundus, nec Eugenius tertius erectas à Græcis Metropoles voluere dejectas: Permiſerunt ſuſtineri, verùm ſalvis ſuæ Cathedræ Apoſtolicis juribus, quæ omnes iſtos Epiſcopos jubent Romæ conſecrari. Voluerunt ipſas eſſe quaſi ſolo nomine & honore Metropoles, palmares autem Metropoliticæ poteſtatis articulos ſibi ex antiquo more reſervari. Et hoc conceſſit Rex Guilielmus. Et ejuſmodi Metropoles in Italia ipſi etiam Pontifices poſteà erexerunt. Et inter reſervatos articulos omninò fuit donatio Viſitatoris. Nam quòd Severo Ficoclino Epiſcopo Magnus Gregorius *Ravennatis Eccleſiæ viſitationem commiſerit ſecundùm priſcam conſuetudinem*, ejus in vita teſtatur Joannes Diaconus. Quòd etiam ſuffraganeis iſtius Cathedræ Eccleſiis Viſitatores dederit Magnus Gregorius, demonſtrant ejus epiſtolæ. Et conſecratio & Viſitatoris donatio videntur ſpectare ad eundem. Hinc iſta Regula longè magis valuit in iſtis Provinciis, quarum Suffraganeos Papa etiam conſecrabat. His Viſitatorem eſſe à Papa dandum edicit ſeptimus Gregorius.

A. 1157.

L. 4. c. 5.

Octava quæſtio eſt, An ſolis vacantibus Eccleſiis poſſit dari Viſitator? Reſpondeo negativè. Conſuevit dari etiam in tribus aliis caſibus. Primus eſt, dum Epiſcopus eſt ab officio ſuſpenſus. Ita à Donatiſtis, dum Cæcilianum ante damnationem ſuſpenderent, Carthaginenſi Eccleſiæ datum fuiſſe Viſitatorem, ſuprà nobis dixit Sanctus Auguſtinus. Et non ſolùm Eulalium invaſorem, ſed & Sanctum Bonifacium primum legitimum Pontificem, quòd utriuſque contentioſa electio videretur ambigua, ab officio ceſſare juſſit Imperator Honorius uſque ad datum Synodale judicium, ac interim Achillem Spoletinum Epiſcopum direxit Romanæ Eccleſiæ Viſitatorem. Latè hæc habes apud Symmachum Urbis Præfectum in epiſtolarum Auctario. Et dum Symmachum per quatuor jam annos pacificum Pontificem quidam accuſarent de multis, ideoque ſuum ſchiſma adversùs illum reſumeret Laurentius, à Romanæ Eccleſiæ Clero & populo interpellatus Theodoricus Italiæ Rex fecit quod in libro Pontificali ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Feſtus & Probinus Senatores miſerunt relationem Regi, & cœperunt agere ut Viſitatorem Rex daret Sedi Apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ civitatis Epiſcopum*. Alter caſus eſt, dum per Synodum degradatus Epiſcopus Romam appellat. Licet enim huic appellationi ſuſpenſivum etiam effectum tribuant Sardicenſes Canones, degradatio tamen non caret omni interim effectu. Degradatus uſque ad definitivum Papæ judicium manet ab officio ſuſpenſus, nec poteſt adminiſtrare. Et hinc Contumelioſi Rejenſis Epiſcopi, qui Synodaliter damnatus Romam provocaverat, Eccleſiæ Viſitatorem dari per Sanctum Cæſarium Arelatenſem Metropolitam juſſit Joannes ſecundus, ejuſque Succeſſor Agapetus confirmavit. Tertius caſus eſt longa Epiſcopi infirmitas. Ita Ariminenſi Eccleſiæ ob longam Caſtorii Epiſcopi infirmitatem dedit Viſitatorem Leontium Urbinatem Epiſcopum Magnus Gregorius.

Ep. 25. 26. 28.

Et hinc naſcitur nona quæſtio, Quare de Petro Altino Epiſcopo ac Romanæ Eccleſiæ dato Viſitatore addat Anaſtaſius Bibliothecarius? *Quod Canones prohibent*. Et infra: *Symmachus facta Synodo purgatur à crimine. Et damnatur Petrus Altinas, invaſor Sedis Apoſtolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia vivo Epiſcopo Symmacho pervaſerunt Sedem ejus*. Petrus, licet tantùm Viſitator, damnatur ante Anti-Papam Laurentium. Et primæ Symmachi Pontificis ad indictam hac de cauſa Synodum preces fuerunt, *ut Viſitator, qui contra Religionem, contra Statuta Veterum, vel contra Regulas Majorum, à parte Cleri vel aliquibus Laicis fuerat poſtulatus, ex ordinatione Antiſtitum, ſicut decebat ſanctum Propoſitum, prima fronte auferretur*. Quæſtio eſt, Quiſnam Canon vetet Romanæ Eccleſiæ dari Viſitatorem? Severini Binii marginale ſcholion habet. *Viſitatorem Rex poteſtate abuſus, ut ſeditionibus occurreret, dederat*. Exiſtimat non ipſum Viſitatorem, ſed ejus Laicam intruſionem damnari. Alii putant Romanæ Eccleſiæ, non unicum, uti Cantuarienſi & Lugdunenſi, ſed ſeptem fuiſſe Viſitatores natos: Utique ſeptem Cardinales Epiſcopos, quorum ſemper fuit Romæ Divina in dies officia per vices celebrare. Reſpondeo veram damnati Petri Altini cauſam edici à Primatibus præfatæ Synodi

Epiſcopis : *Pontifices , quibus allegandi imminebat occaſio , ſuggeſſerunt ipſum , qui dicebatur impetitus debuiſſe Synodum convocare , ſcientes quia ejus Sedi primum Petri Apoſtoli meritum vel Principatus, deindè juſſionem Domini ſecuta Conciliorum venerandorum auctoritas , ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem , nec antedictæ Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio in propoſitione ſimili , facilè forma antiqua teſtaretur .* A quibuſdam Clericis & Laicis poſt quatuor annorum pacificum Epiſcopatum paſſus fuit iſtud ipſum Symmachus, quod à quinque factioſis Presbyteris & univerſa Pſeudo-Diaconi Feliciſſimi factione poſt triennii pacificam ſedem toleraverat olim Sanctus Cyprianus. Uterque de variis & electionis & adminiſtrationis vitiis fuit accuſatus. Et hujus in thronum intruſerunt Fortunatum, iſtius in ſedem ſeditioſi revocarunt nuperum Anti-Papam Laurentium , tunc Epiſcopum Nucerinum . Hinc factum eſt quod ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius : *Et fecerunt ſchiſma . Et diviſus eſt iterùm Clerus . Nam alii communicaverunt Symmacho , & alii Laurentio .* Hinc à Feſto & Probino perſuaſus Rex , quo urbem ſervaret à turbis & ſeditionibus, indixit totius Italiæ Synodum, utrumque ſuſpendit uſque ad definitivum ab illa judicium , ac interim Petrum Altinum Epiſcopum dedit Romanæ Eccleſiæ Viſitatorem . Facere ſe credidit iſtud ipſum , quod in Bonifacii & Eulalii cauſa fecerat Imperator Honorius . Verùm intercedebat largum diſcrimen . Bonifacii heſterna & turbida, Symmachi electio jam per quatuor annos erat pacifica , ipſamque & Laurentius agnoverat , miſericordiæ intuitu donatus & contentus Epiſcopatu Nucerino. Hinc ante Synodale judicium extrudi, ſuſpendi, ſpoliari non poterat Symmachus, Bonifacius à poſſeſſionis ingreſſu poterat impediri. Item per contentioſam & dubiam electionem nutante Bonifacio Honorius poterat, per quadriennii pacificum Epiſcopatum firma ac certa Symmachi ſede Theodoricus non poterat convocare Synodum, ſed lucidè id ſpectabat ad ipſum Pontificem. Deindè convocata erat ſolius Italiæ Synodus, de qua ad ſecundam ſuam Romanam dixit Felix Papa tertius: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas colliguntur Domini Sacerdotes , conſuetudo retinetur , ut Succeſſor Præſulum Apoſtolicæ Sedis ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum cuncta conſtituat , qui caput eſt omnium .* Quidquid ſit de univerſali totius Eccleſiæ Synodo , Italicam Synodum pleno jure ſubeſſe Pontifici, ac ſine ipſo aut adversùs ipſum nihil penitus poſſe, eſt longè certiſſimum, & nullus umquam de hoc hæſitavit . Et in hæc omnia Petrus Altinus Epiſcopus manifeſtè deliquit. Fecit iſtud ipſum Symmacho, quod Novatus fecerat Sancto Cypriano. Hinc non quamvis Romanæ Eccleſiæ, ſed hanc ejus ſolam viſitationem eſſe contra Canones, & ejus uſurpatorem Epiſcopum eſſe Apoſtolicæ Sedis invaſorem, rectè dixit Anaſtaſius Bibliothecarius, & Petrum tamquam talem meritò laudata Synodus degradavit . Septem Cardinales Epiſcopos eſſe Romanæ Eccleſiæ Viſitatores natos omninò exiſtimo . Verùm quòd Papalis electio ſit in ipſorum præſertim manibus, in quavis circa illam diſcordia vix poſſint non eſſe ſuſpecti, ideoque alium tunc Viſitatorem dandum judicarunt & Honorius & Theodoricus. Nam ſimili ex cauſa Malchum Epiſcopum ad Salonitanæ Eccleſiæ L.1.indict. 11. Ep.22. viſitationem declaravit inhabilem Magnus Gregorius. Præterea an iſta Cardinalium Epiſcoporum poteſtas ſit adeò antiqua, non plenè conſtat.

Quæſtio decima eſt , Quando ceſſarint Viſitatores, & quando vacantes Eccleſiæ cœperint per ſolum Capitulum aut ejus Vicarium adminiſtrari ? Reſpondeo illos ad Regiæ nominationis ingreſſum cœpiſſe deficere . Palmare enim ipſorum officium, nempè novi Epiſcopi electionem dirigere, per Regias nominationes fuit penitus evacuatum. Et hinc vacantis Faventinæ Eccleſiæ Capitulo Sanctus Petrus Damiani obtulit ſemetipſum in Viſitatorem. Quòd nempè Metropolitæ nullos tunc conſtituerent . Et hinc ipſos unà cum Canonicis electionibus reparare Gregorius noſter eſt conatus. Verùm res non ſucceſſit. Etenim in variis Alexandri tertii ac Innocentii tertii de electionum forma Synodis ac Decretis nullam habemus memoriam Viſitatorum . Immò nec in Decretis Urbani ſecundi aut ſecundi Paſchalis, qui noſtro Gregorio proximè ſucceſſerunt. Interim non fuiſſe plenè abolitos docet Bonifacius octavus, ſtatuens defuncti aut captivi Epiſcopi Eccleſiam, non per Metropolitam, ſed adminiſtrandam per Capitulum, atque adjungens : *Eccleſiæ Cathedrali vacanti* L.1.tit.8. c.3.4. *Viſitator ab alio, quàm à Romano Pontifice deputari non poteſt. Niſi fortè Capitulum in ſpiritualibus & temporalibus negligenter aut perperam adminiſtrat. Tunc enim Archiepiſcopus ob negligentiam vel malitiam Capituli eo vocato cauſæque ſuper hoc cognitione præmiſſa , Viſitatorem ſeu Adminiſtratorem eidem Eccleſiæ licitè poterit deputare . Hujuſmodi quoque Viſitator , quamquam ſpiritualium & temporalium adminiſtrationem legitimam cenſeatur habere , beneficia tamen , quæ ad collationem pertinent Epiſcopi, conferre non poteſt, ſi ab alio quàm à Romano Pontifice fuerit deputatus .* Et hoc quidem eſt Eccleſiæ noviſſimum de Viſitatoribus Decretum. Licet illos cum Adminiſtratoribus confundere videatur Bonifacius , multa tamen inter ipſos eſt differentia, ſuo loco exponenda.

Non ſolùm à Regibus invaſum nominandi jus, ſed & faciendæ electionis petendam ab ipſis licentiam præſens Canon abolet & circumducit . Eligendi licentiam mandat à Papa peti, vel à Metropolita. Uti enim quorumdam Provincialium Epiſcoporum confirmatio & conſecratio ad hunc, quorumdam ad iſtum ſpectat per Canonem aut conſuetudinem , ita & donanda eligendi facultas. Epiſcoporum electiones ab omni Laica ſervitute emancipatas voluit optimus Pontifex, ac plenè redditas avitæ libertati . Nec ſine fundamento . Quòd enim quævis Laica in Antiſtitum electiones violentia , ac præſertim Regia ipſorum nominatio, & Eccleſiam & Rempublicam involvat plurimis & graviſſimis diſciplinæ ſordibus ac damnis , jam frequenter oſtenſum eſt , & videre poſſis apud Martinum

tinum Cromerum Warmienſem Epiſcopum in vigeſimo quinto libro de rebus Polonorum. Hæc Eccleſiæ libertas fuit omninò digna, ut ob ipſam noſter Gregorius excommunicaverit Henricum Imperatorem, & ipſe poſt duriſſimas calamitates ſit in exilio defunctus.

Eligendi vel confirmandi jus ob fixi à ſacris Canonibus temporis lapſum, vel ob datum indigno ſuffragium devolvi ad ſuperiorem Prælatum eſt antiqua Regula. Etenim in novella ad Petrum Officiorum Magiſtrum lege ſcribit Imperator Juſtinianus: *Si qui debent eligere Epiſcopum, citiùs ipſa Decreta intra ſex menſes non faciant, tunc periculo propriæ animæ ille, quem competit ordinare Epiſcopum, ordinet.* Quam legem laudat in Nomo-Canone Photius. In ſuis ad ipſum notis Theodorus Balſamon addit dictam legem non contineri in Baſilicis, addit tamen innovatam & confirmatam à Conſtantinopolitano Patriarcha Michaele Cerulario, atque eundem in ſenſum fuiſſe interpretatum vigeſimum quintum Canonem Chalcedonenſem. Verùm hic negligentem Metropolitam dumtaxat correptioni ſubjicit, non meminit devolutionis. Quidquid ſit, legem ſuam Imperator Juſtinianus omninò deſumpſit ex aliquo anteriori Canone. Eundem

Leg. 123. cap. 1. Tit. 9. c. 1.

laudat in Canonica ad Belluacenſis Eccleſiæ Clerum & populum Epiſtola Hincmarus Metropolita Remenſis: *Prænoſcere vos volo, quia ſi perſonam à ſacris Canonibus deviam ſcienter nobis adduxeritis, non ſolùm ex ea Pontificem non habebitis, verùm etiam pro illicita electione ut contemptores Canonum judicium incurretis. Sed & noſtro & Coepiſcoporum noſtrorum judicio refutata electione veſtra incongrua, talem ſecundùm Laodicenſes Canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non valeat conſentire.* Exſtat Epiſtola apud Jacobum Sirmondum in Galliæ Conciliis inter Epiſcopalium promotionum formulas. Eadem de re, ac de eodem Clero & populo, qui imperitum ac improbum Fromondum elegerant in Epiſcopum, ſcribit cum univerſa apud Sanctam Macram Synodo idem Hincmarus: *Perdiderunt electionem, ſicut oſtenſum eſt illis in Synodo, & per ſacras Regulas non ulterius illorum, ſed Epiſcoporum eſſe electionem, quam non præire ſcirent, ſed ſubſequi, & non ſe ab ea debere excidere. Et nunc contra Regulas & leges ſine Viſitatore præſumpſerunt electionem.* Verbum, *Scirent*, aut aliud ſimile eſt omninò ſupplendum. Hunc ergo antiquum Canonem hìc innovat noſter Gregorius.

Ep. 12. c. 6.

Excommunicatio Regis HENRICI.

BEate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu Beate Paule Doctor gentium, dignamini, quæſo, aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire. Quia veritatis eſtis Diſcipuli & Amatores, adjuvate, ut veritatem vobis dicam, omni remota falſitate, quam omninò deteſtamini, ut Fratres mei meliùs mihi acquieſcant, & ſciant, & intelligant, quia ex veſtra fiducia poſt Dominum & Matrem ejus ſemper Virginem MARIAM pravis & iniquis reſiſto, veſtris autem fidelibus auxilium præſto. Vos enim ſcitis, quia non libenter ad ſacrum Ordinem acceſſi, & invitus ultra Montes cum Domino Papa Gregorio abii; ſed magis invitus cum Domino meo Papa Leone ad veſtram ſpecialem Eccleſiam redii, in qua utcumque vobis deſervivi. Deinde valdè invitus, cum multo dolore, & gemitu ac planctu, in throno veſtro valdè indignus ſum collocatus.

Hæc ideò dico, quia non ego vos, ſed vos elegiſtis me, & graviſſimum pondus veſtræ Eccleſiæ ſupra me poſuiſtis. Et quia ſuper montem excelſum juſſiſtis me adſcendere, & clamare atque annuntiare populo Dei ſcelera eorum, & filiis Eccleſiæ peccata eorum, membra Diaboli contra me cœperunt inſurgere, & uſque ad ſanguinem præſumpſerunt in me manus ſuas injicere. Adſtiterunt enim Reges terræ, & Principes ſæculares, & Eccleſiaſtici, & Aulici, & Vulgares convenerunt in unum adversùm Dominum, & adversùm vos Chriſtos ejus, dicentes: Dirumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis jugum ipſorum. Et ut me omninò morte, vel exilio confunderent, multis modis conati ſunt in me inſurgere.

Inter

Inter quos ſpecialiter Henricus, quem dicunt Regem Henrici Imperatoris filium, contra veſtram calcaneum erexit Eccleſiam, facta cum multis Epiſcopis Ultra-Montanis & Italicis conſpiratione, annitens me dejiciendo eam ſibi ſubjugare: Cujus ſuperbiæ veſtra reſiſtit auctoritas, eamque noſtra deſtruxit poteſtas. Qui confuſus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, abſolutionem ab excommunicatione quæſivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de ſuæ vitæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi, non tamen Regno, à quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauravi: Nec fidelitatem omnium, qui ſibi juraverant, vel erant juraturi, à qua omnes abſolvi in eadem Synodo, ut ſibi ſervaretur præcepi.

Et hæc ideò detinui, ut inter eum & Epiſcopos, vel Principes Ultra-Montanos, qui ei cauſa juſſionis veſtræ Eccleſiæ reſtiterant, juſtitiam facerem, vel pacem componerem, ſicut ipſe Henricus per duos Epiſcopos mihi promiſit.

Prædicti autem Epiſcopi & Principes Ultra-Montani, audientes illum non ſervare mihi quod promiſerat, quaſi deſperati de eo, ſine meo conſilio, vobis teſtibus, elegerunt ſibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rex Rudolphus feſtinanter ad me miſſo nuntio indicavit ſe coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, tamen ſeſe paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut hoc veriùs credatur, ſemper ex eo tempore eundem mihi miſit ſermonem, adjiciens etiam filio ſuo obſide, & fidelis ſui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat firmare.

Intereà Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rudolphum adjuvarem. Cui reſpondi me libenter facere, audita utriuſque partis ratione, ut ſcirem, cui juſtitia magis faveret. Ille verò putans ſuis viribus eum poſſe devincere, meam contempſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe, ſicut ſperavit, agere, duo Epiſcopi, Virdunenſis videlicet, & Oſemburgenſis, de conſentaneis ſuis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici me, ut eis juſtitiam facerem, rogaverunt. Quod & Nuntii Rudolphi fieri laudaverunt. Tandem adſpirante Deo, ſicut credo, ſtatui in eadem Synodo, in partibus Ultra-Montanis fieri colloquium, ut illic aut pax ſtatueretur, aut cui ampliùs juſtitia faveret, cognoſceretur. Ego enim, ſicut vos mihi teſtes eſtis Patres & Domini, uſque hodie nullam partem diſpoſui adjuvare, niſi eam cui juſtitia plus faveret. Et quia putabam, quòd injuſtior pars colloquium nollet fieri, ubi juſtitia ſuum locum ſervaret, excommunicavi, & anathemate alligavi omnes perſonas, ſive Regis, ſive Ducis, aut Epiſcopi, aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non fieret. Prædictus autem Henricus cum ſuis fautoribus non timens periculum inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & ſeipſum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Chriſtianorum morti tradi, & Eccleſias fecit diſſipari, & totum penè Theutonicorum Regnum deſolationi dedit. Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, ſæpè

nomi-

nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſque fautores ejus, excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculis alligo: Et iterùm Regnum Theutonicorum & Italiæ, ex parte Omnipotentis Dei & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem & dignitatem illi Regiam tollo, & ut nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat, interdico, omneſque qui ei juraverunt, vel jurabunt de Regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rudolphus Regnum Theutonicorum regat & defendat, quem Theutonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem, ex parte veſtra dono, largior, & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, noſtramque benedictionem in hac vita & in futura, veſtra fretus fiducia largior. Sicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, inobedientia, & falſitate, à Regni dignitate juſtè abjicitur, ita Rudolpho pro ſua humilitate, obedientia, & veritate, poteſtas & dignitas Regni conceditur. Agite nunc, quæſo, Patres & Principes ſanctiſſimi, ut omnis mundus intelligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in Cœlo ligare & ſolvere, poteſtis in terra Imperia, Regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus frequenter tuliſtis pravis & indignis, & Religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiritualia judicatis, quid de ſæcularibus vos poſſe credendum eſt? Et ſi Angelos dominantes omnibus ſuperbis Principibus judicabitis, quid de illorum ſervis facere poteſtis? Addiſcant nunc Reges, & omnes ſæculi Principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis. Et timeant parvi pendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tam citò judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuitu, ſed veſtra poteſtate cadet. Confundantur, utinam ad pœnitentiam, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini. Acta Romæ, nonis Martiis, indictione tertia.

SCHOLION.

HEnrici Regis plena degradatio erat opus arduum. Hinc ipſum peracturus Gregorius invocat Sanctorum Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum: Profitetur ſe non humano motu, ſed acturum ex ipſorum authoritate ac divino Privilegio, cui nemo Chriſtianus poſſit obſiſtere. Iſtam invocationem eſſe antiquiſſimum morem ſuadent verba Firmiliani Cæſarienſis apud Cappadoces Archiepiſcopi in litteris ad Sanctum Cyprianum: *Eos qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtrà Apoſtolorum*, utique Petri & Pauli, *authoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt.* Agit in Sancti Stephani Pontificis adversùs rebaptiſmum Decreta, quæ ille Sanctorum Petri & Pauli authoritate videtur muniviſſe. Et hinc forſan Sanctus Irenæus, Euſebius Cæſarienſis, Sanctus Epiphanius, aliique antiqui Patres frequenter aſſerunt Romanos Pontifices Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo ſuccedere: Utique in prædicationem & doctrinam, è quo fonte ſua iſti Decreta & dogmata præſertim hauriebant. Nec enim iſta loca ſuadent utrumque Apoſtolum fuiſſe Cardinalem Epiſcopum Romanorum. Apoſtolicarum Conſtitutionum Author affirmat in Antiochena Eccleſia Sanctum Evodium à Sancto Petro, Sanctum verò Ignatium fuiſſe ordinatum Epiſcopum à Sancto Apoſtolo Paulo. Et in primo Annalium tomo Dominus Cardinalis Cæſar Baronius commentatur: *Legimus apud Clementis Conſtitutiones, quibus interdum uſi ſunt viri* A. 45. *ſanctiſſimi, necnon eruditiſſimi, Antiochenæ Eccleſiæ à Petro Evodium, Ignatium verò à Paulo eſſe creatos Epiſcopos. Nec ſanè unum poſt alium, ut de cæteris ibi dicitur, ſed ſimul. Quod tunc quidem factum fuiſſe videtur, cùm diſſenſio illa inter fideles qui ex circumciſione, & eos qui ex Gentibus ad fidem venerant, eſſet concitata. Quocirca quamdiu illa perduravit, illud remedium fuiſſe adhibitum, ut*

uterque ſederet, alterque eorum præeſſet iis qui ex Gentibus ad Eccleſiam veniſſent. Verùm eo tandem ſublato diſtinctionis pariete, ſub uno eodemque Paſtore utraque collecta Eccleſia, non ampliùs duobus, ſed uno tantùm fuit opus Epiſcopo. Diverſa ac in ſpeciem adverſa Patrum de Evodii ac Ignatii Epiſcopatu teſtimonia hac via conciliat. Alii enim Evodium, alii Patres affirmant Sancto Petro in iſtam Cathedram ſucceſſiſſe Ignatium. Quæ concordia an ſubſiſtat, eſt multæ quæſtionis. Certè quòd quævis Eccleſia ab ipſo Divino jure jubeatur habere dumtaxat unicum Epiſcopum, fre-
Ep. 52. quenter affirmat, ac lucidè demonſtrat Sanctus
55. 69. Cyprianus.

Abſit ut Petrus & Paulus iſtam regulam læſerint in ipſo Evangelii exordio, aut diſpenſarint. Quidquid ſit, talis idiviſio numquam fuit Romæ: Sanctus Paulus numquam fuit illic Epiſcopus. Hinc enim laudatus Cyprianus frequenter & conſtanter ſcribit univerſalem Eccleſiam non ſuper Petri & Pauli, ſed ſuper ſolius Petri Cathedram fundari. Et de Sancto Stephano Papa ſcripſit ad eundem Cyprianum Firmilianus Cæſarienſis in Cappadocia Primas: *Stephanus de Epiſcopatus loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit*. Et in publicatis per Jacobum Sirmondum litteris ad Zenonem Imperatorem
Epiſt. 4. ſcribit Felix III. *Hæc ego, beati Petri qualiſcumque Vicarius, non authoritate velut Apoſtolicæ Poteſtatis extorqueo, ſed tanquam ſollicitus Pater fidenter imploro*. Et infrà: *In me qualicumque Vicario beatus Petrus Apoſtolus hæc expoſcit*. Eodem modo in datis, quas item cum Theodoſiani codicis appendice vulgavit idem Sirmondus, ad univerſalem Eccleſiam litteris ſemetipſum titulat Papa Vigilius. Porrò eſſe Sancti Petri Vicarium, non eſt aliud, quàm eſſe ejus in Romano Epiſcopatu ſucceſſorem. Ita ad Sanctum Stephanum Papam ſcripſit Sanctus Cyprianus: *Vicarius & ſucceſſor ſanctorum Cornelii & Lucii factus es*. Et hinc Romani olim Pontifices ſua Decreta atque judicia in ſolius Petri authoritate paſſim fundarunt, atque ſolo ipſius nomine muniverunt. Hanc enim authoritatem iſti ſucceſſioni admodum cohærere docet adductum tertii Felicis teſtimonium. Eodem reſpicit in ſecundo de Apoſtolorum Principibus ſermone Magnus Leo. Supremum Petri in Apoſtolica dignitate Primatum deprædicat inſigniter, atque adjungit: *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque fertur ex ipſius æquitate judicium*. Petri privilegium eſt ſuprema illi data docendi ac judicandi authoritas, ſuprema poteſtas ligandi atque ſolvendi. Haſce claves ſolus Petrus accepit à Chriſto Domino, non Paulus, nec quis alius Apoſtolus. Et in ipſas ſuccedit ſolus Epiſcopus Romanorum. Hinc eis ſua Decreta atque judicia ſuperædificare ille conſuevit. Ita ſuas momentoſiſſimas ad Antiochenam Euſebianæ factionis Synodum litteras Sanctus Julius primus firmat, & concludit hoc epiphonemate: *Quæ accepimus à beato Petro Apoſtolo, ea vobis ſignifico*. Et ſuis ad Himerium Tarraconenſem Metropolitam ac omnem Hiſpaniarum Eccleſiam Decretis Siricius Pontifex appoſuit hanc præfationem: *Portamus onera omnium, qui gravantur. Quin immò hæc portat in nobis beatus Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur hæredes*. Et ſuas ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Decretales litteras ſic præfatur primus Innocentius: *Quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ab omnibus debet ſervari*. Et in diplomate, quo Ruſticum ac Sebaſtianum Romanæ Eccleſiæ Cardinales damnavit, Vigilius Pontifex aſſiduè utitur authoritate ſolius Apoſtoli Petri, & concludit? *Univerſi nos hæc pro loco, in quo nos Deus eſſe voluit, authoritate beati Petri Apoſtoli rectè feciſſe cognoſcent*. Exſtat diploma in quinta collatione quinti Concilii. Et in ſuo pro Monachis Conſtituto Magnus Gregorius: *Interdicimus in nomine Domini noſtri* JESU *Chriſti, & ex authoritate beati Petri Apoſtolorum Principis*. Primus qui mediis ſæculis cœpit Sancto Petro Sanctum Paulum adjungere, videtur fuiſſe Sanctus Agatho in dogmaticis litteris ad Conſtantinum quartum Imperatorem: *Ut per ipſum Catholicæ atque Apoſtolicæ veræ noſtræ fidei ſplendidiſſimum in omnium mentibus emicet lumen, quod ex veri luminis fonte, tamquam de radio vivifici fulgoris, per Miniſtros beatum Petrum & Paulum, eorumque diſcipulos & Apoſtolicos ſucceſſores, gradatim uſque ad noſtram Parvitatem Dei opitulatione ſervatum eſt*. Utique in Romana Eccleſia. At verò in dogmaticis ad Leonem Iſaurum Imperatorem litteris Gregorius ſecundus denuò utitur authoritate ſolius Petri. Et exindè invenies Romanos Pontifices quandoque cum iſto Gregorio, quandoque cum Agathone fuiſſe locutos. Et hinc ad Zachariam Pontificem ſcripſit noſter Apoſtolus Sanctus Bonifacius: *Paternitatis veſtræ Reſponſum & conſilium ex authoritate Sancti Petri Principis Apoſtolorum mihi repræſenta*. Et in Tricaſſina Synodo ad Joannem VIII. Pontificem, qui latam à ſe in Lambertum & Adelbertum Comites excommunicationem firmari rogabat, reſponderunt Gallicani Epiſcopi: *Judicium veſtræ authoritatis, quod privilegio beati Petri & Sedis Apoſtolicæ protuliſtis, voto & voce proſequimur*. Quam phraſim in ſuis etiam Scriptis uſitat iſtorum Epiſcoporum os & lingua Hincmarus Metropolita Rhemenſis. Nempè Gregorii II. ad nos Legatus fuit Sanctus Bonifacius, ideoque illius loquendi modum & ipſe ſecutus fuit, & tradu xit in omnem Francorum Eccleſiam.

Romani tunc Pontifices utraque phraſi ſunt indifferenter uſi. Etiam ſæculo noſtri VII. Gregorii. Etenim Sanctus Leo IX. ſuas adverſùm Epiſcopalium domorum ſpoliatores ad Auximanam Eccleſiam litteras ſic concludit: *Ex parte Dei Omnipotentis, & authoritate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli anathematizandum eſſe decernimus*. Data verò ad Joannem Salernitanum Metropolitam epiſtola habet hunc finem: *Sciat ſe authoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, noſtroque anathematis vinculo innodatum*. Et Nicolaus ſecundus ad Gervaſium Rhemenſem Archiepiſcopum ſcripſit: *Ex parte Omnipotentis Dei, authoritate beati Apoſtoli Petri Epiſcopale officium interdicite*. At verò idem Pontifex ſuum

de Ro-

de Romani Pontificis electione Decretum firmavit *authoritate Divina, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri ac Pauli*. Eadem varietate uſus fuit Alexander ſecundus, itemque noſter ſeptimus Gregorius. Etenim uti præſentem Henrici Regis degradationem fecit ac firmavit authoritate utriuſque Apoſtoli, ita ejus ſuſpenſionem peregit ac munivit authoritate ſolius Apoſtoli Petri. Eandem varietatem reperies in ejus epiſtolis. Ipſius contra ſimoniacos & conjugatos Clericos Decreta laudat Simeon Dunelmenſis, & addit facta ex A. 1074. ſententia Sancti Petri. Sigebertus Gemblacenſis ſcribit facta ex banno Sancti Petri. Quod ipſum habent & alii iſtorum temporum Scriptores. Quia nempè Gregorius magis conſueverat ſua Decreta ſolius Petri authoritate ſtabilire.

Iſtam varietatem ambulaſſe quidam exiſtimant uſque ad Honorium ſecundum, qui plumbeam Apoſtolicæ Sedis bullam ornavit capitibus utriuſque Apoſtoli. Cum iſta imagine cenſent cœpiſſe etiam conſtantem utriuſque Apoſtoli in cunctis Apoſtolicis diplomatibus memoriam. Polidorus Virgilius affirmat Sanctum Agathonem fuiſſe uſum cerea bulla, ideoque plumbeam à Stephano tertio aut Adriano primo fuiſſe aſſumptam atque inductam. Apoſtolica diplomata cœperunt tunc eſſe frequentiora: Ille cenſet, quod ad eorum diuturniorem authoritatem Romana Eccleſia tunc plumbum adjunxerit. Quod ipſum firmat in litteris ad Leonem Allatium Antonius Carracciolus, cenſens iſtud plumbei ſigilli genus non niſi nono, aut ad ſummum octavo Domini ſæculo cœpiſſe apponi Apoſtolicis litteris. At longè aliud ſcribit eruditus Vaticanæ Bibliothecæ, & Apoſtolici in Sancti Angeli Caſtro Archivi cuſtos Dominicus Raynaldus, affirmans id eſſe Inſtitutum Sancti Sylveſtri, aut forſan adhuc vetuſtioris Pontificis. Plumbeam Sancti Sylveſtri bullam affirmat reperiri in Archivo Eccleſiæ Aretinæ. Et addit de dicti Caſtri Archivo: *Vetuſtiſſima ex papyro & frutice confecta diplomata ſub mea cuſtodia aſſervantur, ubi inter alia bullæ plumbo obſignatæ ſummorum Pontificum, Leonis primi, Gregorii magni, ac Sergii, repoſitæ ſunt*. Hinc elicit fuiſſe Inſtitutum Sancti Sylveſtri. Et proſequitur: *Adverti tamen debet, in plumbo diplomatum vetuſtiſſimorum Pontificum non impreſſas fuiſſe imagines Petri & Pauli, ſed tantùm illius Pontificis nomen cujus litteræ obſignabantur, quod hodie obſervatur à modernioribus Pontificibus, & in uſu poſitum eſt*. Vetuſtiſſimum, quòd ipſe viderit, ita ornatum plumbum affirmat eſſe ſecundi Honorii. Addit exſtare Benedicti ſeptimi plumbum, cui non inſunt iſtæ imagines. Quin & exſtat Alexandri ſecundi ad Petrum Dioclionenſem Epiſcopum, Dalmatiæ & Croatiæ Metropolitam, Archiepiſcopalis Pallii collatrix, per Antonium Auguſtinum vulgata epiſtola, quam ſuis annalibus inſerit Cardinalis Baronius, atque adjungit: A. 1062. nu. 117. *Subjacet his ſigillum, nempè circulus quadrifidus in formam crucis, cum nomine ejuſdem Pontificis Alexandri Papæ ſecundi, circumcirca habens hujuſmodi inſcriptionem; Exaltavit me Deus in virtute brachii ſui*. Nulla hic memoria de inſculptis Apoſtolorum iconibus. De iiſdem nulla item eſt memoria in litteris aut Actis ſeptimi Gregorii. Earum tamen memoria omninò antecedit ſecundum Honorium. Etenim privilegio, quod Bantino apud Apulos Monaſterio dedit Urbanus ſecundus, laudatus Cardinalis ſubnectit hæc: A. 1088. nu. 11. *Subſequebantur ſubſcriptiones atque ſigilla. Porrò Pontificium ſignum, in quo Apoſtolorum nomina, & à tergo imagines plumbo fuſæ habentur, cum ejuſmodi in extimo circulo inſcriptione legitur, Benedictus Deus & Pater Domini noſtri* JESU *Chriſti*. Idem privilegium firmavit Paſchalis ſecundus, additque idem Cardinalis: *Exſtat ſigillum ſub plumbo pendenti, in quo ſunt effigies* A. 1103. nu. 14. *beatorum Apoſtolorum Pauli & Petri ab uno latere, ab alio nomen deſcriptum Paſchalis Papæ ſecundi, in ſigilli autem crepidine circumcirca verba iſta: Verbo Domini cæli firmati ſunt*. Quocirca primus harum imaginum author videtur fuiſſe Urbanus ſecundus. Et ita manſit uſque ad Paulum ſecundum, de quo in Citicenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius: *Hic Papale plumbum contra morem mu-* A. 1464. *tavit.* Exponit Hiſtorica incogniti Authoris compilatio: *Paulus ſecundus mutavit plumbeum ſigillum Papale. Nam anteà ſemper duo capita, ſcilicet Petri & Pauli, ex uno latere continebat, in alio autem latere nomen Papæ tantùm; nunc verò ſtat in latere uno quaſi imago Papæ infulata coram populi multitudine, in alio duæ imagines oblongæ Apoſtolorum Petri & Pauli*. Et de proximo ſucceſſore Sixto quarto pergit eadem compilatio: A. 1471. *Papa Sixtus ſtatim reaſſumpſit ſigillum antiquum Papæ, ſcilicet duo capita Apoſtolorum Petri & Pauli, quod ſuus prædeceſſor Paulus mutaverat*. Etiam Clementem ſextum, quod quinque roſas, ſua gentilitia arma Papali plumbo inſeruerit, contra morem ſuorum Anteceſſorum, meritò notat Albertus Argentinenſis. Etiam ipſum nullus ſucceſſor fuit imitatus. Itaque cum hiſce Apoſtolicorum capitum imaginibus quidam volunt fuiſſe firmatam, utriuſque etiam Apoſtoli in Romanis diplomatibus memoriam, & utrumque morem exinde fuiſſe ſacroſanctum. At certum eſt labi. Etenim in ipſo ſuperiùs laudato privilegio, quod Bantino Monaſterio dedit, harum imaginum introductor Urbanus ſecundus laudat, ac ſuum Edictum fundat in authoritate ſolius Apoſtoli Petri. Quis Pontifex utriuſque Apoſtoli authoritatem ſemper invocari juſſerit in diplomatibus, uſque huc ignoro. Exiſtimo morem non per aliquem Canonem, ſed pedetentim invaluiſſe per conſuetudinem. Et rectè. Etenim Romanorum Epiſcopus non tantùm Sancto Petro ſuccedit, ſed & Sancto Paulo. Exponit repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Orthodoxus tractatus: *Romanus Pontifex non ſolùm Petri, ſed etiam Pauli meruit eſſe ſucceſſor. Petro ſucceſſit in poteſtate clavium, Paulo in diſcuſſione cauſarum. Nam ſicut Petrus authoritatem ligandi atque ſolvendi accepit à Domino, ita Paulus ſcientiæ plenitudinem*.

Exponitur cauſa Gregorii ſexti Pontificis.

Laudatus in præſenti Decreto Gregorius eſt Gregorius ſextus, qui ſchiſmaticis & Simoniacis Pontificibus Benedicto nono ac Sylveſtro tertio ſucceſſit, & quem congregata per Henricum tertium Imperatorem Sutrina Synodus dejecit, aut certè coegit cedere uti etiam Simoniacum. Anteà vocabatur Joannes Gratianus, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Archipresbyter Baſilicæ Sancti Joannis ante portam Latinam. Et ipſum, & Theophylactum ſeu Benedictum nonum, & Laurentium Amalphitanum Archiepiſcopum Cardinalis Benno affirmat fuiſſe Gerberti, ſeu Sylveſtri ſecundi in magica arte diſcipulos, & cunctos tres iſta via ſemper adſpiraſſe ad Papatum. Eadem via blaterat Gerbertum perveniſſe ad iſtam Majeſtatem. Mendaciſſimas maledici hominis calumnias ſtatim audiemus everti à graviſſimis Scriptoribus. Theophylactus duobus patruis, Benedicto octavo & Joanni vigeſimo ſucceſſerat vocatus Benedictus nonus. Audiamus rem à Deſiderio Caſſinenſi Abbate in tertio libro Dialogorum. Deſtructæ apud Italos Chriſtianitatis, Sacerdotalium conjugiorum, & popularis in faciendis electionibus, & Epiſcopalis atque Clericalis in dandis conſecrationibus Simoniæ, aliorumque cohærentium vitiorum originem exponit, hac via adoleſcentem Theophylactum, Alberici Conſulis filium, oſtendit fuiſſe Apoſtolicæ Sedi intruſum, compendio refert ejus juvenilia crimina, & pergit: *Denique cum rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanta per tempora ſine ulla dilatione Theophylactus ageret, congregati in unum populi, quia ejus nequitiam ampliùs ferre nequibant, eum à Pontificatus Cathedra exturbantes, urbe pellunt, alterumque in locum ejus, Joannem videlicet Sabinenſem Epiſcopum, non tamen vacua manu, Canonica parvipendentes Decreta, ſubſtituunt. Qui tribus non ampliùs menſibus Romanæ uſus eſt Cathedræ ſucceſſione, Benedicto undique ſuis cum propinquis infeſtante urbem, quia ex Conſulibus terræ ortus erat, & in eis maxima virtus, urbe cum dedecore pulſus, ſuum ad Epiſcopatum reverſus eſt. Benedictus igitur quod amiſerat Sacerdotium recepit, priſtinos verò mores minimè mutavit. Cumque ſe à Clero ſimul & populo propter nequitias ſuas contemni conſpiceret, & ſuorum facinorum fama omnium aures impleri cerneret, tandem cuidam Joanni Archipresbytero, qui tunc in urbe religioſior cæteris Clericis videbatur, non parva ab eo accepta pecunia, ſummum Sacerdotium relinquens tradidit, ipſe verò in propriis ſe Caſtellis recipiens urbe ceſſit. Intereà Joannes, cui Gregorius nomen inditum eſt, cum duobus annis & octo menſibus Sacerdotium adminiſtraſſet, Henricus Rex, qui tunc Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ imperabat, ad ſuſcipiendam de manu Romani Pontificis Imperialem Coronam, quatenùs deinceps Auguſtus appellari poſſet, Italiam ingreſſus Romanam adiit urbem. Sed antequam urbem ingrederetur, plurimorum Epiſcoporum, necnon Abbatum, Clericorum quoque ac Religioſorum Monachorum in Sutrina urbe Concilio congregato, Joannem, qui Gregorius dictus eſt, miſſis ad eum Epiſcopis, ut de Eccleſiaſticis negotiis, maximeque de Romana Eccleſia, quæ tres ſimul tunc Pontifices habere videbatur, ipſo Præſidente tractaretur, venire rogavit. Sed hæc de induſtria agebantur. Jam enim dudùm Regio animo inſederat, ut tres illos, qui injuſtè Apoſtolicam Sedem invaſerant, cum Concilio & authoritate totius Concilii juſtè depelleret, & unus, qui juxta ſanctorum Statuta Patrum Dominico gregi ſollicitè præeſſet, Clero & populo eligente, cæteriſque Pontificibus, præficeretur. Sutrium, ubi Synodus congregata erat, ille allectus ſpe, quòd aliis duobus depoſitis, ſibi ſoli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed poſtquam eò ventum eſt, & res agitari ac diſcuti à Synodo cœpta eſt, agnoſcens ſe non poſſe juſtè honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare, ex Pontificali ſella exiliens, & ſemetipſum Pontificalia indumenta exuens, poſtulata venia, ſummi Sacerdotii dignitatem depoſuit.* Et ita Svvigderus Bambergenſis Epiſcopus fuit electus in Papam, & appellatus Clemens II. Rationem dat idem Deſiderius: *Quia in Romana Eccleſia non erat tunc talis reperta perſona, quæ dignè poſſet ad tanti honorem ſufficere Sacerdotii.* Ex hac enim ſola cauſa Canones permittunt Epiſcopum eligi ex aliena Eccleſia. Hæc omnia firmat atque illuſtrat in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus: *Apud Romam Papa Benedictus, cum per duodecim annos Romanam Cathedram ſediſſet, à Romanis expulſus* Lib. 2. c. 79. *eſt, & Joannes Sabinenſis Epiſcopus, cui poſitum eſt nomen Sylveſter III. non tamen gratis, in Romanum Pontificatum ſubrogatus. Qui cum trium ibi menſium ſpatio præfuiſſet, expulſus Benedictus, propinquis ſuis Tuſculanis Proceribus adnitentibus, Sylveſtro repulſo, Romanam Sedem iterùm occupavit. Nec multò poſt inviſum ſe cunctis adſpiciens, cuidam Archipresbytero, Joanni nomine, qui quaſi religioſior habebatur, Papatum tradidit, ipſe liberè deinceps cupiditates ſuas exerciturus, in paternam domum receſſit. Jam duobus annis & menſibus octo prædictus Archipresbyter, cui Gregorii nomen in Papatu eſt inditum, Apoſtolicæ Sedi præſederat, cum Henricus Imperator, Conradi filius, tot de Romana & Apoſtolica Sede nefandis auditis, cœlitus inſpiratus, anno Domini milleſimo quadrageſimo ſeptimo, Italiam ingrediens Romam accederet.* Addit ex ejus mandato conveniſſe Sutrinam Synodum, Gregorium vocatum adfuiſſe, depoſuiſſe Papalia ornamenta, flexis genibus rogaſſe veniam, & dignitatis throno exceſſiſſe. Henrici in Apuliam & alias ibi Provincias expeditionem refert, & concludit: *Ultra-Montes exinde eſt reverſus, Gregorium ſecum adſportans.* Cap. 80.

Ejuſdem rei meminit Hermannus Contractus: *Romani Benedictum Papam, multis criminatum, ſede ſua pellunt, & Sylveſtrum tertium quemdam* A. 1044. *in ejus locum ſtatuunt, quem tamen poſteà Benedictus, quibuſdam ſibi faventibus, excommunicatum depulit, Sedique ſuæ redditus ſeipſum poſteà privavit, & alium pro ſe ob avaritiam contra Canones ordinavit.* Et infrà: *Henricus Imperator Placentiam veniens, Gratianum, quem expulſis prioribus Roma-*

Romani Papam ſtatuerant, ad ſe venientem honorificè ſuſcepit, & ſic cunctis proſperè cedentibus, juxta Natalem Domini non longè ab urbe Roma, apud Sutrium Synodo item acta, cauſaque erroneorum Pontificum diligentiùs ventilata, Gratianum Papam convictum baculo Paſtorali privavit. Deinde omnium, tam Romanorum quàm aliorum, conſenſu Svvigderum Bambergenſem Epiſcopum, nimiùm reluctantem, ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem. Romanus Pontifex non utitur Paſtorali Pedo. Rationes ſuo loco dixi. Proindè Hermannus loquitur ad morem ſuæ gentis, ubi degradato Epiſcopo ſolebat auferri pedum, ipſum deferri ad Principem, & hic novum Electum per iſtud inveſtire. Certum tamen eſt, quod Henricus Clementem non inveſtiverit. Primus hoc in Octavianum Anti-Papam attentavit Imperator Fredericus. Etiam Lam-
A. 1077. bertus Schafnaburgenſis breviter ſcribit: *Rex Natalem Domini Romæ celebravit, ubi tribus depoſitis, qui Sedem Apoſtolicam contra Eccleſiaſticas Regulas invaſerant, Svvigderum Bambergenſem Epiſcopum conſtituit Apoſtolorum Vicarium.* Quod ipſum eodem compendio habet Marianus Scotus. Aliquid ſingulare habet Sigebertus Gemblacenſis. *Benedictus, qui ſimoniacè Papatum Ro-*
A. 1045. *manum invaſerat, cum eſſet rudis litterarum, alterum ad vices Eccleſiaſtici officii exſequendas ſecum Papam Sylveſtrum conſecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius ſuperducitur Gregorius, qui ſolus vices duorum impleret.* Et ad annum ſequentem: *Romæ uno contra duos, & duobus contra unum de Papatu contendentibus, Rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis Imperiali & Canonica authoritate depoſitis, Svvigderus Bambergenſis Epiſcopus, qui & Clemens, Romanæ Eccleſiæ præſidet.* Affirmat quòd Benedictus & Joanni Sabinenſi Epiſcopo, & Gratiano Archi-Presbytero non Papatum, ſed ſolas Epiſcopalis officii vices tradiderit, quòd hi ipſum Papatum ſibi datum prætenderint, quòd hac de cauſa Joannem expulerit, ac Gratianum etiam expellere voluerit Benedictus, atque ita omnia turbis compleverit.

Et quidem Henricum Imperatorem fuiſſe zeloſiſſimum ac ſtrenuiſſimum graſſantis tunc ſimoniæ exſtirpatorem, ideoque & purificandæ Romanæ Eccleſiæ ſingulariter ſtuduiſſe, pluribus oſtenſum eſt ſuo loco, & videri poſſit in Virdunenſi Chronico Hugonis Abbatis Flaviniacenſis. Aliam inſuper rationem adducit Cardinalis Benno: *In diebus illis defuncto Conrardo, legis & Religionis cultore fideliſſimo, Romanorum Imperatore Auguſto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito conſilio cum familiari ſuo Laurentio Amalphitano Archiepiſcopo, & aliis ſuis complicibus, molitus eſt filium Imperatoris Conrardi, Henricum Imperatorem ſucceſſione Imperii exturbare, & in Eccleſia diverſa ſchiſmata ſeminare. Miſit igitur coronam Romani Imperii Petro Regi Hungarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus Ducem Lotharingiæ Godefridum, virum fidelem, bello ſtrenuum, & inter Regni Principes clariſſimum. Qui primo conflictu Petrum bello captum, & omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præſumerent, deterruit: Et ut digna factis tanti ſchiſmatis authori Theophylacto redderet, Romam venire diſpoſuit. Quo audito Theophylactus, timore perterritus, vendit Papatum complici ſuo Joanni Gratiano, Archi-Presbytero Eccleſiæ Sancti Joannis de Porta Latina, Magiſtro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui adſcendens ſacram Sedem, tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato dictus eſt ſextus Gregorius.* Quæ an ſubſiſtant, ignoro. Ipſorum nemo fidelis meminit. Et Benno adducit iſta omnia, ut ſibi ſcalam faciat ad peſſimè calumniandum ſeptimum Gregorium. Quidquid ſit, manifeſtum eſt Henrici Patrem Conrardum non fuiſſe fideliſſimum legis & Religionis cultorem. Etenim Epiſcopatus, Abbatias, quævis Eccleſiaſtica beneficia palam vendidit, omni ſimoniæ genere Romanum Imperium maculavit uſque ad extremæ ruinæ pericula, & ſemetipſum in ſempiternas gehennas forſan præcipitavit. Quod iſtud de ipſo timuerit, ideoque omnibus Eccleſiis ac Monaſteriis ſolemnes preces indixerit filius Henricus, cum aliis teſtatur laudatus Abbas Flaviniacenſis.

Aliam, ex qua Imperator Henricus ita tractaverit dictos tres Pontifices, cauſam ſuggerit etiam Guilielmus Malmesberienſis Monaſterii Bibliothecarius: *Gregorius Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam Anteceſſorum ſuorum ita diminutum invenit, ut præter pauca oppida urbi vicina, & oblationes fidelium, penè nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. Civitates & poſſeſſiones in longinquo poſitæ, quæ ad jus Eccleſiæ pertinebant, à prædonibus ablatæ. Tramites publici & ſtrata viarum per totam Italiam à latronibus ſtipabantur, ut nullus peregrinus, niſi cum majori manu, impunè tranſiret. Fervebant totis ſemitis inſidiatorum examina, nec inveniebat viator, quo colludio evaderet. Ita in vacuum, ſicut in pecunioſum furebatur, nec ſupplex habere gratiam, nec reſiſtens pati poterat violentiam. Ceſſatum eſt ab omni Provincia Romam iter aggredi: Quia mallet quilibet per domeſticas Eccleſias nummos ſuos dividere, quàm latrunculos propriis laboribus paſcere. Quid in urbe, unico olim habitaculo ſanctitatis? Ibi in medio foro ſicarii vagabantur, genus hominum inſidum & verſutum. Si quis ſemitarum obſervatores aliquo tranſiiſſet artificio, capitis ſcilicet periculo Apoſtoli Eccleſiam videre cupiens, in ſicarios incidens, nullo modo ſine ſubſtantiæ vel ſalutis damno domum reverteretur. Super ipſa corpora Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum, ſupra ſacra altaria gladii nudabantur, & oblationes accedentium vix dum appoſitæ de manibus abripiebantur, abreptæ in commeſſationes & ſcortorum abuſiones conſumebantur.* Hæc mala primùm per excommunicationes & anathemata, & quòd illa non proficerent apud impios, tandem per collecti exercitus arma compulſus fuit Gregorius eliminare. Et è Romanis Pontificibus hic omninò videtur eſſe primus, qui armatos milites collegit & aluit. Hæc novitas videtur Henrico fuiſſe ſuſpecta, atque ità illum excitaſſe ad intrandam Italiam, & Gregorium unà cum aliis per Simoniam intruſis Pſeudo-Pontificibus degradandum.

Prima quæſtio eſt, An hic Gregorius fuerit iſto-

iſtorum trium Erroneorum tunc Pontificum unus, an verò quartus illis ſuperpoſitus? Hermannus Contractus videtur hoc adſerere. Etenim iſtos tres aſſerit fuiſſe Benedictum, Sylveſtrum, & quemdam alium, atque ſubjungit de Gratiano: *Quem expulſis prioribus Romani Papam ſtatuerant*. Et hiſtorica incogniti authoris compilatio ſcribit: *Imperator Henricus Svvigderum*
A. 1045. *Bambergenſem Epiſcopum, tribus invaſoribus Apoſtolicæ Sedis & dignè & juſtè expulſis, quorum nomina ignorantur, Papam conſtituens, Clementem ſecundum appellavit*. At verò ſexti Gregorii nomen eſt omnibus notiſſimum. Eandem ſententiam ſequitur Dominus Cardinalis Cæſar Baronius, affirmans tres iſtos Erraticos Pontifices fuiſſe Benedictum nonum, Sylveſtrum tertium, & neſcio quem Joannem; omnes tres exiſtimat ejectos, aut potiùs ceſſiſſe, & ipſis per Canonicam electionem ſucceſſiſſe Gregorium. Et firmat authoritate Othonis Friſingenſis Epiſcopi: *Hunc miſerrimum Eccleſiæ ſtatum Religioſus quidam Presbyter, Gratianus nomine videns, zeloque pietatis matri ſuæ compatiendo, animadvertens præfatos viros adiit, eoſque à Sede ſancta cedere pecunia perſuaſit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbantur eſſe authoritatis, relictis. Ob ea cives præfatum Presbyterum, tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem, in ſummum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium ſextum vocaverunt*. Quòd Sanctus Bartholomæus Cryptæ Ferratæ Abbas Benedictum de pœnitentia admonuerit, & malè acquiſito Papatu exire perſuaſerit, affirmat iſtius authentica vita. Alios duos erroneos Papas eadem via fuiſſe à Gratiano ad cedendum inductos, cenſet laudatus Cardinalis. Eadem ſententia aliquando mihi non diſplicuit.

Reſpondeo tamen Gregorium omninò fuiſſe ex iſtis tribus, ſoloſque Benedictum & Sylveſtrum ab illo ad cedendum inductos. Quis ille ſecundus Joannes? Certè non alius, quàm ſextus Gregorius, quem Cardinalis Benno teſtatur fuiſſe nominatum Joannem Gratianum. Et ſanè Deſiderii Abbatis authoritas, uti eſt lucida, ita eſt irrefragabilis. Harum enim tragœdiarum ille fuit oculatus ſpectator. Nec adverſatur Hermannus Contractus. Licet enim priora ejus verba habeant aliquid ambigui, poſteriora tamen ſunt luciſſima. Diſertè edicunt unum è tribus per Henricum ejectis Pontificibus fuiſſe Gratianum, ſeu Gregorium. Et Friſingenſis Otho non tres, ſed ſolos duos affirmat ab ipſo inductos ad cedendum. Et ad noviter erectam Bambergenſem Eccleſiam in litteris, quibus ejus confirmavit privilegia, ſcripſit Clemens ſecundus: *Ecce cùm illud caput mundi, illa Romana Sedes, hæretico morbo laboraret, & chariſſimi filii noſtri Domini Henrici Imperatoris Auguſti præſentia ad hoc invigilaret, ad hoc inſtaret, ut hujuſmodi ægritudinem propulſaret, exploſis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat, inter tot agmina Sanctorum, qui aderant, Patrum, dignatio cœleſtis gratiæ noſtram indigniſſimam Mediocritatem, cunctis niſibus refragantem, voluit eligi, & altiſſimi Apoſtolorum Principis vice fungi*. Authentica eſt iſta Epiſtola. Exſtat enim in cap. 16.
antiqua Sancti Henrici Imperatoris vita, publicata per Jacobum Gretzerum. Diſertè affirmat ſolos tres fuiſſe ab Henrico ejectos, adeoque inter ipſos fuiſſe & Gregorium. Et nullus poſſit eſſe major teſtis, quàm iſte Clemens, Gregorii ſucceſſor. Etiam Lambertus Schafnaburgenſis, ac Sigebertus Gemblacenſis palàm conſonant. Item in Citizenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius: *Henricus tertius anno Regni ſui ſexto, habita Synodo ob peſſimum ſchiſma, quod tunc ſcindebat Eccleſiam, Benedictum, Sylveſtrum, Gregorium, tamquam tria teterrima monſtra, abdicare ſe Papatu coegit, Syndigerum autem loco eorum Romanum Pontificem creavit, Clementem ſecundum appellatum, à quo & Imperii eodem anno accepit coronam*. Et antiquum Sancti Benigni Divionenſis Chronicon: *Imperator Henricus perrexit* A. 1046.
Romam, ibique tunc ſuſcepit coronam Imperii, die Natalis Domini, per manus Clementis Papæ. Quem ipſe Imperator ordinari juſſit, & fecit deponi Joannem, qui tunc Cathedræ præſidebat, & Benedictum, atque Sylveſtrum, qui in Concilio tunc habito, examinata eorum culpa, inventi ſunt non ſolùm Simoniaci, ſed etiam perverſores Eccleſiæ Chriſti. Joannes, qui tunc præſidebat Eccleſiæ, eſt omninò ſextus Gregorius, proprio nomine Joannes Gratianus. Etiam Matthæi Palmerii Chronicon ait Benedicto Sylveſtrum, Sylveſtro ſucceſſiſſe Gregorium, & adjungit: *Schiſma & contentiones maximæ in Eccleſia Dei fuerunt, tribus Pontificibus uno tempore diſcordantibus Romæ, propter quod univerſalis Eccleſia diminuta invenitur, & Pontifices ab Imperatore fuiſſe electi, in qua diſcordia Theophylactus alius Pontifex Joanni Sacerdoti Pontificatum vendidit. Pluribus de Pontificatu contendentibus, Henricus Romam ad componendas diſcordias profectus coronatur*. Nec Benedictus, nec Sylveſter acquieſcebant ceſſioni, ſed unus adversùm duos, duo contendebant adversùs unum, atque ita omnia erant in motu. Cardinalis Benno affirmat Sylveſtrum non Benedicto, ſed Gregorio fuiſſe ſuperpoſitum: *Iiſdem diebus ſuperpoſitus eſt in Papatum prædicto Archipresbytero Sabinenſis Epiſcopus, qui mutato nomine dictus eſt Sylveſter tertius, & factum eſt, ut Romana Eccleſia in diverſas partes ſcindi videretur*. Exiſtimo Papatum, quo Sylveſter per Benedicti conſanguineos fuerat violenter exutus, adversùs Gregorium fuiſſe ab illo reſumtum. Quidquid ſit, pergit Benno de omnium trium turbis: *Cum autem tanta perverſitas Romam ludificaret, Divino nutu adfuit Imperator Henricus, & Religioſorum Cardinalium precibus efflagitatus, ipſis authoribus, pro loco officii ſui, pro officio Imperiali, pro poteſtate ſibi à ſacris Canonibus conceſſa, ad purgandam Eccleſiam, ad exturbandum & ulciſcendum vi ſacrilegos, devotum ſe præbuit. Theophylactum in fugam coegit, ſextum Gregorium in cuſtodiam recluſit, quem poſteà in exilium miſit; Sabinenſem Epiſcopum, quem non ambitio, ſed vis ad Papatum coegerat, ad ſedem propriam redire compulit. Romana verò Eccleſia, ejus reſpirans auxiliis, ſecundum Clementem Papam elegit, ſub quo Eccleſiæ unitas, à*

quo & ſubſequenter Romanorum Imperator Auguſtus venerandæ memoriæ Henricus coronatus eſt, & pro tantis meritis unicè glorificatus triumpho ſingulari, unici amoris privilegium, pellendo idololatras ſimoniacos, & unitatem Eccleſiæ defendendo, promeruit. Cardinalis Benno eſt palam mendax atque maledicus, interim hæc ejus dicta non carent fundamento. Etenim etiam Onufrius Panuinus, & ſacræ & prophanæ antiquitatis peritiſſimus, in Eccleſiaſtico Chronico affirmat tres per Sutrinam Synodum coactos ad cedendum Pontifices fuiſſe Benedictum nonum, Sylveſtrum tertium, ac ex Joanne Gratiano Gregorium ſextum. Quod ipſum in libro de Epiſcoporum Inveſtitura firmat Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis.

Et hinc oritur ſecunda quæſtio, An etiam ſextus Gregorius fuerit ſimoniacus idololatra? Affirmari id jam audivimus, non tantùm à Cardinali Bennone, ſed inſuper ab aliis Scriptoribus. Etiam ab ipſo ejus ſucceſſore Clemente. Reſpondeo non fuiſſe, aut certè poſteà in Papatu fuiſſe inſigniter correctum. Etenim Otto Friſingenſium Antiſtes, Scriptor graviſſimus, disertè affirmat ipſum fuiſſe virum religioſum, Canonicè electum in Papam, ac Eccleſiæ liberatorem, utique à vitio Simoniæ. Et pergit: *Hunc Gratianum, Alpes tranſcendentem, ſecutum fuiſſe tradunt Hildebrandum, qui poſtmodùm Summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de Catalogo Pontificum ſemotus fuerat, ſe Gregorium ſeptimum vocari voluit. Sicut in Lucano habes: Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni. Ita & huic Hildebrando, qui ſemper in Eccleſiaſtico rigore conſtantiſſimus fuit, cauſa iſta, in qua ſententia Principis & Epiſcoporum prævaluit, ſemper diſplicuit*. Hildebrandus adeò cenſuit Gregorium fuiſſe purum, immaculatum, degradatum iniquè, & malè raſum de Romanorum Pontificum tabula, ut illum jam pridem defunctum ipſe factus Pontifex ſtatim repararit in gradum, reſcripſerit in ſacras tabulas, Sutrinæ Synodi judicium exſufflarit per omnia, & ſe non ſextum, ſed ſeptimum Gregorium appellari voluerit, ideoque & ſextum Gregorium pro integro & Canonico ac malè dejecto Pontifice per omnes ſub cœlo Eccleſias haberi. Sanctum Leonem nonum, quoniam octavi Leonis electio eſt dubia, quidam vocant octavum. Et idem eſt de quibuſdam aliis Pontificibus. At ſeptimum Gregorium nemo unquam vocavit ſextum: Quòd nempè ab ipſo factam ſexti Gregorii reparationem omnes ſub cœlo Eccleſiæ unanimi ſuffragio comprobaverint. Conſonat Glaber Rudolphus, Scriptor item graviſſimus, & non ſatis æquus in Romanam Eccleſiam, ideoque ejus Pontifices ad omnem occaſionem conſuetus notare. Benedicti exceſſus exponit, ac proſequitur: *Tunc cum conſenſu Romani populi, atque Præcepto Imperatoris ejectus eſt è Sede Benedictus, & ejuſdem loco ſubrogatus eſt vir religioſiſſimus, ac ſanctitate præcipuus Gregorius, natione Romanus, cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, in melius reformavit*. Affirmat Gregorium de lepra nequidem fuiſſe ſuſpectum. Eſt adverſarii teſtimonium, ideoque nulli obnoxium exceptioni. Et Guilielmus Malmesberienſis Monaſterii Bibliothecarius ſcribit: *Gregorius Papa ſextus, anteà dictus Gratianus, erat magnæ religionis & ſeveritatis*. Demonſtrat Romanam Eccleſiam ab ipſo fuiſſe inſigniter reformatam. Sexto Gregorio Pontificatum mox adgratulatus fuit, plenum ſuum de tanta rerum apud Romanam Eccleſiam mutatione gaudium profeſſus fuit, & ſummas Deo gratias cecinit Sanctus Petrus Damiani per ſolemnes ex ſua eremo litteras, atque adjunxit: *Lætentur ergo cœli, & exultet terra, & antiquum ſui juris privilegium ſe recepiſſe ſancta gratuletur Eccleſia. Conteratur jam milleforme caput venenati ſerpentis, ceſſet commercium perverſæ negotiationis, nullam jam monetam falſarius Simon in Eccleſia fabricet, nulla Giezi, præſente providi Doctoris abſentia, lucra reportet. Jam columba revertatur ad Arcam, & virentibus olivæ foliis pacem nunciet redditam terris. Reparetur nunc aureum Apoſtolorum ſæculum, & præſidente veſtra Prudentia, Eccleſiaſtica refloreat diſciplina. Reprimatur avaritia ad Epiſcopales Infulas anhelantium: Evertantur Cathedræ columbas vendentium nummulariorum*. Antè omnia expurgari ſupplicat Eccleſiam Caſtellanam, Fanenſem, ac Piſaurenſem: Simoniacè intruſum Piſaurenſem Epiſcopum degradari. Hæc omnia altiſſimè clamant Gregorium ab omni Simonia fuiſſe caſtiſſimum: Profeſſum hoſtem Simoniæ. Sempronienſis Eccleſiæ Clerus ac populus neſcio quem ſuum Clericum elegerat in Epiſcopum: Canonicè, & citra omnem Simonis lepram. Verùm ille dignitatem ambiverat: Alioquin idoneus. Afflicta erat tunc Eccleſia, pauciſſimos habens integros Epiſcopos & Clericos. Hinc Electum, priùs caſtigatum de ambitu, diſpenſatoriè confirmari, & conſecrari à Gregorio ſupplicavit idem Petrus, atque adjunxit: *Unum eſt, unde Pietatis veſtræ depoſco clementiam, ut ſi hunc non conſecraveritis, donec me ſervum veſtrum videritis, nulli prædicti Epiſcopatus Cathedram tribuatis*. Itaque Gregorius erat adeò rigidus Canonum cuſtos, & reparator diſciplinæ, ut non ſolùm Simoniacos, ſed etiam ambitioſos, licet Canonicè electos & cætera idoneos, ab Epiſcopalibus Cathedris penitùs proſcriberet. Enitebatur Apoſtolicorum temporum ſanctimoniam reducere.

Et ſanè aliud non fecerat, quàm Benedictum nonum ac Sylveſtrum tertium, de Apoſtolica Cathedra litigantes, promiſſis & aſſignatis ex Apoſtolico patrimonio penſionibus, ad cedendum, iſtaque via pacificandam Eccleſiam inducere. Imo non ipſe, ſed Sanctus Bartholomæus Cryptæ Ferratæ Abbas iſtos induxit: Gregorius dumtaxat addixit penſiones. Et hoc eſſe licitum docent Chalcedonenſis Synodi Acta circa Domnum Antiochiæ Patriarcham, circa Baſſianum & Stephanum Epheſinos Epiſcopos, & circa Nonnum Archiepiſcopum Edeſſenum. Ipſos cedentes, imò cedere compulſos, dicta Synodus eſt penſionibus conſolata. Verùm Gregorius Benedictum ac Sylveſtrum ad ſibi cedendum induxiſſe eſt viſus, ideoque & de Simone ſuſ-

Marginal notes: L. I. Epiſt. 1. — Epiſt. 2. — Epiſt. 2.

ſuſpectus. Et plures jam adductæ cauſæ ſuſpicioni fomenta addiderunt. Nempè adversùs ipſum perſeverans Benedicti ac Sylveſtri rebellio, collectus per ipſum exercitus, à rapinis frænatus Romanæ urbis populus. De Huberto Loſinga, Abbate Rameſienſi, quod primus à Guilielmo Ruſo Anglorum Rege Epiſcopatum Thetfordenſem, ac Patri ſuo Roberto Vintonienſem Abbatiam emerit, ſcribit Guilielmus Malmeſberienſis. Et tunc prodiit non inelegans verſus. *Surgit in Eccleſia monſtrum genitore Loſinga, Simonidum Secta, Canonum virtute reſecta. Petre nimis tardas: Nam Simon ad ardua tentat. Si præſens eſſes, non Simon ad aſtra volaret. Proh dolor, Eccleſiæ nummis venduntur & ære. Filius eſt Præſul, Pater Abbas, Simon uterque. Quid non ſperemus, nummos ſi poſſideamus? Omnia nummus habet: Quod vult facit, addit, & auſert. Res nimis injuſta: Nummis fit Præſul & Abbas.* Quod tamen Hubertus poſteà Romam iverit, Epiſcopatum poſuerit ad pedes Urbani ſecundi, eundem ab ipſo gratiosè receperit, mutatus tunc fuerit in virum alterum, atque in Angliam redux profecerit in duriſſimum atque perpetuum omnis ſimoniæ flagellum, affirmat idem Guilielmus. Idem eveniſſe poſſit ſexto Gregorio.

Rem notandam ſcribit Hugo Abbas Flaviniacenſis. Scribit omnem ubique ſimoniam fuiſſe ab Henrico Imperatore damnatam, ac pergit: *Puerulus itaque, qui Romanæ incubabat Eccleſiæ, Præcepto Imperatoris à ſede dejectus eſt, & Gregorius ſextus, natione Romanus, ſubſtitutus eſt, cujus bona fama, quidquid prior fœdaverat, in meliùs reformavit.* Reformandæ Eccleſiæ neceſſarii antè omnia ſunt religioſi & conſtantes Epiſcopi. Hinc pergit Hugo: *Gregorius Sanctum Odilonem*, Abbatem Cluniacenſem, *inſtituens Lugdunenſi Eccleſiæ ordinari Pontificem, miſit ei pallium & annulum; ſed vir religioſus, humilitati ſtudens, hoc renuit. Pallium tamen & annulum retinuit, ſervans illud Pontifici, qui dignus eſſet. Quod uſque hodie Cluniaci habetur.* Hugo affirmat ſextum Gregorium non ex proprio ambitu, ſed ex Principis juſſu fuiſſe promotum. Porrò Theophylactum, ſeu Benedictum nonum, rectè appellat puerulum. Etenim ipſum authentici Scriptores affirmant decimo ætatis anno fuiſſe intruſum in Sedem Apoſtolicam. Et hæc omnia valdè purgant Gregorium. Exiſtimo ipſum ob ſolas à Benedicto ac Sylveſtro reſumptas turbas, & ad plenè pacandam Eccleſiam fuiſſe dejectum. Quod ſentire videntur etiam Gemblacenſis Sigebertus & Waltramus Naûburgenſis. Res non eſt manifeſta.

Quæſtio tertia eſt, An Gregorius fuerit ad cedendum iniquè & ſine legitima cauſa compulſus? Fuiſſe juſtè compulſum plures teſtes jam nobis dixerunt. Et ipſis adſtipulari videtur in litteris ad Clementem ſecundum Sanctus Petrus Damiani. Affirmat ſe ab Henrico Imperatore, dum in Germaniam hic rediret, ad fideliter Clementi aſſiſtendum fuiſſe rogatum, iſtam aſſiſtentiam fuiſſe à ſe promiſſam, ideoque etiam exhiberi. Et quidem Henricus tunc Gregorium abducebat ſecum in Germaniam. Certè Petrus ſi iniquè cenſuiſſet ejectum, debuerat inſtruere Principem, & ejus actibus reſiſtere. Quin & addit de Fanenſis Eccleſiæ Epiſcopo: *Videamus Fanenſem latronem ab his etiam, qui non erant, ſed dicebantur Apoſtolici, maledictum & excommunicatum.* Epiſt. 3. Ipſum unà cum Caſtellano & Piſaurenſi Epiſcopo Gregorius ad Petri preces damnaverat, adeoque Petrus lucidè hic profitetur Gregorium non fuiſſe legitimum Papam, ac proindè legitimè ejectum. Et adjungit: *Quid prodeſt, Domine mi, quod Apoſtolicam Sedem de tenebris ad lucem remeaſſe dicimus, ſi nos adhuc in iiſdem tenebris remanemus?* Lamentatur ſuæ Provinciæ Eccleſias per pravos Epiſcopos ac Abbates confundi, ideoque ipſos rogat per Clementem corrigi aut damnari. Gregorium fuiſſe intruſas tenebras, Clementem profitetur eſſe Canonicam lucem. Reſpondeo tamen hunc fuiſſe iniquè dejectum. Conſtanter ac intrepidè id docuit venerabilis Wazo Leodienſis Epiſcopus. Etenim poſt Clementis ſecundi mortem Henrico Imperatori, circa eligendum ſucceſſorem anxio, ideoque ejus & doctiſſimum & probiſſimum judicium exquirenti, reſpondit. *Recogitet Serenitas veſtra, ne fortè Sedes ſummi Pontificis, injuſtè à quibus non debuit depoſiti, ipſi Divinitùs ſit reſervata, cùm is, quem vice ejus inthronizaſtis, vita decedens, priori adhuc ſuperſtiti reſtituendam reliquerit. Et quoniam vobis complacuit noſtram ſuper his efflagitare ſententiam, liceat, quæſo, pace veſtra, omnium Eccleſiaſticorum Doctorum ſententiis inſtructo, proferre quod juſtum eſſe perſpexero. Cùm enim Judæ traditoris loco legamus Apoſtolos abſque ulla ſæculari potentia Matthiam Apoſtolum ordinaſſe, credimus hoc exemplo, per Eccleſiaſticos Miniſtros, abſque potentia ſæculari, electiones & promotiones Apoſtolicorum fieri debere. Sed & hoc liceat audacter proteſtari, electionem Apoſtolicam ſeu promotionem, Eccleſiaſtico ritu legitimè celebratam, ordinatione Divina conſtare inveniri. Quapropter ut veſtræ ſaluti pariter & honeſtati congruum vobis præbeamus conſilium, deſinat Sublimitas veſtra huic, qui ſuperſtes eſt, alium ſuperordinare Pontificem, ne repugnare videamini ordinationi Divinæ: Quia conteſtantibus tam Divinis Legibus, quàm Eccleſiacis Decretis, à nemine, niſi à ſolo Deo, judicari debet Chriſti Vicarius.* Affirmat plura. Primò, Gregorium fuiſſe legitimè electum. Secundò, fuiſſe injuſtè dejectum. Tertiò, debere reponi. Quartò, id commodè jam poſſe fieri ob brevi ſubſecutam mortem Clementis. Quintò, dejectionem fuiſſe iniquam, non tantùm ex defectu cauſæ, ſed inſuper ex parte formæ: Quod nulla Synodus, ſed ſolus Deus poſſit Romanum Epiſcopum judicare. Sextò affirmat nominando aut eligendo Romano, imò cuivis Epiſcopo Laicum Principem non poſſe miſceri. Etenim hic Henricus ex Gregorii dejectione accepit anſam nominandi Pontificis, aut certè deſignandi eligendam perſonam. Et Epiſcoporum nominatio, ſemper damnata à melioribus Epiſcopis, tunc horrendè graſſabatur. Exſtat iſta Epiſtola apud Anſelmum Leodienſem Canonicum in ſuæ Eccleſiæ Hiſtoria, qui & ipſam commentatur: *Wazo, ut erat in omnibus, & in talibus (maximè, ſcrutator ſtudioſiſſimus, vigilanter cum* C. 106.

alius,

aliis, quibus laboris hujus partes expetierat, hinc geſta Romanorum Pontificum, hinc eorum Decreta, hinc authenticos Canones diligenter revolvens, nihil aliud, quam ſummum Pontificem, cujuſcumque vitæ fuerit, ſummo honere debere attolli, à nemine prorſus debere judicari, nullius inferioris gradus accuſationem adverſus ſuperiorem debere recipi, invenire potuit. Iſta eſt doctrina, quam de judicando ac degradando Romanorum Epiſcopo olim tenuerunt Leodienſis Eccleſia, noſtra hic Brabantia, omniſque Germanica & Gallicana Eccleſia. Wazonis litteræ ſeriùs pervenerunt ad Principem. Ante ipſarum adventum Poppo Brixinenſis Epiſcopus erat promotus in Damaſum ſecundum. Alioquin audiendum Wazonem & Gregorium fuiſſe reſtituendum, Anſelmus conſtanter affirmat. De Wazone ſcribit Sigebertus
A. 1042. Gemblacenſis: *Wazo ex Clero Sancti Lamberti, vir ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ, & fervore religionis inſignitus, ordinatur Leodienſium Epiſcopus.*
A. 1048. Et Hermannus Contractus: *Defuncto viro docto Wazone, Leodii Pontifice, Theoduinus ſucceſſit.* Ejus virtute confirmat poſitum ipſi Epitaphium: *Ante ruet mundus, quàm ſurgat Wazo ſecundus.* Ejus igitur non eſt modica authoritas.

Et Wazonis judicium confirmavit noſter ſeptimus Gregorius, ſacris legitimorum Pontificum tabulis reddens ac denuò inſcribens ſexti Gregorii jam defuncti nomen, & ſemetipſum titulans ſeptimum iſtius nominis Pontificem. Eſt vera ac plena malè degradati Epiſcopi reparatio. Hac enim via reparati fuerunt etiam Sanctus Euſtatius Antiochiæ Patriarcha, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ejus in Conſtantinopolitano Epiſcopatu ſucceſſor Sanctus Flavianus, & alii plures. Eſſe veram reparationis ſpeciem diſcere poſſis ex mutuis hac de re litteris inter Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham, & Atticum Regiæ civitatis Epiſcopum. Licet defunctos in Catholica pace Epiſcopos damnare hæſitaverit quandoque Eccleſia, iniquè tamen damnatos reparare poſt mortem ſemper ſtuduit, ac frequenter reparavit. Et Wazonis judicio Sanctus Petrus Damiani nullo modo adverſatur. In datis ad Clementem ſecundum litteris locutus fuit, ac loqui debuit juxta Imperiale ac Synodale de Gregorio judicium, quod tunc miſſum erat in plenam executionem, & quaſi tranſiverat in rem judicatam. Petrus erat tunc ſimplex Eremita, in Monaſterio clauſus tamquam in ſepulchro: Ejus officii non erat Synodale de tanto negotio judicium impugnare aut judicare. Erat vir liberi oris, præditus virtute laudata per Regium Prophetam: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* At forſan Imperator Henricus, ut ipſum obturaret, Clementem Pontificem illi adjuvandum commendavit. Quòd modicam de Clemente opinionem Petrus habuerit, oſtendunt hæc ejus in laudatis litteris verba: *Nos ſperabamus, quòd tu redempturus eſſes Iſrael.* Et conſonat Caſſinenſium Abbas Deſiderius. Affirmat ſecundum Clementem vixiſſe dumtaxat ad novem menſes, Regia nominatione ſucceſſiſſe Damaſum ſecundum, & vixiſſe ſolummodo ad viginti tres dies, ac pergit: *Huic ſucceſſit Leo nonus, vir per omnia Apoſtolicus, Regali genere ortus, ſapientia præditus, religione conſpicuus, omnique doctrina Eccleſiaſtica apprimè eruditus, ut qui, quemadmodum ſcriptum eſt, cœpit invocare nomen Domini. A quo omnia Eccleſiaſtica ſtudia renovata ac reſtaurata, novaque lux mundo viſa eſt oboriri.* Viventi adhuc Gregorio ſuperordinatos Clementem ac Damaſum parvi facit. Et reverà neutrius actiones habuere ſucceſſum. Porrò ante Leonis noni promotionem defunctus erat Gregorius. Etenim frater Hildebrandus, qui vivum non dereliquit, erat tunc Prior in Cluniacenſi Monaſterio. Hinc illius, utpotè jam plenè legitimi Pontificis, actiones Divina gratia direxit ac benedixit.

Quarta quæſtio eſt, Quarè Imperator Henricus ſextum Gregorium deportaverit in Germaniam? Reſpondeo ad Romanam Eccleſiam liberandam à turbarum & novorum ſchiſmatum periculis. Et iſto modo Chriſtiani Imperatores ſemper conſueverunt tractare Schiſmaticos, aut quavis de cauſa degradatos Epiſcopos, etiam Romanos. Etenim Chriſtianis temporibus primus Anti-Papa fuit adversùs Liberium Felix ſecundus. Et de ipſo ad Theodoſium Imperatorem ſcripſerunt Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Fauſtinus & Marcellinus: *Tertio anno redit Liberius, cui obviam cum gaudio populus Romanus exivit, Felix notatus à Senatu vel populo, de urbe propellitur, & poſt parum temporis, impulſu Clericorum, qui perjuraverant, irrumpit in urbem, & ſtationem in Julii Baſilica trans Tiberim dare præſumit, quem omnis multitudo fidelium & Proceres ab urbe iterùm cum magno dedecore projecerunt.* Projecerunt, quoniam ſua violentia intruſum hominem fovebat Imperator Conſtantius, volebatque Liberio Coepiſcopum aſſidere. Secundus Anti Papa fuit adversùs Sanctum Damaſum Urſicinus, de quo ad Aquilinum Romanæ Urbis Vicarium ſcripſerunt Imperatores Gratianus ac Valentinianus: *Urſicinum Gallia coercet, & ne motus aliquos inquietos exerceat, cohibet Agrippina ſeceſſio.* Turbidum hominem in Agrippinam Coloniam relegarunt. Et hac occaſione prodiit prudentiſſima lex, quæ degradatum, & ſententiæ acquieſcere nolentem Epiſcopum jubet exulare ad centum millia paſſuum à ſuæ olim ſedis civitate. Et Benedictum quintum, quem in Joannis duodecimi degradati, ac Leonis octavi ſuperordinati locum promoverat Romana Eccleſia, tamquam ſchiſmaticum Imperator Otto primus ſecum duxit in Germaniam, poſuitque in civitate Hamburgenſi. Attamen graves Scriptores affirmant Benedictum fuiſſe legitimum Pontificem, ideoque graviſſimè culpant Ottonem. Eodem igitur modo Imperator Henricus tractavit ſextum Gregorium. Etiam Benedictum nonum volebat ſecum ducere. Cur non fecerit, ſuprà dixit Caſſinenſium Abbas Deſiderius: *Benedictus in propriis ſe Caſtellis recipiens, urbe ceſſit.* Et Cardinalis Benno: *Henricus Theophylactum in fugam coegit.* Utique quòd non poſſet comprehendere. *Sextum Gregorium in cuſtodiam recluſit, quem poſteà*

ſteà in exilium miſit. Sabinenſem Epiſcopum, quem non ambitio, ſed vis ad Papatum coegerat, ad Sedem propriam redire compulit. Quod hunc non ambitio, ſed vis ad Papatum coegerit, videtur parum credibile. Videtur item Benedictus poſteà fuiſſe comprehenſus. Etenim hiſtorica incogniti Authoris compilatio ſcribit: *Benedictus ſedit annis quatuordecim, defunctus eſt, &* A. 1025. *ſepultus in Hamborgh Bremenſis Diœceſis.* At certum eſt errare. Etenim Cardinalis Benno affirmat Benedictum poſt multos inquietudinis motus egiſſe aut ſimulaſſe pœnitentiam, Hildebrandi opera admiſſum in gratiam Sancti Leonis noni, fuiſſe authorem infauſti adverſùm Nortmannos belli, in quo ipſe Leo armatum duxit exercitum, ac infeliciſſimè pugnavit. Videntur hæc non penitus ficta. Quare dicta compilatio Benedicti quinti ſortem adſcribit Benedicto nono.

Quinta quæſtio eſt, Ad quam civitatem deportatus, & ubinam defunctus fuerit ſextus Gregorius? Reſpondeo abductum in Germaniam, Civitatem verò aut locum ignorari. Cardinalis Benno affirmat degradatum Benedictum tunc fuiſſe in Italia adhuc tumultuatum, *& per litteras diſcipuli ſui Hildebrandi ea, quæ in Palatio Imperatoris gerebantur, reſciiſſe.* Quod ſi verum ſit, videtur Gregorius non certo loco circumſcriptum, ſed cum Principis comitatu ambulatorium habuiſſe exilium. Verùm Benno toties mentitur ſplendidè, ut etiam vera dicenti non poſſit credi. Quidquid ſit, certum eſt Gregorium in Germania eſſe defunctum. Et quidem ſub Pontificatu ſecundi Damaſi. Quòd ſecundo Clementi ſupervixerit, demonſtrat laudata epiſtola Wazonis Epiſcopi Leodienſis. Non ſupervixiſſe Damaſo evincit Fratris Hildebrandi receſſus ad Cluniacenſe Monaſterium, & ejuſdem iſtic promotio ad officium Prioris. Vivum Gregorium fuiſſe ab ipſo derelictum quis credat? Et hinc utcumque vera credo hæc Bennonis Cardinalis verba: *Hildebrandus relicto Monaſterio, Sancti* Joannis ante portam Latinam *Archipresbytero* Joanni Gratiano *adhæſit. Henricus ſextum Gregorium cum Hildebrando diſcipulo ſuo in Theutonicas partes deportatione damnavit. Defuncto in exilio ſexto Gregorio, Hildebrandus perfidiæ ſimul & pecuniæ ejus hæres fuit.* An cum Gregorio deportatus, an ſpontaneum in exilium dumtaxat comitatus fuerit Hildebrandus, ignoro. Et certum eſt ſolius pecuniæ, nullius perfidiæ fuiſſe hæredem, ſi tamen pecunias habuerit Gregorius. Et hinc lucet Guilielmum Malmesbirienſis Monaſterii Bibliothecarium, qui Gregorium Romæ defunctum, & de reformanda Eccleſia affirmat multa ad Cardinales fuiſſe in lecto concionatum, omninò errare. Interim poſt Gregorii mortem redire Romam Hildebrandus timuit: Aut Auguſtum deportationis Edictum prævaricari noluit, aut certè ſuo Gregorio ſuperordinatos Pontifices accedere. Ut poſtmodo cum Sancto Leone nono rediret Romam, exilii ſententiam fuiſſe ad magnas preces relaxatam ab Henrico Imperatore affirmat Benno Cardinalis. Aſt longè aliud ſcribit Otho Epiſcopus Friſingenſis: Scribit Hildebrandum tunc Cluniaci fuiſſe Priorem, laica nominatione promotum Leonem illac tranſiiſſe Romam, ejus hortatu renunciaſſe nominationi, depoſuiſſe ornamenta Papalia, ut privatum iviſſe Romam, ſecum duxiſſe Hildebrandum, Romæ fuiſſe electum Canonicè, Hildebrandum hæc omnia procuraſſe. Nullum verbum de relaxato exilio. Et certè hæc non ſunt opera exulis.

Septimi noſtri Gregorii, quem magno Gregorio non malè comparat, natales, ſtudia, & mores edicit Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Gregorius natus eſt in urbe Roma, parentibus Civibus Romanis, & quod maximum eſt, religioſis, adſcribendus civibus Curiæ cœleſtis. Et ab ineunte ætate Eccleſiaſticis mancipatus officiis, pueritiam ſuam non ſine certis, quæ eum illuſtrem futurum jam tunc ſignarent, documentis, religioſis comitatus perſonis excoluit. Adoleſcentiam adſumpto Sanctitatis Propoſito inter mundi contemptores non ſine magnis perfectionis indiciis perdomuit. Juventutem nihilominùs militiæ Chriſtianæ dedicatam, ſicut ætate, ita ſana doctrina & firmamento veritatis roboratam, ſub præclaris totius Chriſtiani nominis tutoribus & Præſulibus, publicis ſanctæ Eccleſiæ mancipavit utilitatibus. Hic ob ſingularem excellentis ingenii prærogativam à Nicolao Papa in Archidiaconatum matris Eccleſiæ provectus, ſtrenua & laudabili hujus officii adminiſtratione in totius orbis notitiam, & Religioſorum dilectionem brevi devenit.* Conſonat in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus Guido Abbas Micrologus: *Romanæ Sedi Deus noſtro tempore gubernatorem Gregorium* Cap. 14. *impoſuit, qui ſub decem ſuis Anteceſſoribus, à puero Romæ nutritus & educatus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curavit.* Gregorius ergò non fuit Thuſcus & Suanenſis, ſed Romanus. Nec fabri filius, ſed honeſto loco natus. Et liberaliter educatus ac eruditus. Hæc verba, *Adſumpto Sanctitatis Propoſito*, ſignificant profeſſionem Monaſticam. Iiſdem utitur Sanctus Poſſidius, dicens à Sancto Auguſtino fuiſſe unà cum Baptiſmo *ſuſceptum Propoſitum ſerviendi Deo.* More enim tunc uſitato Sanctus Auguſtinus cum Baptiſmo ſuſceperat Monachiſmum. Gregorius putatur fuiſſe profeſſus in Monaſterio Sancti Laurentii extra muros. Porrò decem Pontifices, ſub quibus Apoſtolicas traditiones didicit, ſunt Benedictus nonus, Sylveſter tertius, Gregorius ſextus, Clemens ſecundus, Damaſus ſecundus, Leo nonus, Victor ſecundus, Stephanus nonus, Nicolaus ſecundus, & ſecundus Alexander. Neſcio tamen, an Clemens & Damaſus, ſub quibus exulavit Gregorius, ſint adnumerandi. Adnumerari forſan debent Benedictus octavus, ac Joannes vigeſimus. Quis illum Clero adſcripſerit, ignoratur. Si Cardinali Bennoni ſit ulla fides, ipſum ex Monaſterio extraxit, ac in ſuam familiam retulit Cardinalis Joannes Gratianus.

Hoc eſt antiquum privilegium, non tantùm Epiſcoporum, ſed etiam Romanorum Cardinalium. Etenim quòd Magnus Gregorius, Con-

Conſtantinopoli acturus Pelagii ſecundi Diaconum Apocriſarium, ſolatii cauſa ſecum duxerit Lib. 1. cap. 26. & 27. plures Monachos, teſtantur in ejus vita Joannes Diaconus, ac in Anglicana hiſtoria venerabilis Lib. 2. cap. 1. Beda. Arnaldum Brixienſem Monachum, qui Ep. 195. 196. poſteà apoſtatavit ad peſſimas hæreſes, fuiſſe Guidonis Cardinalis Legati domeſticum ſcribit Sanctus Bernardus. Plura ſunt ejuſmodi exempla. Etiam apud Græcos. Hi illos appellant Syncellos, inter quos fuit Protoſyncellus magnæ dignitatis. Quare Joannes Gratianus in ſextum Gregorium promotus poſſit Fratrem Hildebrandum creaſſe Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum. Ipſum enim à prima juventute fuiſſe adſcriptum Chriſtianæ Clericorum militiæ, teſtatur Hugo Flaviniacenſis. Alii malunt hunc gradum illi datum à Sancto Leone nono. Quod ipſum hic creaverit *unum è cuſtodibus Altaris Beati Petri*, affirmat Cardinalis Benno. Ex iſto igitur fonte Hildebrandus dilexit ſextum Gregorium, & cum ipſo profectus eſt in voluntarium exilium. Porrò ſexti Gregorii reparatio eſt unum è ſeptimi Gregorii Decretis: Hinc ipſam duxi exponendam ac illuſtrandam.

Sacerdotalis Benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur.

CUnctos hiſce ſuis Decretis obedientes Germaniæ populos Gregorius noſter donat Apoſtolica benedictione, & in præſenti vita, & in futura. Hinc Sacerdotalis benedictionis virtus venit exponenda. Quæſtio prima eſt, An iſtius benedictionis mos ſit antiquus in Eccleſia? Reſpondeo eſſe antiquiſſimum, è Synagoga mutuatum per Apoſtolos, imò per ipſum Chriſtum Dominum, ac introductum in Eccleſias. Etenim Melchiſedech benedixit Abrahæ: Non quia Rex erat Salem, ſed quia Sacerdos Dei Altiſſimi. Et Levitici liber habet: *Aaron extendens manum ad populum benedixit ei.* Cap. 9. Et de moriente Moyſe ſcribit liber Deuteronomii: *Hæc eſt benedictio, qua benedixit Moyſes, homo Dei, filiis Iſrael ante mortem ſuam.* Etiam Heli Pontifex benedixit Elcanæ & uxori ejus. In pluribus antiqui inſtrumenti locis leguntur Sacerdotes, ac etiam Reges populo benedixiſſe. Quin & Gentiles Athenienſes Philippum Macedoniæ Regem, dum ſuæ Reipublicæ hoſtem declarabant, juſſerunt per ſuos Sacerdotes maledici, & execrari cum ſuis liberis, Majoribus, exercitu, & omni populo. Per ſuos Sacerdotes, dum propriæ Reipublicæ in ſacrificio benè precarentur. Lib. 1. c. 44. Habes hæc in quarta Decade Titi Livii. Etiam Balac Moabitarum Rex, qui Ballaam Ariolum pretiò conduxit ad maledicendum Iſraeli, erat Gentilis. Hæc benedictio eſt unum ex animæ teſtimoniis, Cap. 2. quæ omni homini demonſtrant Deum, & ipſum faciant eſſe naturaliter Chriſtianum. Ita loquitur Tertullianus in libro de teſtimonio Animæ. Inter iſta teſtimonia ibidem ponit etiam hoc cunctis gentilibus uſitatum votum: *Benedicat te Deus*: Hocce teſtimonium affirmat apud nos Chriſtianos eſſe *ſummum diſciplinæ & converſationis Sacramentum*, & adjungit de gentibus: *Benedicat te Deus, tam facilè pronuncias, quàm Chriſtiano neceſſe eſt.* Quod jurgantes Pagani ſibi mutuò paſſim ingererent uti ſummum maledictum, *Jupiter ſit tibi iratus*, teſtatur in libro de Idololatria. Et neſcio quem Chriſtianum, qui maledicto regeſſerat, *Immò tibi*, graviſſimè increpat, uti falſæ Divinitatis comprobatorem. Et proſequitur: *Æquè benedici per Deos nationum Chriſto initiatus non ſuſtinebit, ut ſemper rejiciat immundam benedictionem, & eam ſibi in Deum convertens emundet. Benedici per Deos nationum eſt maledici per Deum. Si cui dedero eleemoſynam, vel aliquid præſtitero beneficii, & ille mihi Deos ſuos, vel Coloniæ Genium, propitios imprecetur, jam oblatio mea vel operatio Idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compenſat.* Uti Chriſtiani mendici pro accepta eleemoſyna reddunt, *Dominus Deus, aut talis vel talis Sanctus tibi benedicat*, ita gentiles reddebant, *Benedicat tibi Jupiter, civitatis Genius, aut quis alius falſus Deus.* Nempè hæc benedictio eſt omni homini communis, omni animæ naturale de Deo teſtimonium, quòd pagana cœcitas frequenter detorſit in ſua dæmonia, & Chriſtiana juſtitia reddidit Divinæ Majeſtati. Huc etiam facit noſter Pſalmus: *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos.* Exponit Sanctus Auguſtinus: *Noſtis Fratres, quando tranſitur per operantes, eſt conſuetudo, ut dicatur illis, Benedictio Domini ſuper vos. Et magis iſta conſuetudo erat in gente Judæorum. Nemo tranſibat, & videbat aliquos facere aliquod opus in agro vel in vinea, vel in meſſe, vel aliquid ejuſmodi: Non licebat tranſire ſine benedictione.* Non tantùm per Sacerdotes, ſed etiam per quemvis hominem data benedictio eſt apud omne hominum genus adeò antiqua & familiaris.

Quòd hunc Sacerdotalis præſertim benedictionis morem ipſe Sacerdos Deus in Eccleſiam induxerit, affirmat in Evangelio Sanctus Lucas, de ipſo in Cœlum adſcendente ſcribens: *Elevatis manibus benedixit eis.* Et hæc Sancti Matthæi verba: *Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret, diſcipuli autem increpabant eos.* Commentatur Sanctus Hieronymus: *Non quò nollent Salvatoris & manu & voce benedici, ſed quoniam necdum habentes pleniſſimam fidem, putarent eum in ſimilitudinem hominum, offerentium importunitate laſſari.* Cap. 19. Proindè iſta benedictio erat vocalis orationis ſpecies, fiebatque & manu & voce. Undè & in libris de Baptiſmo ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Quid eſt manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* Lib. 3. c. 16. Et ejuſmodi eſt omnis ritualis Sacerdotalium manuum impoſitio. Et inter iſtos, quibus Dominus manum impoſuit, parvulos fuiſſe Sanctum Martyrem Ignatium Græci conſtanter credunt, ſcribitque hac de re in marginalibus ad octavam Synodum ſcholiis Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum ſtatuit in medio dicens, Niſi converſi fueritis,*

ritis, & efficiamini ſicut hic parvulus, &c. Iſte Ignatius fuit. Et idcircò hunc Deiferum nuncupant. Undè nec Apoſtoli auſi fuerunt ei, cùm ad Eccleſiæ Præſulatum promoveretur, ampliùs manus imponere. Nimirum quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverint. Dominum imitati ſunt Apoſtoli etiam in benedictionis ritu. Etenim ſuis Epiſtolis Sanctus Paulus paſſim ſubjunxit: *Gratia Domini noſtri* JESU *Chriſti ſit cum omnibus vobis. Amen.* Exponit in Apoſtolicæ ad Titum Epiſtolæ Commentario Sanctus Hieronymus: *Tito & cæteris, qui cum eo erant, imprecatur gratia. Et quomodo Iſaac Patriarcha benedixit filium ſuum Jacob, & ipſe duodecim Patriarchas, Apoſtoli quoque ingredientes domum dicebant, Pax huic domui, & ſi digna erat domus, requieſcebat pax eorum ſuper eam, ſi verò exhibebat ſe indignam, revertebatur ad eos, qui eam fuerant imprecati; ita & nunc in fine Epiſtolæ ſuæ Apoſtolus gratiam credentibus imprecatur, quæ cum voto habebat effectum, & erat in poteſtate credentium, ſi talem ſe benedictus, qualem benedicens, præbere voluiſſet.* Et huc omninò reſpicit in pluribus ſuorum contra Pelagianos operum locis Sanctus Auguſtinus, ubi ex Sacerdotum benedictionibus probat ſuam de victrice gratia doctrinam non eſſe novam, ſed Apoſtolicam, Evangelicam, & perpetuam fidem omnium ſub cœlo Eccleſiarum: Sacerdotalis enim benedictio non eſt aliud, quàm Divinæ gratiæ imprecativa oratio: Et omnis oratio altè clamat rem oratam non eſſe noſtri arbitrii opus, ſed Dei donum. Eodem modo ex præviis, quos omninò ab Apoſtolis inſtitutos ſemper frequentavit omnis Eccleſia, Baptiſmo exorciſmis probavit ſuam de originali peccato doctrinam eſſe dogma Evangelicum. Eſt firma probandi ſpecies. Eandem enim ipſi ſuo ſymbolo ad probandam Spiritus Sancti Divinitatem adversùm Macedonianos inſeruit Conſtantinopolitana Synodus: *Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur.* Hunc glorificationis Hymnum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, affirmat eſſe Apoſtolicum, & ab omnibus ſub cœlo Eccleſiis conſtantiſſimè & univerſaliſſimè uſitatum, Spiritum Sanctum in ipſo æquari, & prædicari conſubſtantialem Patri & Filio, ideoque iſtam æqualitatem omninò eſſe Dogma Apoſtolicum atque Evangelicum.

Et quidem Sacerdotales benedictiones in Eccleſia ſemper frequentarunt non tantùm pueritia & plebs, ſed ipſum etiam Imperium: Eam à quibuſcumque Epiſcopis ſemper petiverunt. Etenim de primi Chriſtiani Imperatoris Conſtantini Magni in Sanctum Armeniorum Patriarcham Gregorium, intra ipſam Romanam urbem, reverentia ſcribit antiquus in Romano Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Archivo reſervatus liber: Cap. 2. *Conſtantinus, flexis ante Gregorium genibus, benedictionem ab ipſo humiliter expetebat.* Hujus libri fragmentum exſtat apud Clementem Galanum in opere de concordia Armeniæ Eccleſiæ cum Romana: Quòd item à Sancto Nicolao Myrenſi Epiſcopo, licet abſente, & ſe & ſuos filios benedici poſtularit idem Princeps, teſtatur authentica illius vita. Et ad ejus filium ac ſucceſſorem Conſtantium ſcribit Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus: *Oſculo Sacerdotes excipis, caput benedictioni ſubmittis.* Et duos ſeſe viſitantes Epiſcopos ex ſecundo Theodoſio gravida Imperatoris Arcadii Auguſta uxor Eudoxia deprecatur: *Benedicite Patres. Propter Dominum orate pro me, ut quod eſt in utero, in lucem edam cum Dei benignitate.* Et Epiſcopi benedixerunt: *Qui benedixit uterum Saræ, Rebeccæ, ac Eliſabeth, benedicat & vivificet id quòd eſt in tuo ventre.* Deſcribit hæc Marcus Gazenſis in vita Sancti ſui Epiſcopi Porphyrii. Et addit de eodem Principe jam puerpera: *Eudoxia nos accerſit, & nobis occurrit in porta cubiculi, portans infantem in purpura. Inclinavit verò caput dicens: Benedicite mihi & filio, quem donavit mihi Dominus per ſanctas preces veſtras. Infantem quoque tradidit, ut ipſum ſignarent. Sancti autem Epiſcopi & ipſam & infantem ſignarunt ſigno crucis.* Et ad Anaſtaſium Imperatorem, qui Papalem excommunicationem ſpernebat, ſcribit in Apologetico libello Symmachus Pontifex: *Tu Imperator à Pontifice Baptiſmum accipis, Sacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas.* Hoc eſt, debes ſumere, Epiſt. 7. poſcere, ſperare, rogare. Et collationis, quam Conſtantinopoli coram Juſtiniano Imperatore fecerunt Epiſcopi Catholici cum Eutychianiſtis, Acta habent: *Imperator Epiphanium Patriarcham dimiſit, ſecundùm morem oratione facta pro ipſius pietate.* Hoc eſt, data benedictione. Patriarcha, quotieſcumque Principem accedebat, diſcedens ipſum benedicebat. Eidem Juſtiniano in incorruptibilium hæreſim lapſo ſcripſit Sanctus Nicetius Trevirenſis Archiepiſcopus: *Patres, à quibus benedictionem exſpectare debuiſti, in exilium tranſmiſiſti.* Lapſus enim ac ſeductus Juſtinianus egit tyrannum: Nec ſolos Provinciales Epiſcopos, ſed etiam Sanctum Anaſtaſium Antiochenum ac Sanctum Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum ejecit ac deportavit. Quòd idem Juſtinianus ac ejus uxor Theodora à Sancto Sabba Abbate benedictionem petierint, habet in ejus vita Cyrillus Monachus. Et Imperatorem Tiberium Conſtantinum, quòd jam moribundum laudatum Patriar- Cap. 27. cham Eutychium acceſſerit ad poſtulandam ejus poſtremam benedictionem, laudat in ejus vita Euſtatius Presbyter. Et Sanctum Theodorum Sicæorum Archi-Mandritam non tantùm Imperator Mauritius ac ejus Proceres, ſed etiam Cyriacus Patriarcha advocarunt Conſtantinopolim, ut eis benediceret. Ita habes in ejus vita. Et in libro de Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ officiis Georgius Codinus deſcribit auguſtam coronationem, Cap. 17. nu. 44. & addit de ejus fine: *Poſtquam Imperator Antidorum participavit, & benedictionem à Patriarcha & cæteris Epiſcopis accepit, ipſorumque manus deoſculatus eſt, adſcendit ad Catechumenia.* Hanc ergò humilem pietatem Conſtantinopolitani Imperatores uſque ad exciſum à Turcis Imperium conſtanter retinuerunt.

Nec tantùm Patriarchis aut Epiſcopis, ſed etiam ſimplicibus Monachis exhibuerunt iſtam pie-

pietatem. Lucet per exemplum Sabbæ Abbatis, & Theodori Sicæotæ. Et de Joanne Monacho, apud Lycum urbem Anachoreta incluſo, ſcribit in libro de agenda pro mortuis cura
Cap. 17. Sanctus Auguſtinus: *Joannem Monachum de belli civilis eventu major Theodoſius conſuluit Imperator. Habebat quippè etiam Prophetiam.* Rem latiùs exponit in Lauſiaca hiſtoria Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, addens quòd cuncti ac-
Cap. 43. cedentes ejus benedictionem peterent, & ipſe illam impartiretur per feneſtram. Nec aliter, quòd ille ſuam cellam nemini reſeraret, Imperator accepit. Quòd ejus filius & ſucceſſor Arcadius ab Arſenio Monacho, quem ſuum olim Magiſtrum adoleſcens offenderat, & veniam & benedictionem petierit, habes apud
Lib. 1. Simeonem Metaphraſtem. Et de hujus filio &
cap. 13. ſucceſſore Theodoſio ſcribit Evagrius Epiphanienſis: *Imperator oravit aerium Martyrem*, primum ſtylitem Leonem, *ut nominatim pro ipſo Deum obſecraret, atque ſua ipſum impartiret benedictione*. Et Leonem Auguſtum, quòd in vili habitu Danielem Stylitem acceſſerit, atque ejus benedictionem petierit, laudat Nicepho-
Lib. 15. rus Calixtus. Et de Odoacro Erulorum Rege
cap. 22. ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Odoacer cum multa multarum gentium multitudine ab extremis Pannoniæ finibus Italiam petit, qui per Nori-*
An. 473. *cum iter faciens, Beati Severini, cujus nomen tunc ibi celebrabatur, benedictionem petiit, & ab*
Lib. 6. *eo ventura ſibi didicit*. Latiùs hæc deſcribit
cap. 3. Eutropius. Severinus erat Anachoreta. Et in iſta pietate Odoacer Romanos Imperatores fuit imitatus.

Eandem conſtanter tenuerunt Romanorum Proceres & populi. Etenim adversùs Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum ſcribit de Sancto Epiphanio Sanctus Hieronymus: *Nonne cùm de Ana-*
Ep. 61. *ſtaſi pergeretis ad crucem, & ad Epiphanium omnis*
cap. 4. *ætatis & ſexus turba conflueret, offerens parvulos, pedes deoſculans, fimbriam vellens, cumque non poſſet promovere gradum, ſed in uno loco vix fluctus undantis populi ſuſtineret, tu tortus invidia adversùs glorioſum ſenem clamitabas, nec erubuiſti in os ei dicere, quod volens & de induſtria moraretur?* Et de Acacio Berrhæenſi Epiſcopo ac Juliano Ana-
Cap. 2. choreta, ſimul proficiſcentibus, ſcribit in Religioſa Hiſtoria Theodoretus: *Dives muliercula, ſacrum illum cœtum venire audiens, obviam occurrit, eorum perceptura benedictionem, genibuſque provoluta rogavit, ut domus ſuæ diverſorio uterentur.* Et de Sancto Aphrahate Monacho: *Oculis illum ipſe conſpexi, ſanctæque illius dexteræ benedictionem percepi, cùm adoleſcentulus adhuc matrem ad eum profectam comitatus eſſem. Atque illam quidem, de more aperta janua, colloquio & benedictione dignatus eſt, me verò intromiſſum precum ſuarum opibus impertivit.* Et de Sancto Petro Monacho: *Sæpè me genibus impoſitum uva paſſa & pane aluit. Mater enim ſpiritualem ejus gratiam experta, ſemel in hebdomada benedictionem illam percipere me jubebat.* Et de Juliano Monacho, ac ſemetipſo Antiochenæ Eccleſiæ adhuc Lectore: *Poſt mul-*
Cap. 12. *tos habitos de Philoſophia ſermones, cùm redire jam domum oporteret, orabam ut benedictionis viaticum daret.* Et de ſuperiùs laudato Simeone Stylita, & per ipſum converſis ad Chriſtum Dominum Agarenis: *Juſſit ille, ut ad me accederent, & Sacerdotalem benedictionem acciperent, maximum illos dicens ex ea fructum percepturos.* Quomodo paternam benedictionem ambierint, & de ipſa jurgati fuerint Jacob & Eſau, omnes novimus. Eodem modo de Simeonis ad ſuos Phylarchos tranſmittenda benedictione certaſſe Agarenorum Tribus & Legatos refert ibidem Theodoretus. Et de Sancto Joanne Chryſoſtomo, per Theophili Patriarchæ Alexandrini factionem relegato, ac per pium populum violenter reducto, ſcribit Hermias Zozomenus: *Compulerunt* Lib. 8.
illum & populo benedictionem impartiri, & in Epi- cap. 18.
ſcopali Cathedra conſidere. Utique cives Conſtantinopolitani. Quinimmò quòd etiam defuncti à ſucceſſore Proclo honorificè reductum cadaver Epiſcopali throno locaverint, ab ipſo petierint benedictionem, ac per miraculum impetraverint, affirmant graviſſimi Scriptores. Quam ipſam fideles Alexandrinos à Sancti Petri Epiſcopi ſui & Martyris cadavere obtinuiſſe teſtatur in libro de Sacris ordinationibus Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. Quòd item Cap. 9.
Sanctus Narciſſus Gerundenſis Epiſcopus poſt multos ſepulturæ annos fuerit integer, ad benedicentis morem extenſa dextera, repertus, teſtatur Auguſtanum Chronicum. Et laudatus A. 1066.
Joannes in vigeſima ſuper Apoſtolicam ad Epheſios Epiſtolam homilia declamat ad ſuum populum: *Si ſanctum quempiam inveneris, qui poſſit domui veſtræ benedicere, & pedum ingreſſu valeat univerſam inferre Dei benedictionem; illum voca.* Quòd nempè iſtiuſmodi Clericorum aut Monachorum, dum ingrediuntur, ſit efficax atque prima vox: *Pax huic domui*. Ita illis mandat Canon Evangelicus. Quòd omnem Imperatoris Juſtiniani bellicam claſſem, profecturam in Africæ occupatores Wandalos, Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſolemniter in littore benedixerit, ſcribit in libris de Wandalico ejuſdem Principis bello Procopius Cæſarienſis. Et adjungit: *Epiphanius* Lib. 1.
Deum precatus, militem quemdam à Baptiſmo cap. 11.
recentem, & modò conſortem factum nominis Chriſtiani, in navem immiſit. Eo ritu ſignificavit omnem in Barbaros hæreticos pugnaturum militem debere eſſe ſimilis ſanctimoniæ: A ſolo tali exercitu poſſe ſperari victoriam. Et quòd ab exilio redeuntem Sanctum Fulgentium omnis Carthaginenſis populus ſummo honore, ſuſceperit, & certatim ejus benedictionem accepturus accurrerit, teſtatur in ejus vita Ferrandus iſtius Eccleſiæ Diaconus. Et de Clericis atque Cap. 29.
civibus Tungrenſibus, ſanctum ſuum Epiſcopum Servatium uſque Moſæ Trajectum, quò ille ex Divina revelatione moriturus abibat, comitantibus ſcribit Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: *Accepta benedictione cum oſculis, redierunt.* Et de Stephano ſexto ſcribit liber Pontificalis: *Cùm fama ejus nominis atque actuum tam per Orientales, quàm Occidentales partes diffamaretur, penè omnes ad eum accurrebant, ut ejus benedictionem perciperent.* Et de San-

cto Theodoro Sicæorum Archi-Mandrita ſcribit ejus vita: *Multæ turbæ accurebant, ut benedictionem ſuſciperent*. Eadem de cauſa ipſum acceſſit cum ſuis cuſtodibus illuſtris vir Georgius Cappadox, dum vinctus ducebatur ad Imperatorem. Et Græcorum Proceres apud Ferrariam, antequam Eugenium quartum Pontificem accederent, à ſuo Patriarcha Joſepho poſtulabant benedictionem. Quò nempè Divina Clementia illis daret benè loquendi gratiam. Ita ſcribit in Florentini Concilii hiſtoria Sylveſter Sguropu-
Lib. 4. lus. Et de equitante per Ferrarienſem civitatem
cap. 18. Patriarcha: *Obviis quibuſcumque benedixit*. Et adjungit hanc querimoniam: *Non erant alii quàm*
Cap 24. *ſartores, calcearii, ac vilium gauſapinarum conſarcinatores*. Quòd nempè Conſtantinopoli non ſola plebs, ſed etiam ſuprema Nobilitas ad tranſeuntis Patriarchæ benedictionem accurreret. Hinc de eodem ad Florentinam Synodum profi-
Cap. 1. ciſcente Joſepho ſcribit: *Patriarcha occurſanti multitudini benedixit pro more, fauſta omnia comprecatus*. Et ita intravit navem. Etiam de Papali, Conſtantinopolim intrante, Legato ſcri-
Lib. 3. bit: *Quacumque itabat, in plateis occurſantes li-*
cap. 9. *berrimè benedixit*. Conſtantinopolitani populi pietatem exponit in Turco Græcia Martinus Cruſius: *Laicus in publico Sacerdotem obvium habens, reverenter capite nudato, & corpore inflexo, ab eo*
Fol. 44. *petit, Benedic mihi Domine. Sacerdos autem manu capiti ejus impoſita dicit, Dominus tibi benedicat.*

Eandem pietatem probarunt, admiſerunt, & inſigniter cuſtodierunt etiam Barbarorum Reges, qui Romanum lacerarunt Imperium. Quòd ipſam Odoacer Erulorum in Italia Rex executus fuerit apud Sanctum Severinum Monachum, jam audivimus ab Eutropio & Gemblacenſi Sigeberto. Et de Chilperico Francorum Rege ſcribit in eorundem hiſtoria Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: *Rex ad me converſus poſtu-*
Lib. 6. cap. 5. *lat, ut accepta benedictione diſcederet. Dicam, inquit, tibi, o Sacerdos, quod dixit Jacob ad Angelum, qui ei loquebatur: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Nempè ſine petita & obtenta benedictione Chilpericus, licet non admodum Sanctus, numquam conſueverat ab Epiſcopis diſcedere. Utique Romano more, quem ſupra audivimus obſervari etiam ab Imperatore Juſtiniano. Et de Guntramno Rege, cum Epiſcopis convivante apud Aureliam, ſcribit idem Gregorius: *Jam mediante epulo, Rex locutus eſt Sacerdotibus, qui aderant, dicens; Rogo ut in domo mea craſtina die veſtram promerear benedictionem, fiatque mihi ſalus in ingreſſu veſtro, ut ex hoc ſalvus fiam, cùm ſuper me humilem veſtrarum benedictionum verba defluxerint*. Hauſerunt pietatem à primo Rege Clodovæo, quem, quoties ad bellum procederet, à Sancto Remigio Rhemenſium Epiſcopo fuiſſe benedictum ſcribit Presbyter Flodoardus. Ita illum hic do-
Lib. 1. cuerat in Baptiſmali Catechiſmo. Et de Clo-
cap. 15. dovæi filio Theodorico, & qui ipſum ab oculorum vitio curaverat, Abbate Theodorico idem
Cap. 24. Scriptor adjungit: *Rex venerabiles manus deoſculans, Sacerdotis benedictionem devotè poſtulat*. Laudato Turonenſi Gregorio, Epiſcopalem benedictionem offerenti reſpondit Egilanes Levigildi, Gothorum in Hiſpania Regis Ariani, Arianus Legatus: *Ante anima ab hujus corporis vinculis* Lib. 5.
emicet, quàm ab ullo Religionis veſtræ Sacerdote cap. 42.
benedictionem accipiam. Et Gregorius repoſuit: *Nec noſtram Dominus Religionem, ſive fidem ita tepeſcere faciat, ut diſtribuamus Sanctum ejus canibus, ac pretioſarum margaritarum Sacra porcis ſquallentibus exponamus*. Ex quo lucet etiam Gothis, licet Arianis, fuiſſe iſtam pietatem. Nempe Eudoxius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dum illis Chriſtianam fidem, licet Arianis erroribus infectam, in Catechiſmo tradidit, unà tradidit iſtum Apoſtolicum Canonem. Et illi ſecum in Hiſpanias detulerunt. Et ipſum poſteà omninò firmavit eorum Apoſtolus Sanctus Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis.

Pietatem etiam in Magni Caroli genus traduxit Francorum Apoſtolus Bonifacius. Etenim de Stephano ſecundo Pontifice, qui ob ejectos è Sancti Petri patrimonio Longobardos acturus gratias Regi Pippino iverat in Franciam, ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Pippinus à Ste-*
phano Papa cum filiis ſuis Carolomanno & Carolo A. 752.
in Regem ungitur, & per eos generatio eorum in hæreditatem Regalis ſucceſſionis in perpetuum benedicitur. Solemnes litteras, quibus id teſtatur A. 753.
ipſe Stephanus, ſuis Annalibus inſeruit Abbas Regino. Et addit de filio Pippini Magno Ca-
rolo: *Rex oratione ad limina Apoſtolorum comple-* A. 787.
ta, & benedictione percepta, in Franciam greſſum dirigit. Et infrà: *Leo Papa Carolum data bene-*
dictione in Baſilicam Sancti Petri Apoſtoli intro- A. 800.
duxit. Quæ omnia confirmat Annaliſta Aſtrologus. Et addit de Caroli filio Ludovico Pio Imperatore moribundo: *Ludovicus, inſtante mi-*
grationis articulo, Drogonem Metenſem Epiſcopum A. 842.
accerſit, benedici petivit, & quæ ſolent agi in egreſſu animæ, fieri poſtulavit. Humani generis hoſtem videbat ſibi adſtantem, & adversùm extremas ejus tentationes ſupplicabat Epiſcopali benedictione armari. Quòd moribundi fideles paſſim videant tentatorem, ideoque tunc quàm maximè indigeant iſto clypeo, docent exempla plurima, firmatque in Dialogorum libris Magnus Gregorius. Et ad Ludovici nepotem Lotharium Regem ſcripſit Nicolaus primus: *Apoſtolatus noſtri Legatos Excellentia*
veſtra digno honore ſuſcipiat, & familiaritatis Epiſt. 6.
eis locum concedat, ut cùm ad nos fuerint reverſi, digna nobis de parte veſtra nunciantes, Apoſtolicæ vos benedictionis munere ditare poſſimus. Spiritualium divitiarum adeò plena tunc cenſebatur Apoſtolica benedictio, ut per ejus promiſſionem aut ſuſpenſionem Romani Pontifices cogerent Francorum Reges ad ſibi obediendum. Quin & adversùs Guilielmum, Adelæ Carnutenſis Comitiſſæ ex Stephano Comite primogenitum, qui in Eccleſiaſticam libertatem Herodianè conjuraverat, ad ſuum Metropolitam Daimbertum ſcripſit Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Nolui poſteà in præſentia* Ep. 134.
hujuſmodi conjuratorum Divina Sacramenta tractare, nec ſuper eos benedictionem Epiſcopalem more

more ſolito dare. Et ad ejus Matrem Comitiſſam
Ep. 136. Adelam : *Nolui eis ultra dare benedictionem*. Utique omnibus conjuratis. Etiam Epiſcopalis dumtaxat benedictionis ſuſpenſio erat tunc nobiliſſimis Francorum Proceribus tremendum cenſuræ genus. Non ſub Carolinis, ſed ſub Capetinis Regibus floruit Sanctus Ivo, atque ita vides avitam gentis pietatem etiam tunc non defeciſſe. Etiam poſterioribus ſeculis Ludovicus undecimus Rex à Sancto Franciſco de Paula humiliter petebat benedictionem. Et quòd noſter Princeps Carolus Audas à ſuo domeſtico Presbytero benedictionem quotidiè flexis genibus peteret, teſtatur Magnum Belgii Chronicon.

Ejuſdem pietatis tenaciſſima ſemper fuit gens Anglorum. Primos eorum Doctores fuiſſe ſanctiſſimos, & præſertim ab omni avaritia caſtiſſimos, oſtendit in ſua hiſtoria venerabilis Beda, atque concludit : *Undè & in magna erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita ut ubicumque Clericus aliquis aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur. Etiam ſi in itinere pergens iveniretur, accurrebant, & flexa cervice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant*. Quod ipſum in Cantuarienſium Pontificum Actis affirmat Gervaſius ibidem Monachus, addens populum accipiendæ benedictioni non tantùm cervicem, ſed & genua inflexiſſe. Quæ pietas duravit etiam poſterioribus ſæculis. Etenim quòd Cantuarienſi Archiepiſcopo Huberto omnes, per quos tranſibat, pagi occurrerent, & flexis genibus peterent benedictionem, teſtatur Guilielmus Thorne. Et in litteris ad Leonem tertium Pontificem Scenulphus Merciorum Rex Adriani primi mortem graviter deplorat, ampliſſimè profitetur Apoſtolicæ Sedi obedientiam, ac proſequitur : *Ego Scenulphus, gratia Dei Rex, Excellentiam tuam humiliter exoro, quatenus in gremium me Pietatis tuæ percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ ubertas ad plebem ſuam regendam locupletet, ut unà mecum gentem, quam veſtra Apoſtolica Authoritas fidei rudimentis imbuit, per interceſſionem tuam contra impetus exterorum Omnipotens erigat, & per ſe Regnum, quod ipſe Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes, qui ante me ſceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab Anteceſſoribus tuis adipiſci : Hanc ipſe humilis peto, & à vobis impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis ſorte me tibi filium ſuſcipias, ſicut te in patris perſona diligo, & totis obedientiæ viribus ſemper amplector*. Non ex ſolius Regis, ſed ex totius Regni nomine eſt ſcripta epiſtola. Exſtat apud Guilielmum Malmesberienſis Monaſterii Bibliothecarium in primo libro de geſtis Regum Anglorum. Demonſtrat hanc benedictionem per noviter inthronizatos Reges ſemper à Romano Pontifice fuiſſe poſtulatam. Etiam per jam dudum in throno firmatos Reges repoſtulatam à novo Pontifice. Et de Guilielmo primo è Nortmannis Rege, ac Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo ſcribit Guilielmus Neubrigenſis : *Contigit aliquando Eboracenſem Pontificem in quadam petitione à Rege repulſam paſſum, iratum avertere ſcapulam, recedentemque maledictionem pro benedictione comminari. Cujus motus ille non ſuſtinens, ad pedes ejus procidit, veniam petiit, ſatisfactionem ſpopondit. Cumque optimates, qui aderant, ſuaderent ut Regem proſtratum erigeret, Sinite, inquit, illum jacere ad pedes Petri. Plane in hoc & quanta fuerit ferociſſimi Principis erga Præſulem reverentia, & quanta ejuſdem Præſulis circa Principem authoritas atque fiducia, ſatis declaratum eſt*. Quod idem ſcribunt in Eboracenſium Pontificum Actis Thomas Stubs, Guilielmus Malmesberienſis, & Joannes Bromtonus Abbas Jornalenſis. Nempè & avitam Anglorum Regum pietatem audierat ab Epiſcopis, & juxta Gallicanam formam educatus erat Guilielmus Regni conquæſtor, atque adeò hæc ejus humilitas non fuit nova. Etiam de ejus filio & ſucceſſore Guilielmo Rufo, adversùs fratrem ſuum Robertum bellante, ac de ejus exercitum benedicente, & adverſarios anathematizante, Sancto Vulſtano Vigornenſi Epiſcopo ſcribit Radulphus Dicetanus : *Res miranda, & Dei virtus, & viri bonitas. Nam ſtatim hoſtes tanta membrorum percutiuntur debilitate, ut vix arma ferre valerent, nec ſocios, nec hoſtes agnoſcere. Cæduntur pedites, capiuntur milites. Cæteris fuga elapſis, Regis fideles ſine ulla diminutione ſuorum remeant ad propria, gratias Deo & Epiſcopo agentes*. Hoc ipſum habes apud Joannem Bromtonum. Et de Stephani Regis exercitu, quòd accepta venerabilis Turſtini Eboracenſis Archiepiſcopi benedictione & generali à peccatis abſolutione, evaſerit generoſus, & famoſum ſacri Standardii bellum feliciſſimè confecerit, teſtantur in Simeonis Dunelmenſis ſupplemento Joannes Prior Haguſtaldenſis, ejus ſucceſſor Richardus in opuſculo de eodem bello, & Aldredus Abbas Rievallenſis, addens etiam Ranulphi Orcadenſis Epiſcopi ſolemnem ex alto loco benedictionem acceſſiſſe. Et hanc pietatem etiam apud Britones, Burgundos, Polonos, Moravos, Bohemos, Bulgaros, Sclavonicos, alioſque è Barbaris Chriſtianos conſtantiſſimè ſemper viguiſſe, poſſit lucidè demonſtrari.

Margin notes, left column: Lib. 3. cap. 26. (beside Beda) — A. 1201. & 1202. (beside Guilielmus Thorne) — Lib. 1. cap. 1. (beside Guilielmus Neubrigenſis). Right column: A. 1088. (beside Radulphus Dicetanus)

Huc etiam facit ille pius omnium nunc fidelium mos, de quo in hiſtoriali Epitome ſcribit Siffridus Presbyter Miſnenſis : *Romæ peſtis inguinaria fuit. Erat autem peſtis inguinaria apoſtema, ſive inflatura in inguine, tam ſæva, ut homines in via, in menſa, in ludis, in colloquiis ſubitò morerentur. Itaque cùm quis ſternutabat, ſæpè cum ipſa ſternutatione ſpiritum exhalabat. Undè cùm aliquem ſternutantem quis audiebat, ſtatim adcurrens, Deus te adjuvet, acclamabat. Et exindè adhuc conſuetudo ſervatur, ut cum aliquem ſternutantem audivimus, Deus te adjuvet, acclamemus. Rursùs cùm aliquis oſcitabat, frequenter & continuò & ſubitò ſpiritum exhalabat. Undè cum aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuò ſignum Crucis ſibi imprimere feſtinabat. Et hæc conſuetudo uſque nunc ſervatur*. Inguinaria Romanorum peſtis extinxit Pelagium ſecundum Pontificem, ac per preces & merita Magni Gregorii fuit extincta : Quare iſta lethaliter ſternutantium medicina poſſit eſſe ejuſdem Lib. 1. A. 581.

pium Inſtitutum. Fuit aviti atque Apoſtolici Inſtituti ad præſentem tunc neceſſitatem applicatio. Quòd enim in quavis neceſſitate oculos in cœlum dirigere, ac dicere, Deus adjuva, ſit unum è naturalibus, ac omni etiam pagano communibus animæ de uno ac vero Deo teſtimoniis, teſtatur Tertulliani liber de animæ teſtimonio. Alium inſuper avitæ pietatis morem exponit in Pſalmorum Commentariis Sanctus Au-
Pſ. 132. guſtinus: *Donatiſtæ etiam inſultare nobis audent, quia Fratres, ſive Monachi, cùm viderint homines, Deo gratias dicunt. Quid eſt inquiunt, Deo gratias? Itane ſurdus es, ut neſcias quid ſit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide ſi non debet Frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum? Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe invicem vident, qui habitant in Chriſto? Et tamen vos noſtrum Deo gratias ridetis. Deo laudes veſtrum plorant homines.* Quod ipſum ſcribit in pluribus aliis locis. Videtur iſte mos fuiſſe ſolis Monachis. Unde & hodiè illi ferè ſoli ipſum retinent. Hunc cum ipſo Monachiſmo Sanctus Auguſtinus haud dubiè didicerat in Italia, atque ita deportarat in Africam. Notanda ſunt hæc ejus de Donatiſtis verba: *Quid dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum inſultant? Nobis dicunt, Oſtendite ubi ſit ſcriptum nomen Monachorum.* Uſque ad Auguſtini ex Italia regreſſum Africa adeò non viderat Monachos, ut etiam ignoraret vocem, *Monaſterium.* Monachiſmum ille unà cum Baptiſmo ſuſceperat, atque ita ſecum detulerat in Africam. Quidquid ab ipſo erat, peſſimè oderant Donatiſtæ: Dixerunt Monachorum nomen eſſe ignotum apud Sacras litteras, ideoque non tantùm nova dogmata, ſed inſuper nova hominum monſtra eſſe ab eo in patriam delata. Hinc & Monachale, *Deo gratias*, oderant, & ejus in locum voluere ſupponi, *Deo laudes*. Nam & hoc uſitabant, & inter ſuas graſſationes & publicas cædes turmatim horrenda voce cantabant ipſorum circumcelliones. Hinc Auguſtinus addit: *Deo laudes veſtrum plorant homines*. Noſtrum, *Deo gratias*, etiam in Divinis Eccleſiaſticæ apparituræ officiis eſt apud omnes longè antiquiſſimum.

Secunda quæſtio eſt, Quis poſſit alterum benedicere? Benedictio eſt duplex: Alia eſt ſolemnis & publica, conſueta fieri in laudatis laudatæ apparituræ officiis, in aliis populi congregationibus, ac in proceſſu per publicas plateas. Alia eſt ſecreta ac privata. Et primò reſpondeo hanc poſſe cuilibet impartiri à quolibet. Etenim quemlibet prætereuntem poſſe ad ſeminantes, metentes, & quoſvis operantes dicere, *Benedictio Domini ſuper vos*, ſuprà teſtatus nobis eſt Propheticus Pſalmus, & confirmavit Sanctus Auguſtinus. Et quòd non ſolùm Chriſtianus, ſed etiam Paganus mendicus ſuo eleemoſynæ largitori ſoleat benedicere, item audivimus à Septimio Tertulliano. Et quid famoſius & antiquius paterna ac etiam materna benedictione in filios? Etenim Iſaac & Jacob, licet Sacerdotes eſſent, dum tamen filios benedixerunt, nequaquam Sacerdotali, ſed ſola paterna ſunt uſi poteſtate. Et quoniam teſtibus Sancto Auguſtino, & Sancto Joanne Chryſoſtomo, quiſque pater-familias ſuæ domui eſſe debet quaſi Epiſcopus, filii omnes quotidiè, præſertim manè & veſperè, ejus debent benedictionem petere atque accipere. Hæc eſt avita conſuetudo bonorum fidelium, habens exemplum à Sancto Propheta Job, & fundata in litteris Apoſtolicis. De ſuis Anglis ſcribit in vita Thomæ Mori Thomas Stapleronus: *Solent apud nos liberi manè & veſperè benedictionem flexo poplite ab utroque parente poſcere.* Et adjungit de ipſo Sancto Martyre: *Tametſi etiam apud nos viri jam facti, & vel conjugati, vel ad aliquam Eccleſiaſticam vel ſæcularem dignitatem evecti, præſertim Nobiles, hoc obſequii genus parentibus ſuis ampliùs non præſtent, aut certè præſtent rarius, tamen Thomas Morus inſita ſibi à teneris annis pietate & humilitate, etiam ſceptra Regum Anglorum gerens, primus poſt Regem, ſenem patrem hoc honore proſequi non recuſavit.* Regni Cancellarius, etiam in Weſt-Monaſterii palatio, publico judiciorum loco, flexis genibus, benedictionem à patre petebat.

Porrò Propheta Moyſes & moriens benedixit ſuo populo, & ſingulariter commendat benedictionem, quam in mortis lecto extremam ſuis filiis dederunt Iſaac & Jacob. Non ſine cauſa. Etenim non tantum à parentibus, ſed à quibuſcumque piis fidelibus extremam hanc benedictionem accipere boni Chriſtiani ſemper ſtuduerunt. Venerabilis Stephani vitam compendio deſcribit in Dialogorum libris magnus Gregorius, atque
adjungit: *Hunc cùm dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam ſanctæ animæ de hoc ſæculo recedenti ſuas animas commendarent.* Lib. 4. cap. 19.
Quòd ad moribundum Sanctum Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum ipſe etiam Imperator Conſtantinus Tiberius pro accipienda ejus extrema benedictione acceſſerit, in ejuſdem vita teſtatur Presbyter Euſtatius. Quod item Francorum Rex Clotarius Sanctum Medardum Noviomenſem Epiſcopum in extremis acceſſerit benedictionem petiturus, ſcribit in illius vita Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus, & addit cauſam: *Clotarius non diffidebat ſe contra diabolicas infeſtationes ejus benedictione muniri, & interceſſione apud divinam Majeſtatem reconciliari.* Et in vita Sancti Malachiæ Dunenſis Epiſcopi ſcribit de ſemetipſo Sanctus Bernardus: *In extremis poſitus erat Malachias. Accurri ego, ut benedictio morituri ſuper me veniret. At ille, cùm jam membra alia movere non poſſet, fortis ad dandam benedictionem, elevatis Sanctis manibus ſuper caput meum benedixit mihi, ut benedictionem hæreditate poſſiderem.* De Sancto item Nortberto habet in Sigeberti Gemblacenſis appendice Robertus Abbas Montenſis: *Nortbertus, adſtantibus fratribus benedictione data, moritur.* Quod ipſum de Sancto A. 1053.
Leone nono habet venerabilis Bertholdus Preſbyter Conſtantienſis. Et de Vigilio Pontifice, quem Theodoræ Auguſtæ Legatus Anthemius Scribon captivavit in Baſilica Sanctæ Cæciliæ, conjecit in navim, ac ita deportavit Conſtantinopolim, ſcribit Liber Pontificalis: *Plebs & populus ſequebatur Vigilium, adclamantes ut ora-*

tionem

tionem ab eo acciperent. Dataque oratione reſpondit omnis populus, Amen. Et mota eſt navis. Et in opere de Francorum Geſtis Aimoinus Monachus: Lib. 2. cap. 22. *Populus Romanus proficiſcentem Vigilium uſque ad navim proſecutus, poſtulabat ut benedictionem illis daret. Qua tradita, mota eſt navis.* Credebat populus Vigilium ab inimica & crudeli Theodora trucidandum, ideoque ipſum ſibi jam eſſe in extremis. Et hoc firmant ſequentia libri Pontificalis verba: *Videntes Romani, quòd mota eſſet navis, in qua ſedebat Vigilius, cœpit populus jactare poſt eum lapides, fuſtes cum calcibus, & dicere, Fames tua tecum. Mortalitas tecum. Malè feciſti Romanis, malè invenias, ubi vadis.* Exponit laudatus Monachus: *Non defuere tamen, quos injuſta expulſio Sylverii in odium ipſius excitavit. Hi lapides poſt illum, vel quælibet telorum genera fors obtulerat, jacientes conviciabantur.* Populus erat diviſus in duas factiones: Hinc à Pontifice, quem deinceps non videndum cenſebant, alii ſupplicabant benedici, alii ipſum onerarunt maledictionibus. Ad cœleſtem vitam migrantibus Piorum animabus nos, Divinæ Majeſtati commendandos, iſta humilitate commendamus. Sic ſuprà audivimus à Magno Gregorio. Eamdem rationem apud Guilielmum Malmesbarienſem confirmat Sanctus Lauxo, Prior Sancti Pancratii. Etenim in extremis benedicens omnibus ſuis Confratribus, & *rogatus ut apud Dominum, ad quem ibat, eorum memor eſſet, caput inclinando benigniſſimè acquievit.* Aliam rationem adduxit Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis. Et plurima ſunt ejuſmodi exempla. Quòd enim etiam Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus, Thomas Patriarcha Conſtantinopolitanus, Sanctus Livinus Flandrenſium Apoſtolus, Sanctus Godefridus Epiſcopus Ambianenſis, Sanctus Stephanus Dienſis, Sanctus Laurentius Juſtinianus, Sanctus Franciſcus, aliique paſſim boni viri ſuo populo aut familiæ in extremis ſolemniter benedixerint, docent authentica ipſorum acta. Plures etiam ſcripto ſuo teſtamento indiderunt varias benedictiones. Inſignem, quam ſua mater moriens dedit omnibus ſuis prolibus, benedictionem exponit in vita ſororis ſuæ Sanctæ Macrinæ Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Vide & epiſtolam, quam filiæ ſuæ Margaretæ noviſſimam ſcripſit Martyr Thomas Morus.

Reſpondeo ſecundò, ſolennem & publicam benedictionem impendi olim potuiſſe à ſolis Epiſcopis. Palàm id lucet ex Rejenſi Synodo. Hæc enim Armentario, quem in Ebredunenſem, maritimarum Alpium Metropolitanam, Cathedram duo ſolùm Epiſcopi ordinarant contra Canones, inflixit degradationis pœnam, & ſimul impartiit aliquid gratiæ. Eam ipſam gratiam, quam converſis Novatianenſium Epiſcopis fecit octavus Canon Nicænus. Ei in aliqua extra illam Provinciam Parochiali Eccleſia indulſit donari locum Chorepiſcopi cum hiſce tribus Epiſcopalis officii functionibus: Cap. 3. 4. *Poſſit plebem ſibi commiſſam benedicere, Neophytos confirmare*, & in publica Eccleſiæ apud Divinam Majeſtatem Apparitura *ſedere ante Presbyteros.* In ſolis ad ejus curam ſpectantibus vicis aut caſtellis, in nulla civitate. Et adjunxit Synodus: *Et inter minutas has diſcuſſiones & indefinitas, viſum eſt omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro deſiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quòd nonnullas jam Provincias habere ſuccurrit. Huic autem etiam in Eccleſiarum Plebibus, per loca tamen magis quàm per urbes, hoc idem viſum eſt tribuendum.* Cap. 6. Benedicendi facultas uſque tunc erat Epiſcopis uſque adeò reſervata, ut Presbyteri per familias, agros, ac privatas domos exercere ipſam tunc quidem inciperent, ſed ſimul paterentur multam Epiſcoporum contradictionem. Nempè quòd Epiſcopi in agris ac privatis domibus raró apparerent, benedictionem à ſuis Presbyteris poſtulare cœpit Galliarum populus: Cœperunt & Presbyteri attentare. Et ex rationibus hæc Synodus inductam conſuetudinem admiſit ac probavit. Et Chorepiſcopo Armentario indulſit aliquid amplius: Indulſit ipſum etiam Plebibus intra ſuorum vicorum & caſtellorum Baſilicas benedicere publicè, atque ita fecit *inferiorem Epiſcopo, Presbytero ſuperiorem.* Quocirca tunc Presbyteris etiam intra ſuas Eccleſias non licebat populo benedicere.

Eamdem diſciplinam firmat Agathenſis Synodus. Et nocturna & diurna officia adfirmat pari modo celebranda & ab Epiſcopis & à Presbyteris, atque ſubjungit: *Et Plebs collecta oratione ad veſperam, ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur.* Permittit id fieri à ſolo Epiſcopo. Lucet ex alio Canone: *Benedictionem ſuper Plebem in Eccleſia fundere, Presbyteris penitùs non licebit.* Cap. 44. Quare & in hoc Canone: *Miſſas die Dominico à Sæcularibus totas teneri, ſpeciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat.* Cap. 47. Hoc, inquam, in Canone vox, *Sacerdos*, accipitur pro ſolo Epiſcopo. Vel certè per Sacerdotis benedictionem intelligitur poſtrema Miſſæ Collecta. Canonem enim ita intellexit Walafridus Strabo: *Statutum eſt Aurelianenſi Concilio, ut populus ante benedictionem Sacerdotis non egrediatur de Miſſa.* Cap. 22. *Quæ benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis oratio.* Et in ſecunda ad ſuos de Eccleſiaſticis Officiis libros præfatione Amalarius Fortunatus laudat poſtremam Miſſæ Collectam, & exponit ejus rationem ac ſcopum. *In iſta noviſſima oratione benedicitur populus. Quid vult iſta benedictio? Pugnare vult, utique contra diabolum, & ejus inſidias.* Quæ omnia latiùs exponit in tertio libro. Cap. 26. 27. Et in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Oratio, quam poſteà*, utique poſt communionem ante Ite Miſſa eſt, *Epiſcopus dicit, eſt benedictio, qua Dominus adſcenſurus fideles benedixit.* Lib. 1. cap. 65. Et Guido Abbas Micrologus: *Communicatio populi typum gerit illius convivii, quod non ſemel Dominus poſt Reſurrectionem ſuam cum Diſcipulis iniiſſe legitur. Hos etiam poſt ultimum convivium ab iis diſceſſurus in cœlum benedixit: Sicut & Sacerdos populum cum oratione poſt communionem benedicit, videlicet cum citò diſceſſurus eſt ab eo.* Cap. 20 Affirmat id fieri poſt orationem, quæ dicitur ante, *Ite Miſſa eſt.* An Walafridus Strabo, memoria

ria lapſus, Agathenſem Canonem appellet Aurelianenſem, vel an adductus à nobis Canon non ſit Agathenſis, ſed Aurelianenſis, non vacat diſquirere. Quidquid ſit, noſtram doctrinam prima Aurelianenſis Synodus manifeſtè confirmat: *Cùm ad celebrandas Miſſas in Dei nomine* Cap. 26. *convenitur, populus non antè diſcedat, quàm Miſſæ ſolemnitas compleatur, & ubi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* Laudat benedictionem conſuetam dari poſt, *Ite Miſſa eſt.* Ipſam permittit ſoli Epiſcopo, & hunc ſolum intelligit per vocem, *Sacerdotis.* Et hunc forſan Canonem Walafridus attendit. Conſonat tertia Aurelianenſis Synodus: *De Miſſis nullus Laicorum antè diſcedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio exſpectetur.* Gallicana Eccleſia videtur tunc Dominica oratione Miſſam concluſiſſe. Etenim apud varias Eccleſias fuit circa iſtam orationem mos varius. Africanæ Eccleſiæ morem edicit Serm. 83. Sanctus Auguſtinus in ſermone de diverſis: *Ubi eſt peracta ſanctificatio, dicimus orationem Dominicam. Poſt ipſam dicitur, Pax vobiſcum: Et oſculantur ſe Chriſtiani.* Et tunc fit communio. Lucidè eſt hodiernus Latinæ Eccleſiæ mos, quem à ſe inductum in Romanam Eccleſiam ſcribit Magnus Gregorius ad Joannem Syracuſæ Epiſcopum: *Orationem Dominicam mox poſt precem* Lib. 7. indict. 2. epiſt. 64. *dicimus.* Quòd per precem intelligat Miſſæ Canonem, ſcribit in ejus vita Joannes Diaconus. Quare hunc morem non à Græcis, ſed à Lati- Lib. 2. cap. 20. nis Eccleſiis, ſi tamen iſte ſermo ſit verè Auguſtinianus, Gregorius fuit mutuatus. Hinc addit: *Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos à ſolo Sacerdote.* Et de ſuis Armeniis ſcribit in ſecunda Invectiva Patriarcha Iſaac: *Armenii ſanxerunt, ne quis audeat dicere, Pater noſter, in ulla oratione, ſive Sacerdos, ſive Laicus, niſi ſolus ſacrificans.* Quoſdam Sacerdotes, quò iſtam orationem ſolis Dominicis diebus ad Miſſam dicerent, graviter arguit, ac deinceps quotidiè dici mandat quarta Synodus Cap. 10. Toletana. Alios item Sacerdotes arguit, quòd dicta hac oratione ſtatim ſemetipſos, populum non niſi poſt alias orationes communicarent. Quem in Romano olim ſacrificio locum habuerit iſta oratio, uſque huc ignoro. Etiam an per ipſam Gallicana Eccleſia ſacrificium aliquando concluſerit. Quidquid ſit, præſentem diſciplinam ſtabilivit quarta Pariſienſis Synodus. Rhemenſium Metropolita Ægidius in Dunenſi Carnutenſis Diœceſis Caſtro ordinarat Promotum Epiſcopum, atque ita de atroci in ſe injuria Pappolus Carnutenſis Epiſcopus eſt apud Synodum conqueſtus. Hæc degradavit Promotum, imaginarium Epiſcopatum ſuppreſſit, atque adjunxit: *Statuimus etiam, ut quicumque de populo illo benedictionem Promoti Presbyteri expetierit, aut accipere contentus fuerit, à communionis conſortio arceatur.* Nempè ſolus Epiſcopus poterat populo benedicere, atque ita degradati Promoti benedictionem admittere erat Synodali judicio rebellare.

Eadem diſciplina permanſit ſub Regibus Carolini generis. Etenim in Aquiſgranenſi Capitulari ſtatuit de audienda Miſſa magnus ipſe Carolus: *Non exeant ante completionem benedictionis Sacerdotalis.* Per benedictionem intelligit Cap. 71. ultimam Collectam. Ejus enim tempore viguit Walafridus Strabo. Et Capitulare pergit: *Auditum eſt aliquas Abbatiſſas, contra morem ſanctæ Dei Eccleſiæ, benedictiones cum manus impoſitione & ſignaculo Sanctæ Crucis ſuper capita virorum dare. Quod omninò interdicendum eſſe ſcitote.* Loquitur ad Epiſcopos. Ait, *Super capita virorum.* Etenim ut Abbatiſſæ maternam ac privatam ſine manuum impoſitione benedictionem dent ſuis Monialibus, non eſt interdicendum. Et ex iſto Canone Sancta Maria Ægyptiaca, ab occurrente Sancto Zozima Abbate & Presbytero eſſe vir exiſtimata, & benedictionem poſtulata, excepit de ſuo ſexu, atque adjecit: *Tibi competit benedicere & orare. Tu enim Presbyterii honore ſuffultus es, & plurimis jam annis ſancto aſſiſtis Altari.* Zozimas tamen perſtitit: *Quia gratia non ex dignitate cognoſcitur, ſed ex animarum actibus ſignificari conſuevit, ipſa benedic propter Dominum, & orationem tuæ perfectionis tribue intelligentiæ meæ.* Et illa perſeverantiæ ſenis compaſſa dixit: *Benedictus Deus, qui ſolatium procurat animarum, &c.* Invita benedixit, nec abire voluit, niſi etiam accepta ſenis benedictione. Quin & ejuſdem accipiendæ cauſa eſt ſequenti anno reverſa ad Zozimam. Laudati Caroli ſelecta adversùm Chorepiſcopos Capitula habent: *Nullus Chorepiſcopus benedictiones in publica Miſſa populis tribuere præſumat, quæ ſummis Pontificibus, id eſt, Cathedralibus Epiſcopis, & non Chorepiſcopis vel Presbyteris debentur.* Nempè cenſet Chorepiſcopos non eſſe Epiſcopos, ſed ſimplices Presbyteros. Et Herardus Turonenſis Archiepiſcopus habet in ſuo Capitulari: *Ne Presby-* Cap. 78. *ter benedictionem publicè ſuper populum fundere præſumat.* Et inter quinque Epiſcopalis dignitatis, Cap. 9. à Presbytero attentari vetitas, Prærogativas Stephanus Eduenſis Epiſcopus ponit & hanc: *Super populum benedicere.* Et adversùm Abbates, qui tunc paſſim poſtulabant ab Apoſtolica Sede atque impetrabant ornamenta Pontificalia, graviter & variè declamat in litteris ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum Sanctus Bernardus, atque adjungit: *Cur non & ſacros ordines celebra-* Ep. 42. *tis, & benedictiones datis in populis?* Quòd nempè publica populi benedictio, non minùs quàm Sacrorum ordinum collatio, eſſet tunc Epiſcopis reſervata.

His obſtare videtur Magnus Papa Leo in litteris ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos: *Coram Epiſcopo non licet Presbyteris Baptiſterium ingredi,* Ep. 88. *nec eo coram poſito populum docere, vel benedicere, aut ſalutare.* Enumerat illic plura, quæ Presbyteri non poſſint, verùm præſente Epiſcopo. Quod ipſum multis demonſtrat in litteris ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum Sanctus Hieronymus, & affirmat iſtam formam ſervari Romæ, in Italia, Africa, Hiſpania, Illyrico, Occidente toto, atque Oriente. Et addit: *Etiam ex parte per Gallias.* Quòd nempè jam adducti Canones non ab omni Gallicana Eccleſia ſervarentur. Haſce authoritates laudat in libro de

de Eccleſiaſticis obſervationibus Guido Abbas Micrologus, ipſis opponit adductum à nobis quadrageſimum quartum Agathenſem Canonem, & addit de ſecum ſentientibus Doctoribus: *Hanc prohibitionem de Epiſcopali tantùm benedictione factam interpretantur*. Et reverà inter ſimplicem Presbyteralem ac inter multa ſacrorum rituum veſte ornatam Epiſcopalem benedictionem eſt ac ſemper fuit grande diſcrimen. Et Epiſcopalem benedictionem Guido exponit: *Quæ benedictio juxta decimum octavum Toletani Concilii Capitulum, & atteſtationem Sancti Auguſtini ad Paulinum Epiſcopum, ante communionem populo à ſolis Epiſcopis debet impendi*. Epiſcopalem benedictionem cenſet olim fuiſſe non illam, quæ datur poſt, *Ite Miſſa eſt*, ſed illam Collectam ſuper populum, quæ olim ante communionem fuit dicta. Hanc Guido cenſet olim fuiſſe reſervatam Epiſcopis. Et dat rationem: *Ideò hujuſmodi benedictio fortaſſe antiquitùs Presbyteris interdicta eſt, quia & ad Epiſcopale officium pertinere videbatur, & Eccleſiaſtico Conventui nondum adeò neceſſaria reputabatur. Nam ſoli communicantes confectioni Sacramentorum antiquitùs intererant: Quibus & oratio poſt Communionem, quæ pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere. Apud modernos autem, cùm jam populus communicare ceſſaret, nec tamen à Divinis Myſteriis ſe ſubtraheret, neceſſariò permiſſum eſt, ut à Presbytero benediceretur, ne tam benedictione quàm communione privatus diſcedere videretur*. Vidit ſe non ſtare in firmo fundo, ideoque ſubjunxit: *Si quis hoc*, utique Agathenſe Capitulum, *de hac ipſa benedictione, de qua agimus*, nempè de danda benedictione poſt Ite Miſſa eſt, *dictum putaverit, ſententia tamen Provincialis Concilii tam generali Eccleſiaſticæ conſuetudini præjudicare non poterit*. Quæ ferè omnia confirmat in quinquageſimo primo ejuſdem libri capite.

Cap. 16.

Reſpondeo Guidonem hic variè labi, & quædam rectè ſentire. Primò, rectè ſentit olim ante Communionem populum fuiſſe ſolemniter benedictum. Secundò, rectè ſentit iſtam benedictionem fuiſſe inſtitutam pro communicante populo. Hanc benedictionem laudat in ſecunda ad ſuos de Eccleſiaſticis officiis libros præfatione etiam Amalarius Fortunatus: *In oratione, quam dicit Sacerdos poſt Communionem, dicit Sanctus Auguſtinus Sacerdotem benedicere, & tranſire populum ad manus Sacerdotis. Hæc conſuetudo non conſervatur apud nos uſquequaque, niſi fortè id ſit tranſire populum ad manus Sacerdotis, quod eſt ab eo accipere Sacramenta corporis Domini. Quod penè omnis Romana Eccleſia & Orientalis per omnes ſolemnes dies agit. Et id ſit benedici, quod comeditur cibus Dominicus. Sic enim canitur in Canone: Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur*. Poſtulationes & gratiarum actiones confundit. Quòd populum ad Sacerdotis manum accedere, licèt hæc verba Auguſtinus iſtic nôn habeat, ſit ad ſumendam Euchariſtiam accedere, rectè dicit; at errat quòd ab Auguſtino laudata populi benedictio fuerit facta poſt communionem. Omninò fuit facta ante ipſam. Audiamus Sancti Auguſtini verba. Obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones, quas à Timotheo & omnibus ſub cœlo Sacerdotibus fieri mandat Apoſtolus, eſſe quatuor ſolemnes noſtri ſacrificii partes oſtendit in litteris ad Sanctum Paulinum Nolæ Epiſcopum Sanctus Auguſtinus, & poſtulationes exponit: *Poſtulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim Antiſtites, velut Advocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt Poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apoſtolus*. Ep. 59. Et Apoſtolus & Auguſtinus palàm diſcernunt inter poſtulationem & gratiarum actionem. Illam volunt tertiam, hanc eſſe quartam Miſſæ partem. Utraque erat populi benedictio: Prior ad Euchariſtiam dignè ſumendam, ad ſumptæ effectus firmè conſervandos poſterior populum parabat & muniebat. Nec refert, quòd hæc fuerit gratiarum actio. Erat enim non Phariſaica, ſed Chriſtiana. Porrò in Sancti Lucæ Evangelio famoſum legalis juſtitiæ hiſtrionem Phariſæum, quòd tantummodò gratias ageret pro accepta ſanctimonia, & eidem cuſtodiendæ nova auxilia non ſupplicaret, frequenter & meritò damnat Sanctus Auguſtinus. Proindè hæc poſterior populi benedictio numquam data fuit, nec dari potuit ante Communionem. Etenim gratiarum actio debet eſſe accepto dono poſterior. Quare binas has benedictiones Amalarius Fortunatus malè confundit. Priorem benedictionem Gallicana Eccleſia adhuc uſitavit ad exordium undecimi ſæculi. Lucet ex Lemovicenſi Synodo, celebrata ad Pontificatum Joannis decimi octavi: *Cùm ad horam fractionis Dominici corporis ventum eſſet, atque ex more Archiepiſcopus benedictionem populo funderet, ſuperinſeruit Beati Martialis nominis mentionem, ita dicens; Benedicat & cuſtodiat vos Omnipotens Deus, &c.* Cujus benedictionis memoria adhuc hodiè ſupereſt in Romano Miſſali. Etenim Sacerdos, dum hoſtiam frangit, dicit ad populùm: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Largiorem benedictionis formulam Magnus Gregorius contraxit in iſtud compendium. Eamdem benedictionem, & laudatum Sancti Auguſtini locum elucidat adductus à Guidone Abbate Canon quartæ Toletanæ Synodi: *Nonnulli Sacerdotes poſt dictam orationem Dominicam ſtatim communicant, & poſt benedictionem in populo dant. Quod deinceps interdicimus. Sed poſt orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum ſequatur, & tunc demùm corporis & ſanguinis Domini Sacramentum ſumatur: Eo videlicet ordine, ut Sacerdos & Levita ante Altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus*. Dicta olim Dominica oratione apud Hiſpanos celebrans Sacerdos ſtatim communicabat ſemet-ipſum, & tunc primò dabat benedictionem populo. Utique priorem benedictionem, quæ ab Apoſtolo titulatur poſtulatio, & ita populum ad Euchariſtiam dignè percipiendam diſponebat. Et iſtum morem Canon abolet, mandatque & Sacerdotem, & Clerum, & populum com-

communicare ſimul, ſuo tamen ordine & loco: Omnes communicare poſt laudatam benedictionem. Et ipſum abuſum fuiſſe in Hiſpania correctum, docet antiqua Miſſa Mozarabum. Etenim illic dicta Dominica oratione Sacerdos ſtatim frangit hoſtiam, & Diaconus declamat ad populum: *Humiliate vos ad benedictionem*. Et tunc Sacerdos populo ſolenniter benedicit. Exindè ſemet ipſum communicat, deindè populum. Et hinc Guido Abbas labitur, quòd hæc poſtulatio ſeu benedictio fuerit olim reſervata Epiſcopis. Etenim iſta benedictio erat tunc Miſſalium rituum ſubſtantialis pars ex Apoſtolico Canone: Et plena publicæ etiam Miſſæ celebratio numquam fuit reſervata Epiſcopis, aut Presbyteris interdicta.

Alter Guidonis lapſus eſt, quòd dicat ſolos communicantes olim adfuiſſe Sacramentorum confectioni, ſeu Miſſæ Sacrificio. Per communicantes intelligit eos, quibus Sanctus Cyprianus paſſim ſcribit eſſe *jus communicationis*, & quos antiqui Canones vocant. *Perfectos*, & *Communicantes cum oblatione*. Certum eſt non hoſce ſolos, ſed etiam *Conſiſtentes* adſuiſſe conficiendis Sacramentis. Etenim è Subſtratione ad Conſiſtentiam translatio transferebat è Narthece ad Eccleſiam, dabatque jus participandi ſolis orationibus, ſeu videndi & audiendi ſacrificii, at non de ipſo communicandi. Tertius error eſt, quòd omnes tunc ſacrificio præſentes communicarent, aut communicare deberent. Etenim Conſiſtentes communicare non poterant. Et quod Perfecti, quoties aderant ſacrificio, debuerint de ipſo communicare, nullo poſſit firmari authentico teſtimonio. Fateor in multis Eccleſiis communicaſſe: Verùm addo non debuiſſe. Hinc enim de quotidiana populi communione fuerunt olim diſparatiſſimæ Sanctorum Patrum ſententiæ. Nec aliud evincunt antiquæ, quarum plurimæ etiamnum ſuperſunt in hodierno miſſali, poſt communionem Collectæ. Licet pleræque peractam populi communionem laudent, nulla tamen aſſerit omnem populum communicaſſe. Quartus lapſus eſt, quod quadrageſimum quartum Agathenſis Concilii Canonem dicat eſſe dumtaxat Provincialem, ideoque ejus authoritatem non poſſe extendi ad omnem Eccleſiam. Etenim ipſum firmari audivimus etiam ab aliis Synodis totius Gallicanæ Diœceſeos. Et in ſcripta adversùm Chorepiſcopos ad Africanæ Eccleſiæ Antiſtites Epiſtola Sanctus Damaſus Pontifex inter reſervatas Epiſcopis functiones etiam ponit: *Populum benedicere*. Scio Epiſtolam hanc eſſe ſtramineam & ſpuriam. Quod abundè conſtare poſſit vel ex eo ſolo, quod ad Africanam Eccleſiam ſcribat contra Chorepiſcopos: Illa enim hos nunquam habuit. Epiſtola interim eſt dogmate ſana, atque antiqua. Eſt octavi ſæculi fœtus. Et ſcripta videtur ab aliquo Hiſpano. Haſce enim merces neſcio quis apud Hiſpanos Saracenos negotiator Iſidorus detulit in Franciam, & cum aliis ipſam ubique per Francorum Regna ſeminavit Riculphus Moguntinæ Eccleſiæ tertius Epiſcopus poſt Sanctum Apoſtolum Bonifacium. Proinde Hiſpaniarum diſciplinam laudat Epiſtola, atque ita etiam illic benedictio populi erat ſolis Epiſcopis reſervata.

Eundem fuiſſe omnis Latinæ Eccleſiæ morem demonſtrat avitus ritus Latinæ Miſſæ, de quo Guido Abbas: *Hinc & illa conſuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleviſſe videtur, ut in aliis temporibus etiam Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione privatum diſcedere permittant*. Agit de Quadrageſimalium Miſſarum ſuper populum benedictionibus. Quærit cur hæ ſolæ iſtam benedictionem habeant? Et reſpondet: *Orationem ſuper populo in Quadrageſima ideò frequentamus, quia cum majorem conflictum in jejuniis & orationibus contra ſpirituales nequitias ſumimus, neceſſariò nos inſtantiùs Deo commendare debemus. Nam oratio poſt Communionem pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo ita oratione, ut Communione careret, adjecta eſt oratio ſuper populum, in qua non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vetatur, quæ huic orationi à populo antiquitùs perſolvebatur, vel potiùs ideo, quia omnes juxtà atteſtationem Sancti Ambroſii in diebus Dominicis communicare deberent, quibus & oratio poſt Communionem pro benedictione ſufficere poſſet*. Quæ ut confirmet, denuò aſſerit ſolos Communicantes ſeu Perfectos olim adfuiſſe ſacrificio, & omnes de ipſo ſemper participaſſe, ideoque orationem, quæ poſt communionem dicitur, de iſto dono ſemper egiſſe gratias. Non tantùm ad quotidianam communionem, ſed etiam ad quotidianam ſacrificii auditionem cenſet populum fuiſſe olim adſtrictum, & utramque legem pedetentim per contrariam conſuetudinem defeciſſe. Priùs legem de communicando, quàm legem de audienda miſſa. Etenim per mediorum ſæculorum Quadrageſimas, licet communicare in dies non debuerit, quotidiè tamen ex Guidonis judicio populus debuit audire Miſſam. Et communicare ſingulis diebus Dominicis. Et quia tunc ferialium Miſſarum poſt communionem oratio non erat populo proportionata, cenſet ille adjectam fuiſſe aliam. Exindè etiam faciendæ per ſingulas Dominicas communionis lex & conſuetudo defecit, & novas quotidie orationes adjicere noluit Eccleſia. Hinc ne omni benedictione careret populus, inducta eſt benedictio poſt *Ite Miſſa eſt*. Etiam poſt communionem oratio hodiè ſpectat paſſim ad ſolum Celebrantem. Et hæc doctrina non caret fundamentis. Quidquid ſit, certum eſt hanc noviſſimam Presbyteralem benedictionem fuiſſe antiquis ignotam. Ejus nec antiquus Romanorum Ordo, nec Walafridus Strabo, nec Amalarius Fortunatus, nec Alcuinus Flaccus, nec Remigius Antiſiodorenſis, nec Abbas Rupertus, nec quis alius ipſis antiquior meminerunt. Guido Abbas affirmat eſſe recentium inſtitutionem.

Et hinc oritur tertia quæſtio, Quis hanc benedictionem induxerit? Reſpondeo ejus originem poſſe colligi ex Sancti Fulberti Carnutenſis Epiſcopi

Cap. 51.

ſcopi

Ep. 79. ſcopi ad neſcio quem Epiſtola de variis Eccleſiarum ritibus: *Presbytero benedicendi os non alligabis, niſi ex Præcepto Epiſcopi ſui. Quod oblitus fueram, prohibetur tamen Agathenſi Canone.* Ad undecimi ſæculi exordium Fulbertus floruit, atque ita tunc videtur etiam hæc conſuetudo cœpiſſe. Hinc Fulberti de ipſa judicium neſcio quis poſtulavit, & nonobſtante Agathenſi Canone, Fulbertus reſpondit ipſam non impediendam. Agathenſis Canon tunc abierat in tantam deſuetudinem, ut tantus Doctor ipſius non recordaretur. Oppoſita conſuetudo paulatim invaluit per omnem Eccleſiam. Etenim Guido Abbas, qui eodem ſæculo floruit & docuit in Italia, ſcribit: Cap. 21. *Adeò in uſum jam uſquequaque venit hæc benedictio, ut nequaquam abſque gravi ſcandalo à Presbyteris in populo prætermitti poſſit. Niſi fortè Apoſtolica Sedes generaliter & Synodaliter prohibere voluerit.* Ejus tamen venerabilis Rupertus, qui ad duodecimi ſæculi exordium docuit Colonienſem ac Leodienſem Eccleſiam, non meminit. Et ad ejuſdem ſæculi medium Sanctus Bernardus conſtanter affirmat ipſam etiam ab Abbatibus, licet Pontificalium ornamentorum ex Apoſtolico Privilegio haberent uſum, non potuiſſe præſumi. Quocircà ejus uſus tunc nondum erat univerſalis. Quinimò in libris de Miſſæ ſacrificio Innocentius tertius, hanc benedictionem laudans, ſemper dicit fieri ab Epiſcopo, Presbyteri nullam facit mentionem. Quare Presbyteralem benedictionem tunc necdum probarat Romana Eccleſia. Ipſam jam pridem indidit ſuo Miſſali. Adeò potens eſt conſuetudo.

Aſſiduè loquor de Presbyterali benedictione. Lib. 1. c. 90. Etenim Epiſcopalis, etiam poſt *Ite Miſſa eſt*, benedictio eſt omninò antiquiſſima. De ipſa ſcribit in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Benedictionem Epiſcopalem Martialis Epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus, ex magiſterio Apoſtolorum tradidit.* Omnino ex Apoſtolorum magiſterio. Etenim Simonem Pontificem, & oblata per ipſum ſacrificia laudat liber Eccleſiaſticus, & adjungit de ipſorum concluſione: Cap. 50. *Tunc deſcendens Simon manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael dare gloriam Deo à labiis ſuis, & in nomine ipſius gloriari.* Completo ſacrificio, populum ſolemniter benedixit; ex avito more; & elevatis manibus. Quod benedicens Pontifex manus in quatuor mundi plagas moveret, atque ita crucis ſignum prophetice formaret, teſtantur graviſſimi Interpretes. Etiam poſt ſuum in noviſſima Cœna incruentum ſacrificium Chriſtus Dominus dixit hymnum, qui haud dubiè incluſit fuſam in diſcipulos benedictionem. Hinc ergò à Synagoga uſitatum, & à Chriſto Domino confirmatum morem Apoſtoli tradiderunt ſuis diſcipulis, & Sanctus Martialis traduxit in Eccleſiam Gallicanam. Quidquid ſit, eſſe antiquiſſimam evincunt adducti Gallicani Canones. Hic præſertim Aurelianenſis: *De Miſſis nullus Laicorum ante diſcedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, ejus benedictio exſpectetur.* Vaſtas Diœceſes habet Gallicana Eccleſia, ideoque oppidorum, ac præſertim pagorum ſacrificio rariſſimè aderant Epiſcopi: Et tamen eorum benedictio eſt populis fructuoſiſſima, immò ſubindè neceſſaria. Hinc ſtatuit Agathenſis Synodus: *Ut cives, qui* Cap. 63. *Paſchæ, Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtivitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, cùm in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendæ cauſa poſitos ſe noſſe debeant, triennio à com-* Cap. 35. *munione priventur Eccleſiæ.* Et Epaonenſis Synodus. *Ut cives ſuperiorum natalium nocte Paſchæ ac Nativitatis Domini ſolemnitate Epiſcopos, nec intereſt in quibus civitatibus poſitos, accipiendo benedictionis deſiderio noverint expetendos.* Quod ipſum, licèt accipiendæ benedictionis non faciant expreſſam memoriam, ſanciunt Synodus Arvernenſis, quarta Aurelianenſis, prima Matiſconenſis, & tertia Lugdunenſis. Mandant ut omnes totius Diœceſeos honorati cives tribus iſtis anni feſtivitatibus conveniant ad ſolemne ſui Epiſcopi ſacrificium, atque ita non tantùm pro ſeſe, ſed etiam pro ſuis oppidis & pagis accipiant ejus benedictionem. Epaonenſis Synodus addidit: *Nec intereſt in quibus Civitatibus poſitos.* Quidam exiſtimabant ſe non adſtringi niſi ad civitatis & Cathedralis Baſilicæ acceſſum. Hunc ſenſum improbat Synodus, mandatque Epiſcopum, in quocumque ſuæ Diœceſeos loco tunc ſynaxim celebraret, accedi. Et hinc intelliges quintum Canonem tertiæ Lugdunenſis Synodi: *Ut nullus Epiſcoporum Natalem Domini, aut Paſcha alibi niſi ad Eccleſiam ſuam, præter infirmitatis incurſum, aut ordinem Regium, celebrare præſumat.* Statuitur hoc non tantùm in Cathedralis civitatis, ſed etiam in gratiam honoratorum in omni Diœceſi civium, qui iſtis feſtis debebant benedictionem accedere. Verùm hic acceſſus fuit difficultatibus & incommodis obnoxius: Hinc pedetentim abiit in deſuetudinem. Et tunc Parochiales Presbyteri cœperunt ſuæ plebi in Miſſa benedicere. Primò in magnis dumtaxat feſtivitatibus, deindè ad ſingulas Miſſas publicas. Et iſte mos tandem ubique obtinuit. Hanc credo eſſe veram Presbyteralis benedictionis originem.

Interim Epiſcopalis benedictio ſemper manſit in ſua dignitate, ſemper retinuit plures characteres, quibus Presbyteralem benedictionem ſuperemineret. Et tunc nata eſt famoſa harum benedictionum diſtinctio. Et iſtorum characterum Epiſcopi ſemper fuerunt zeloſiſſimi. Joannes decimus octavus, quem alii vigeſimum dicunt, primus incœpit Abbatibus permittere ornamenta Pontificalia: Et quanto impetu Epiſcopi interceſſerint, docent plura tragica exempla. Et tamen iſti privilegio necdum inerat facultas Epiſcopalis benedictionis. Hinc enim adversùm infulatos Abbates declamat in litteris ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum Sanctus Bernardus: *Cur non & ſacros ordines celebratis, & datis benedictiones in populis?* Ep. 42. Omninò videtur loqui non de Presbyterali benedictione, ſed de Epiſcopali. Ipſam non minùs quàm ſacrorum Ordinum collationem cenſet Epiſcopali dignitati reſervatam. Primum hujus benedictionis dandæ privilegium Petro Cavenſis apud Salernum celeberrimi Monaſterii Prælato donavit Urbanus ſecundus. Habes

diplo-

A. 1091. diploma apud Dominum Cardinalem Baronium. Et de ſui ad Sanctum Albanum Monaſterii Apoſtolicis privilegiis habet apud Matthæi Pariſienſis additamenta antiquus Catalogus: *Cum à nobis* Fol. 133. *eſſet petitum, quod Abbas poſt Agnus Dei, & per vicos & plateas poſſit benedictiones ſolemnes dare, præciſè ad hoc nobis erat reſponſum, quod fruſtrà exquiſivimus extra quod intus habebamus. Videlicet quod ex tenore privilegiorum noſtrorum indiſtinctè & abſolutè eſt conceſſum, quod Abbas poteſt benedictiones dare, de omni benedictione erat intelligendum, tùm nihil exceperit quod excipere potuit. Unde dicunt quòd ſecurè poterit benedictionem dare*. Et à Luca Dacherio vulgatum Dionyſiani propè Pariſios Monaſterii breve Chronicon habet: *Conceſ-* A. 1228. *ſus eſt Eccleſiæ Benti Dionyſii uſus Tunicæ & Dalmaticæ, & benedictionis ſuper populum, à Domino Papa Gregorio, vivente Petro Abbate*. Quæ facultas tandem adeò invaluit, ut facta ſit commune jus omnium Abbatum. Quiſquis Abbas ornamentorum Pontificalium pleno uſu gaudet, gau- Diſp. 21. §. 7. 3. 9. det etiam jure Epiſcopalis benedictionis. Vide plura apud Aſcanium Tamburinum in primo tomo de jure Abbatum. Nolo tamen omittere, quod ſuo ſexto libro ad titulum de Privilegiis inſeruit Bonifacius octavus, quarti Alexandri Decretum: *Abbates, quos Apoſtolica Sedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali privilegio inſignivit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno jure, quando in eis Divina Officia celebrant, poſſint poſt Miſſarum ſolemnia, & Veſpertinas ac Matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum elargiri. Alibi autem publicè, aut per vias, civitates, caſtra, & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impartiri non valeant, niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico privilegio ſit conceſſum*.

Etenim Epiſcopalis benedictio eſt juriſdictionis ſpecies, ideoque exerceri non poteſt extra territorium. Hinc Apoſtolicæ Sedis Legatum ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam pro curanda Eccleſiarum unione, quod occurrenti populo publicè benediceret, admodùm diſplicuiſſe, ac fuiſſe ſolemniter prohibitum, ſcribit in Florentini Concilii Hiſtoria Sylveſter Sguropulus, & adjungit cauſam: *Quod id à Legato Romano in aliena Provincia ac juriſdictione audacter nimis tentaretur*. Nempè juxta Euſebianæ factionis devia principia ſchiſmatici Græci juriſdictionem Romani Epiſcopi circumſcribunt intra Occidentis Patriarchatum. Porrò Joſephum Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Ferrariam advectus omni populo etiam benedicebat, ſimili modo Eugenius quartus rectè compeſcuit. Etenim Græcorum Patriarchæ numquam aliquid potuerunt extra ſuas Diœceſes. Ex eodem principio de recens per Metropolitam aut Patriarcham in quavis civitate conſecrato Epiſcopo ſcribit in libro de ſacris Ordinationibus Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis: *Populus accedens, atque etiam Clerici ſacrati oſculantur Ordinati manum, & benedicuntur qui cum fide concurrunt. Cum enim ſit recens ordinatus, totus eſt purgatus ac illuminatus, gratiaque in hac nova conſecratione abundantiùs ab iis ſuppeditatur, qui eam supernè acceperunt. Neque etiam tunc benedicere prohibetur, licet alterius ſit urbis Epiſcopus, cum hujus rei, ut recens ordinatus, poteſtatem habeat*. Hic eſt ferè unicus caſus, in quo Epiſcopus extra ſuam Parochiam poſſit ſolemniter benedicere. Idem poterat, dum hoſpes invitabatur ad ſolemne ſacrificium. Quod ab hoſpite Sancto Epiphanio Hieroſolymitanus, & quod à reduce poſt exilium Sancto Fulgentio Carthaginenſis populus ſolemnem benedictionem petierit, fecit grandis iſtorum Patrum ſanctimonia. Et quidem Epiphanius non evaſit Joannis Epiſcopi invidiam.

Objecta nobis Sancti Hieronymi Epiſtola eſt ſtraminea, & manifeſtè ſpuria, indigna Sancto Hieronymo. Etiam Narbonenſis Eccleſia nullum habuit Ruſticum Epiſcopum uſque ad tempora Magni Leonis Pontificis. Hujus ad Galliæ ac Germaniæ Antiſtites Epiſtola eſt etiam graviter ſuſpecta de ſpuriis natalibus. Neutra interim Epiſtola nobis adverſatur. Utraque firmat avitam Epiſcopi ſuper Presbyteros & omnes ipſorum ſacras functiones poteſtatem. Loquitur cum Laodicenſi Concilio: *Non oportet Presbyteros ante proceſſionem Epiſcopi introire Sacrarium & ſedere, ſed cum Epiſcopo debent introire vel ſedere. Presby-* Cap. 56, 57. *teri præter Epiſcopi conſilium nihil agant*. Et cum Apoſtolico Canone: *Presbyteri præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipſi* Cap. 40. *commiſſus eſt*. Et cum Sancto Papa Gelaſio in litteris ad Lucaniæ Epiſcopos: *Presbyteri, præſente quolibet Antiſtite, niſi fortaſſe jubeantur, vel orationis, vel ſacræ actionis ſupplendæ ſibi non præſumant eſſe licentiam. Neque ſub ejus adſpectu, niſi jubeantur, aut ſedere præſumant, aut veneranda tractare Myſteria*. Plurimi ſunt hujuſmodi Canones. Eorum ſubſtantiam frequenter laudat Martyr Ignatius, ideoque illa omninò eſt Inſtitutum Apoſtolicum atque Divinum. Antiquum ejus obſervandi modum declarat in Magni Baſilii vita Sanctus Amphilochius, de illo Parochialem neſcio cujus venerabilis Presbyteri Anaſtaſii Eccleſiam viſitante ſcribens: *Cùm perrexiſſemus in Sanctam Dei Eccleſiam, Baſilius præcepit Anaſtaſio, ut* Cap. 12. *Miſſam celebraret. Ille autem ait ad eum: Sancte Dei, ut doces, quod minus eſt à meliori benedicitur. Dicit ei Sanctus Pater noſter: Ad reliquas tuas virtutes obedientia accedat. Conſentiens autem Presbyter adſtitit ad Sacra Miſſarum*. Adeò invitè tunc Presbyteri, præſente Epiſcopo, miſcebant ſe ſacris functionibus, licèt juſſi. Et hanc hierarchicam ipſorum etiam in benedicendo populo ſubjectionem firmat utraque iſta Epiſtola. Neutra loquitur de benedictione ad ſacrificium poſt *Ite Miſſa eſt*. Etenim conſtat ipſam tunc necdum fuiſſe.

Quarta quæſtio eſt, Quæ ſit virtus & quis effectus Sacerdotalis benedictionis? Reſpondeo Sacerdotalem benedictionem apud primitivam Eccleſiam fuiſſe Divinum Chariſma, ideoque claruiſſe infallibili virtute dandi intentum à benedicente effectum. Etenim ipſam inter Chariſmata lucidè numerat in prioribus ad Corinthios litteris Sanctus Paulus Apoſtolus: *Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen?* Reſponſum, *Amen*, altè clamat benedictioni fuiſſe effectum infallibilem. Etenim ibi

ibi non eſt optantis emphaſis, ſignificans, *Fiat*, ſed eſt credentis aſſertio, ac ſignificat, *Verum*. Ita & nos hodiè dum Euchariſtiam accipimus, Sacerdoti dicenti, *Corpus Chriſti*, reſpondemus, *Amen*. Et apud Græcos idem Myſterium conſecranti Sacerdoti, ac dicenti, *Hoc eſt corpus meum*, omnis populus reſpondet, *Amen*. Etiamnum hodiè. Etenim Schiſmatici, qui Spiritus Sancti advocatorias preces Dominicis verbis in Miſſa poſtpoſuerunt, iſtud *Amen* reliquerunt ſuo loco, atque ita palam profeſſi ſunt Euchariſtiæ conſecrationem per iſta verba ſemper fuiſſe completam. Verùm & prophetiam evacuari, & linguas ceſſare, & cum aliis Chariſmatibus ſcientiam auferri oportuit ſuo tempore, atque ita etiam Sacerdotalem benedictionem ſuæ virtutis infallibilitate viduari. Remanſit ipſa, & ad eam etiamnum hodiè reſpondemus, *Amen*. At hoc non eſt amplius firma credentis aſſertio, ſed dumtaxat pium optantis ac ſperantis votum. Ipſa interim adhuc robuſta eſt atque efficax. Etenim de ea ſcribit in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litteris Magnus Baſilius: *Benedictio eſt ſanctificationis communicatio*. Hinc ſancit illam à maculoſo Presbytero non poſſe attentari. Etiam peccantes Laicos ab accipienda Sacerdotis benedictione idem Baſilius ſuſpendit. Et hinc à Nicolao MyſticoPatriarcha Conſtantinopolitano plures olim Monachi quæſierunt. *Quod dicit Sanctus Baſilius in parvis pœnis, Sit à benedictione alienus pro lapſus proportione, quid eſt?* Et Nicolaus reſpondit: *Privari aliquem benedictione, quæ datur in Eccleſia*. Et Theodorus Balſamon commentatur: *Benedictiones Eccleſiaſticæ ſunt omnia, quæ fiunt vel dantur ab Epiſcopis vel Sacerdotibus in Eccleſiis ad preces & ſtabilimentum Chriſtiani populi*. Quòd etiam Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus quoſdam criminoſos à ſua Epiſcopali benedictione ſuſpenderit, atque ita gradum fecerit ad ipſos excommunicandos, ſuprà eſt demonſtratum. Etiam ex Nicolai primi litteris adduxi hæc ad Lotharium Francorum Regem verba: *Ut Apoſtolicæ vos benedictionis munere ditare poſſimus*. Lotharium, niſi obediat, minatur à ſua benedictione ſuſpendere. Et notandum eſt verbum, *Ditare*. Edicit ab hac benedictione donari opulentos effectus. Et de Britannorum Proceribus ſcripſit ad ejuſdem gentis Epiſcopos Joannes decimus tertius: *Si inobedientes fuerint noſtræ juſſioni, ſint excommunicati, & noſtra benedictione Apoſtolica privati*. Videtur hanc privationem excommunicatione majorem cenſere. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla.

Cap. 27.

Et hinc intellige mentem Hermiæ Zozomeni, ſcribentis de Sancto Joanne Chryſoſtomo, per Theophilum Alexandriæ Patriarcham iniquè degradato, iniquè relegato per Arcadium Imperatorem, at per indignitate facinoris indignatum populum violenter reducto in Regiam civitatem, atque Epiſcopale Palatium: *Ducunt Joannem ad Eccleſiam, & compulerunt illum populo benedictionem impartiri, & in Epiſcopali Sede conſidere*. Egerunt ex laudato Magni Baſilii Canone. Hinc enim in leviora lapſum Presbyterum permittit eſſe participem ſuæ Cathedræ, & à fundenda in populum benedictione dumtaxat ſuſpendit. Joannes erat plenè degradatus, ideoque exutus utroque jure. Hinc ipſum populus & in Cathedra ſedere voluit, & ab ipſo ſedente ſolemniter benedici. Ita demonſtravit iniquum Theophili judicium à ſe contemni tanquam convicium, & exſufflari. Eidem principio nituntur quæ ſcribit in libro de ſacris ordinationibus Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis: *Hanc Divinam pacem, qui zeloſæ ſunt fidei, & verè Chriſtiani, audire deſiderant ab Epiſcopo. Et qui ſciunt, quæ ſit ſalutatio illa pacis, orant ſacros Epiſcopos, quamdiu vivunt, ſedere in throno, & pacem ipſis dicere & precari, ut ſcriptum eſt in vita Magni Petri Alexandrini, qui ſæpè verecundabatur hoc facere, reverens virtutem quæ eſt in throno Epiſcopali, quam ſæpiùs corde puro conſpiciebat. Poſt mortem etiam magno cum deſiderio petierunt videre Paſtores ſuos mortuos in throno ſuo ſedentes, hoc modo credentes ſe Divina pace frui. Hoc ergò accidit Alexandriæ in Divino illo Petro poſt ejus cædem. Et in urbe Regia in Patre Sancto Chryſoſtomo, quem longo poſt mortem tempore in throno ſuo collocarunt, cuique tunc, ut dicunt, Divina gratia aperuit labia, & illud, Pax vobis, pronunciavit*. Sancti Epiſcopi ſui Joannis, licèt jam pridem defuncti, degradationem fuiſſe ab Innocentio Papa legitimè exſufflatam profiteri iterùm hoc modo voluit Conſtantinopolitanus populus, & Divina Clementia iſto miraculo confirmavit. Factum id fuit, dum à Sancto Patriarcha Proclo perſuaſus Imperator Theodoſius parentum ſuorum in tantum virum delicta conatus eſt purgare per pœnitentiam, & ſanctum cadaver glorioſè reduxit in Regiam civitatem. Alia fuit cauſa Sancti Petri Patriarchæ Alexandrini. Glorioſum ille ſub Diocletiano Principe conſummavit Martyrium: Antequam ſepeliretur, ejus poſtremam benedictionem flagitavit populus, ac impetravit.

Lib 8. cap. 10.

Cap. 9.

Notanda ſunt grandia encomia, quæ Epiſcopali benedictioni adſcribit memoratus Theſſalonicenſium Epiſcopus. Eam affirmat eſſe Divinam pacem, quam omnes fidei zelotæ & veri Chriſtiani deſiderant. A Sancto Gregorio Nazianzeno titulari dilectam pacem, re & nomine dulcem, quam ipſe & dare & accipere ſemper dilexerit. Eſſe dictionem maximè potentem & efficacem, cujus virtus ignoretur ab hodierno populo. Ejus effectum eſſe noſtram cum Chriſto Domino unionem. Addit etiam in Epiſcopali throno eſſe Divinam ac mirandam virtutem, ipſam quandoque fuiſſe revelatam Sancto Petro Alexandrino, ideoque illum præ reverentia frequenter timuiſſe in eo ſedere. Et proſequitur: *Epiſcopo ſedente in throno, qui ei ſubſunt Sacrati & Laici, ſtantes fixis oculis in eum velut in Chriſtum cœlo inſidentem intueantur*. Loquitur ex Sancto Martyre Ignatio. Qui in ſuis epiſtolis frequenter ſcribit inſidentem ſuo throno, ac ſuo Clero & populo in ſolemni Eccleſiæ Apparitura præſidentem Epiſcopum eſſe typum atque imaginem Chriſti Domini, immò & Dei Patris. Et hujus benedictionis formula apud Græcos eſt: *Pax vobis*, vel, *Pax omnibus*. Et ad illam piè accipiendam,

dam, non minùs quàm ad perficiendam ſacroſanctæ Euchariſtiæ conſecrationem, Diaconus populum ſolemniter parabat, alta voce declamans: *Attendamus*. Noſtra Latina formula eſt ſanctiſſimæ Trinitatis invocatio, & ad ipſam Epiſcopus præfatur: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. Et Chorus reſpondet: *Qui fecit cœlum & terram*. Uti ad conficiendam Euchariſtiam, ita etiam ad impartiendam populo benedictionem noſtri Epiſcopi implorant aſſiſtentiam Divinæ Omnipotentiæ. Ita profitentur, quod & Chorus ſuo Reſponſo confirmat, magnam illi ineſſe virtutem, magna Myſteria. Pergit Simeon: *Omnes capita inclinantes reſpondent*, *Cum ſpiritu tuo*. Graviter lamentatur hujus benedictionis virtutes jam paſſim ignorari à populis, non attendi ad ipſam in Eccleſia, & quaſi contemni. Affirmat id procurari à malignis Diaboli artibus. Et rectè.

Proindè ſuper ſtantem, & ſola capita inclinantem populum olim fundebatur iſta benedictio. Rationem dat Agathenſis Synodus: *In concluſione Matutinarum vel Veſpertinarum Miſſarum, poſt Hymnos capitella de Pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad Veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur*. Mandat non ſolùm in Matutinis, ſed etiam in Veſpertinis, quæ in jejuniorum diebus fiebant, Miſſis benedici populum, & cum benedictione dimitti. Porrò ſoli Perfecti & Conſiſtentes aderant Miſſis: Et hi ſtabant etiam ad conſecrationem. Genuflexos benedici erat Subſtratorum. Hinc ſtatuit etiam prima Arauſi-
Cap. 20. cana Synodus: *A fidelium benedictione, etiam inter domeſticas orationes, in quantum caveri poteſt, ſegregandi, informandique ſunt Catechumeni, ut ſe revocent, & ſignandos vel benedicendos ſemotim offerant*. De indiſciplinatis hæreticorum Collectis ſcribit in Præſcriptionum libro Tertullianus:
Cap. 41. *Quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. Proindè & pariter benedicuntur. Iſtam confuſionem fuiſſe in Gallicana Eccleſia aliquando graſſatam, numquam credidero. Quare Canon non de Epiſcopali intra Eccleſiam, ſed de data per publicam aut privatam proceſſionem benedictione loquitur. Hinc addit: *Etiam inter domeſticas orationes*. Etiam illic vult inter fidelem & Catechumenum diſcerni. Catechumeni, ut per Adamum lapſi, & per Chriſtum Dominum necdum erecti, debebant proſtrati benedictionem accipere. Notandus eſt & hic ejuſdem Concilii Canon: *Diaconæ omnimodis non ordinandæ. Si quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur; capita ſubmittant*. Denuò affirmat Epiſcopalem in Eccleſia benedictionem fuiſſe impenſam ſtantibus, inclinantibus ſola capita. Item affirmat non Clero fuiſſe impenſam, ſed ſoli populo. Nempe Clerus intra ſacrum tribunal aſſidebat aut adſtabat Epiſcopo, ideoque ejus benedictioni cooperabatur, ipſam non accipiebat. Aliter tamen fuiſſe factum in Orientali Eccleſia, oſtendunt hæc verba Simeonis Theſſalonicenſis: *Epiſcopo ſedente in throno, qui ei ſubſunt Sacrati & laici, ſtantes fixis oculis in eum, velut in Chriſtum Dominum cœlo inſidentem, intuentur. Et cum Diaconus profert, Attendamus, Epiſcopus dicit alta voce: Pax omnibus, vel, Pax vobis. Omnes verò capita inclinantes reſpondent: Cum ſpiritu tuo*. Et ita hodie ſervatur etiam à nobis Latinis. Solemniter benedicenti Epiſcopo non tantum in Choro cantans, ſed etiam ipſi Epiſcopo aſſiſtens ac miniſtrans Clerus inclinat caput. Notandus eſt Canon, quem in Barchinonenſi Synodo edidit Serges Metropolita Tarraconenſis: *Fidelibus benedictio in matutinis, ſicut in veſpera, tribuatur*. Aliud Gallia, aliud olim egit Hiſpania. Hæc è ſolis veſpertinis precibus, illa è ſolis Miſſis populum dimittebat cum Epiſcopali benedictione. Et quidem plures Epiſcopi benedicebant poſt ſolas Miſſas matutinas. Gallia diurnas actiones. Hiſpania nocturnam populi cuſtodiam attendebat, ac Divinæ Majeſtati commendabat. Poſtmodò hæc optimè vidit omne tempus indigere divino auxilio, ideoque ſanxit Divinæ Majeſtatis nomen ſuper populum eſſe etiam manè invocandum.

Eximios Epiſcopalis, ac etiam Monachalis benedictionis effectus adducit in Monaſtica hiſtoria Theodoretus. Etenim Sanctus ibi Jacobus Cap. 1. 2.
Niſibenus Epiſcopus, qui deridentibus ſe tranſeuntem puellis & fontem exſiccaverat, & cæſariei canitiem induxerat, & aquas & capillis colorem, data per crucis ſignum benedictione, reſtituit. Acacius Berrheenſis in prima Syria Epiſcopus, & Julianus Anachoreta ſubmerſum in puteo puerum data benedictione revocant ad vitam. Et de ſeipſo Epiſcopo, Sancto Simeone Stylita, ac paganis Saracenis ſcribit ibidem
Theodoretus: *Cùm juſſiſſet Simeon, ut Saraceni ad me accederent, & Sacerdotalem benedictionem acciperent, maximum illos dicens ex ea fructum percepturos, hi barbarico impetu irruentes alii à fronte, alii à tergo, alii à lateribus trahebant*. Addit quendam paralyticum Saracenorum Phylarchum Simeonis benedictione fuiſſe ſanatum. Et in libris de Pœnitentia ſcribit Sanctus Ambroſius: Cap. 26.
Cùm Dominus Saulo reddere poſſet uſum videndi, eum tamen ad Ananiam diſcipulum ſuum miſit, ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiſerat. Et de Sancto Sabba Abbate, rogato ut ſterilem Theodoræ Imperatricis uterum benediceret, ſcribit ejus vita, quòd ipſi ſalutem & ſoſpitatem apprecatus fuerit, & addiderit de poſtulata benedictione uteri: *Deus non ſinet aliquem fructum ex eo edi, ne ipſe quoque guſtet Severi dogmata, & deteriores, quàm priùs ſub Anaſtaſio, Eutychiano Imperatore, tumultus conturbent Dei Eccleſiam*. Nempè Sanctus Sabbas habebat benedicendi Chariſma, & à Spiritu Sancto fuit vetitus ipſum in malignum Eutychianæ mulieris uterum expendere. Eandem gratiam habuit Sanctus Columba, Hyberniæ Abbas, ideoque Domnalum Aidonis Regis filium benedicens addidit: *Hic ſuper omnes fratres ſuos ſuperſtes erit, & Rex valde famoſus, nec unquam in manus inimicorum tradetur*. Quod etiam hominem tenaciſſimum ſua benedictione liberarit ab avaritiæ vitio, in ejus vita teſtatur Adamannus. Etiam Sanctus Columbanus Lexovienſium Abbas quoſvis donabat poſtulata benedictione, additque ejus vita apud Laurentium Surium: Lib. 1. cap. 7.

Tanta

Tanta fuit in viro Dei gratia, ut quibuſcumque benedixiſſet, in boni operis perſeverantia extremam diem clauderent. Huc etiam ſpectat, quod de gravida Sancti Stephani Auxentiani matre, ad Sanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum clamante, *Benedic Domine id quod eſt in meo utero*, apud Sanctum Joannem Damaſcenum ſcribit ejuſdem Stephani vita: *Benedicat hunc Dominus per primi Martyris interceſſionem*. Ita Germanus in ipſum transfudit Sancti Stephani Proto-martyris nomen & ſpiritum, fecit duriſſimum flagellum Iconoclaſticæ impietatis, & paravit ad glorioſiſſimum martyrium. Hujuſmodi exemplis plena ſunt Acta Sanctorum.

Cap. 4. Et hinc infirmos viſitanti Sacerdoti mandat Namnetenſis Synodus: *Data benedictione recedat*. Quòd nempè illa & animam confirmet, & corpus quandoque impartiat ſanitate. Quòd ipſa etiam duriſſimis infidelibus Divinæ gratiæ lumen frequenter impetraverit, multis in locis docet Sanctus Auguſtinus. Inſigni exemplo hanc doctrinam confirmat in Sancti Hilarionis vita Sanctus Hieronymus: *Pervenerat Hilarion Eluſam, eo fortè die, quo anniverſaria ſolemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat, colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita eſt. Sed & ipſum oppidum ſemi-barbarum eſt propter loci ſitum. Igitur audito quòd Hilarion præteriret, multos enim Saracenorum arreptos à dæmone frequenter curaverat, gregatim ei cum uxoribus & liberis obviam proceſſere, ſubmittentes colla, & voce Syra, Barach, id eſt, Benedic, inclamantes. Quos ille blandè humiliterque ſuſcipiens obſecrabat, ut Deum magis quàm lapides colerent, ſimulque ubertim flebat, cælum ſpectans, & pollicens, ſi Chriſto crederent, ad eos crebrò ſe venturum. Mira Domini gratia. Non priùs abire paſſi ſunt, quàm futuræ Eccleſiæ lineam mitteret, & Sacerdos eorum, ut erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur.*

Fuerunt tàmen olim duæ, uti ſolemniores, ita & efficaciores, Epiſcopales benedictiones. Prima erat illa, quam in præcipuis anni feſtivitatibus ſuper omnem ſimul adunatum ſuæ Parochiæ populum dabant Gallicani Epiſcopi. Uti enim communis atque unanimis oratio, ita & ſimilis benedictio pollet ſingulari virtute. Altera eſt, quam in ſua conſecratione dabat, ac etiamnum hodiè dat novellus Epiſcopus. Rationem ſuprà audivimus à Simeone Archiepiſcopo Theſſalonicenſi: *Cùm ſit recens ordinatus, totus eſt purgatus & illuminatus, gratiaque in hac nova conſecratione abundantiùs ſuppeditatur ab eis, qui eam ſupernè acceperunt.* Addit ipſum tunc poſſe etiam extra propriam Parochiam benedicere, & proſequitur: *Benedicit confidenter & publicè per ſolum hunc diem. Ideò poſtquam ab altari receſſit, equo inſidens gyrat urbem, ſatellitum armatorum corona cinctus, crucisque ſigno ſignat omnes & benedicit. Urbem quoque ſigno crucis ſanctificat. Et preces faciens, ut novus Epiſcopus factus Divinam inſuper gratiam, qua per novam conſecrationem donatus eſt, communicat, & ſanctificationem benedictione largitur. Quapropter ut apud eum conſecutus confidentiam, & ordinatione ſua potens, ad Imperatorem mittitur, ipſi benè precaturus, & ſimul ut Chriſtum Domini per ſpiritum Chriſtum Domini Chriſmate factum benedicit, & precibus corroborat.* Hanc Auguſto Principi à novello Epiſcopo impenſam novellam benedictionem affirmat eſſe antiquiſſimam, laudari in vita Sancti Amphilochii ac Sancti Ambroſii, ejus ſolemniſſimos ritus deſcribit, & lamentatur ſuo tempore negligi. Apud nos Latinos prima novelli Epiſcopi intra ſuam Cathedralem Baſilicam ſolemnis Miſſa eſt in pretio, & dives magnis indulgentiis. Quæ tamen de ſuo tempore lamentatur Simeon, etiam nos poſſimus de noſtro lamentari. Et prima, quam merito extolli ſuprà audivimus à Simeone, Patriarchalis benedictio omninò fuit intra primam ejus Pontificalem miſſam. Fiebat hæc ſolemniſſima altero die poſt conſecrationem.

Quinta quæſtio eſt, An mos, quo Romanus Pontifex abſentibus mittit Apoſtolicam benedictionem, ſit novellus? Ita quidam hodie exiſtimant. Reſpondeo eſſe antiquiſſimum, immò Apoſtolicum Inſtitutum. Etenim omnibus ſuis epiſtolis Sanctus Paulus Apoſtolus propria paſſim manu adjunxit hanc aut ſimilem clauſulam: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum*. Fuiſſe Apoſtolicam, miſſam abſentibus, benedictionem, disertè teſtatur in commentario ſuper epiſtolam ad Titum Sanctus Hieronymus. Et ſuis ad Alexandrinam Eccleſiam litteris Julius Pontifex ſubdidit hanc ſolemniſſimam benedictionem: *Deus omnipotens, & ejus Filius Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus perpetuam ſuam gratiam vobis ſuppeditet; præmiumque veſtræ eximiæ fidei, quam tam illuſtri teſtimonio adversùs Epiſcopum veſtrum declaraſtis, benignus largiatur, ut tum vos, tum Paſtores veſtros, tum hic tum in futuro ſæculo, multò præſtabiliora præmia maneant, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe per Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum, per quem omnipotenti Deo gloria in omnem æternitatem. Amen.* Et Sporacio Comiti, qui ejus per Epheſinum latrocinium degradati cauſam potenter adjuvabat apud Theodoſium Imperatorem, ſolemnes gratiarum actiones ſcripſit Theodoretus Cyri Epiſcopus, & litteris adjunxit: *Apoſtolicam vobis benedictionem profero,* Ep. 97. *quam beatus Oneſiphorus à ſancta illa lingua reportavit. Det miſericordiam Dominus domui veſtræ, quia ſæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Det vobis Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die. Hæc vobis exopto.* Ex quo vides quòd Sanctus Paulus non tantùm integris Eccleſiis, ſed etiam ſingularibus perſonis Apoſtolicam ſuam benedictionem tranſmiſerit. Quòd ſuam Epiſcopalem etiam ad abſentes Saracenorum Phylarchos tranſmiſerit dictus Theodoretus, in ejus religioſa hiſtoria liquet ex vita Sancti Simeonis Stylitæ. Et ſuis ſolemnibus, per quas inductam à ſuo Anteceſſore Heraclio Monotheliticam hæreſim abjuravit, ad Joannem quintum Pontificem litteris addidit Imperator Conſtantinus tertius: *Rogamus ut nobis pacem preceris, atque ab omnibus malis incolumes ſervemur.* Per pacem intelligit Apoſtolicam bene-

benedictionem. Ita hanc à Græcis titulari, ſuprà audivimus à Simeone Theſſalonicenſi. Exſtat iſta epiſtola in Chronico Eutychii Patriarchæ Alexandrini. Plura ſunt iſtiuſmodi antiqua exempla.

Quæſtio ſexta eſt, Quibus temporibus & locis dari conſueverit Epiſcopalis præſertim benedictio? Reſpondeo, in variis. Primò, ad finem Miſſæ. Etiam veſpertinæ. Et hanc in Apoſtolicis Conſtitutionibus laudat item Romanus Clemens. Addit fuiſſe datam etiam ante Miſſæ exordium: *Pontifex precatus populo pacem, benedicat ei*. Exponit benedictionem, & adjungit. *Poſteà fiat ſacrificium*. Erat apud nos Latinos etiam uſitata benedictio, qua populum Epiſcopus & ad ſacrificium & ad totum diem fructuosè impendendum Divino auxilio muniebat. Tertiò, poſt orationem Dominicam dabatur hæc benedictio, diſponens populum ad ſanctam Communionem. Quarto, dabatur poſt veſpertina officia. Quintò, in articulo mortis. Hinc enim Sacerdotes à populo honorandos commendans in ſermone de Sacerdotio venerabilis Ephrem Syrus adjungit: *Honora Sacerdotem, ut in noviſſimis benedictionem ab eo accipias. Nam qui Sacerdotem dehonoraverit, neque benedictionem ab eo accipere in noviſſimis merebitur*. Et quòd omni moribundo Sacerdos benedicere debeat, ſuprà audivimus à Namnetenſi Synodo. Laicus adhuc Sanctus Auguſtinus nobilem virum Innocentium, Vicariæ in Proconſulari Provincia Præfecturæ Ex-Advocatum, graviſſimè infirmum viſitavit, adfuiſſe cum Geloſo Presbytero & Carthaginenſis Eccleſiæ Clericis Saturninum Uzalenſem Epiſcopum ſcribit in libris de Dei Civitate, atque adjungit: *Surreximus, & accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus*. Ex quo lucet antiquos fideles, quoties alieno etiam Epiſcopo aderant, nunquam diſceſſiſſe niſi accepta ejus benedictione. Quem morem etiam ab Auguſto Principe fuiſſe obſervatum, ſuprà demonſtravit Imperator Juſtinianus, dum ex habita cum Severianis Epiſcopis collatione diſceſſit ab ipſo Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Eadem de cauſa Vigilius Pontifex, dum Conſtantinopolim abiit, Romano populo ſolemniter benedixit. Et de ſemetipſo, Antiochenæ Eccleſiæ adhuc Lectore, viſitante Sanctum Zenonem Eremitam, ſcribit in religioſa hiſtoria Theodoretus: *Cùm redire jam domum oporteret, orabam ut benedictionis viaticum daret*. Et de Sancto Theodoro, qui nobilem virum Mennam viſitarat, habet ejus vita: *Cùm omnibus domeſticis benedixiſſet, diſceſſit*. Ex quo vides hanc benedictionem non tantùm ab Epiſcopis, ſed etiam à Presbyteris ac Monachis fuiſſe petitam & impenſam. Et abeuntibus fuiſſe viaticum. Quòd enim Walbertus Comes, ſine benedictione diſcedens à Sancto Bertino Abbate, in foveam ceciderit cum vitæ periculo, & tunc pœnitens ipſam impetrarit per Internuncios, habes in laudati Bertini vita. Et nota, quòd Sanctus Zeno adoleſcentem adhuc, quia Eccleſiæ Lector erat, Theodoretum benedicere detrectarit, ab ipſo ſe bene dicendum fuerit proteſtatus, & non niſi cum multis apologiis benedixerit. Operatus eſt ex Apoſtolico ad Hebræos Canone: *Sine ulla contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur*. Antiqui Monachi fuerunt iſtius regulæ adeò obſervantes, ut etiam Abbas cuicumque inferiori Clerico, licet ſuo Monacho, locum ceſſerit non tantùm benedicendi, ſed etiam ſedendi. Theodoretus Zenonis Sanctitatem attendit, ideoque ceſſit ſui gradus privilegio. Quod ipſum Sanctus Zozimas fecit in Sanctam Mariam Ægyptiacam. Pauperes de Lugduno notarunt in Apoſtolico Canone non dici, *à Majore*, ſed *à Meliore benedicitur*. Hinc intulerunt non juſtum Laicum à malo Sacerdote, ſed hunc ab illo eſſe benedicendum. Errorem evertit Doctor Angelicus in commentariis ad caput ſeptimum Apoſtolicæ epiſtolæ ad Hebræos.

L. 8. c. 15.
Lib. 2. cap. 58.
Lib. 22. cap. 8.
Cap. 12.

Pius ille, quo abeuntes à remanente Epiſcopo, aut remanentes à recedente benedictionem petunt, mos maximè viguit in Monaſteriis, & Græcis & Latinis. Etenim apud Sanctum Baſilium antiqua Monachorum regula habet: *Si quis egrediatur de Monaſterio non accepta benedictione, aut non dimiſſus ab Archimandrita, ſit excommunicatus*. Et hanc communem Monaſteriorum legem ſua authoritate confirmavit Trullana Synodus. Et in ſua Monachorum regula ſancit beatus Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis: *Quando fratres foras proficiſcuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in Eccleſia, benedictionem accipiant*. Et in ſua regula Sanctus Benedictus: *Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum & Abbatis orationi ſe commendent. Revertentes de via, proſtrati ſolo Oratorii, ab omnibus petant orationem propter exceſſus: Ne quid fortè ſubripuerit in via viſus aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis*. Statuta, quæ pro reformanda Narbonenſis Provinciæ Benedictina Congregatione confirmavit Gregorius nonus, addunt: *Tam ipſe Abbas, quàm Fratres, in viam dirigendi, benedictionem accipiant in eundo & redeundo*. Exſtant hæc in ſexto tomo Spicilegii apud Lucam Dacherium. Adjunxit Sanctus Benedictus: *Ubicumque ſibi obviant*, etiam intra clauſtrum, *Fratres, junior à priore benedictionem petat*. In litteris ad Sanctum Bernardum, qui iſtud regulæ caput apud Cluniacenſes non ſervari culparat, exponit Petrus Venerabilis, Abbas hujus Monaſterii: *Ubicumque ſibi obviant Fratres, junior à priori benedictionem petit, dicendo, Benedicite, ſi extra regularia loca fuerit; & humiliter inclinando, & nihil proferendo, ſi infra officinas regulares ſibi occurrerint. Quod ſi ſemper loquendo hanc peti debere dicitis, viderint diſcreti, utrùm ſuperfluæ locutioni utile ſilentium imponi, an ſupponi debeat. Superfluam verò idcircò dicimus, quia ad id quod æquè benè ſilentio poteſt fieri, linguam non eſſe neceſſariam, & ideò ſuperfluam exiſtimamus. Maximè, cùm nullius ſermonis propter hanc ſalutationem proferendi in regula fuerit facta mentio*. Et hæc omnia etiamnum ſervantur in diſciplinatis Monaſteriis. Obvii tamen Fratres non *Benedicite* paſſim dicunt, ſed *Deo gratias*. Deſumpta hæc ſunt ex antiquis Chriſtiani populi moribus. Etenim quòd tranſeuntes metentibus aut alia labo-

Cap. 23.
Cap. 67.
Cap. 23.
Cap. 63.

laborantibus olim benedicerent, ſuprà teſtatus nobis eſt Sanctus Auguſtinus. Et quòd Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dum adhuc Laicus Tharſo in Regiam urbem abiret, à ſuo Epiſcopo Diodoro benedictionem petierit, teſtatur Nicephorus Calixtus. Omninò fuit mos univerſalis. Nemo enim fidelis de Parochia ad Parochiam tranſire poterat ſine formatis litteris, adeoque & ſine benedictione ſui Epiſcopi. Poſtmodò ſupra numerum multiplicata eſt Chriſtianitas: Multiplicata gens, non in omnibus magnificata lætitia. Iſta omnis pietas, dum à tanto numero negligi cœpit, ſe contraxit ad ſola Monaſteria.

Lib. 12. cap. 12.

Exponitur Sacerdotalis Maledictio.

Etiam hæc eſt longè antiquiſſima. Etenim Noe filio ſuo Cham, & Jacob ſuo filio Ruben maledixit. Dicta ad hunc verba, *Non creſcas*, omninò continent maledictionem. Et in Novo Teſtamento Sanctus Petrus Apoſtolus Ananiam & Sapphiram ſua maledictione occidit. Et Sanctus Paulus Apoſtolus Hymenæum & Alexandrum, ut à blaſphemandi audacia liberaret, tradidit Satanæ: Quod non fuit aliud, quàm maledicere. Eos excommunicavit. Et excommunicationis elogium eſt omninò maledictionis ſpecies famoſa apud Synagogam, & per Divinam Chriſti Domini authoritatem traducta ad Eccleſiam. Poſſit tamen eſſe maledictio ſine excommunicatione: Etenim de Sancto Jacobo Niſibeno Epiſcopo, quem prædicationis gratia ad Perſas euntem neſcio quæ impudentes, & ſuos pannos in fonte lavantes, puellæ deridebant, ſcribit in Religioſa Hiſtoria Theodoretus: *Quod ægrè ferens homo Dei, opportunum ratus Dei virtutem oſtendere: ut illuſtri miraculo ab impietate liberaret, fontem eſt execratus. Et fluentum confeſtim evanuit. Puellas quoque execratus eſt ac impudentem earum juventam immatura canitie caſtigavit. Et verba confeſtim factum eſt conſecutum, mutatuſque eſt niger color pilorum, & ſimiles evaſerunt novellis arboribus, quæ vere opertæ ſunt foliis autumnalibus.* Ex quo vides hanc maledictionem non impingere in Evangelicam Legem, quæ maledictum vetat etiam reddi maledicto. Nec enim fit ex odio aut nocendi libidine, ſed ex charitate liberandi ab iniquitate. Nam & Alexandrum ac Hymenæum Sanctus Paulus Satanæ tradidit, at in interitum carnis, ut diſcerent non blaſphemare. Et Ananiam ac Sapphiram, quibus Sanctus Petrus maledixit, fuiſſe in vitam æternam ſalvatos affirmat cum aliis Sanctus Auguſtinus. Et de ſua petulantia pœnitentibus puellis laudatus Jacobus reddidit fontis aquam & colorem pilorum. Quod etiam Perſarum Regis Saporis exercitum maledixerit, cyniphum & culicum nubem immitti in ipſum à Deo impetraverit, atque ita Niſibenam civitatem liberaverit ab obſidione, ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria idem Theodoretus. Et de Milli Perſidis Epiſcopo ſcribit Hermias Zozomenus: *Cùm neminem in ſua civitate poſſet ad fidem Chriſtianam perducere, ipſam execratus eſt, ſtatimque diſceſſit. Non longo poſt tempore, cum Primarii viri illius urbis in Regem peccaſſent, exercitus cum trecentis Elephantis eò profectus urbem evertit.* Pedum ſuorum pulverem Millis contra ſuam civitatem excuſſit. Hunc enim ritum eſſe maledictionis ſpeciem oſtendunt addita Domini verba: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Et de Sancto Machuto Epiſcopo Britones maledicente ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Sanctus Machutus Britannos, propter ſuam maledictionem variis cladibus addictos, data rursùm benedictione abſolvit ac ſanavit.* Inflictam Britonibus à maledictione plagam exponit idem Sigebertus in ejuſdem Sancti vita: *Terra in opere impiorum maledicta, tam in frugibus, quam in pomis omnium generum ſterilis & infructuoſa eſt reddita. Habitatores verò ejus mille morborum modis devorati.* Enumerat morborum ſpecies, & concludit: *Nec aliquis erat omnium, qui cœleſtis vindictæ effugeret judicium.* Tanta vexatio dedit intellectum, & compulit ad poſtulandam à Sancto Epiſcopo veniam, & maledictionis abſolutionem. Et apud Sanctum Gregorium Turonenſem in libro de Sanctorum vitis Hortenſium Comitem, quod in pauperem durè ageret, maledicit Sanctus Quintianus Arvernenſis Epiſcopus: Et maledictionis effectus non ceſſavit, niſi ad pœnitenti datam benedictionem. Maledictio habuit & hunc articulum: *Quæſo, Domine, nunquam de Hortenſii generatione quiſquam promoveatur ad Epiſcopale Sacerdotium, qui Epiſcopum non exaudit.* Et apud Presbyterum Flodoardum Sanctus Remigius Rhemenſis Epiſcopus Celtenſis pagi ruricolis, quod ſuæ Eccleſiæ villam exuſſiſſent, maledixit in hanc formam: *Omnes qui hoc egerint, & qui de ipſorum germine nati fuerint, viri ponderoſi fiant, & fœminæ gutturis calamitate plectantur.* Et maledictio effectum habuit uſque ad Magni Caroli Imperium. Et de Coſma Patriarcha Conſtantinopolitano, atrocibus injuriis affecto per Imperatorem Manuelem Comnenum, ſcribit Nicetas Choniates: *Patriarcha indignatione plenus Imperatricis uterum execratur, ne mares liberos pariat.* Et infrà: *An verò Imperatoris Conjux ob iſtam Patris execrationem mares non pepererit, Deo ſervum ſuum honorante, atque efficiente, ut illa per omnem ætatem puellas tantùm eniteretur, equidem non ſatis ſcio.* Coſmas fuit imitatus Sanctum Sabbam Abbatem, qui Auguſtæ Theodoræ uterum noluit benedicere. Quod etiam Sanctus Radbodus Ultrajectenſis Epiſcopus gentilibus Danis maledixerit, & iſti omnes malè perierint, habes in magno Belgii Chronico. Fuiſſe anathematis maledictionem, & contumaces Danos fuiſſe peſtilentia percuſſos, affirmat Sancti Ratbodi vita. Attamen paganis inflictum anathema nequit fuiſſe Eccleſiaſtica excommunicatio. Simile anathema flagitioſo, ac in ſuis ſordibus pertinaci Presbytero, nec non & quibuſdam ejuſmodi Laicis inflixit Sanctus Eligius Tornacenſis Epiſcopus: Et iſtum, dum etiam ſacrificare audet, infeliciſſima morte percuſſum, hos à dæmonibus fuiſ-

Cap. 1. — Lib. 2. cap. 26. — An. 561. — Lib. 1. c. 17. — L. 2. c. 3. — Fol. 72.

Lib. 2. c. fuiſſe invaſos, teſtatur in illius vita Sanctus Au-
19. 25. doenus Archiepiſcopus Rothomagenſis. Et de
Goduino Comite per Sanctum Alſvvaldum Sa-
resberienſem Epiſcopum maledicto ſcribit Hen-
ricus Knyghtonus: *Goduinus ab illa hora non quie-*
Lib. 1. c. *vit à tortura viſcerum, donec benedictionem ab Epi-*
10. *ſcopo percepiſſet*. Addit neſcio quem Nobilem,
quòd cum inimico reconciliari nollet, à Sancto
L. 2. c. 6. Vulſtano Vigornenſi Epiſcopo maledictum fuiſſe
invaſum à diabolo, nec niſi facta pace & accepta
Epiſcopi benedictione liberatum. Et quod Al-
dredus Eboracenſis Epiſcopus per ſolas infligen-
dæ maledictionis minas Guilielmum Anglicani
Regni Conquæſtorem ſuis mandatis obedire com-
pulerit, ſuprà audivimus ab authenticis teſtimo-
niis. Quindecim juvenibus & tribus puellis, quæ
ſuo ante Eccleſiam cantu & ſaltu impediebant Di-
vina Officia, per Parochialem Presbyterum ad
toto anno ſaltandum inflicta maledictio eſt nota.
Quod toto anno ſaltarint, non niſi per Sancti
Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi abſolutio-
nem liberati fuerint, & tunc aliqui ſtatim obie-
rint, reliqui auſteram pœnitentiam egerint, te-
ſtantur graviſſimi Scriptores. Factum fuit unde-
cimi ſæculi anno vigeſimo. Duos Nobiles, quos
A. 1276. Henricus Baſileenſis Epiſcopus maledixerat, fuiſ-
ſe lapſos in horrenda crimina, affirmat Albertus
Argentinenſis. Philippi Pulchri Francorum Re-
gis familiam & ſtirpem quis neſciat fuiſſe defor-
miſſimam? Fuit plena diſcordiis, odiis, flagi-
tiis, facinoribus. Et poſt quatuor, qui omnes
regnarunt, improles filios infeliciter exſtincta,
attamen non ſine hæreditate. Etenim Valeſiis in
Regnum ſucceſſoribus reliquit horrenda illa An-
glorum bella, quæ duobus ferè ſæculis protracta
Galliam propemodum exciderunt. Hæc omnia
in Philippo inflictam à Bonifacio octavo Ponti-
fice maledictionem referunt Henricus Stero Al-
A. 1302. thanenſis Monachus, & Henricus Monachus
Rebdorffienſis. Referendum puto etiam in San-
A. 1313. cti Remigii teſtamentum, quod depravatis Fran-
corum Regibus, & ſuo circa ipſos officio non
fungentibus Epiſcopis ſolemniſſimè maledixit.
Et hæc eſt antiquiſſima conſuetudo. Nam & ſi-
miles maledictiones Sanctus Ephrem Syrus ſuo te-
ſtamento inſeruit. Plurima exſtant Sanctorum
Patrum pia teſtamenta, quæ ſui violatores in per-
petuas æternitates proſcribunt ad Judam tradito-
rem, aut ad Dathan & Abiron.

Notanda ſunt noſtri Gregorii ſeptimi verba:
Ipſe Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione
belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam
obtineat. Eandem maledictionem in litteris ad
omnes Teutonici Regni Epiſcopos & Proceres
inflixit illis, qui tunc indictum pro Henrici &
Rudolphi, de Regno contendentium, pacifica-
tione Conventum impedirent. Eos percuſſit ana-
Lib. 5. themate, atque adjunxit: *Adjecimus etiam ana-*
Ep. 15. *themati, ut quicumque hujus iniquitatis præſumptor*
fuerit, non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore,
& in omnibus rebus ſuis vindictam Omnipotentis Dei
ſentiat, & in omni congreſſione belli nullas vires,
nullumque in ſua vita triumphum obtineat, ſed du-
plici contritione proſtratus, ſemper vileſcat & con-
fundatur: Ut ſic ſaltem ad pœnitentiam redire ad-
diſcat. Eadem de re ſcribit ad omnem Germa-
niæ Clerum & populum: *In Synodo jam omnes*,
qui iſtum Conventum tentarint impedire, *ſunt* Lib. 6.
excommunicationis & anathematis vinculo innodati, Ep. 1.
& ut nullam victoriam poſſint obtinere, poteſtate
Beati Petri ſunt alligati, ut ſaltem coacti confun-
dantur, & à morte animarum ſuarum, & deſola-
tione Patriæ veſtræ revocentur. Etiam de aliis ſua-
rum Conſtitutionum prævaricatoribus ſcripſit ad
Berengarium Gerundenſem Epiſcopum: *Hoc il-* Ep. 16.
lis debes firmiter inculcare, quia ſi nobis inobedientes
exſtiterint, & in fraterno odio remanere, diabolo
inſtigante, maluerint, illi quidem, ex cujus culpa
vel ſuperbia pax illa remanſerit, gratiam Sancti Pe-
tri auferimus, eumque ſicut membrum diaboli, &
deſolatorem Chriſtianæ Religionis, cum omnibus
fautoribus ſuis feſtinabimus à communione Chriſtianæ
ſocietatis abſcindere, ita ut nullam deinceps victo-
riam in bello, nullam proſperitatem habere poſſit in
ſæculo. Quas Epiſcopalis maledictionis minas
non eſſe vanas, & hic & ſuprà eſt demonſtratum
vario exemplo.

Etiam demonſtratum eſt eorum, qui Epiſco-
palis maledictionis abſolutionem non accipiunt
ante mortem, cadavera manere indiſſoluta, fœ-
diſſimè nigra, inflata ad inſtar tympani, hor-
renda ſpectacula. Ita & apud Latinos quando-
que, & paſſim apud Græcos manere, donec le-
gitimè abſolvantur. Volo aliquid addere. Ex
incerti, qui ſe Joannis Jejunatoris Patriarchæ
Conſtantinopolitani Canonibus adhærere profite-
tur, Authoris Nomo-Canone: *Quidam Præſu-*
les ſuos homines juſtè, rationabiliter, & legitimè, Cap. 80.
velut Divinæ Legis tranſgreſſores, excommunica-
runt, qui in excommunicatione diem obierunt, nec
vivi reſipuerunt ad habendam abſolutionem. Eos ſe-
pelierunt, & non multò poſt inventa ſunt eorum cor-
pora diſſoluta, & os ab oſſe ſeparatum. Reſponſio.
O rem miram! Terribile eſt hoc, & reverà admira-
bile, cum eos legitimè Antiſtes excommunicarit, qua-
nam ratione eorum corpora non inveniantur integra
& indiſſoluta, quemadmodum & aliorum excommu-
nicatorum, quæ etiamnum videntur. Res maximè
mira & terribilis. Dominus verò noſter dixit: Quæ-
cumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata. At
hoc omnem admirationem ſuperat, cum qui legitimè
excommunicatus eſt, poſt obitum inveniri corpore
diſſolutum, & compagibus omnibus ſeparatis. So-
lutio Divinorum Magiſtrorum. Qui juſtè, rationa-
biliter, & legitimè à ſuo Antiſtite excommunicatus
eſt, & poſt mortem diſſolutus comperitur, ipſe ſpem
ſalutis nullam habet. Non quod Divinas Leges tranſ-
greſſus fuerit, ſed ne converſus & pœnitentiam
agens veniam ab eo, à quo excommunicatus eſt, An-
tiſtite conſequatur. Propterea diſſolutus inventus
eſt, ideoque ultrà ipſe nullam ſpem habet veniæ con-
ſequendæ, quod jam particeps factus ſit nunquam
deſinentis punitionis. Qui verò excommunicati com-
periuntur, hoc eſt, quorum corpora indiſſoluta &
integra remanent, indigent abſolutione, ut ab ex-
communicationis vinculo liberentur. Quemadmodum
enim ſuper terram corpus ligatum invenitur, ita &
anima ejus ligata eſt, & ſub poteſtate diaboli puni-
tur. Et cum corpus habuerit abſolutionem & ab ex-
communicatione exſolutum fuerit, ita annuente Deo

&

& anima illius è diaboli manibus liberatur, & fit compos vitæ ſempiternæ, nunquam occidentis lucis, ac lætitiæ quæ verbis non poteſt exprimi. Excommunicatorum cadaverum fœda integritas erat tunc apud Græcos adeò ordinaria, ut eorum diſſolutio eſſet admirabile & extravagans portentum. Porrò quod diſſolutionem pro firmo æternæ damnationis, fœdam autem cadaverum integritatem pro ſuperſtitis ſpei ſigno Græci habeant, fundatur in alio ipſorum Dogmate, quo per impenſam abſolutionem, qua vident cadaver reſolvi, credunt etiam animam à gehennalibus flammis liberari. Quod Dogma etiam apud ipſos eſt omninò novum, ideoque ipſorum ſchiſmaticis erroribus adnumerandum. Fœdam item defunctorum in excommunicatione cadaverum integritatem nullus ipſorum antiquus Pater memorat: Iſtius rei origo ignoratur. Adductus Nomo-Canon profitetur ipſam non eſſe univerſalem omni iſtius generis cadaveri. Nam & Cyrilli Lucaris Patriarchæ Conſtantinopolitani, in peſſima excommunicatione ac maledictione defuncti, cadaver fuit ſtatim diſſolutum.

Chriſtophorus Angelus in opere de recentiorum Græcorum moribus affirmat fœdam iſtam integritatem memorari ab antiquo Hiſtorico Caſſiano. Caſſianus eſt Græcus antiquus Hiſtoricus, refertque aliquando particularem Synodum centum Epiſcoporum fuiſſe coactam, rectè omnes unà conſenſiſſe præter unum, hunc fuiſſe percuſſum anathemate, in ipſo defunctum, & ejus cadaver manſiſſe inſtar ferri ligatum per centum annos. His elapſis eodem in loco fuiſſe celebratam aliam totidem Epiſcoporum Synodum, & hos ſibi mutuò dixiſſe: *Anathemate ictus Epiſcopus in Eccleſiam peccavit, & excommunicavit ipſum Eccleſia; Nos quoque Eccleſia ſumus, & condonemus illi, cùm humanum ſit peccare, & ſic eum abſolviſſe, & peractis ſupplicationibus, qui per centum annos inſolutus permanſerat, in pulverem abiiſſe.* Antiqui Hiſtorici Caſſiani meminit in Clemente Alexandrino Sancti Hieronymi catalogus de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Clemens meminit Caſſiani cujuſdam Chronographias, quod opuſculum invenire non potui.* Si hunc Caſſianum laudet Chriſtophorus Angelus, in qua Bibliotheca reperit iſtud opuſculum? Rectè tamen ſcribit iſta cadavera eſſe dura inſtar ferri. Horrendum ſimilis in reperto apud Inſulam Chium cadavere duritiei exemplum refert oculatus teſtis Leo Allatius in Epiſtola ad Paulum Zacchiam de quibuſdam modernorum Græcorum opinationibus. Addit tamen ſe neſcire, an fuerit excommunicati cadaver. Et pergit: *Ipſe nihil tale uſpiam in Græcia vidi. Audivi tamen ſæpius ab Athanaſio Imbri Metropolita, homine frugi, & qui rem factam mendacio non contaminaſſet, cum Ibaſi moraretur in regione Theologi extra urbem in Eccleſia Sancti Georgii, exoratum à civibus, ut ſuper cadavera, quæ ibidem pleraque conſpiciebantur indiſſoluta, excommunicationis abſolutionem recitaret, morem geſſiſſe, nequedum finita abſolutione cadavera ea omnia in pulverem abiiſſe. Referebat idem Conſtantini cujuſdam cognomento Rezepii, qui ex Turca Chriſto nomina dederat, quòd vitam viveret omnibus flagitiis inquinatam, excommunicati cadaver tumulatum fuiſſe in Eccleſia Sanctorum Petri & Pauli nationis Græcorum Neapoli, & per plures annos indiſſolutum manſiſſe, & ab eodem poſteà, & aliis Metropolitis duobus, Athanaſio Cypri, & Chryſanto Lacedæmonio, benedictione ſubactum, ut alia mortuorum cadavera pulverem factum. Et quod admirabilius eſt, dum Raphael in Patriarchatu præſideret, eodem aſſerente, qui alium excommunicaverat, poſteà compulſu dæmonis Chriſtum ejurat, excommunicati licet Chriſtiani demortui cadaver manſit indiſſolutum. De eodem certior factus Patriarcha, accerſitum Turcam, qui excommunicarat, monet ut abſolutionem impartiatur. Primùm ille renuere, factum deteſtari, nihil eſſe Turcis cum Chriſtiana Religione commune dicere, quare Chriſtiani Chriſtianum abſolverent. Cùm verò pertinaciùs exoraretur, obedit, & abſolutionem ſuper excommunicatum recitat. Oculatum ſe teſtem fatetur, qui perhibet. Prope finem abſolutionis tumor cadaveris ceſſat, & omnia in cineres convertuntur. Rei novitate Turca attonitus, ocius ad Magiſtratum advolat, rem uti facta eſt narrat, edicit omnibus veram Religionem Chriſtianam, quam ipſe per ſummum nefas deſeruerat, eam ſe denuò amplecti, Mahometanam deteſtari. Monetur à Turcis ut ſapiat, ne tormentis ſe objiciat. Ille ſe Chriſtianum velle mori contendit. Quid plura? Pertinacem condemnant. Ducitur ad ſupplicium, & Chriſtianam Religionem prædicans morti deditur, ſummo ſupplicio mactatus.* Captivos ſub Turcica tyrannide Chriſtianos Divina bonitas conſolatur per talia miracula, & in Evangelica fide confirmat. Raphael fuit octavus Patriarcha poſt captivitatem.

Nec tantùm quoad oſſa & carnes, ſed etiam quoad pilos iſta cadavera manent integra. Hinc Cap. 81. præfatus Nomo-Canon proponit hanc quæſtionem: *De mortuo, ſi inventum fuerit ejus corpus integrum, & prorſùs depile?* Et reſpondet: *Dubitari poteſt atque ambigi, an illud ſit excommunicatum, an non. Nihilominus cadaver illud extrahendum eſt de ſepulchro illo in quo quieſcit, & in alio reponendum. Et cùm aliquantulum temporis clauſum fuerit, ſi corpus illud diſſolutum eſt, benè, ſi indiſſolutum remanſerit, ſcito illud excommunicatum eſſe, ac indigere abſolutione, ut à vinculis excommunicationis liberetur.* Addit varias notas, ex quibus excommunicationis etiam qualitas dignoſcatur: *Si quis Præcepto aut male-* Cap. 78. *dictioni obſtrictus fuerit, partes anteriores corporis habet. Si quis anathemate ictus eſt, citrinus apparet, digitiſque contractis. Qui verò albidus eſt, ille à ſacris legibus eſt excommunicatus.* Quæ omnia an ſubſiſtant, Græcarum rerum peritioribus relinquo diſcutiendum.

Quædam item iſtiuſmodi cadavera non tantùm manent integra, ſed & ſuis ſepulchris exeunt, vagantur per civitates & villas, præſertim de nocte, vivos terrent & quandoque occidunt, nec ceſſant donec comprehendantur & flammis exurantur. Horrenda apud Anglos exempla adduxi ſuperius ex Guilielmo Neubrigenſi. De hiſce Græcorum cadaveribus ſcribit in lauda-

ta Epiſtola Leo Allatius: *Et peſſimi hominis, & facinoroſi, & ſæpiùs ab Antiſtite ſuo excommunicati cadaver, quod non ut reliqua demortuorum cadavera defoſſa diſſolvitur atque in pulverem abit, ſed quaſi ex firmiſſima pelle conſtarct, per omnes ſui partes intumeſcit atque diſtenditur, ut vix flecti aliqua ſui parte poſſit, ſed cutis tanquam tympanum extenſa eundem ut tympanum, ſi pulſatur, ſonum edit. Corpus ſic deformatum dæmon ingreditur, & miſeris mortalibus infortunium parit. Sæpè enim ſub eo cadavere è ſepulchro egreſſus, & per urbem & alia loca habitata circumiens, & noctu potiſſimum, ad quam ſibi libuerit ædem confertur, pulſatiſque foribus aliquem ex accolis ædis voce ſonora compellat. Si reſponderit, actum jam eſt de eo: Altero enim die obit mortem. Si non reſponderit, ſalvus eſt. Hinc in ea Inſula cives omnes, ſi noctu ab aliquo compellentur, nunquam prima vice reſpondent. Nam ſi ſecundò compellatus fuerit, jam qui quærit Bulcolaca non eſt, ſed alius. Eamque peſtem adeò exitioſam mortalibus eſſe dicunt, ut interdiu etiam, & ipſo meridie, non intra ædes tantùm, ſed in agris, & in viis mediis & in Sepibus vinearum prætereuntes aggrediatur, & adſpectu ſolo & viſu conficiat, non verbis tantummodo & contactu enecet. Homines ipſi, qui viderunt, ſi alloquantur, ſpectrum diſparet; qui locutus eſt, moritur. Quare cives, cùm vident homines nulla graſſante infirmitate, in tanta copia emori, ſuſpicati quod eſt, ſepulchra, in quibus recens defunctus eſt ſepultus, aperiunt, aliquando ſtatim, aliquando etiam tardiùs cadaver nondum corruptum inflatumque comperiunt. Quod è ſepulchro extractum, precibuſque effuſis à Sacerdotibus, in rogum ardentem conjiciunt, & nondum completa ſupplicatione cadaveris juncturæ ſenſim diſſolvuntur, & reliqua exuſta in cineres convertuntur.* Aliqui iſta cadavera non à dæmone invadi & deportari exiſtimant, ſed à propria anima, quæ taliter à Divina juſtitia puniatur in proprio corpore. Græci ipſa appellant Bulcolacas.

De iiſdem cadaveribus præfatus Nomo-Canon proponit hanc quæſtionem: *De homine mortuo, ſi integer fuerit inventus, quem Bulcolacam nuncupant, ſi verum eſt quod de eo refertur, & quid agendum ſit?* Et reſpondet: *Hoc non eſt mortuum fieri Bulcolacam, ſed diabolus nonnullis imponere cupiens ad abſona perpetranda, ut Dei iram incurrant, hæc ſigna operatur, & ſæpè noctu in imaginatione aliquorum hominum ponit mortuum illum advenire, quem priùs agnoſcebat, & cum eo converſabatur. Et inter ſomniandum vident aliqua ſpectra. Alio tempore eum in via conſpiciunt, ſive ambulantem, ſive ſtantem. Neque hoc ſolummodò, ſed etiam homines ſuffocat. O miſeram hominum ſtultitiam! Qui mortuus eſt, obambulat, & vivos necat? Abſit hoc.* Dum Imperator Conſtantinus Caballinus in ſacras Sanctorum imagines, in omnem Eccleſiæ diſciplinam, in fundamentales Chriſtiani Dogmatis articulos, ac in ipſam Divinam Majeſtatem inſaniebat tanquam novus Julianus Apoſtata, omnia mundi elementa fuerunt perturbata, & pugnarunt contra inſenſatos. Inter cætera ſcribit in hiſtorico Breviario Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Oſtenta quædam ac prodigia repentè viſa ſunt, & Crucis effigies partim in privatis hominum veſtibus, partim in ſacris apparuit. Ea denique in januis ac poſtibus conſpecta. Quidam rebus perculſi & conſternati hominum animi ad imminentem cladem atque exitum pertinere non dubitabant. Tanta verò terroris magnitudo fuit, ut à ſenſibus alienati varias ſibi ſpecies atque imagines offerri, ſeque cum peregrinis & deformibus hominibus iter facere & colloqui putarent. Quos ubi tanquam ſibi notos ſalutarant, atque, ut moris eſt, in via ſibi invicem occurſantibus uſitata officia præſtiterant, eadem illa aliis poſteà referebant. His atque aliis id genus ſpectris exagitati plerique infeſtis in ſe gladiis incurrebant.* Affirmat hac via plurimos fuiſſe infeliciter extinctos. Qùod ipſum ſcribunt in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius, Martyr Theophanes, & Georgius Cedrenus. Qui exiſtimant hæc monſtra fuiſſe reales Bulcolacas, palàm falluntur: Fuerunt imaginaria per diaboli artem ſpectra. Et hoc ipſum iſtius Nomo-Canonis author cenſet de omni Bulcolaca. Et pergit: *Nihilominùs homines perturbantur, & ad ſepulchrum feſtinant, & effodiunt, ut cadaver illud conſpiciant. Et cum pura fide deſtituuntur, diabolus transformatur, & veluti indumentum induit demortui illius cadaver: Et demortuus ille, qui tanto tempore in ſepulchro jacuerat, apparet illis carnem habens & ſanguinem, & ungues & pilos. Quam ubi conſpexerint imaginatione miſeri illi homines, ad malum properant, ligna exaggerant, ignem ſuccendunt, & corpus illud comburunt & penitùs delent.* In hos cadaverum exuſtores acerrimè invehitur, damnat graviſſimi criminis, & inflata ac alia fœda cadavera, quæ excommunicata cenſet, vult non per flammas, ſed per abſolutionem & ſacros exorciſmos eſſe cogenda ad diſſolutionem. An. 747.

Iſtam tamen exuſtionem probat & ſuadet Guilielmus Neubrigenſis, atque adjungit: *Sanè quòd mortuorum cadavera de ſepulchris egredientia neſcio quo ſpiritu ad viventium terrorem & perniciem circumferantur, & ad eadem ſepulchra ſpontè ſe eis aperientia revertantur, non facilè in fidem reciperetur, niſi & crebra noſtri temporis exempla ſuppeterent, & teſtimonia abundarent. Mirum planè ſi talia olim contigere. Cùm nihil in libris Veterum tale reperiatur, quibus utique ingens ſtudium fuit memorabilia quæque litteris mandare.* Attamen aliquam hujus rei imaginem nobis exhibet Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Geraſenorum, quos in mortuorum ſepulchris fuiſſe moratos ſcribit Sanctus Matthæus, dæmoniacorum Cap. 8. liberationem exponit in vigeſima nona ſuper laudatum Evangeliſtam homilia, atque adjungit: *Sed curnam illi dæmones in ſepulchris verſantur? Quia videlicet pernicioſam opinionem ingerere hominibus conantur, quòd hominum, qui obierunt, animæ fiant dæmones. Quod etiam à cogitatione noſtra utinam abſit. Sed quid reſpondebis, objiciet quiſpiam, cùm multi incantatores pueros nacti eos jugulant, ut habeant animam ſibi ſubſervientem, & ipſos juvantem? Sed unde hoc patet? Quòd quidem jugulent, multi aſſerunt, quòd verò immola-*

molatorum puerorum animæ ipſis cooperentur, undè mihi perſuadebitur? An quia ipſos dæmoniacos clamare nonnunquam audiſti, Ego ſum talis anima? Verùm hæc quoque oratio eſt à fraude atque deceptione diabolica. Demonſtrat animas nec mutari, nec poſſe mutari in dæmones, atque adjungit: *E multis Scripturæ locis comprobari poteſt non errare hic poſt mortem juſtorum hominum animas.* Quod ipſum demonſtrat de animabus impiorum. Affirmat ambas recipi in congrua ſibi loca ac ſtipendia, & iſtic uſque ad extremum judicium adſervari. Idem ſcribit in ſecunda concione de Lazaro: *Hìc malum quemdam morbum volo animis veſtris eximere. Sunt enim plerique ſimplices, qui animas violenta morte decedentium putant fieri dæmones. Hoc autem non fit: Non fit iſtud. Non enim animæ violenta morte decedentium fiunt dæmones, ſed potiùs animæ in peccatis viventium. Non quòd mutetur illarum ſubſtantia, ſed quòd ipſarum voluntas dæmonum pravitatem imitetur. At cujus rei gratia diabolus iſtam perverſam opinionem invexit? Conatus eſt defodere ac obruere Martyrum gloriam. Etenim cùm illi violenta morte deceſſerint, cupiens pravam de illis gignere ſuſpicionem, hoc fecit. Verùm quod voluit non potuit. Perſeverant enim Martyres proprium obtinentes ſplendorem. Quin aliud multò crudeliùs perpetravit, maleficis ipſi inſervientibus per has opiniones perſuaſis, ut tenera multorum adoleſcentium corpora trucidarent, ſperantes futurum, ut fierent dæmones, rurſumque ipſis inſervirent. Verùm non ſunt iſta vera. Quid igitur eſt quod dæmones dicunt, Anima ſum illius Monachi? Sanè propter hoc ipſum non credo, quia dæmones dicunt. Decipiunt enim auditores.* Denuò demonſtrat animas non poſſe mutari in dæmones, nullaſque in hoc mundo vagari aut morari, ſed mox à deſerto corpore transferri in ſua loca, ſtipendia, atque cuſtodia.

Quòd violenta morte excluſas de ſuo corpore animas transmutari in dæmones erraret cœca gentilitas, affirmat etiam atque refutat in erudita adversùs ipſam oratione Tatianus Aſſyrius, & in libro de anima Tertullianus, addens quòd Cap. 57. etiam ſuo tempore dæmones ex obſeſſis corporibus clamarent ſe eſſe hujus aut iſtius animam. Violenta morte exſtinctos gentili phraſi appellat Biothanatos, & adjungit errorem fuiſſe extenſum etiam ad Ahoros, id eſt, exſtinctos immatura morte. Præſertim id ſenſerunt de Autothanatis, qui ſibi ipſis animam violenter extorquebant. Quòd haſce omnes animas à Beatorum ſedibus excluderent, teſtatur ad quartum Virgilianæ Æneidos librum Servius. Et hinc de glorioſis Martyribus Sanctæ Symphoroſæ ſeptem filiis habet Martyrologium venerabilis Bedæ: *Adrianus Imperator præcepit corpora eorum in foveam altam projici. Et templorum Pontifices poſuerunt nomen loci illius: Ad ſeptem Biothanatos.* Et de fœdo Imperatore Antonino Heliogabalo ſcribit Ælius Lampridius: *Prædictum ei erat à Sacerdotibus Syris Biothanaton ſe futurum.* Eadem phraſi utitur in ſeptimo Monaſticarum Inſtitutionum libro Joannes Caſſianus, ſcribens de traditore Ju-
Cap. 14. da: *Vitam Biothanati morte conclusit.* Nequiſſimi dæmones, uti gentilibus & prioribus Chriſtianis ſæculis viva obſeſſorum corpora, ita poſterioribus temporibus quorundam defunctorum cadavera in ſuam carnificinam acceperunt à Divina Juſtitia, ut in ipſa, & per ipſa in ſuperſtites exercerent immiſſiones per Angelos malos. Quòd enim nullæ animæ, ſed ſoli Angeli hìc nobiſcum verſentur, adeoque illa tam mortuorum quàm viventium corporum tortura fiat per malos Angelos, Divinæ Juſtitiæ conſuetos ad ſimilia Miniſtros, jam audivimus conſtanter aſſeri à Sancto Joanne Chryſoſtomo. Et quia ſola excommunicatorum, aut Sacerdotaliter maledictorum cadavera ſunt iſti calamitati obnoxia, haud dubiè illa infligitur per illam poteſtatem, qua contumaces prævaricatores Eccleſia *tradit Satanæ in interitum carnis.*

Et uti per Sacerdotes, ita etiam per parentes inflicta maledictio habet tremendos effectus. Etenim de Guilielmo Anglicani Regni Conquæſtore ſcribit in acceſſionibus ad Sigebertum Gemblacenſem Robertus Abbas Montenſis: *Rex Wilhelmus ſeditione militari agens contra Robertum filium ſuum primogenitum, equo ſuo propulſus eſt, & filius ejus Wilhelmus vulneratus, & multi ex ſuis occiſi. Maledixit igitur Rex Roberto filio ſuo, quam maledictionem, antequam moreretur, perpeſſus eſt.* A. 1075. Roberti tunc Normandiæ Ducis cum fratre ſuo juniori Henrico primo Anglorum Rege bella exponit in appendice ad eundem Sigebertum, atque proſequitur: *Mole magnitudinis in brevi ſatis ſpatio gens Ducis oppreſſa eſt, diſſoluta, & victa. Mira res: Cui pater ejus maledixerat, & qui Regnum Jeruſalem renuerat, durare non potuit. Captus eſt igitur Dux fortiſſimus Nortmannorum. Reddiditque Dominus ei vicem. Quia cùm glorioſum reddidiſſet eum in actibus Hieroſolymitanis, Regnum Jeruſalem ſibi oblatum renuit, magis eligens quieti & deſidiæ in Normandia deſervire, quàm Domino Regum in ſancta civitate deſudare. Damnavit igitur eum Dominus deſidia perenni, & carcere ſempiterno.* A moriente patre excluſus Regno, & ſolo Nortmandiæ Ducatu juſſus eſſe contentus Robertus, cum Godefrido Lotharingiæ Duce, & aliis Francorum Proceribus abiit ad ſacrum Urbani ſecundi Pontificis bellum, ejecit Saracenos è ſancta Civitate, & fuit glorioſiſſimus. Vigebat tunc illic Divina Clementia, quæ quotannis communibus precibus advocata Paſchale lumen miraculo accendebat in Eccleſia Sancti ſepulchri: Et dum in primo ſuo Paſchate iſtud lumen implorarent Franci victores, Divina Bonitas accendit cereum Roberti Ducis, atque ita ille, tanquam à cœlo deſignatus, omnium ſuffragio fuit electus in primum Hieroſolymæ Regem. Verùm ille Anglicanam coronam gerebat in pectore, atque ex ejus ſpe noluit in ſancta Terra regnare. Offendit omnes, atque ita Godefridus Lotharingiæ Dux adſcendit Regale ſolium. Nempè paterna maledictio Robertum perſequebatur, & præcipitabat de miſeria in miſeriam. Etenim defuncto Guilielmo Rufo, Anglorum Proceres ejus fratrem Henricum exaltarunt: Et hic rebellem ſibi Robertum bello cepit, privavit oculis, & clauſit in perpetuo carcere.

re. Quæ omnia latè referunt vetuſti Anglicarum rerum Scriptores.

Res eſt altiùs repetenda. Etenim inflicta Roberto paterna maledictio non caruit cauſis. Harum præcipuam adducit in opere de Anglorum Pontificum geſtis Guilielmus Malmesberienſis Monaſterii Bibliothecarius, ſcribens Guilielmum Anglicani Regni Conquæſtorem à Cantuarienſium Archiepiſcopo Stigando, quòd à Romanæ Eccleſiæ communione eſſet ſuſpenſus, no-
Lib. 3. luiſſe ungi in Regem, atque adjungens: *Aldre-*
fol. 271. *dus Eboracenſis Archiepiſcopus conſecrationem egit, exacto priùs coram omni populo jurejurando, quòd ſe modeſtè erga ſubditos ageret, & æquo jure Anglos, quo Francos, tractaret. Et ita illum, quamdiu erga ſuos ſubditos temperiem habuerat, dilexit ut prolem, veneratus eſt ut Regem. Sed cùm importabilis Tributi penſum à Provincialibus exigeret, convenit eum per Legatos Antiſtes, quos ægrè admiſſos cum turbulento Reſponſo abegiſſet, non moratus ille maledictionis telum in illum & in omnem ejus vibrabat progeniem. Præfatus poſſe ſe maledictionem dare merito, qui benedictionem dediſſet immerito. Quod cùm relatum eſſet Regi; amicorum admonitione delinitus miſit qui Epiſcopum exorarent. Verumtamen prævenerat Nuncios mors Antiſtitis, qui ex ægritudine animi contracto morbo decubuerat & obierat.* Non ſolùm populum, ſed etiam Clerum Guilielmus vexabat immodicis exactionibus. Has compendio exponit Matthæus Pari-
A. 1070 ſienſis: *Rex Guilielmus, peſſimo uſus conſilio, omnia Anglorum Monaſteria auro ſpolians & argento, inſatiabiliter appropriavit, & ad majora ſanctæ Eccleſiæ opprobria calicibus & feretris non pepercit. Epiſcopatus quoque & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſæculari libertatem habuerant, ſub ſervitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi & ſucceſſoribus ſuis, hoſtilitatis tempore, voluit à ſingulis exhiberi. Huic conſtitutioni peſſimæ reluctantes à Regno fugavit. Solus inter omnes Angliæ Prælatos Egelvvinus Dunelmenſis Epiſcopus, exul & proſcriptus, zelum Dei habens, excommunicavit univerſos Eccleſiæ invaſores, & rerum Eccleſiaſticarum raptores.* Etiam Aldredus Archiepiſcopus ob hoc præſertim facinus illum maledixit. Nec tantummodò ipſum, ſed & omnem ejus progeniem. Et maledictionis vires cognoſcens Rex abſolvi ſtuduit, at non impetravit. Et hinc non revocata maledictio ipſum compulit ad proprio primogenito maledicendum, & ſuam ſcabiem traducendam in omnes ſuos poſteros. Quales enim hi fuerint, demonſtrare poſſit ipſorum ſeries deducta à Guilielmo Rufo uſque ad Henricum octavum. Audiamus quid compendio ſcribat de ipſis Joannes Bromtonus Abbas Jor-
A. 1155. nalenſis: *Richardus primus Angliæ Rex referre ſolebat, aſſerens non eſſe mirandum, ſi de tali genere procedentes ſe mutuò infeſtent, tamquam de diabolo venientes, & ad diabolum tranſeuntes. Undè & Clericus quidam à Rege Henrico ſecundo ad filium ſuum Gaufredum Britanniæ Comitem pro pace reformanda miſſus, hoc à filio audivit: Numquid veniſti exhæredare me de jure meo nativo? Num ignoras hoc nobis naturaliter fore proprium, & ab atavis inſertum, ut noſtrum nullus alterum diligat? Noli ergò fruſtrà laborare, ut naturam expellas. De iſto quoque Rege Henrico, quondam infantulo, & in Curia Regis Francorum nutrito, beatus Bernardus Abbas Rege præſente ſic prophetavit: De diabolo venit, & ad diabolum ibit. Notans per hoc tam tyrannidem Patris ſui Gaufredi Comitis Andegavenſis, qui Sagienſem Epiſcopum eunuchizaverat, quam etiam iſtius Henrici futuram atrocitatem, qua in beatum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum deſæviret.* Eidem Henrico, extremis Terræ ſanctæ periculis auxilia deneganti, & culpam referenti in ſuos filios, repoſuit Patriarcha Hieroſolymitanus: *Non mi-* A. 1185.
rum, quia filii tui de diabolo venerunt, & ad diabolum ibunt.

De eodem Henrico moriente ſcribit Rogerus Hovedenſis: *Henricus tactus dolore intrinſecùs,* Fol. 654.
maledixit diei, in qua natus fuit, & maledictionem Dei ac ſuam dedit filiis ſuis, quam numquam relaxare voluit, licet Epiſcopi & cæteri viri religioſi eum ad relaxationem maledictionis ſuæ ſæpiùs commoviſſent. Et quid hæc maledictio fuerit operata in iſtis filiis, præſertim in Joanne Anglorum Rege, norunt Anglicanarum rerum periti. Etiam quid operata ſit in Joannis poſteros. Ex hac enim maledicta radice tandem prodiit Henricus octavus, per quem Anglorum, quos tanquam Angelos intuebatur Magnus Gregorius, terra demutata eſt in ſchiſmaticam atque hæreticam ſpeluncam dæmoniorum. Et horum omnium primam originem Gaufredus Britanniæ Comes rectè retulit in ſuos atavos. Etenim venit ex maledictione, quam Guilielmo Conquæſtori ob læſam Cleri & populi libertatem inflixit venerabilis Aldredus Archiepiſcopus Eboracenſis. Acceſſit & maledictio, quam Guilielmo Aquitaniæ Duci, dum ſui Vice-Comitis rapuit & duxit uxorem, inflixit neſcio quis Sanctus Epiſcopus: *Nunquam proles de vobis veniens fructum faciet felicem.* Ex iſto enim adulterino conjugio prodiit Eleonora, quæ primùm Ludovico ſeptimo Francorum Regi nupſit, & poſtmodum propter conſanguinitatem ab illo ſeparata tranſiit ad Henricum ſecundum Angliæ Regem, atque ita multorum bellorum fuit cauſa, & mater infelicium filiorum. Guilielmus iſte eſt Sanctus Guilielmus Eremita, qui horrenda ſua flagitia & facinora poſtmodò purgavit per duram & longam pœnitentiam. Proindè Aldredi Archiepiſcopi maledictio iſtud ipſum egit in genus Guilielmi Regis, quod Bonifacii octavi maledictio operata fuit in genus Philippi Pulchri Regis Francorum. Iſtius adulterini conjugii maledictionem refert idem Joannes Bromtonus.

Quod parentum in filios maledictio frequenter A. 1155.
exaudiatur à Divina Juſtitia, & horrendos pariat effectus, demonſtrari poſſit pluribus exemplis. Adducam unum de nobili apud Cappadocum Cæſaræam Vidua, ſeptem filiorum & trium filiarum matre, quæ à ſeniore filio percuſſa, omnibus per impatientiam maledixit. Audiamus rem ex Pauli, qui Hippone ad Sancti Stephani Proto-martyris memoriam ſanatus fuit à ſibi

inflictis

inflictis divinitùs plagis, recitato ad omnem Hipponenſem populum libello: *Cùm adhuc in Patria Cæſarea Cappadociæ moraremur, frater noſter natu major gravibus atque intolerandis communem Matrem affecit injuriis, ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri noſtro pro matre noſtra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem fœminei doloris ſtimulis incitata, injurioſum filium maledicendo punire conſtituit. Cumque ad ſacri Baptiſmatis fontem poſt gallorum cantus memorato filio ſuo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei neſcio quis in patrui noſtri ſimilitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, & ab ea prior quo pergeret requiſivit. Cui illa, ad maledicendum filio ſuo ob intolerabilem contumeliam ſe ire reſpondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde inſaniente locum facilè invenire potuit, ut omnibus malediceret, perſuaſit. Illa autem vipereis inflammata conſiliis, ſacrum Fontem provoluta corripuit, & ſparſis crinibus, nudatiſque uberibus hoc à Deo potiſſimum poſtulavit, ut extorres patria, & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus noſtro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta proſequitur: Eundemque continuò fratrem noſtrum, ætate culpaque majorem, tremor membrorum tantus invaſit, quantum in me uſque ad hoc triduum veſtra Sanctitas vidit. Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones ſuas ad tantam efficaciam perveniſſe, impietatis ſuæ conſcientiam & opprobrium hominum diutiùs ferre non potuit, ſed laqueo guttur adſtringens, luctuoſam vitam termino funeſtiore concluſit. Egreſſi ergo nos omnes, opprobrium noſtrum non ferentes, & communem patriam relinquentes, paſſim ſumus per diverſa diſperſi.* Ad inſtar parricidæ Cain fuerunt omnium membrorum tremore percuſſi, factique vagi ſuper terram, atque ita horrendum maternæ maledictionis ſpectaculum præbuerunt toti Romano Imperio. Ipſe matris percuſſor Ravennæ ad Sancti Laurentii Martyris memoriam, Paulus ordine ſextus filius apud Hipponem à Sancto Protomartyre Stephano, alii ad alias Sanctorum memo-
Serm. 31. rias fuerunt ſanati. Exſtat iſte libellus apud Sanctum Auguſtinum in ſermone de diverſis.
Lib. 22. cap. 8. Et ipſe idem refert in libris de Civitate Dei. Et
Serm. 32. cap. 1. adjungit in ſermone ad ſuum populum: *Diſcant filii obſequi, timeant parentes iraſci.* Etenim per iram inflicta filiis maledictio eſt parentibus grave crimen. Et ex his vides, quòd olim filiis maledicturi parentes ſacrum fontem accederent, & quidem ad galli cantum. Ea hora, qua ſolemnis Baptiſmus tunc celebrabatur. Ut ſcilicet datam in Baptiſmo benedictionem exſufflari impetrarent à Divina Majeſtate, ac verti in maledictionem.

Parentum maledictioni æquivalet per quemvis Superiorem inflicta maledictio, pariтque eoſdem effectus. Etenim de Guilielmo Cantuarienſi ad Sanctum Auguſtinum Monacho, qui patruum ſuum & Abbatem Hugonem ad Metropolitanæ illic Eccleſiæ rebellandum inſtigaverat, ſcribit in libro de natis inter eandem Eccleſiam & Balduinum Archiepiſcopum diſcordiis Gervaſius Cathedralis Monachus: *Abbas Hugo VVilhelmo nepoti ſuo imprecatus eſt, cum Dathan & Abiron participaret, eò quod ipſum contra Matrem Eccleſiam Cantuarienſem incitaſſet. Quæ maledictio ipſi VVilhelmo non ceſſit in vanum.* Etenim duriſſimè atque infeliciſſimè eſt defunctus. Et in Citizenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius multis lamentatur Scholaſticam Theologiam *Ariſtotelicis argutiis & quæſtionibus dialecticis, opinionibuſque ambiguis, technis denique fallacibus* eſſe per quoſdam oppletam, affirmat Fratres A. 1254. præſertim Minores laborare hoc vitio, & adjungit: *Quàm fideliter & Deificè id fecerint, videant ipſi. Potiſſimùm cum & Legiſlator eorum divus Franciſcus graviſſimè & horribiliter maledixiſſe legatur fratri Joanni Ordinis Miniſtro, qui ejus ſine licentia Bononiæ litterarum inchoàverat ſtudium, & adeò quidem ut infirmitate correptus, paulò poſt terribili morte interierit, ita quod neque in extremis vir Dei maledictionem illatam, etiam rogatus, revocare voluerit, aſſerens eam in cælo fore confirmatam, ſeque malle Fratres ſuos magis orare, quam legere.* Suos furores exordienti Martino Luthero convixit, & multùm favit Paulus Langius, ideoque in Scholaſticam Theologiam eſt juſto acerbior.

Etiam fraterna, qua quis ſuo proximo maledicit, maledictio non caret effectu. Hinc enim de Imperatore Theodoſio ſecundo, ac neſcio quo Monacho ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theo- Lib. 5. cap. 36.
doretus: *Venit ad Imperatorem vir quidam, Monaſticam quidem vitam ducens, ſed animo præfractiori, ut aliquid poſtularet. Quod cùm ſæpius faceret, nec impetraret, Eccleſiaſticam illi communionem interdixit, & injecto vinculo diſceſſit. Fideliſſimus verò Imperator ad palatium reverſus, cùm tempus eſſet convivii, & adeſſent convivæ, cibum ſe priùs capturum negavit, quàm vinculo ſolveretur. Atque hac de cauſa familiariſſimum quemdam miſit ad Epiſcopum, orans ut ei, qui ligarat, ſolutionem imperaret. Cumque Epiſcopus diceret non debere à quovis injectum vinculum admitti, & ſolutum eum eſſe ſignificaret, ſolutionem non admiſit, donec is qui ligarat, multo cum labore quæſitus, communionem reſtituit. Uſque adeò Divinis Legibus obtemperavit.* Per excommunicationem Theodoretus omninò intelligit fraternam maledictionem. Nec enim rei Chriſtianæ adeò imperitus erat Imperator Theodoſius, ut neſciret hierarchicam excommunicandi poteſtatem ſpectare ad ſolos Epiſcopos. Similem excommunicationem memorat in Dialogorum libris Magnus Gregorius, de quodam Monacho, duabus nobilibus Sanctimonialibus ſerviente, & frequentes ab ipſis tolerante contumelias, ſcribens: *Qui dum iſta tolleraret, perrexit ad Dei hominem, quantaſque pa-* Lib. 2. c. 23.
teretur verborum contumelias, enarravit. Vir autem Dei hæc de Sanctimonialibus audiens, eis protinus mandavit, dicens: Corrigite linguam veſtram. Quia ſi non emendaveritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis ſententiam non proferendo intulit, ſed minando. Illæ autem à priſtinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in Eccleſia ſepultæ. Addit defunctas non potuiſſe quieſcere, donec ab iſta excommuni-

municatione per eundem Dei hominem, utique Monachum, abſolverentur. Etiam Sanctus Columbanus, laicus Monachus, Theodorico Francorum Regi, niſi à publico adulterio ceſſaret, fuit minatus excommunicationem. Ita habes in Chronico Fredegarii Scholaſtici. Cap. 36. Et in ſcripta ad ſuos Regulares Clericos regula ſtatuit Sanctus Crodogangus Metenſis Epiſcopus: Cap. 37. *Nulli liceat quemquam parem ſuum excommunicare aut cædere, quamvis aliquis ſua præſumptione ipſum ad hoc incitet. Non eſt ſuum advindicare aut in verbis aut in factis. Sed ad Priorem veniat, & ille ipſam cauſam ſecundùm Ordinem definiat.* Hæc omnis excommunicatio non eſt aliud, quàm fraterna maledictio. Quòd item maledictio, qua jurgantes ſibi invicem mala imprecantur, horrendos quandoque pepererit effectus, docent authentica exempla. Quin & mendica mulier Mathildi Hollandorum Comitiſſæ, à qua de inito matrimonio & ſuſceptis prolibus increpabatur, imprecata eſt, ut tot uno partu proles ederet, quot ſunt in anno dies: & fuiſſe exauditam teſtatur magnum Belgii Chronicon.

De eadem maledictione quæſivit olim neſcio quis Antiochus: *Si ſanctus aliquis vir immiſerit diſciplinam, aut cruciatum, aut dæmonem, vel mortem, aut aliquam aliam caſtigationem in domum aut in alicujus liberos, poteſtnè ille homo exorare Deum, & effugere hanc ſupplicii ſententiam, quam tulit ſervus Dei?* Hi enim ſunt conſueti fraternæ ac etiam Sacerdotalis maledictionis effectus. Et neſcio quis apud Sancti Athanaſii appendicem antiquus & incognitus Scriptor reſpondit: Qu. 117. *Si ſanctus ſit ille vir, qui hominibus cruciatum immiſit, conſtat conſilium iſtud à Deo profectum eſſe. Quiſnam autem eſt, qui Dei conſilium velit irritum facere? Ne ipſi quidem Angeli inter ſeſe unquam digladiantur, cognoſcentes mutuæ dilectionis ſpiritualis vinculum. Nec exaudiretur quidem, etiamſi per deprecationem ſuam alterius Sancti preces aliquis irritas reddere vellet. Non enim conveniens eſt, ut famulorum ſuorum Deus alium affligat, alium verò foveat.* Confirmat hæc exemplis, & concludit: *Ergo quemadmodum apud Sanctos Angelos alius contra alium nihil committit, ſic etiam de ſanctis hominibus eſt ſentiendum.* Eſt antiquiſſima diſciplina. Hinc enim Imperator Theodoſius non à Conſtantinopolitano Epiſcopo, ſed ab ipſo maledictionis authore Monacho voluit abſolvi. Etiam iſtis contumelioſis Monialibus ab ipſo eodem Dei ſervo debuit impendi abſolutio. Et Guilielmus Angliæ Conquæſtor ab ipſo Aldredo Eboracenſi Epiſcopo ſtuduit ſibi ſolvi injectum vinculum. Quod ipſum lucet ex aliis jam adductis exemplis. Attramen prophani ante Eccleſiam Saltatores non à maledicente Presbytero, ſed à Colonienſi Epiſcopo, ſuo Metropolita, fuerunt abſoluti. In ſua Saxonia Albertus Crantzius affirmat id eveniſſe in Holbeecke, Villa Diœceſis Halberſtadienſis.

DISSERTATIO

De peccatorum ac ſatisfactionum Indulgentiis.

GREGORIUS SEPTIMUS cunctis Sancti Petri fidelibus, ſua adversùs Henricum quartum Imperatorem Decreta reverentibus atque obſervantibus, non ſolummodò Apoſtolicam benedictionem impertit, ſed etiam abſolutionem omnium peccatorum, ſeu plenariam Indulgentiam. Quidam exiſtimant ipſum ſimilis, præſertim tam univerſalis, Indulgentiæ eſſe primum authorem. Malè. Etenim nonnemo rectè ſcripſit: *Dicemus pauca de Indulgentiis, non tantùm propter hæreticos, qui eas ex profeſſo inſectantur, ſed etiam propter nonnullos Catholicos, qui eas ſic conati ſunt adſerere, ut præter ſuam intentionem videantur Adverſariorum ſtudia non parùm adjuviſſe. Dixerunt enim, quod ante ſexcentos annos eas prorſus ignoravit Eccleſia, quodque poſteà à Recentioribus in Scripturis ſacris animadverſæ ſint, & in Eccleſiæ uſum converſæ.* Perverſa eſt iſta aſſertio. Etenim nihil poſſit ſpectare ad Evangelicum Dogma, niſi quod nos accepimus à noſtris Epiſcopis, hi à ſuis Anteceſſoribus, hi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo. Quidquid in Dogmate novum eſt, eſt devium atque falſum. Hæc eſt avita atque Apoſtolica contra quaſvis hæreſes præſcriptio. Etenim quaſvis vocum novitates damnat Apoſtolus.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur Tertulliani Error circa Indulgentias.

SEptimius Tertullianus, ſummum Eccleſiæ lumen, ad Montani hæreſim delapſus fuit primus hoſtis ac hæreticus impugnator Indulgentiarum. Omne virus latet in poſtremo capite libri de Pudicitia, ideoque ipſum hic integrè ponendum

nendum eſt, atque exponendum. Nec enim caret ſcabroſis difficultatibus. En ejus textum: *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc mollia, in novo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiant mœchi, ſtatim adeant fornicatores. Iam preces circumſonant, jam lacbrymæ circumſtagnant maculati cujuſque. Nec ulli magis aditum carceris redimunt, quàm qui Eccleſiæ perdiderunt. Violantur viri & fœminæ in tenebris, planè ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium neceſſarium eſt delictis poſt martyrium novis. Quis enim in terris & in carne ſine culpa? Quis Martyr ſæculi incola, denariis ſupplex, mendico obnoxius, aut fœneratori? Puta nunc ſub gladio jam capite librato, puta in patibulo jam corpore expanſo, puta in ſtipite jam leone conceſſo, puta in axe jam incendio adſtructo, in ipſa dico ſecuritate & poſſeſſione Martyrii, quis permittit homini donare, quæ Deo reſervanda ſunt? A quo ea ſine excuſatione damnata ſunt, quæ nec Apoſtoli, quod ſciam, Martyres & ipſi, donabilia judicaverunt. Denique jam ad beſtias depugnaverat Paulus Epheſi, cùm interitum decernit incæſto. Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quòd pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Nam & in ipſa paſſione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus, pro peccatoribus obiret. Proindè qui illum æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe deliquiſti, planè patere pro me: Si verò peccator es, quomodò oleum faculæ tuæ ſufficere & tibi & mihi poterit? Habeo etiam nunc quo probem Chriſtum. Si propterea Chriſtus in Martyre eſt, ut mœchos & fornicatores Martyr abſolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Chriſtus eſt. Sic enim Dominus* JESUS-*Chriſtus poteſtatem ſuam oſtendit: Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? Quid enim facilius eſt, dicere paralytico, Dimittuntur tibi peccata, an, Surge & ambula? Igitur ut ſciatis Filium hominis habere dimittendorum peccatorum in terris poteſtatem, tibi dico, paralytice, ſurge & ambula. Si Dominus tantùm de poteſtatis ſuæ probatione curavit, uti traduceret cogitatus, & ita imperaret ſanitatem, ne non crederetur poſſe delicta dimittere, non licet mihi eandem poteſtatem in aliquo ſine eiſdem probationibus credere. Cùm tamen mœchis & fornicatoribus à Martyre expoſtulas veniam, ipſe confiteris ejuſmodi crimina nonniſi proprio Martyrio diluenda, qui præſumis alieno. Quod ſi ita eſt, jam & Martyrium aliud erit Baptiſma. Habeo enim, inquit, & aliud Baptiſma. Unde & ex vulnere lateris Dominici aqua & ſanguis, utriuſque lavacri paratura, manavit. Debeo ergo & primo lavacro alium liberare, ſi poſſum ſecundo. Ingeram uſque in ſinum neceſſe eſt: Quæcumque authoritas, quæcumque ratio mœcho & fornicatori pacem Eccleſiaſticam reddit, eadem debebit & homicidæ & idololatræ pœnitentibus ſubvenire. Certè negatori, & utique illi, quem in prœlio confeſſionis tormentis colluctatum ſævitia dejecit. Cæterùm indignum Deo, & illius miſericordia, qui pœnitentiam peccatoris morti prævertit, ut faciliùs in Eccleſiam redeant, qui ſubando, quàm qui dimicando ceciderunt. Urget nos dicere indignitas. Contaminata potiùs corpora revocabis, quàm cruentata? Quæ pœnitentia miſerabiliter, titillatam proſternens carnem, an verò laniatam? Quæ juſtior venia in omnibus cauſis, quàm voluntarius, an quàm invitus peccator implorat? Nemo volens negare compellitur, nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis eſt, niſi ipſa. Neſcit, quod libet, cogi. Negationem porrò quanta compellunt ingenia carnificis & genera pœnarum? Quis magis negavit, qui Chriſtum vexatus, an qui delectatus amiſit? Qui cùm amitteret doluit, an qui cùm amitteret luſit? Et tamen illæ cicatrices prœlio Chriſtiano inſculptæ, & utique invidioſæ apud Chriſtum, quia viciſſe cupierunt, & ſic quoque glorioſæ, quia non vincendo ceſſerunt, in quas adhuc & diabolus ipſe ſuſpirat, cum ſua infelicitate, ſed caſta, cum pœnitentia mœrente, ſed non erubeſcente ad Dominum de venia. Denuò dimittitur eis, qui piaculariter negaverunt. Solis illis caro infirma eſt. Atqui nulla tàm fortis caro, quàm quæ ſpiritum elidit.*

Tria olim peccata Mater Eccleſia fuit ſingulariter deteſtata: Idololatriam, mœchiam, & homicidium. Eis Sacramentalis Reconciliationis pacem negavit etiam in articulo mortis: Etiam poſt peractam tota vita pœnitentiam. Ea reſervavit Divinæ Majeſtati. Ad ſummum noſtrum in Dei Patris dextera Pontificem Jeſum Chriſtum judicanda remiſit, ſolvenda aut tenenda. Ita fuit uſque ad Zephyrinum Pontificem, de cujus Edicto ſcribit idem liber de pudicitia: *Audito Edictum* Cap. 1. *eſſe propoſitum, & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Id eſt, deinceps dimittenda per omnem Eccleſiam decerno atque jubeo. Non tantùm fornicationis, ſed etiam mœchiæ delicta. Etiam monſtruoſæ in ipſam naturam mœchiæ. Hinc pergit Tertullianus: *Snpereſt ſpecialiter de mœchiæ & fornicationis ſtatu examinare*, Cap. 2. *in quam delictorum partem debeant redigi.* Reſpondet ſub illis comprehendi omnem illegitimum concubitum, & adjungit: *Ideò penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Ne indè conſertæ obtentu matrimonii crimen eludant. Reliquas autem libidinum furias, impias & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus. Quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Videtur comprehendere etiam ſimplicem immunditiam: Hæc enim licèt non in ſexum, impia tamen eſt in proprium corpus, ideoque & monſtrum. Montaniſticam, quæ omne monſtrum proſcribebat ad Hyemantes, diſciplinam lapſus Septimius exaltat: Quòd nempè Zephyrini Edictum ipſa etiam comprehenderet. Et de clandeſtinis matrimoniis nota has voces: *Penes nos.* Suadent ipſa tunc apud Pſychicos, id eſt, apud Catholicam Eccleſiam viguiſſe & valuiſſe, adeoque quidem fuiſſe vetita, non tamen fornicaria aut flagitioſa. Nota & vocem: *Periclitantur.* Edicit etiam Montaniſtas de ipſorum valore ceſpitaſſe, & inter ipſos fuiſſe quæſtionem. Clandeſtini matrimonii abuſus & valor ſunt adeò antiqui.

Porro Zephyrini Edictum mœchis & fornicatoribus portam aperuit non tantùm ad Sacramentalem

talem Reconciliationem, ſed etiam ad ambiendam atque ſperandam impoſitæ pœnitentiæ relaxationem ac indulgentiam. Etenim addit: *Pœnitentia functis*. Et quidem longiſſima atque duriſſima ad multos annos. Et pœnitentiæ actionem eſſe non raſum, non ſcalptum, non adulterum nummum, quo reconciliationis gratiam debeamus emere à Divina Majeſtate, ſcribit Septimius in libro de Pœnitentia. Cap. 10. Hinc paſſim agebatur ante iſtam gratiam, De quibuſdam peccatis. Qui hanc diſciplinam fuiſſe olim ad omnia peccata extenſam exiſtimant, omninò falluntur. Interim ubicumque eſt obtinendæ pacis ſeu abſolutionis ſpes, eſt & ſpes mitigandæ pœnitentiæ, ſeu obtinendæ Indulgentiæ. Hinc ergò Zephyrini Edictum mœchis & fornicatoribus fecit animos accedendi Martyres & carceratos Confeſſores, & ab ipſis ſupplicandi litteras commendatitias ad ſuos Epiſcopos, quæ illis impoſitam pœnitentiam remitti, aut certè contrahi, & ſtatim dari aut certè accelerari abſolutionis pacem expoſtularent. Hodiè Romanus Pontifex in Sanctorum feſtivitatibus dat Indulgentias: Et inter conditiones ponit, ut accedamus iſtius Sancti Baſilicam, noſmetipſos commendemus illi, & ejus imploremus preces, quæ nos Divinæ Majeſtati offerant, & factam nobis è Romano Pontifice gratiam impetrent ab illa confirmari. Nos accedimus Sanctos defunctos, primitivi fideles accedebant adhuc vivos, & per ipſos poſtulabant non tantùm Domino Deo, ſed ſuo etiam Epiſcopo ac Eccleſiæ clavibus commendari. Hinc deſignatos Martyres in ſcripto ad ipſos libro, ut in carcere fraternam concordiam ſervent, ſeriò hortatur Catholicus adhuc Tertullianus, & adjungit cauſam: *Quam pacem, quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt*. Cap. 1. Hanc poſtulandæ ac impetrandæ pacis fiduciam factus Montaniſta indignatur communicari mœchis & fornicatoribus, ideoque ſcribit in jam adducto capite: *At tu jam & in Martyres effundis hanc poteſtatem*. Hanc mœchis & fornicatoribus factam fiduciam affirmat eſſe peſſimum circa Indulgentias abuſum. Proceſſit iiſdem paſſibus, quibus elapſo ſæculo proceſſit & Martinus Lutherus. Primò ſolos prætenſos abuſus impugnavit, & tandem profecit ad ipſam etiam indulgentiarum ſubſtantiam & clavium poteſtatem hoſtiliſſimè invadendam.

Catholicam Eccleſiam circa Indulgentias arguit & damnat de variis. Primum caput eſt in his verbis: *Ut quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc mollia, in novo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores*. Aliqui legendum putant: *Ex confeſſione*. Et Gabriel Albaſpinæus ſcribit: *Si mutare aliquid liceret, legerem, Ex concuſſione. Hoc enim lucri genus milites habebant, ut à Chriſtianis, ne Prætori referrent, aut in carcerem eos conjicerent, pecuniam extorquerent. Igitur ſi ex concuſſione & ſpe prædæ aliquis Chriſtianorum interceptus eſſet, & cùm nondum eſſet conjectus in carcerem, eum mox fornicatores adire, orare precibus, & lachrymis finem non prius facere, quàm delicti ſui pœnam ab Eccleſia deprecarentur*. Matrem Eccleſiam, quod verorum Martyrum authoritatem communicaret ac profunderet etiam in falſos Martyres, Septimius manifeſtè arguit. Porrò ſolos veraciter carceratos pro veraciter deſignatis Martyribus ſemper habuit Chriſtianitas. Et non ſolis his, ſed etiam à Romano Officio dumtaxat concuſſis & apprehenſis, quin & carcerem pecunia redimentibus authoritatem dandi indulgentiales litteras Catholica Eccleſia tunc forſan permittebat. Et hunc novum exceſſum à Tertulliano argui cenſet Albaſpinæus. At ipſum labi ſequens contextus lucidè demonſtrabit. Omninò legendum eſt: *Ex conſenſione*. Exponit in Carthaginenſis collationis Breviculo Sanctus Auguſtinus. Epiſtolæ, quam graſſante Imperatoris Diocletiani perſecutione Menſurius Carthaginenſis Archiepiſcopus ſcripſerat ad Secundum Tigiſitanum Epiſcopum ac Numidiæ tunc Primatem, varia capita exponit, & adjungit: *In iiſdem litteris etiam lectum eſt, eos qui ſe offerrent perſecutoribus non comprehenſi, & ultrò dicerent ſe habere Scripturas, quas non traderent, à quibus hoc nemo quæſierat, diſplicuiſſe Menſurio, & ab eis honorandis eum prohibuiſſe Chriſtianos. Quidam etiam in eadem Epiſtola arguebantur facinoroſi & fiſci debitores, qui occaſione perſecutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare ſe putarent, & quaſi abluere facinora ſua, vel certè acquirere pecuniam, & in cuſtodia deliciis perfui de obſequio Chriſtianorum*. Lib. 3. cap. 13. Ejuſmodi fuit ille peregrinus, quem Protea Lucianus appellat: Spontè intravit carcerem, ventrem & burſam opimè iſtic impinguavit, atque ita è mendico dives rediit in patriam. Et ejuſmodi nebulones tunc fuiſſe plures etiam in Africa, teſtatur Septimius in libro de Jejuniis. Affirmat verum Martyrem ita debere intra carcerem vivere, ut ſola arida cute loricatus, & contra ungulas totus corneus procedat ad certamen, atque adjungit: *Planè veſtrum eſt in carceribus popinas exhibere Martyribus incertis, ne conſuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne nova abſtinentiæ diſciplina ſcandalizentur. Quam nec ille Priſtinus veſter non Chriſtianus Martyr attigerat, quem & facultate cuſtodiæ liberæ aliquamdiu fartum omnibus balneis, quaſi Baptiſmate melioribus, & omnibus luxuriæ ſeceſſibus, quaſi Eccleſiæ ſecretioribus, & omnibus vitæ iſtius illecebris, quaſi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum, ne mori vellet, poſtremò ipſo Tribunalis die luce ſumma, condito mero, tamquam antidoto, præmedicatum ita enervaſtis, ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas ſentiebat, quem Dominum confiteretur, interroganti Præſidi reſpondere non potuerit amplius, atque ita de hoc jam extortus, cùm ſingultus & ructus ſolos haberet, in ipſa negatione digeſſit*. Cap. 12. Conditum illud merum, quod uſque ad alogiam ſumpſit Pſeudo-Martyr, erat myrrhatum vinum, quod ſibi in cruce oblatum bibere noluit, atque ita ejuſdem abſtinentiæ exemplum ſuis Martyribus dedit Chriſtus Dominus. Eo largiùs hauſto capitales rei ad faciliorem tormentorum & mortis tolerantiam parabantur. Itaque Catholicam Eccleſiam, quòd non ſolos veros, ſed etiam iſtiuſmodi Pſeudo-Martyres honoraret, & circa Indulgentias

tias

tias authoritate fulciret, Tertullianus calumniatur. Hunc enim reſpiciunt & hæc ejus verba : *Vincula induit adhuc mollia, novo cuſtodiæ genere.* Nempè iſti ſpontanei & Pſeudo-Martyres molliùs tractabantur, idque in libera cuſtodia.

Quòd homo Montaniſta calumnietur Eccleſiam, lucet ex adducto Sancti Auguſtini teſtimonio. Etenim uti Menſurius Carthaginenſis, ita quivis alius in Eccleſia Catholica Epiſcopus iſtos Pſeudo-Martyres fuit ſemper deteſtatus. Et hæc diſciplina eſt una ex originibus Donatiſtici Schiſmatis. Ex ipſa enim Cæcilianus, laudati Menſurii adduc Archidiaconus, opulentam mulierem Lucillam, quòd necdum vindicati Martyris oſſa veneraretur, arguit, atque ita incurrit illius odium. Quòd Catholica Eccleſia carceratis Martyribus popinas exhiberet, eſt etiam inſignis calumnia. Carceratos Martyres illa ſemperhonoravit atque aluit. Ex hac enim regula ipſe adhuc orthodoxus Septimius, gentiles nuptias fidelibus interdicens, ſcripſit ad propriam uxorem : *Quis* gentilis *in carcerem ad oſculanda*
Lib. 2. cap. 5. *vincula Martyris reptare* uxorem *patietur ?* Nota vocem, *Reptare*. Et orthodoxum ad Martyres librum ſic inchoat: *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres deſignati, quæ vobis & Domina Mater Eccleſia de uberibus ſuis, & ſinguli fratres de opibus ſuis propriis in carcerem ſubminiſtrant, capite aliquid & à nobis, quòd faciat ad ſpiritum quoque educandum. Carnem enim ſaginari, & ſpiritum eſurire non prodeſt.* Et ad ſuæ Eccleſiæ Preſbyteros ac Diaconos ſcribit exul Sanctus Cyprianus: *Si fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conveniendum & viſitandum Confeſſores bonos, quos illuſtravit jam glorioſis initiis Divina dignatio, tamen cautè hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam puto eſſe faciendum, ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum inſatiabiles multum volumus, totum perdamus. Conſulite ergò & providete, ut cum temperamento hoc tutiùs agi poſſit, ita ut Preſbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent. Quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.* Erga carceratos Martyres erat adeò zeloſa omnium pietas, ut turmatim ſinguli accurrerent cum muneribus, ac Epiſcopali Præcepto debuerint temperari. Et hinc inter crimina, ob quæ Cæcilianum Carthaginenſem Archiepiſcopum degradare attentavit factioſa Donatiſtarum Synodus, fuit & hoc : *Quia cùm eſſet Diaconus, victum adferri Martyribus in cuſtodia conſtitutis prohibuiſſe dicebatur.* Ita in collationis breviculo ſcribit San-
Lib. 3. cap. 14. ctus Auguſtinus. Apud Gabrielem Albaſpinæum exſtat fragmentum ex hiſtoria Paſſionis ſanctorum Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelii, & aliorum Martyrum Africanorum ſub Anulino Proconſule, ſcripta per quendam Donatiſtam. Hæc Menſurium Epiſcopum accuſat de traditionis crimine, & adjungit : *Qui combuſtorum librorum veniam à Martyribus poſcere ac implorare debuerat, ut delicta ſua majoribus flagitiis cumularet, eo animo ſæviebat in Martyres, quo Divinas tradiderat leges. Etenim hic Tyranno ſeverior, carnifice crudelior, idoneum ſceleris ſui miniſtrum Diaconum ſuum elegit Cæcilianum, idemque lora & flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingreſſu atque aditu cunctos, qui victum potumque in carcerem Martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulſaret. Et cædebantur à Cæciliano paſſim, qui ad alendos Martyres veniebant: Sitientibus intùs in vinculis Confeſſoribus, pocula frangebantur ante carceris limina, cibi paſſim lacerandi canibus ſpargebantur.* Hujuſmodi plura affirmat patrata ab Archidiacono Cæciliano. Exiſtimo quòd grandes turmatim multitudines ad carceratos Martyres accedere Cæcilianus prohibuerit. Præſertim ad Pſeudo-Martyres, quorum popinas & alias ineptias nobis ſuprà deſcripſit ex Menſurii litteris S. Auguſtinus. Et iſtud omninò ſpectabat ad Cæciliani Archidiaconale officium. Quòd enim Diaconi, præſertim Archidiaconus, carceratis Confeſſoribus præeſſent, eorum ſpiritualia ac temporalia dirigerent, & ipſis ſingulariter de victu providerent, teſtantur plura Martyrum Acta, antiqua Geſta contra Sylvanum Cirthenſem Epiſcopum, unum è Schiſmaticis Majorini Ordinatoribus, variis in Epiſtolis Sanctus Cyprianus, & antiquus Author Conſtitutionum Apoſtolicarum. Et certè ex Apoſtolico Conſtituto Diaconi ſunt Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ diſpenſatores, ac Præfecti Eccleſiaſticarum menſarum. Et ad has nemo plus juris habet, quàm carcerati Confeſſores.

Notanda ſunt Sancti Cypriani verba: *Bonos Confeſſores*. Contra Tertulliani calumniam affirmant Pſeudo-Confeſſores apud Cyprianum fuiſſe nullius ponderis. Quòd eodem loco fuerint apud Menſurium, teſtatur jam adducta Donatiſtarum in Cæcilianum calumnia. Pergit Cyprianus: *Quos illuſtravit jam glorioſis initiis Divina dignatio*. Largiùs exponit in alia ad ſuos Preſbyteros ac Diaconos epiſtola: *Quamquam ſciam vos litteris meis fre-*
quenter admonitos eſſe, ut glorioſa voce Dominum con- Ep. 37.
feſſis, & in carcere conſtitutis omnis diligentia prębeatur : tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam deſit eis, quibus ad gloriam nihil deeſt. Non quoſvis commendat carceratos Confeſſores, ſed ſolos glorioſa voce Dominum confeſſos, quibus nihil deſit ad gloriam. Hoc eſt, qui ſe firmis documentis demonſtraſſent veros Confeſſores. Et his nullo modo popinam exhibebat mater Eccleſia. Inſigniter hoc docent antiqua, quæ Laurentius Surius edidit, & Dominus Cardinalis Baronius correxit, Africanorum Martyrum Acta, in quibus ad paſſurum Flavianum dicit Epiſcopus: *Laudo te, quia nemo ſic Martyrium*
duxit. Et verè nemo. Nam ut omittam carceris ab- A. 262.
ſtinentiam ſingularem, & ut accipientibus cæteris vel modicum cibum, qui de ſordibus penuriæ fiſcalis exhibebatur, ſolus ſe ab ipſo modico continuit, tanti habens jejuniis multis & legitimis fatigari, dummodo alios proprio victu ſaginaret. Et apud Sanctum Cyprianum incarceratus Martyr Lucianus ſcribit
ad Celerinum Confeſſorem: *Ante dies octo per* Ep. 22.
dies quinque medios modicum panis accepimus, & aquam ad menſuram. Et in litteris ad Nemeſianum ac alios in metallis Confeſſores ipſe Cyprianus inter alias, quibus iſtic Confeſſores ſole-
bant vexari, calamitates, ponit & hanc : *Panis il-* Ep. 77.

lic exiguus. Nempè Fiſcalis inopiæ ſordes erant aqua & panis in menſura. Romana Reſpublica aliud non dabat carceratis Confeſſoribus. Tantam inopiam pii fideles adjuvabant ſuis oblatiotionibus: Et has, ne in popinam degenerarent, Diaconi moderabantur. Et laudatus Confeſſor Celerinus præfatum Lucianum laudat, quòd pro
Ep. 21 Chriſto ſemper optarit mitti in carcerem, atque adjungit: *Et nunc ſuper ipſos*, utique carceratos Confeſſores, *factus Antiſtes Dei*. Exponit in litteris ad Sergium & alios carceratos Confeſ-
Ep. 81. ſores Sanctus Cyprianus: *Sequamini in omnibus Rogatianum Presbyterum, glorioſum Senem, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſa virtute & Divina dignatione facientem, qui cum Feliciſſimo fratre noſtro, quieto ſemper & ſobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere præparavit, & metatòr quodammodò veſter, nunc quoque vos antecedit*. Ad Martyres rectè ſcribit Tertullianus: *Domus quidem diaboli eſt carcer, in qua familiam ſuam continet. Sed vos ideò in carcerem perveniſtis, ut illum etiam in domo ſua conculcetis. Jam enim foris congreſſi conculcaveratis*. Martyres ſceleratum carcerem convertebant in Eccleſiam, aut ipſi eligebant ſibi, aut ab Epiſcopo per litteras accipiebant gravem aliquem, *quietum & ſobrium*, Epiſcopum aut Presbyterum in ſuum Præfectum ac Antiſtitem. Hic & popinas, & quaſvis morum ſordes è Chriſtiano carcere proſcribebat. Efficiebat ut quidam etiam à fiſcali pane & aqua jejunarent, ſua portione ſaginarent alios, atque ita ad extremum pro Chriſto Domino ſupplicium prodirent *cornei, & ſola arida cute loricati*. Hujuſmodi Martyres defuiſſe Eccleſiæ eſt manifeſta Tertulliani calumnia.

Ejus præſentem calumniam Nicolaus Rigaltius exponit hoc modo. *Septimius notat quorumdam Pſychicorum technas, qui ex compacto ſeſe in carcerem dabant, & vincula induebant, ut incœpti Martyrii fama ſimplices fidelium, ſeu viros ſeu fœminas, ob fornicationem fortè ab Eccleſia relegatos, conſolandi Martyris affectu in carcerem ventitantes fallerent, ut novis libidinum maculis contaminatos ad Eccleſiam remitterent cum litteris pacis & communicationis*. Reſpondeo hæc carere fundamento. Quòd iſti Pſeudo-Confeſſores ad dandas pacis litteras, atque ita à ſupplicibus ſibi mœchis aliquid emungendum intrarent carcerem, nullò fulciri poſſit antiquo teſtimonio. Nec enim illi cum nummis veniebant ad Martyres, ſed cum circumſonantibus precibus & circumſtagnantibus lachrymis. Quod & in danda & in accipienda pace ac aliis Sacramentis antiqua Chriſtianitas fuerit longè caſtiſſima, eſt omnibus manifeſtum. Non ergò ad dandas pacis litteras, ſed ob memoratas in Menſurii Archiepiſcopi litteris cauſas iſti Pſeudo-Martyres induebant mollia vincula, & carcerem ex conſenſione intrabant. Et quis unquam audivit ipſis ſupplices mœchos aut mœchas majoribus libidinum maculis fuiſſe contaminatos intra carcerem, & ita remiſſos ad Eccleſiam; Hocce facinus atque flagitium nec ipſa Tertulliani hæretica maledicentia illis adfinxit. Nota voces: *Preces circumſonant, lachrymæ circumſtagnant*. Demonſtrant iſtos etiam Pſeudo-Martyres in dandis Indulgentiarum libellis fuiſſe difficillimos, & nonniſi ad humillimas pœnitentiæ preces & carceribus circumfuſa lachrymarum ſtagna fuiſſe permotos. Quòd nempè ita haberet inconcuſſa Eccleſiæ diſciplina. Nota & verba: *Aditum redimunt*. Demonſtrant carceris ingreſſum debuiſſe emi à corrupto Commenrarienſi. Etenim non ſolùm Epiſt. 2.
hos viliſſimos, ſed etiam ſupremos Romanæ Reipublicæ Miniſtros fuiſſe tunc venales & omninò ſordidiſſimos, teſtatur Sanctus Cyprianus in epiſtola ad Donatum.

Aliud accuſationis caput eſt in his Tertulliani verbis: *Violantur viri ac fœminæ in tenebris, planè ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur*. Nicolaus Rigaltius interpretatur: *Quæ ab Ethnicis olim adversùm Chriſtianos jactabantur, atrociora non erant iſtis, quæ Septimius Pſychicis ſuis infligit*. Hæc verba combinari debent cum ſuperioribus: *Novis libidinum maculis contaminatos ad Eccleſiam remitterent cum litteris pacis*. Cenſet quòd Montaniſta Tertullianus blateret & mœchos & mœchas etiam cum ipſis Pſeudo-martyribus fuiſſe mœchatos in ipſo tenebroſo carcere: Cum ipſis Pſeudo-martyribus, à quibus pacis litteras impetrabant. Conſonat Gabriel Albaſpinæus: *Quantum conjectura poſſum conſequi, de alio Martyrum genere loquitur. Nempe de iis, qui verè in carcere cuſtodirentur, ad quos ait viros & fœminas reptare magis, ut libidinem ſuam in tenebris carceris explerent, quàm ut veniam impetrarent. Reptare enim eſt per tenebras ambulare*. Reſpondeo nullum hic eſſe verbum *Reptare*. Neſcio quem codicem eruditus Epiſcopus habuerit. Et omnem hunc commentarium elidunt voces: *Qui de ſua periclitantur*. Etenim ſi pacis expoſtulatores cum pacis donatoribus fuiſſent intra carcerem ſcortati, debuiſſet Tertullianus dicere: *Qui & ſuam amiſerunt*. Proinde aliud hic non agit, quàm accuſare Pſychicos, quod & viri & fœminæ nefanda tenebrarum opera paſſim agitarent, & cuncta iſta flagitia etiam per Pſeudo-Martyres permitterent indulgeri. Quod de nocte mœcharentur, & proxima luce impetrarent veniam etiam à Pſeudo-Martyribus, quorum ſalus adhuc penderet in multo incerto. Nam & in aliis libris Pſychicos frequenter accuſat de libertina libidine, nullibi tamen de maculatis Martyrum carceribus.

Tertium accuſationis caput eſt in his verbis: *Alii ad metalla confugiunt, & indè communicatores revertuntur, ubi jam aliud Martyrium neceſſarium eſt delictis poſt Martyrium novis*. Nicolaus Rigaltius commentatur: *Alii ob mœchiam aut fornicationem ejecti, Ethnicis metallorum procuratoribus corruptis, ad metalla confugiunt, ac pro Chriſti nomine raptos ſe ad ea fuiſſe ſimulant; undè mox, tanquam deguſtato Martyrio, ad Eccleſiaſticæ communionis pacem revertuntur. Indè autem revertuntur, ubi jam aliud Martyrium neceſſarium eſt: Ob ea nimirùm delicta, quæ dum apud metalla per fraudem illicitæ pactionis agerent, forma negationis non leviſſima contraxere*. Reſpondeo eruditum virum divinare de ſuo, & pa-

làm

ſàm deviare. Neque enim hic adverſùm mœchos, qui in metallis Martyrii hiſtrionatum agebant, ſed adverſùm illos ſcribit Septimius, qui à damnatis ad metalla Confeſſoribus pacis litteras impetrabant. Quapropter longè melior eſt Gabrielis Albaſpinæi commentarius: *Alii fornicatores ad Martyres, qui ad metalla damnati eſſent, confugiunt. Et indè communicatores redeunt. Pace ſcilicet impetrata per Martyrum commendationem, Sacrorum participes erant.* At verba ſequentia: *Quàm abſurdum ſit eos, qui in fodinis agerent, peccata condonare, vel indè probat, quòd novis quotidiè peccatis delinquerent, & venia magis indigerent, quàm ii, quibus eam indulgebant.* Hæc, inquam, verba etiam deviant. Nam quo fundamento, aut quo colore Septimius damnatos ad metalla Confeſſores de novis quotidiè delictis calumniaretur? Confeſſorum in metallis vitam deſcribit in litteris ad Nemeſianum, aliosque in metallis damnatos Epiſcopos Sanctus Cyprianus: *Quantum vult hic vel invida crudelitas vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat, cito*
Ep.67. *à terris & pœnis iſtis ad cœlorum Regna venietis. Non fovetur in metallis lecto & culcitris corpus: Sed refrigerio & ſolatio Chriſti fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera: Sed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squallent ſine balneis membra, ſitu & ſorde deformia: Sed ſpiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus: At non in ſolo pane vivit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt: Sed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. Semitonſi capitis capillus horreſcit: Sed cùm ſit caput viri Chriſtus, qualecumque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & tetra gentilibus, quali ſplendore penſabitur?* Hanc metallorum vitam Tertullianus habuit notiſſimam, ideoque de novis quotidiè delictis non potuit calumniari. Porrò damnati iſtic Confeſſores rarò occidebantur à Romanis Præfectis, & frequenter iſtam damnationem pecunia redimebant. Et quòd iſta confeſſio deinceps non redderet impeccabilem, Cyprianus multis oſtendit in libro de unitate
Ep.62. Eccleſiæ, atque adjungit: *Confeſſor eſt, ſed poſt Confeſſionem periculum majus eſt. Quia plus adverſarius provocatus.* Quod ipſum ſcribit in litteris ad Pomponium Epiſcopum, ac in litteris ad Rogatianum Presbyterum, & cum ipſo è carcere alios liberatos Confeſſores, atque adjungit:
Ep. 7. *Quoſdam audio inficere numerum veſtrum, & laudem præcipui nominis prava ſua converſatione deſtruere.* Etiam per mœchiam. Hinc ergò ſcribit: *Ubi jam aliud martyrium neceſſarium eſt delictis poſt martyrium novis.* Affirmat hoſce Martyres necdum eſſe de ſua ſalute certos, necdum firmos in juſtitia, adhuc labiles etiam in mœchiam, ideoque ineptos ad aliis dandos pacis libellos. Hunc ſenſum confirmant verba ſequentia: *In ipſa dico ſecuritate & poſſeſſione martyrii quis permittit homini donare, quæ Deo reſervanda ſunt?* Damnatis ad metalla, ideoque à martyrii poſſeſſione ac ſecuritate adhuc remotiſſimis Confeſſoribus vult iſtam authoritatem non eſſe adſcribendam. Verba, *Ubi jam aliud martyrium neceſſarium eſt delictis poſt martyrium novis*, edicunt & aliud: Montaniſticè edicunt mœchiam non poſſe hac in vita remitti per claves Eccleſiæ, ſed per ſolum martyrium.

Hinc ab indulgentiarum prætenſis abuſibus homo Montaniſta pergit ad ſubſtantiam: Pertinaciter aſſeverat ipſas à Martyribus nec dari poſſe nec poſtulari. Uſitatam uſque tunc in omnibus ſub cœlo Eccleſiis conſuetudinem damnat, tentatque abolere & circumſcribere. Prima ejus ratio eſt: *Quis in terris & in carne ſine culpa?* Aſſerit peccata remitti non poſſe à peccatoribus: Et omnem in hac vita hominem eſſe peccatorem. Etiam Martyrem. Et probat: *Quis Martyr ſæculi incola, denariis ſupplex, Medico obnoxius & fœneratori?* Affirmat omnem Martyrem, licet juſtum ac Dei filium, eſſe adhuc filium etiam hujus ſæculi, ideoque non ſine peccato. Quæ eſt frequentiſſima Sancti Auguſtini doctrina adverſùm Pelagianos. Verùm quæ eſt hæc conſequentia: Omnis homo eſt peccator, ergò nullus poteſt peccata donare? Præſertim quia hìc non agitur de remiſſione reatuum, ſed dumtaxat de ſatisfactione pro peccatis alienis, ſeu de expunctione reſtantium pro remiſſis alienis peccatis ſatisfactione. Reſpondeo conſequentiam non eſſe paradoxam, utpotè fundatam in hac Evangelica regula, quam in Tractatibus ſuper primam Sancti Joannis epiſtolam laudat Sanctus Auguſtinus: *In quo non eſt peccatum, ipſe venit auferre peccatum. Nam ſi eſſet & in illo peccatum, auferendum eſſet illi, non ipſe auferret.* Quod præſertim verum eſt de originali peccato. Hoc enim eſt adeò horrendum, adeoque durum jugum injecit omnibus Adæ filiis, ut cuncta noſtra etiam voluntaria paſſio videatur eſſe juſtum illius ſupplicium, ideoque nullus quidquam, quo aliena debita poſſit expungere, ultra proprium demeritum patiatur. Hac de re ſcribit in inchoata Apoſtolicæ ad Romanos epiſtolæ expoſitione Sanctus Auguſtinus: *Divinæ Juſtitiæ tanta conſtantia eſt, ut cùm pœna ſpiritalis & ſempiterna pœnitenti fuerit relaxata, preſſuræ tamen cruciatuſque corporales, quibus etiam Martyres exercitatos novimus, poſtremò mors ipſa, quam peccando meruit noſtra natura, nulli relaxetur. Quòd enim etiam juſti homines & pii tamen exſolvant iſta ſupplicia, de juſto Dei judicio venire credendum eſt. Ipſa eſt quæ in Sacris Scripturis etiam diſciplina nominatur, quam nemo juſtorum effugere ſinitur. Neminem quippè excepit, cùm diceret: Quem diligit Deus, corripit; flagellat autem filium, quem recipit. Undè etiam ipſe Job, qui propterea tam multa illa paſſus eſt, ut hominibus, quis vir eſſet, & quantus Dei ſervus, eluceret, pœnas tamen corporis pro peccatis ſuis ſe exſolvere ſæpè teſtatur.* Et hæc omnia pluribus Sacrarum litterarum teſtimoniis confirmat. Verùm ſcabroſa, & multi examinis indiga eſt iſta doctrina. Ipſam nimio, & ad propria etiam quorumvis juſtorum venialia peccata ampliato rigore ſectatur Tertullianus, atque exindè pertinax aſſerit dimiſſæ, ſi quidem per Eccleſiæ claves dimitti poſſit, mœchiæ reſtantes ſatisfactiones etiam per pretioſas Martyrum mortes non poſſe expungi.

Pro verbis, *Denarius ſupplex*, Nicolaus Rigaltius legendum putat: *Damnatis ſupplex*. Et commentatur: *Nempè hoſtibus Dei & Chriſti*. Et infrà: *Conjecturam protuli, quam tanti facio, quanti eſſe per exemplaria videbitur*. At omninò legendum eſt, *Denariis*. Et Gabriel Albaſpinæus rectè exponit: *Martyres eleemoſynis ſibi victum ab Ethnicis quæritabant*. Rectè, ſi demas, *ab Ethnicis*. Non enim ab his ſuis perſecutoribus & oſoribus, ſed à fraterna fidelium charitate denarios, aliaque contra fiſcalis inopiæ ſordidas anguſtias ſubſidia carcerati Martyres exſpectabant. Ad voces, *Medico obnoxius*, pergit Albaſpinæus: *Julii unguenta, ſi Divum Cyprianum audiamus, in fodinis convenire non videntur*. Reſpicit ſupralaudatas Sancti Cypriani litteras ad damnatos in metallis Confeſſores. Verùm non de ſolis fodinis, ſed omninò etiam de carceribus Tertullianus agit: Et his unguenta & Medicus non fuerunt ſuperflua. Quis enim neſciat lacerata ungulis, uſtulata facibus, & cataſtis diſtenta Martyrum corpora illis indiguiſſe, & per ipſos etiam tyrannos quandoque fuiſſe impartita? Nec enim omnes Martyres habuerunt hanc Sanctæ Agathæ gratiam: *Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, ſed habeo Dominum* JESUM *Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat univerſa*. Attamen è ſacro Capuccinorum Ordine Frater Georgius Ambianenſis pro *Medico* legit *Mendico*. Nec ſine omni penitus fundamento. Etenim uti hodiè ſub Turcis captivi Græcorum Patriarchæ habent Exarchum, qui omnes circumit Eccleſias, & ad Peſceſium atque Charatzium ſolvendum colligit eleemoſynas, ita quoque olim carcerati ac ad metalla damnati Martyres poſſint ſimilem habuiſſe Miniſtrum. Nam & ſimilem hodiè habent Latini fideles ab eiſdem Turcis capti, & redacti in ſervitutem. Eorum magni Miniſtri ſunt Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis, & Ordo Sanctæ Mariæ de Redemptione captivorum. Eodem ſenſu Tertullianus iſtos Martyres appellat fæneratori obnoxios. Quia nempè quidam, ut ſe liberarent, quavis via corradebant nummos, atque ita ſe & ſua bona fœneratoribus obligabant. Gabriel Albaſpinæus ſcribit: *Si liceret aliquid mutare, legerem, Mœcho obnoxius & fornicatori*. At ſine fundamento. Etenim quòd mœchi & fornicatores cum nummis aut aliis muneribus acceſſerint metalla aut carceres, atque per ejuſmodi ſordes impetraverint Indulgentiales litteras, nemo antiquus Scriptor memorat. Et caſtiſſima iſtorum ſæculorum diſciplina non toleraſſet. Quidquid ſit, Martyrum ſanctitatem ac merita extenuat devius Tertullianus, atque ita omnem ipſorum ad dandas Indulgentiales litteras authoritatem conatur circumſcribere, immo penitus evacuare.

Hinc pergit: *Puta nunc ſub gladio jam capite librato, puta in patibulo jam corpore expanſo, puta in ſtipite jam leone conceſſo, puta in axe jam incendio adſtructo, in ipſa dico ſecuritate & poſſeſſione Martyrii, quis permittit homini donare, quæ Deo reſervanda ſunt?* Affirmat nec his ad plenam & ſecuram Martyrii poſſeſſionem perductis, ideoque longè minus adhuc intrà carceres aut metalla verſantibus, longè diſtantibus ab illa gloria, ac inſuper de ſua propria ſalute etiamnum periclitantibus Confeſſoribus eſſe ſimilium litterarum authoritatem. Et ſuum antecedens probat ex eo quòd mœchiæ & fornicationis remiſſio ſit reſervata Chriſto Domino ac ejus Divinæ Majeſtati, ideoque nec poſtulari poſſit à Martyribus nec per Epiſcopos donari. Diſciplinam, quæ uſque tunc tribus peccatis Sacramentalis reconciliationis pacem negaverat in mortis articulo, cenſet eſſe non humanam, ſed Evangelicam & Divinam, atque ita Zephyrinum Pontificem eſſe hæreticum Evangelii prævaricatorem. Et probat: *A quo ea ſine excuſatione damnata ſunt, quæ nec Apoſtoli, quod ſciam, Martyres & ipſi, donabilia judicaverunt. Denique jam ad beſtias depugnaverat Paulus Epheſi, cum interitum decernit inceſto*. Voces, *Quod ſciam*, altè clamant hominem fuiſſe mente cœcatum, aut ſplendidè mentiri. Rem lucidam tantus Doctor quomodo poſſit ignoraſſe? Etenim iſti ipſi incæſtuoſo Corinthio, quem Satanæ in carnis interitum tradidit, ac perpetuæ pœnitentiæ addixit, Sanctus Apoſtolus Paulus poſtea non tantum Sacramentalis abſolutionis pacem, ſed inſuper multam inflictæ pœnitentiæ indulgentiam impartiit, ac juſſit impartiri. Imitatus eſt Chriſtum Dominum, qui & deprehenſæ in adulterio mulieri, immò etiam Samaritanæ, quæ adulterum alebat in ſecreto cubiculo, pellici fecit eandem gratiam. Et in Apocalypſi Sanctus Joannes Apoſtolus non tantum Nicolaitis ſcortatoribus, ſed etiam idololatris, ſi pœnitentiam egerint, ſpondet veniam. Quòd ſuo item in publicum latronem perverſo, ideoque & homicidiis maculato diſcipulo pacem dederit, apud Eccleſiaſticam Cæſarienſis Euſebii Hiſtoriam teſtatur Clemens Alexandrinus. Quocircà diſciplinæ, quæ tria iſta peccata reſervavit Divinæ Majeſtati, plenus rigor nequaquam eſt ab Evangelio, aut Apoſtolis, ſed ab horum ſucceſſoribus. Suo loco conabor ipſos edicere. Et hinc lucet Montaniſticum Tertulliani errorem niti caducis fundamentis.

Arguit Zephyrinum Pontificem de duplici exceſſu, de duplici in Eccleſias inducta novitate. Primò, quod mœchis & fornicatoribus Sacramentalis abſolutionis pacem; ſecundò, quòd etiam Sacramentalium pœnitentiarum remiſſionem impartiretur, & utramque gratiam permitteret poſtulari ac adjuvari per Martyrum litteras. Et reverà utrumque tunc fuit in Eccleſia novum. Uti iſtarum culparum, ita & pœnitentialium ſatisfactionum remiſſio fuerat uſque tunc Chriſto Domino reſervata. Reſervatio iſtarum involvit & harum reſervationem. Nam hæ non poſſunt ſine iſtis remitti. Et his expletis aut remiſſis debent & illæ remitti. Expleta enim, adeòque & legitimè remiſſa pœnitentia eſt non raſus, non ſcalptus, non adulter nummus, quo emitur, adeoque & cui debetur remiſſio quarumlibet culparum. Hinc prior diſciplina mœchos & fornicatores compulit ad perpetuam & continuam totius vitæ pœnitentiam, nec erat ſpes remiſſionis, aut expletionis. Etenim

enim ſi expletæ aut remiſſæ pœnitentiæ Eccleſia negaſſet abſolutionis pacem, violaſſet juſtitiam, & ipſa ſibi contradixiſſet. Hanc omnem diſciplinam devius Tertullianus cenſuit Evangelicum atque Divinum Canonem, ideoque non tantummodò Zephyrinum Pontificem ac reliquos illius Edictum admittentes Epiſcopos, ſed etiam mœchis & fornicatoribus gratiam ab iſtis ſupplicantes Martyres eſſe ſequaces novorum Dogmatum, ac Evangelicæ legis infractores. Et hoc eſt ejus palmare adversùm has Indulgentias fundamentum. Dico, *Adversùm has:* Etenim ad datas ab Epiſcopis, aut à Martyribus poſtulatas aliis, quæ tunc remittebat Eccleſia, peccatis Indulgentias non ſe extendit.

Et hinc homo pergit: *Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quòd pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? Nam & in ipſa Paſſione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Proindè qui illum æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe deliquiſti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere & mihi & tibi poterit? Habeo etiam nunc quo probem Chriſtum. Si propterea Chriſtus in Martyre eſt, ut mœchos & fornicatores Martyr abſolvat; edicat cordis occulta, ut ita delicta concedat, & Chriſtus eſt.* Hæc non ſolas mœchis & fornicatoribus, ſed quibuſcumque peccatoribus poſtulatas à Martyribus, ac propter ipſorum merita ab Epiſcopis donatas Indulgentias impetunt, & conantur evertere. Indulgentiarum fundamentum eſt Eccleſiæ ex Chriſti Domini & omnium Sanctorum ſatisfactionibus & meritis conflatus theſaurus. Uti nunc ob defunctorum Sanctorum merita Epiſcopi per Sancti Petri claves in ſuos fideles ſubditos diſpenſant & applicant iſtum theſaurum, ita tunc id faciebant ad inſtantiam & preces ipſorum adhuc viventium Sanctorum. In carceribus aut metallis deſignati Martyres hunc vel iſtum pœnitentem commendabant Epiſcopo, & iſtorum merita Epiſcopus his applicabat, atque ita donabat Indulgentiam.

Et hanc praxim Tertullianus damnat. Et fundat ſe in Evangelica parabola, in qua fatuæ Virgines dicunt ad prudentes: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ exſtinguuntur.* Et accipiunt reſponſum: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Tertullianus per prudentes vult Martyres, per fatuas Virgines intelligi pœnitentes, ideoque iſtarum reſponſum ab his amplectendum: nec pœnitentes poſſe petere, nec Martyres poſſe dare Indulgentiarum litteras. Quòd nempè purus homo, præſertim peccator, nequeat pro altero ſatisfacere, ſed privativè id ſpectet ad Majeſtatem Mediatoris. Tertullianus repetit primum jam ſuprà expoſitum argumentum. Et hanc ejus doctrinam confirmat in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium Sanctus Auguſtinus. Sanctorum Martyrum eminentiam ac merita inſigniter exaltat, atque proſequitur: *Etſi fratres pro fratibus moriamur, tamen in fraternorum* Tract. 84.
peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur, quod fecit Chriſtus pro nobis. Quatenus ergò Martyres pro fratribus ſanguinem ſuum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qualia de menſa Dominica perceperunt. In cæteris Martyr Chriſti longè impar eſt Chriſto. Quod ſi quiſquam ſe non dico potentiæ Chriſti, ſed innocentiæ comparabit, non dicam & alium ſe putando ſanare, ſed ſuum ſaltem nullum habere peccatum, etiam ſic avidior eſt, quam ratio ſalutis expoſcit. Salutare monitum, quod pauperi ad divitis menſam ſedenti dat Sapiens in Proverbiis, *Noli extendere, cùm ſis pauper, contra divitem,* laudat & commentatur: *Dives eſt, qui nec hæreditario, nec proprio unquam debito obnoxius. Et ipſe juſtus eſt, & alios juſtificat Chriſtus. Noli contra eum te extendere, in tantùm pauper, ut remiſſionis peccatorum appareas quotidianus in orationem mendicus.* Et hac paupertate laborant etiam Martyres. Etenim etiam ſub ipſo gladii ictu debent dicere: *Demitte nobis debita noſtra.* Hinc Tertullianus infert ipſos non poſſe aliis remittere peccata, nec ſibi neceſſarias ſatisfactiones aliis elargiri.

Iſtud ipſum principium profitetur in duodecimo ſermone de Dominica Paſſione Sanctus Leo Magnus: *Quamvis in conſpectu Domini multorum* Cap. 3.
Sanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas: Et de fidelium fortitudine exempla ſunt nata patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippè in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſolvit. Cùm inter filios hominum ſolus Dominus noſter JESUS *Chriſtus exſtiterit, in quo omnes ſunt crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes reſuſcitati.* Quæ verba tanti fecit, ut ipſa repetat in Ep. 81.
Dogmaticis litteris ad Palęſtinæ Epiſcopos, & cap. 4.
in litteris ad Leonem Imperatorem. Eorum ſub- Ep. 97.
ſtantiam habet etiam in ſermone de Sancto cap. 2.
Laurentio, & in ſexto ſermone de feſto Epiphaniæ. Et ſanè quòd aliis ſuas ſatisfactiones ac merita impartiri, ſeu pro alio ſatisfacere de condigno & mereri, ſpectet ad ſolam noſtræ repatationis Radicem, ad ſolam dignitatem Capitis, ſeu ad ſolum Deum-Hominem, eſt unanimis Sanctorum profeſſio, immobilis articulus fidei Chriſtianæ. Et hinc Tertullianus cenſuit Martyrum ſatisfactiones non poſſe per Epiſcopos applicari pœnitentibus, neque ab his aut iſtis tales applicationes, ſeu Indulgentiales litteras poſtulari.

Reſpondeo Sanctorum Auguſtini & Leonis doctrinam eſſe longè veriſſimam, ac immobile dogma totius Eccleſiæ. At longè aliud eſt Indulgentiales litteras ab Epiſcopo, aliud poſtulare ſuas illi ſatisfactiones applicari. Hoc poſteriùs eſt omninò ſuperbi atque ingrati, & palam impingit in prudentium Virginum edictum: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis.* Proindè pacis poſtulatrices litteræ aliud non erant, quàm ſeria pro pœnitentibus interceſſio, qua non ſuas, ſed infinitas Chriſti Domini ſatisfactiones Martyr ſupplicabat in pœnitentem diſpenſari. Inſigniter hoc docet in ſermone de lapſis Sanctus Cyprianus. Sacramentalis ſatisfactionis neceſſitatem

tatem animoſè exaggerat, ac pergit de Martyrum litteris: *Credimus quidem poſſe apud Judicem plurimùm Martyrum merita, & opera juſtorum, ſed cùm Judicii dies venerit, cùm poſt occaſum ſæculi hujus & mundi ante Tribunal Chriſti populus ejus adſtiterit. Cæterùm ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini Præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam: Nec miſericordiam priùs Dei deprecandam putare, ſed contempto Domino, de ſua facultate præſumere. Sub ara Dei animæ occiſorum Martyrum clamant, magna voce dicentes: Quouſque Domine ſanctus & unus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui in terris inhabitant? Et requieſcere ac patientiam adhuc tenere jubentur. Et quemquam poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis dignum fieri contra Judicem velle, aut priùs quàm vindicetur, ipſe alios poſſe defendere? Mandant aliquid Martyres fieri? Si juſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum, à Dei Sacerdote facienda ſunt. Obtemperantis facilis & prona conſenſio, ſi petentis fuerit religioſa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed ſi ſcripta non ſint in lege Domini quæ mandant, ante eſt ut ſciamus illos de Deo impetraſſe quod poſtulant, tunc facere quod mandant. Neque enim ſtatim videri poteſt de Divina Majeſtate conceſſum, quòd fuerit humana pollicitatione promiſſum. Nam & Moyſes pro peccatis populi petit, nec tamen peccantibus veniam, cùm petiiſſet, accepit.* Etiam Hieremiam, Ezechielem, Danielem, Job, alioſque ſanctiſſimos Prophetas & Patriarchas pro ſui populi peccatis deprecantes demonſtrat non fuiſſe exauditos, & concludit: *Adeò non omne quod petitur, in præjudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt.* Agit in Martyres, quorum ad Epiſcopos pro pœnitentibus litteræ modum quandoque non modicè excedebant. Affirmat ipſorum litteras eſſe precibus ſanctorum Prophetarum ac Patriarcharum, necnon & ſub cœleſti Altari exiſtentium animarum ſupplicationibus ſimiles, ideoque non eſſe ſatisfactionum applicationes de condigno, ſed congruas, quarum exauditio ſit benigna gratia, expoſtulationes. Nam neque Moyſes, neque ullus Propheta ſuo peccatori populo proprias ſatisfactiones ut condignum pretium applicavit. Erronea eſt iſtiuſmodi doctrina. Ex eodem principio ſcribit ad Sanctum Cyprianum vacantis Romanæ Eccle-

Ep. 30. ſiæ Clerus: *Quantò meliores ipſorum*, utique Martyrum, *litteræ fuiſſent, ſi pro ipſis preces Stantium humilitate ipſorum adjutæ fuiſſent, quoniam & faciliùs impetratur quod petitur, quando is, pro quo petitur, condignus eſt, ut quod petitur impetretur.* Martyrum preces, ut pacem impetrent, volunt deinceps à totius Stantis Eccleſiæ adjunctis precibus adjuvari: Quòd nempè eſſent congrua dumtaxat ſupplicatio, non condigna ſatisfactio. Hinc & ipſe Cyprianus contra Lucianum Confeſſorem, qui pluribus lapſis Indulgentiam poſtulaverat *in nomine Pauli*, conſummati Martyris, & ita ſibi aſſerebat ab illo

Ep. 29. juſſum, ſcribit ad laudatum Clerum: *Lucianus circa intellectum Divinæ lectionis minùs peritus, & circa invidiam verecundiæ noſtræ relinquendam eſt moleſtus. Nam cùm Dominus dixerit In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti gentes tingi, & in Baptiſmo præterita peccata dimitti, hic Præcepti & legis ignarus mandat pacem dari & peccata dimitti in Pauli nomine, & hoc ſibi dicit ab illo eſſe mandatum.* Paulus Martyr Chriſti Domini gratiam & ſatisfactiones dumtaxat ab Eccleſiæ clavibus ſupplicare poterat, nequaquam ſuas in ullum hominem traducere. Hunc enim traducem omninò important voces: *In nomine Pauli.* Et adversùs ſimilem Corinthiorum præſumptionem ſcripſit etiam Paulus Apoſtolus: *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Erat error, qui poſteà tranſiit in Donatiſtas. Quocirca Catholicam ſuam matrem, necnon deſignatos Martyres Lucianus fuit per errorem calumniatus. Nec hi in ſuis libellis poſtularant lapſis communicari ſuas ſuperfluas ſatisfactiones, neque has Epiſcopi applicarant. Ambo noverant omne ſatisfactionis oleum, licèt forſan non debeatur propriis peccatis, non poſſe effundi in aliena. Quòd pro aliis facta ſatisfactionis opera ſint dumtaxat congruum ſuffragium, ſemper credidit omnis Eccleſia.

Hanc doctrinam inſigniter confirmat dicta in iniquitatis Œconomum homilia Sancti Aſterii Amaſeni Epiſcopi, per Helenopontum Metropolitæ: *Hinc nobis illuſtre exemplum traditum eſt, quinque illud fatuarum Virginum, quæ cùm oleum ipſis deeſſet, impudenter oleum à ſapientibus petierunt. Nec quidquam tamen ſunt conſecutæ, ſed re infecta abierunt. Quo docemur neminem alieno uti oleo in adventu ſponſi, id eſt, alienis meritis ad ſuum ipſius commodum & fructum. Quam quiſque geſſit vitæ rationem, ceu veſtem induit, ſive ſplendidam illam ac pretioſam, ſive vilem ac paupertino ſagulo ſimilem, nec exuere eam fas eſt, aut alia commutare: Nec amodò vel ex dono, vel ex commodato, Judicii tempore, ornatam mundamque adſciſcere. Manet quiſque qualis revera eſt, ſive bonorum egenus, ſive dives & copioſus.* Unde hæc ſapientium Virginum ad fatuas verba, *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*, non conſulentium, ſed irridentium fuiſſe voces, docet in ſermonibus de Domini verbis Sanctus Auguſtinus. Illæ has deridebant, quòd ex alienis meritis ſe crederent poſſe ſalvari. Interim omninò verum eſt etiam hoc Domini verbum: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Laudat Sanctorum pro peccatoribus, à quibus acceperant temporalia officia, in extremo Judicio interceſſiones. Quod hiſce interceſſionibus plures peccatores donandi, & propter ipſas gratioſa peccatorum remiſſione ac ſempiterna vita ſint impartiendi, inſigniter demonſtrat in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus. Eodem modo Epiſcopi olim tractabant ſanctorum Martyrum pro pœnitentibus litteras. Habebant uti efficaces ac omni reverentia dignas preces & interceſſiones. Omnis enim noſtra ſatisfactio, dum alteri applicatur, non eſt niſi congrua interceſſio: Condigna

Ser. 23. c. 9, 10.

Lib. 21. cap. 27.

pro

pro aliis ſatisfactio eſt eminentia ſolius Dei-Hominis.

Quod ad quaſvis quorumvis Martyrum aut Confeſſorum litteras Epiſcopi tunc ſtatim pacem dederint, eſt altera Tertulliani calumnia. Quòd enim cuncta Martyrum deſideria diſcutere, & immoderata temperare aut etiam refutare deberet Epiſcopus, jam nobis dixit in ſermone de lapſis, ac in variis epiſtolis Sanctus Cyprianus. Et in datis ad ſuum Clerum ex exilio litteris quinque ſibi rebelles Presbyteros graviſſimè arguit, quòd in quoſvis lapſos profunderent Indulgentias. Ipſos arguit de pluribus vitiis, inter
Ep. 10. quæ fuit & hoc: *Ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum penè Martyrum exceſſum communicant cum lapſis, & offerunt, & Eucharistiam tradunt*. Martyrum litteras & preces non niſi poſt conſummatum ipſorum Mar-
Ep. 12. tyrium poterat Epiſcopus explere. Quod ipſum Cyprianus repetit in data ad ſuam plebem Epiſtola. Et pro Candida ac Numeria, de ſuo in idololatriam lapſu pœnitentibus matronis, ſcripſit ad Lucianum Carthagine incarceratum Con-
Ep. 21. feſſorem Celerinus Romæ incarceratus Confeſſor: *Rogo & peto per Dominum* JESUM *Chriſtum, ut Collegis tuis referas, ut quicumque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis Sororibus noſtris tale peccatum remittat*. Profitetur quòd datos pacis libellos Epiſcopus ante Martyris coronationem non poſſet exequi. Et hinc de Paulo Martyre ad Cele-
Ep. 22. rinum Lucianus reſcripſit: *Cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi; Luciane, coram Chriſto dico tibi, ut ſi quis poſt accerſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo*. Eccleſiæ, quæ pacis litteras ante dantis conſummationem non permittebat expleri, diſciplinam noſcens Paulus noluit illas in vita dare, ſed poſt ſuum exceſſum rogavit dandas in ſuo nomine. Quin Paulus per voces; *In ſuo nomine*, nihil aliud quàm ſuas vices intellegerit, adeoque ſenſerit recta, exiſtimo non dubitandum. Nihilominùs iſtam phraſim graviter & meritò culpavit Sanctus Cyprianus: Quòd nempe eſſet ſuſpecta, ſcandaloſa, offenſiva piarum aurium. Etenim ille, in cujus nomine datur, aut poſtulatur aliqua Divina gratia, eſt ejus non ſupplicator aut miniſter, ſed author atque donator. Lucet ex Sancti Apoſtoli Pauli verbis: *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et ex Domini verbis: *Petite in nomine meo*. Dominum Deum orare non poſſumus in nomine Sancti Petri aut Sancti Pauli. Proindè diſtinctio, quam inter detentum adhuc in carcere aut metallo Confeſſorem, ac inter fixum jam ſub gladii ictu Martyrem facit Tertullianus, eſt vacua ac inutilis ad præſentem quæſtionem.

Omnis ſequens Tertulliani contextus vix facit ad Indulgentias: Probare ſtudet Sacramentalis reconciliationis pacem mœchis & fornicatoribus non poſſe donari per Epiſcopos. Et quædam ejus verba ſunt omninò notanda. Primò hæc: *Cum mœchis & fornicatoribus à Martyre expoſtulas veniam, ipſe confiteris ejuſmodi crimina non niſi proprio Martyrio diluenda, qui præſumis alieno*. Affirmat mœchiam ac fornicationem, itemque idololatriam ac homicidium, licet non poſſint per Eccleſiæ claves, poſſe tamen remitti per proprium Martyrium. Et ita uſque ad Zephyrini Pontificis Edictum omninò obſervavit avita diſciplina. Hinc item de idololatris, dum de danda ipſis pace needum firmirer decreviſſet Eccleſia, ad ſuum Clerum ſcripſit exul Cyprianus. *Qui ſi nimium properant*, utique ad Sacramentalis reconciliationis Ep. 14.
pacem, *habent in ſua poteſtate quod poſtulant; tempore ipſo ſibi pluſquam poſtulant largiente. Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur: Si commiſſi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differri*, utique à dicta pace, *non poteſt coronari*. Uſque ad plenam pendentium tunc quæſtionum definitionem vult circa quoſdam lapſos ſervari antiquam diſciplinam, quæ ipſos omnes non per Sancti Petri claves, ſed per ſolum Martyrium cenſebat reparandos. Vide Calidonii Epiſcopi ad Cyprianum litteras, & hujus ad ipſas Ep. 19. & 20.
Reſponſum. Zephyrini Edictum videtur ad dandam mœchis & fornicatoribus pacem prærequiſiviſſe non ſolam pœnitentiæ actionem, ſed inſuper ſolemnes Martyrum litteras: Aut certè videtur à pluribus in Africa Epiſcopis fuiſſe ita obſervatum. Hinc Tertullianus deſumpſit argumentum ad hominem: Vos Pſychici palàm profitemini mœchiam & fornicationem non poſſe dimirti ſine Martyrio. Etenim nullum mœchum aut fornicatorem reconciliatis, niſi ad litteras Martyrum. At verò illa dimitti non poſſunt per alienum Martyrium. Etenim omnis Martyr de ſuorum meritorum oleo debet dicere: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*. Ergo cogimini admittere remitti non poſſe niſi per proprium Martyrium.

Notanda ſunt & hæc verba: *Quæcumque authoritas, quæcumque ratio mœcho & fornicatori, eadem debebit homicidæ & idololatræ pœnitentibus ſubvenire. Certè negatori, & utique illi, quem in prœlio confeſſionis tormentis colluctatum ſævitia dejecit*. Paterna uſque tunc diſciplina tria peccata ſummo ad Dei Patris ſedenti Epiſcopo JESU Chriſto reſervarat: Nempè idololatriam, mœchiam, ac homicidium. Et Zephyrinus Pontifex edixerat ſolam mœchiam per Eccleſiæ claves Sacramentali pace donandam. Hinc idololatriæ, præſertim per tormenta extortæ, lapſum eſſe mœchia & fornicatione longè leviorem demonſtrare multis argumentis conatur Tertullianus, atque inde concludit iſtud Edictum peccare in omnem conſequentiam, rationem, atque authoritatem. Proindè Tertullianus Edicto parentem Eccleſiam arguit de duobus. Primò, quod mœchis & fornicatoribus figeret pœnitentiæ modum ac tempus, & his expletis iſtos per claves admitteret in pacem & communionem. Secundo, Quòd impoſitæ pœnitentiæ modum ac tempus ad Martyrum litteras etiam mitigari permitteret. Mœchorum quippè ac fornicatorum pœnitentia uſque tunc fuerat perpetua uſque ad mortem. Citra omnem ſpem, uti reconciliationis, ita & mitigationis. Hic eſt proprius Tertulliani ſcopus. Et ad ipſum evincendum dilapſus eſt ad exagitandos, immò & ad fingendos quoſdam abuſus & exceſſus Martyrum: Et tandem ad omnes iſtas Martyrum ſupplicationes, adeoque & ad omnes

nes

nes Indulgentias exſufflandas. Eodem modo poſteà lapſus eſt in ſua deliria Martinus Lutherus.

CAPUT II.

Alii antiqui circa Indulgentias errores exponuntur.

ZEphyrinus Pontifex ſoli mœchorum & fornicatorum fragilitati, haud dubiè ob grandem & miſerabilem lapſorum multitudinem, fecit gratiam, atque adeò homicidii & idololatriæ delicta manſerunt Divinæ Majeſtati reſervata. Ita manſit uſque ad Sancti Fabiani Martyrium. Tunc per Imperatores Decios inchoata, ac per ſucceſſores Gallienum & Voluſianum continuata perſecutio omnem Eccleſiam implevit Sacrificatis, Thurificatis, Libellatis, & alia multa lapſorum ſpecie. Acceſſit & nova perſecutionis ſpecies. Etenim Romani Pontificis creationem horrendo Edicto ſuſpendit & interdixit Imperator Decius, atque ita Sedes vacavit per biennium. Lapſorum plurimi erant per tormentorum violentiam præcipitati in crimen: Spiritus fuerat promptus, caro autem infirma. Hinc illis evenit, quod de lapſo in Domini ſui negationem Petro Apoſtolo eveniſſe ſcribit
Cap.22. Evangeliſta Lucas: *Converſus Dominus reſpexit Petrum. Et egreſſus foras Petrus flevit amarè.* Ità & iſti lapſi, tyrannorum manibus egreſſi, dederunt ſe in claſſem Flentium, commiſerandis lachrymis pulſarunt pietatem & fores Matris Eccleſiæ, projecerunt ſe ad pedes carceratorum Martyrum, & Sacramentalis reconciliationis pacem atque communionem aſſiduo gemitu ab Epiſcopis ſupplicarunt. Hinc miſericordia motus vacantis Romanæ Eccleſiæ Clerus, quòd Epiſcopi creatio eſſet deſperata, fecit Synodum ex vicinis & advenis Epiſcopis, ac de ipſa ſcribit ad Sanctum Cyprianum. Divinæ Majeſtatis, quæ ſemper juſtitiam miſericordia temperat, ſapientiam atque clementiam exponit
Ep.31. & laudat, ac proſequitur: *Cujus temperamenti moderamen nos hìc tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longè poſitis perſecutionis iſtius ardor ejecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari nobis à Deo ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur, eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè & ſollicitè ſubventri. Ipſo Deo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera, nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.*

Scripta eſt Epiſtola à ſolis *Presbyteris ac Diaconis Romæ conſiſtentibus*. Et ita titulantur omnes aliæ à Romano Clero ad Sanctum Cyprianum, ac etiam ab hoc ad illum ſcriptæ Epiſtolæ. Et omnia Primitivæ Eccleſiæ monimenta, quoties de Hierarchico Romano Clero agunt, laudant ſolos Presbyteros ac Diaconos: Nulla eſt mentio Cardinalium Epiſcoporum. Et in hac ipſa Epiſtola Presbyteri ac Diaconi adſerunt à ſe celebratam Synodum cum vicinis Epiſcopis: Inter quos omninò ſunt illi ſeptem, quos poſterior ætas titulat Cardinales, & qui jam pridem ſunt Romani Cleri Primates ac ſupremi Proceres. Aſſerunt non ſe cum illis, ſed hoſce ſecum celebraſſe Synodum, adeoque apud ſe eſſe Romani Cleri Primatum. Quocircà horum Epiſcoporum in iſtum Clerum adſcriptio videtur non eſſe ab Apoſtolis: Eſſe videtur à Sancto Sylveſtro. Et hinc illi in Romanæ Provinciæ Synodo dudum non habuerunt digniorem locum ante alios Comprovinciales Epiſcopos, ſed cum ipſis ſederunt juxta ſuæ conſecrationis ætatem: Etiam Romani Pontificis Conſecrator, & Pallii honore inſignitus, Hoſtienſis Epiſcopus. Quod nempè Sanctus Sylveſter, & ejus per plura ſæcula ſucceſſores, avitum de ipſo conſeſſu Canonem noluerint lædere, vel auferre. Iſti Synodo aderant etiam alii è longè poſitis Provinciis Epiſcopi, quos *perſecutionis ardor ejecerat.* Ex quo vides Romanam urbem perſecutionum temporibus fuiſſe aliis ſecuriorem. Haud dubiè ob innumeram populi multitudinem. Extranei Epiſcopi ſecuriùs illic latitabant. Romanus enim populus ſemper dilexit extraneos, & habuit inſignem benignitatem, quam etiam in aliis Gentilibus laudat in epiſtola ad ſuos Monachos magnus Athanaſius: *Ego à Patribus audivi, & verum arbitror, cùm perſecutio eſſet nata ſub Maximiano Conſtantii avo, Ethnicos homines fratres noſtros Chriſtianos, cùm quærerentur latebris abdidiſſe, eoſque ſæpè pecunia mulctatos, & carceri mancipatos fuiſſe, non ob aliud, quàm quod profugientes ad ſe prodere nollent, eoſque eadem fide, qua ſe ipſos, tuendos putarent, non veriti ob id ſe periculis objicere.* Quam benignitatem quæſito ad necem Sancto Cypriano fuiſſe etiam à Carthaginenſium nobiliſſimis Gentilibus oblatam ſcribit in ejus vita Pontius Diaconus. Laudatæ Synodo adfuiſſe poſſint & alii Epiſcopi, qui ſuas illic appellatas cauſas proſequebantur. Nam quòd Privatus Lambeſitanus Epiſcopus, non tantùm à Donato Carthaginenſi in prima inſtantia, ſed etiam à Sancto Fabiano Pontifice in appellatorio judicio damnatus, poſt utriuſque Judicis mortem acceſſerit Romam, & à vacantis Cathedræ Clero ſuam cauſam retractari expoſtularit, adeoque quòd iſte Clerus quorumvis Epiſcoporum appellationes audiret ac finiret, teſtatur ipſemet in alia ad Sanctum Cyprianum epiſtola. Undè omnia ſua de majoribus ac dubiis cauſis Acta ad illum non minùs quàm ad ipſum Pontificem Sanctus Cyprianus retulit, Ep.30.

ſua

ſua Decreta ipſe Clerus plena authoritate miſit ad omnes ſub cœlo Eccleſias, ac in omnem Chriſtianitatem exercuit plenum Principatum. Ex quibus etiam lucet labi in opuſculo de Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutione Dominum Petrum de Marca, ubi ſcribit: *Quia jus nullum Synodi Patriarchalis cogendæ Conſtantinopolitanis competebat Epiſcopis, ut illius aliquo modo vices implerent, ingenioſo commento minutionem iſtam ſarciverunt.* Commento Synodi ex Epiſcopis advenis. Exiſtimat Epiſcopi Conſtantinopolitani ambitum eſſe primam originem ſimilium Synodorum, ideoque has nullo Canone niti, ſed ſola conſuetudine. Ex dictis lucet eſſe omninò antiquiſſimas. Nec tantùm à Romano Pontifice aut aliis Patriarchis, ſed etiam à viduato Romanæ Eccleſiæ Clero fuiſſe uſitatas. Suum Synodale Decretum Clerus elucidat in datis ad Carthaginenſis, cujus Epiſcopus Cyprianus tunc exulabat, Eccleſiæ Clerum litteris: *Videtis Fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, ut illi, qui ceciderunt, hortatu veſtro corrigentes animos eorum, ſi apprehenſi fuerint iteratò, confiteantur, ut poſſint priorem errorem corrigere. Et alia, quæ incumbunt vobis, etiam ſubdidimus, ut ſi qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, & agant pœnitentiam facti ſui, & deſiderent communionem, utique ſubveniri eis debet.* Decrevit duo. Primò, ut lapſi, qui ob profeſſam pœnitentiam & reſumptam Chriſtianitatem denuò apprehenderentur à durante perſecutione, plena conſtantia confiterentur, atque ita apud Deum & homines ſuum crimen expurgarent. Et hanc Decreti partem reſpicit in
Ep. 14. litteris ad ſuum Clerum exul Cyprianus: *Acies adhuc geritur, & agon quotidiè celebratur. Si verè commiſſi & fortiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differri non poteſt, poteſt coronari.* Quam ſententiam laudat ac firmat etiam in epiſtola ad Anthonianum Epiſcopum. Quoſvis corpore ſanos, quantamcumque agant pœnitentiam, & qualeſcumque à Martyribus habeant litteras, lapſos vult non per Eccleſiæ Claves, ſed per novum Martyrii Baptiſma eſſe Deo reconciliandos. Altera Decreti pars ex quavis corporis infirmitate moribundos lapſos permittebat in ipſo exitu per Eccleſiæ claves reconciliari. Non quoſvis infirmos, ſed ſolos illos, *quorum vitæ finem urgens exitus dilationem non poterat ferre.* Et addidit Synodus: *Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera.* Statuit cum ſummo tremore: Quòd rem novam ſtatueret contra veterem diſciplinam. Hinc ſtatuere etiam non præſumpſit ſolus Clerus ſine numeroſa Epiſcoporum Synodo. Item addidit: *Acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum.* Elucidat in litteris ad Anthonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus: *Et id-*
Ep. 52. *circò pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari. Quia illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit. Nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Eadem epiſtola addit, quòd Novatianus, Romanæ tunc Eccleſiæ Presbyter, adfuerit condendis his Decretis, & ipſa ſuo ſuffragio comprobaverit. Edicit item cauſam hujus novæ clementiæ: *Ne lapſi plus deſperatione deficere, & eò quòd ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſæculum gentiliter viverent.* Quam rationem in pluribus ſuis litteris adducit etiam Romanus Clerus. Antiqua pœnitentia erat horroris & confuſionis plena. Hinc quòd aliqui redire ad gentilem vitam, quàm tota ſua vita ad iſtam, & quidem ſine reconciliationis ſpe, cogi maluerint, docent plura authentica teſtimonia atque exempla. Erant Decreta dumtaxat interlocutoria: A creando poſt ſopitam perſecutionem Pontifice ſynodaliter diſcutienda, & confirmanda aut infirmanda.

Et tandem in Papalem Cathedram electus & conſecratus fuit Sanctus Cornelius. Qui iſta Decreta confirmavit omnia: Immò & ampliavit. Ejus electio fuit paſſa diſcordias. Etenim à quibuſdam factioſis contra illum intruſus eſt Presbyter Novatianus. Et hic, quo ſuam intruſionem ac factionem foveret, non tantummodò Sancti Cornelii judicium, ſed etiam proprium in ſupra laudata Synodo datum ſuffragium impugnare cœpit, & palàm delirare cum Tertulliano & Montaniſtis. Delirare quòd prior Eccleſiæ in lapſos rigor non ad diſciplinam ſpectaret, ſed ad dogma. Quòd idololatriæ crimen per Evangelicam legem eſſet reſervatum Divinæ Majeſtati, quòd Petri Apoſtoli claves non extenderentur ad ipſum, adeoque quòd Cornelius & ipſi adhærens Eccleſia ab Evangelio apoſtataſſent. Porrò uti ob Sancti Zephyrini Edictum omnes ubique mœchi & fornicatores, ita ob Romani Cleri & Sancti Cornelii Decreta cuncti ubique ſacrificati, libellati, ac alii lapſi cœperunt obſidere Martyrum carceres, & metalla Confeſſorum, profuſis pœnitentialium lachrymarum ſtagnis ipſa inundare, per miſerandos gemitus extorquere ab ipſis pacis litteras, & tunc harum vigore ipſam Sacramentalis reconciliationis pacem ante mortis exitum ſperare & poſtulare. Et uti illos Tertullianus, ita hos damnavit Novatianus: Ex iiſdem principiis. Ille mœchorum, hic idololatrarum pœnitentiam voluit eſſe perpetuam, & alienam ab omni pacis ſpe, ideoque per Eccleſiæ claves nec remitti poſſe nec mitigari.

Secundus ac directè oppoſitus circa indulgentias error fuit Novati Africani Epiſcopi, Feliciſſimi Archidiaconi Carthaginenſis, & quinque illis adhærentium ibidem Presbyterorum. Sanctum Cyprianum fuiſſe ex Neophyto promotum Carthaginenſem Epiſcopum ſcribit in ejus vita Pontius Diaconus, atque adjungit: *Ille fuit primus, & puto ſolus exemplo, plus fide poſſe quàm tempore promoveri.* Exiſtimo illum loqui de ſola Carthaginenſi Eccleſia. Et hinc in virorum Illuſtrium catalogo labitur Sanctus Hieronymus: *Cyprianus poſt non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus eſt.* Etenim è paucorum adhuc dierum Neophyto fuit immediatè in Epiſcopum electus.

ctus. Et hinc contra ejus promotionem, uti adverſam Apoſtolico Canoni, quidam Presbyteri durè interceſſerunt. Et pergit Pontius: *Quibus quanta lenitate, quàm patienter, quàm benevolenter indulſit, quàm clementer ignovit? Amiciſſimos eos poſtmodum, & inter neceſſarios computans, mirantibus multis*. Quæ omnia ſcribit etiam ipſe Cyprianus in litteris ad ſuam plebem, & ad-
Ep. 40. jungit: *Hi fomenta olim quibuſdam Confeſſoribus & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum Epiſcopo ſuo*. Ne Neophyti electionem admitterent. Res ita cucurrit uſque ad Sancti Cypriani exilium. Duravit hoc ad biennium. Quod ille prævidens, Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem commiſit Calidonio & Herculano Epiſcopis: Eos dedit quaſi Viſitatores aut Interventores. Erat tunc in Africa neſcio quis Novatus, ob crimina olim degradatus Epiſcopus, atque hic
Ep. 49. occaſione hac abuſus fecit quod Sanctus Cyprianus ſcribit ad Sanctum Papam Cornelium: *Idem eſt Novatus, qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminavit, qui quoſdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt qui Feliciſſimum, Satellitem ſuum, Diaconum nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit*. Cum quinque illis Presbyteris novam conjurationem Novatus iniit, blateravit Cyprianum eſſe intruſum Pſeudo-Epiſcopum, ejecit Calidonium & Herculanum, invaſit ipſe Viſitatoris officium, tanquam Viſitator Feliciſſimum conſecravit Archidiaconum, tandem degradavit Cyprianum, ac in ejus Sedem intruſit Fortunatum, unum è quinque Presbyteris. Nec ſolam Africanam, ſed etiam Romanam ita turbavit Eccleſiam. Pergit enim de ipſo Cyprianus: *Et cum ſua tempeſtate Romam navigans, ſimilia illic & paria molitus eſt, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis ſibi benè cohærentis & ſe invicem diligentis, concordiam ſcindens. Planè quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commiſit. Qui iſtic adversùs Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit*. Illic excitavit & complevit ſchiſma Novatiani. Quæ omnia quidam diſtinctè ignorantes, peſſimè confundunt Novatianum cum Novato. Et ſuo officio Cyprianus non defuit. Etenim omnem illam factionem communione privavit & gradu, ac per plurium Epiſcoporum, ſuique fidelis Cleri ac populi auxilium ejecit è civitate Carthaginenſi. Et hinc in litteris ad Cali-
Ep. 38. donium & Herculanum Epiſcopos poſt enumerata Feliciſſimi facinora atque flagitia ſcribit: *Feliciſſimus comminatus eſt fratribus noſtris potentatu improbo & terrore violento, quòd ſecum in monte non communicarent, qui nobis obtemperare voluiſſent*. Civitate pulſus Feliciſſimus in neſcio quo propre Carthaginem monte erexit novum Altare, manifeſto ſchiſmate laceravit Eccleſiam, illic ſe oſtentavit Archidiaconum, & cœpit novum Evangelium prædicare. Quòd Pſeudo-Epiſcopus Fortunatus etiam illic ſuæ peſtilentiæ Cathedram erexerit, teſtatur Cyprianus in alia ad Sanctum Cyprianum Epiſtola. Et id ipſum inſinuat in ſermone de lapſis. Quinque Presbyteri erant viri ſenes, & eximiæ apud omnem plebem authoritatis. At occultè inſigniter criminoſi. Hujuſmodi enim paleæ ſolent foras extra Eccleſiæ aream avolare. Et hi ſunt primi Afrorum hæretici Montenſes. Donatiſtarum Montenſes non fuerunt intra Africam, ſed in neſcio quo monte ſeu rupe circa urbem Romanam. Iſtius ſchiſmatis ſeries eſt deduci ac elucidari digna: At longa eſt, & petit alium locum.

Novatus & Novatianus, licet fuerint ad lacerandam Eccleſiam colligatæ vulpes, nullo tamen modo convenerunt in dogmate. Fuernnt ſibi mutuo capitaliter & hoſtiliter adverſati. Etenim de Novati ac Feliciſſimi factione ſcribit ad ſuam plebem exul Cyprianus: *Nunc ſe ad lapſorum perniciem venenata ſua deceptione verterunt, ut ægros & ſaucios, & ad capienda fortiora conſilia per calamitatem ruinæ ſuæ minùs idoneos, & minùs ſolidos, à medela vulneris ſui avocent, & intermiſſis precibus & orationibus, quibus Dominus longa & continua ſatisfactione placandus eſt, ad exitioſam temeritatem mendacio captioſæ pacis invitent*. Hanc novam prædicationem affirmat eſſe novam Eccleſiæ perſecutionem, & dat cauſam: *Eadem quæ nuper per perſecutionem, nunc ratio per quinque Presbyteros Feliciſſimo copulatos ad ruinam ſalutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Chriſtum, eundem Chriſtum, quem negaverat, deprecetur. Poſt culpam criminis tollatur omnis pœnitentia, nec per Epiſcopos & Sacerdotes Domino ſatisfiat, ſed relictis Domini Sacerdotibus contra Evangelicam diſciplinam nova traditio ſacrilegæ inſtitutionis exurgat. Cumque ſemel placuerit, tam nobis quàm Confeſſoribus & Clericis urbicis, item univerſis Epiſcopis, vel in noſtra Provincia, vel trans mare conſtitutis, ut nihil innovetur circa lapſorum cauſam, niſi omnes in unum convenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus, contra hoc conſilium noſtrum rebelletur, & omnis ſacerdotalis authoritas ac poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur*. In datis ad Sanctum Papam Cornelium litteris varia factioſorum crimina enumerat per præteritionis figuram, atque adjungit: *Unum*
illud, in quo non mea nec hominum, ſed Dei cau- Ep. 55.
ſa eſt, de eorum facinore non puto eſſe reticendum, quod à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis nefandis non tantùm diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ lapſorum atque ora fumarent, communicare cum lapſis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt. Exaggerat hoc facinus, ſperni lamentatur jam laudatum Romanæ Synodi decretum, & proſequitur: *Elaborant ne Divina clementia vulneratos in Eccleſia ſua curet, miſerorum pœnitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat, ac Chriſtum Dominum ſuum, qui Chriſtianus eſſe vel erubuit ante vel timuit, poſtmodum quærat, ne ad Eccleſiam, qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluan.*

luantur. Pax vera, falſæ pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris noverca intercedente præcluditur, ne de pectore atque ore lapſorum fletus & gemitus audiatur. Ibidem ſcribit ipſos eſſe *perditæ factionis conventiculum, catervam malè ſibi conſciorum, & Deum rogare ac ſatisfacere nolentium*, quorum ſtudioſus conatus ſit, ut *ſublata pœnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, à Presbyteris pax verbis fallacibus prædicetur, & ne lapſi ſurgant, aut foris poſiti ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur*. Eumdem errorem exponit & damnat in ſermone de lapſis: *Emerſit novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt.* Quòd lapſis citra omnem moram & ſatisfactionem non tantum communio, ſed etiam Euchariſtia daretur, lamentatur graviſſimè & multifariè, atque concludit: *Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit. Nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſolatium. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, & dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur.* Quæ omnia confirmat etiam in aliis Epiſtolis.

Innumera tunc lapſorum multitudo anhelabat ad pacem. Porrò Romana Synodus hanc in ſolo mortis extremo periculo dari præceperat: Et ſolis illis, qui ſtatim à lapſu egerant ſeriam pœnitentiam. Et Sanctus Cyprianus religioſiſſimè obſervabat Decretum. Hinc ſchiſmatica Feliciſſimi & Novati factio, quo multitudinem ad ſe traherent, atque ita Cyprianum facerent Epiſcopum ſine populo, omnibus generatim lapſis dederunt pacem ac plenam Indulgentiam: Citrà omnem ſatisfactionem cunctos lapſos Sacramentaliter reconciliarunt. Præſertim illos, quibus ſupplices Martyrum libelli ſuffragabantur. Hinc in litteris ad ſuum Clerum exul Cyprianus affirmat etiam in minoribus peccatis ſatisfactionem præmittendam abſolutioni, iſtius factionis, quæ ſine omni ſatisfactione non tantùm abſolutionem & Conſiſtentiam, ſed etiam
Ep. 10. Perfectionem & Euchariſtiam dabat, audaciam durè notat, atque proſequitur: *Exponunt deinde invidiæ beatos Martyres, & glorioſos Domini ſervos cum Dei Sacerdote committunt, ut cùm illi, memores loci noſtri, ad me litteras direxerint, & petierint tunc deſideria ſua examinari, & pacem dari, quando ipſa ante Mater noſtra Eccleſia Pacem de miſericordia Domini prior ſumpſerit, & nos Divina protectio reduces ad Eccleſiam ſuam fecerit, hi ſublato honore, quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant, contempta Domini lege & obſervatione, quam eidem Martyres & Confeſſores tenendam mandant, ante exſtinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum penè Martyrum exceſſum, communicent cum lapſis, & offerant, & Euchariſtiam tradant.* Quod ipſum ſcribit in alia ad ſuum Clerum Epiſtola, in Epiſtola ad ſuum populum, Ep. 14. in Epiſtola ad Martyres & Confeſſores, Ep. 12. ac in ſermone de lapſis. Addit ejuſmodi Presbyteros eſſe non paſtores, ſed lanios, & gratificando deceptores animarum.

Eos arguit de tribus exceſſibus. Primò, Quòd idololatriæ lapſum ſine omni ſatisfactione abſolverent, atque ita Evangelicam legem manifeſtè prævaricarentur. Etenim Evangelica lex ſanxit ſatisfactionem eſſe Sacramentalis pœnitentiæ partem, & unicum nummum, quo reconciliationis gratiam à Divina Clementia emeremus. Juſſit eſſe nummum juſtum, non raſum, non ſcalptum, non adulterum. Diſertè enim edicit: *Agite fructus dignos pœnitentiæ.* Eleganter ſcribit in libro de Pœnitentia Tertullianus: *Quàm ineptum, quàm iniquum, pœnitentiam non adim-* Cap. 6. *plere, & veniam delictorum ſuſtinere? Hoc eſt, pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit. Hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergò qui venditant, priùs nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, ne raſus, ne adulter, etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.* Hoc eſt, gratiam juſtificationis. Ex hoc enim principio primitiva Eccleſia non tantummodò ante reconciliationem, ſed etiam ante Baptiſmum exquiſivit dignos fructus pœnitentiæ. Divinæ juſtitiæ reſtans pro peccatis pœnitentia quibuſdam in caſibus potuit mitigari aut etiam plenè remitti, atque ita ad aliquam ejus portionem impartiri abſolutio: Verùm non niſi ex graviſſimis rationibus. Et hinc factionem Cyprianus arguit, quòd paſſim cunctis, & citra cauſam tantum munus impartiretur.

Secundò arguit, quòd etiam ſine poteſtate id attentaret: quòd id ageret non tantummodò per Epiſcopos, ſed etiam per Presbyteros. Hinc ſcribit ad ſuos Presbyteros atque Diaconos: *Quod non periculum metuere debemus de offenſa* Ep. 10. *Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omninò ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt, cum contumelia & contemptu Præpoſiti totum ſibi vindicent.* In Epiſtola ad Martyres & Confeſſores ſcribit ab iſtis Presbyteris *nec Dei timorem, nec Epiſcopi honorem cogitari*. In Epiſtola ad ſuum populum queritur Ep. 11. ab eis *nec Sacerdotii nec Cathedræ honorem Epiſcopo reſervari*: In Epiſtola ad lapſos affirmat Eccleſiæ claves à Domino eſſe datas ſolis Epiſco- Ep. 12. pis, & hunc eſſe ipſorum ex Divina lege honorem. In alia ad ſuum Clerum Epiſtola Gajum Ep. 27. Diddenſis Eccleſiæ Parochialem Presbyterum, quod lapſis pacem dare attentaſſet, arguit duriſſimè; ſuos Presbyteros ac Diaconos, quòd ab ejus ſe communione ſeparaſſent, plurimum laudat; & omnes Presbyteros, qui deinceps ſimi- Ep. 28. lem

lem audaciam præſumpſerint, minatur Eccleſia
Ep. 40. ejicere. Nempe Gajus aut factioſis adhæſerat, aut certè ipſorum audaciam imperitè attentarat. In alia ad ſuum populum Epiſtola ſcribit: *Relictis Domini Sacerdotibus, contra Evangelicam diſciplinam nova traditio ſacrilegæ inſtitutionis exurgit*. Et in Epiſtola ad Sanctum Papam Cor-
Ep. 55. nelium: *Deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicatur*. Quod
Ep. 26. 30. ipſum in ſuis ad Sanctum Cyprianum litteris confirmant Romani Clerici, itemque Romani Martyres & Confeſſores. Et hi omnes datam à Presbyteris pacem conſtanter adſeverant eſſe attentatam, irritam, nullam, ſeductoriam, quæ non ſanet, ſed graviùs lædat. Nempe Apoſtolicus Canon omnem publica pœnitentia vindicandorum peccatorum abſolutionem reſervavit Epiſcopis. Et hanc diciplinam plurimi poſteriores Canones ſtabilierunt. Apoſtolicus item Canon omnem pœnitentiæ remiſſionem ſeu indulgentiam reſervavit Epiſcopis. Etenim incæſtuoſo Corinthio nemo præſumpſit indulgere, niſi Paulus Apoſtolus. Et hinc intelliges Synodales Sancti Cypriani ad Fidum Epiſcopum litteras, quæ Therapium Bullenſem Epiſcopum, quod *immaturo tempore ac præpropera feſtinatione* pacem dediſſet, durè increpat, atque adjungit: *Librato apud nos diu conſilio ſatis fuit objurgare Therapium Colle-*
Ep. 59. *gam noſtrum, quòd temerè hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cæterò faciat. Pacem tamen quomodocumque à Sacerdote Dei ſemel datam non putavimus auferendam*. Contra Romanæ Synodi ab Africana Eccleſia probatum Decretum exceſſerat Therapius: Quia tamen Epiſcopus erat, per ipſum data Indulgentia & pax fuerunt judicatæ validæ & firmæ. Quòd nempè tunc nullius, niſi forſitan ſolius hæreſis, culpæ abſolutio eſſet ſubtracta Epiſcopis, & Apoſtolicæ Sedi aut Provinciali Synodo reſervata. Proindè utriuſque laudati Apoſtolici Canonis prævaricatio fuit ſecundus iſtius factionis exceſſus.

Tertius exceſſus fuit, quòd à Martyribus directas ad Epiſcopos litteras factioſi Presbyteri exequerentur. Etenim & Evangelii legem & Eccleſiæ diſciplinam ſcientes ac obſervantes Martyres, ſatisfactionis moderationem ac reconciliationis pacem ſupplicabant à ſolis Epiſcopis: Et quidem juxta Decretum Romanæ Synodi. At verò iſti factioſi ad ſe non directas litteras rapiebant, reſerabant, exequebantur, ac ipſarum limites horrendè excedebant, atque ita non tantùm Evangelii legem & Eccleſiæ diſciplinam, ſed ipſas etiam litteras peſſimè prævaricabantur. Dabant pacem ante exſtinctam perſecutionem, ante Synodalem hujus quæſtionis deciſionem, ante Martyrum conſummationem. Et hinc de variis, quos in ſui montis communionem admiſerat factio, lapſis ſcribit ad Sanctum Cornelium Beatus Cyprianus: *Scire debes,*
Ep 55. *Frater chariſſime, Fortunatum, poſtquam Pſeudo-Epiſcopus ab hæreticis factus eſt, jam penè ab omnibus eſſe deſertum. Namque ii, quibus in præteritum præſtigia prætendebantur, & dabantur verba fallacia, quòd ſimul ad Eccleſiam regreſſuri dicerentur, poſteaquam viderunt illic Pſeudo-Epiſcopum factum, fruſtratos & deceptos ſe eſſe didicerunt, & remeant quotidie, atque ad Eccleſiam pulſant*. Aperitur hìc fundamentum, ex quo factioſi Presbyteri præſumpſerint Martyrum litteras exequi, ſatisfactiones remittere, & ipſam etiam pacem citra Cypriani authoritatem impartiri. Nec enim ſine aliquo fuco præſumpſiſſent Apoſtolicos Canones palàm violare. Eos populus lapidaſſet. Itaque blaterarunt ſeſe ſolos eſſe legitimum Carthaginenſis Eccleſiæ Clerum, cæteros intruſo Cypriano adhærentes Clericos ſordere ex vitioſa communione, & omni præſidendi jure excidiſſe. Et Novatum Epiſcopum ſibi intruſerunt Viſitatorem, ſpondentes brevi Cyprianum majori authoritate damnandum, & cuncta ſua Acta firmanda. Proinde ex ſcelerati iſtius Viſitatoris Præcepto præfatos Epiſcopales actus attentarunt. Ita ſibi viſi ſunt non impingere in Apoſtolicum Canonem. Et lapſorum multi crediderunt. Crediderunt ſe non in ſchiſma recipi, ſed in Eccleſiam. Aſt ubi viderunt contra omnem regulam & diſciplinæ conſequentiam, & per manifeſtas prævaricationes in Cypriani Cathedram intrudi Fortunatum, ac factionis temeritates damnari ab omni Africana, ipſaque etiam Romana Eccleſia, deſeruerunt ſchiſma, & acceptam ab ipſo pacem duxerunt novum lapſum, & pœnitentes ad matrem Catholicam rediverunt. Proindè & in Evangelicum dogma, & in Apoſtolicam diſciplinam exceſſit iſta factio. Et videtur intra ſolam Carthaginenſem Eccleſiam fuiſſe graſſata.

CAPUT III.

Exponuntur alii antiqui abuſus circa Indulgentias.

E Martyribus & Confeſſoribus quidam in promittenda lapſis pace, & dandis illius poſtulatricibus ad Epiſcopos litteris etiam exceſſerunt olim modum, & abuſus induxerunt. De hiſce ad ſuum Clerum ſcripſit Sanctus Cyprianus: *Etiamſi Martyres per calorem gloriæ Scriptu-* Ep. 10.
ram minùs contemplantes, contra legem Domini plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt. Et in Encyclicis ad ipſos Ep. 11.
Martyres & Confeſſores litteris: *Quoniam audio, fortiſſimi & chariſſimi Fratres, impudentia vos quorumdam premi, & verecundiam veſtram vim pati, oro vos, quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicitè & cautè petentium deſideria ponderetis, utpotè amici Domino, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis & actum & opera, & merita ſingulorum: Ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis. Ne ſi quid abruptè & indignè vel à vobis permiſſum, vel à nobis factum fuerit,*

apud

apud gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat. Etenim Gentiles datam à nobis peccatorum remiſſionem, dum plena vindicta & ſatisfactio non præcederet, ridebant acerbiſſimè, & rodebant. Hinc & Magnum Imperatorem Conſtantinum ob ipſam ei à ſe denegatam garriverunt ad nos confugiſſe, & Eccleſiam comparabant cum aſylo Romuli. Etiam ob hos exceſſus caſtigari Eccleſiam affirmat Sanctus Cyprianus in ſermone de lapſis, & proſequitur: *Hoc totum poteſt fieri, ſi ea quæ à vobis petuntur, ne facilè tribuantur, religioſa contemplatione moderemini, intelligentes & comprimentes eos, qui perſonas accipientes in beneficiis veſtris, aut gratificantur aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.* Nicolaus Rigaltius commentatur: *Quam fœda labes etiam illius Eccleſiæ Martyres proſtravit! Nam hoc ſignificat Cyprianus, etiam inter Martyres extitiſſe, qui venales haberent pacis libellos.* Eſt devius commentarius. Etenim Cyprianus manifeſtè loquitur non de ipſis Martyribus, qui ſuis beneficiis, ſed de aliis, qui ipſorum beneficiis abuterentur. Et hos rogat inquiri per Martyres, & compeſci. Non Martyr Martyrem debebat aut poterat compeſcere, ſed ſolos ſibi ſupplicantes. Martyres ab exceſſibus compeſcere, aut adversùm ipſos inſtruere ſpectabat ad carceri præfectum Presbyterum aut Diaconum. Ita jam ſtatim nobis dixit ipſe Cyprianus. Et hinc adducta verba etiam non taxant Epiſcoporum in exequendis Martyrum litteris nundinas aut Simoniam. Non ſemper ipſi lapſi accedebant carcerem ſupplicaturi pacis litteras, ſed frequenter utebantur interventoribus. Poſſint fuiſſe tales ex officio. Et hi quandoque gratificando, quandoque nundinando accipiebant perſonas. Et hos, ne circumſcribant in exceſſum, Cyprianus hortatur inquiri à Martyribus, & compeſci. Proindè hi erant frequens cauſa exceſſuum.

Ep. 15. Eadem de re ſcribit Cyprianus ad Clerum vacantis Romanæ Eccleſiæ: *Cùm comperiſſem, qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominùs conſcientiam polluiſſent, exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine atque examine ſingulorum daretur quotidiè libellorum millia contra Evangelii legem, litteras feci, quibus Martyres & Confeſſores conſilio meo, quantum poſſem, ad Dominica Præcepta revocarem.* Et infrà: *Poſtmodum verò, cùm quidam de lapſis, ſive ſua ſponte, ſive aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent, ut pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum litteras feci, & legi ei mandavi, ut ad illorum interim violentiam quoquo genere mitigandam, ſi qui libello à Martyribus accepto de ſæculo excederent, exomologeſi facta, & manu ſibi in pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur.* Incitator ille poſſit fuiſſe quis jam dictus interventor, indignatus obtentos à ſe pacis libellos per nimiam Epiſcopi & Cleri duritiam privari promiſſo effectu. Similem lapſorum violentiam refert Cyprianus in litteris ad Clerum Romanæ Eccleſiæ: *Denique hujus ſeditionis origo jam cœpit. Nam in Provincia noſtra per aliquot civitates* Ep. 23. *in Præpoſitos impetus multitudinum factus eſt, & pacem, quam ſemel cunctis à Martyribus & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coegerunt, territis & ſubactis Præpoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minùs virtute & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum regebantur, & in noſtram præſentiam differebantur, per hanc Epiſtolam, velut quibuſdam facibus accenſi, plus exardeſcere, & pacem ſibi datam extorquere cœperunt.* Utique per Epiſtolam, qua ex omnium Martyrum nomine ſcripta Lucianus Martyr omnibus ubique lapſis dederat plenam ac generalem pacem. Iſtam lapſorum audaciam culpat etiam in aliis Epiſtolis, additque ejus fundamentum fuiſſe indiſcretas Martyrum preces. Unde & in Ep. 27. 28. Sermone de lapſis mandat Martyres eſſe religioſe moderatos, atque adjungit: *Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porrò ſi fides, quæ vicerit, coronatur, neceſſe eſt ut victa perfidia puniatur. Ita Martyres aut nihil poſſunt, ſi Evangelium ſolvi poteſt; aut ſi Evangelium non poteſt ſolvi, contra Evangelium facere non poſſunt, qui de Evangelio Martyres fiunt.* Affirmat idololatriam, omnemque alium lapſum non poſſe dimitti ſine pœnitentiâ, & hanc eſſe Evangelicam legem, ideoque iſtud poſtulantes Martyres Evangelio adverſari. Per ejuſmodi indiſcretas petitiones affirmat infamari Martyrum dignitatem, eorumque gloriam & coronas deſtrui. Pluribus hæc ſtabilit, atque concludit: *Martyres, ut ab Epiſcopis contra mandatum Dei fiat, authores eſſe non poſſunt.*

Inter hoſce indiſcretos Martyres fuit in Africa jam dictus Lucianus, quem & de imperitia, & de vario exceſſu Cyprianus culpat. Etenim imperitia eſt mater audaciæ. Primus exceſſus fuit, quòd quotidie citra perſonarum & cauſarum examen darentur libellorum millia: *Quòd cunctis generatim lapſis quotidiana & univerſalis indulgentia daretur.* Ipſam adeò averſatus fuit Sanctus Cyprianus, ut ad Martyres & Confeſſores ſcribat: *Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere & emendare debetis, ut nominatim* Ep. 11. *deſignetis eos, quibus pacem dari deſideratis. Audio enim quibuſdam ſic libellos fieri, ut dicatur: Communicet ille cum ſuis. Quod nunquam omninò à Martyribus factum eſt, ut incerta & cœca petitio invidiam nobis poſtmodùm cumulet. Latè enim patet, quando dicitur: Ille cum ſuis. Et poſſunt nobis viceni & triceni, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & liberti, & domeſtici eſſe aſſeverentur ejus qui accepit libellum. Et ideò peto, ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei & diſciplinæ congruentes litteras dirigatis.*

Porrò Epiſtola, quæ ex omnium Confeſſorum & Martyrum nomine cunctis generatim per Africam lapſis dabat pacem, & à qua non tan-

tantùm Carthaginenſem, ſed plures Africanas Eccleſias fuiſſe ſeditioſis lapſorum violentiis turbatas queritur Sanctus Cyprianus apud Romanum Clerum, fuit omninò iſtius Luciani, & habet hanc epigraphen: *Univerſi Confeſſores Cypriano Papæ.* Hic eſt ejus tenor: *Scias nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem. Et hanc formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere volumus. Optamus te cum Sanctis Martyribus pacem habere. Præſente de Clero & Exorciſta & Lectore, Lucianus ſcripſit.* Haſce litteras voluit cunctis in Africa Epiſcopis per Cyprianum innoteſcere. Quod nempè hic eſſet totius Africanæ Diœceſeos Primas atque Exarchus. Quòd Carthaginenſis Epiſcopus iſtum Primatum ſemper geſſerit, clamant plurimæ Cypriani Epiſtolæ ac Synodi: Nec deſunt alia teſtimonia. Et quidem Cyprianus etiam in aliis Actis titulatur Papa. Romani Cleri ad
Ep. 3. Carthaginenſem Epiſtola habet: *Benedictus Pa-*
Ep. 31. *pa Cyprianus.* Et ejuſdem Cleri ad ipſum Epiſtola: *Beatiſſime ac glorioſiſſime Papa.* Et cunctas ad ipſum Epiſtolas inſcribit idem Clerus: *Papæ Cypriano.* Et in antiquis atque authenticis Actis Africæ Proconſul Galerius Maximus Sanctum Cyprianum interrogat: *Tu es Thaſcius Cyprianus, qui te Papam ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti?* Thaſcius erat gentile Cypriani nomen; Cæcilii nomen in Baptiſmo aſſumpſit à Presbytero Cæcilio, qui illi perſuaſit Chriſtianam fidem. Et gentilis Proconſul illius nullam habuit rationem. Et tunc nullus in Africa Epiſcopus, niſi ſolus Carthaginenſis Exarchus, legitur Papæ titulo fuiſſe inſignitus. Ratio hauriri poſſit ex illis, quæ de Papalis tituli origine ſcribit in Alexandrinæ Eccleſiæ Annalibus Eutychius ibidem
Lib. 1. Patriarcha: *Quærunt nonnulli, Quare Patriarcha*
fol. 331. *Alexandrinus vocetur Papa? Hujus nominis ſignificatum eſt Avus.* Quòd hoc nomen Alexandriæ cœperit, ac indè devenerit ad Romanum Epiſcopum, etiam alii affirmant. Quidquid ſit, etiamnum hodie omnes Græci ſolos Romanum Pontificem ac Patriarcham Alexandrinum titulant Papas. Pergit Eutychius: *Sciendum eſt ab Anania, quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque ad tempora Demetrii ibidem Patriarchæ, is fuit Alexandrinus Patriarcha undecimus, nullum fuiſſe in Provinciis Ægypti Epiſcopum, nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui viginti Epiſcopos conſtituit. Ex his unus erat Ammonius dictus, religionis deſertor. De quo ſimul ac ad Heraclam delata eſt fama, congregavit Synodum Epiſcoporum, & in Ammonii urbem perrexit, ubi re ſatis cognita & perſpecta, eum ad veritatem reduxit. Cùm verò homines audierant Epiſcopos Patriarcham vocare Abba, ſeu Patrem, inter ſe dixerunt: Nos quemlibet Epiſcopum appellamus Abba, ſeu Patrem, & Epiſcopi Patriarcham appellant Abba. Unde ſanè oportet, ut nos Patriarcham vocemus Papam, id eſt, Avum, cum ſit Pater Patrum. Ita à tempore Heraclæ Patriarcha Alexandrinus dictus eſt Papa, id eſt, Avus:* Et infrà: *Heraclii Patriarchæ tempore Patriarcha* Fol. 383.
Alexandrinus eſt appellatus Papa, id eſt, Avus. Quod ipſum compendio ſcribit Orientale de Alexandrinis Patriarchis Chronicon: *Heraclas primus fuit, qui Papa cognominatus eſt.* Africana Diœceſis eſt Ægyptiacæ contermina, ideoque poſſit ejus mores adſumpſiſſe: Solum ſuum Exarchum titulaſſe Papam. Verùm Heraclas Patriarcha & Sanctus Cyprianus fuerunt coætanei, & ſimul ſederunt Epiſcopi. Et Papæ titulus erat tunc famoſiſſimus, Romanæ & Africanæ Eccleſiæ notiſſimus, ac ipſis etiam gentilibus. Quare eſt Heracla Patriarcha longè antiquior. Et Eutychii narratio non caret periculo caducitatis. Ignoro primam tituli originem. Exiſtimo apud prima ſæcula fuiſſe communem omnibus Patriarchis, Primatibus, ac fortè etiam Metropolitis, & poſteà deveniſſe ad omnes Epiſcopos. Plura dixi ad Dictatum ſeptimi Gregorii.

At verò iſta Luciani Epiſtola omnibus per Africam Epiſcopis graviſſimè diſplicuit. De tanta re ſolus decernere non auſus Primas Cyprianus, ipſam tranſmiſit ad omnes Epiſcopos, & de ipſis ſcripſit exul ad ſuæ Eccleſiæ majorem Clerum: *Epiſcopi reſcripſerunt placere ſibi quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec pace* Ep. 18.
nobis à Domino reddita in unum convenire, & ſingulorum cauſas examinare poſſimus. Sed & quid Calidonius Collega meus ſcripſerit, & quid ego ei reſcripſerim, ut ſciretis, utriuſque Epiſtolæ exemplum litteris meis junxi. Quòd totum peto fratribus meis legatis, ut magis ac magis ad pœnitentiam componantur, nec delicto priori adjiciant adhuc aliud delictum, dum nec nobis nec Evangelio volunt ſervire. Nec ſecundùm univerſorum Confeſſorum litteras examinari cauſas ſuas permittunt. Romana Synodus ſanxerat lapſis, licet Indulgentiales Martyrum libellos habentibus, Sacramentalium ſatisfactionum remiſſionem & Sacramentalis reconciliationis pacem nonniſi in extremo vitæ exitu dandam, reliquorum cauſam differendam uſque ad ſopitas Principum perſecutiones, tunc ſingulatim examinandos omnes, & de ampliori facienda gratia diſcernendum. Ab hoc Decreto cuncti Afrorum Epiſcopi cenſuerunt etiam ob cunctorum Martyrum & Confeſſorum nomine armatas Luciani litteras non recedendum. Cenſuerunt Indulgentias non ita generatim, ſed ſingulatim poſtulandas à Martyribus, & dandas ab Epiſcopis: Et antequam darentur, ſingulorum cauſam diſcutiendam. Ejuſmodi indiſcretas Indulgentias cenſuerunt adverſari Evangelio, ideoque per ipſas non dimitti peccata, ſed addi delictum delicto. Quòd nempè agenda pro peccatis ſatisfactio ſit Evangelica Lex, ideoque ſine gravi cauſa non poſſit mitigari per Eccleſiæ claves, longè minùs expungi.

Hanc Epiſtolæ clauſulam, *De quibus ratio conſtiterit quid poſt commiſſum egerint*, reſpiciunt hæc Cypriani verba: *Nec ſecundùm univerſorum Confeſſorum litteras examinari cauſas ſuas permittunt.* Laudatur clauſula, quòd ſingulorum lapſorum examen permitteret Epiſcopis: Qualiter nempè illi poſt commiſſum idololatriæ delictum

geſſiſſent ſeſe, quantis gemitibus & lachrymis pulſaſſent maternas Eccleſiæ fores, qualiter ſeſe Ep. 23. ad reconciliationis gratiam præparaſſent. Eandem tamen clauſulam Cyprianus arguit in litteris ad Clerum Romanæ Eccleſiæ: *Poſtquam ad eos*, utique ad Lucianum & alios cum ipſo Martyres, *litteras miſi, ut quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret, univerſorum Confeſſorum nomine Lucianus Epiſtolam ſcripſit, qua penè omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas & firmitas ſolverentur. Scripſit enim omnium nomine, univerſis eos pacem dediſſe, & hanc formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle. Additum eſt planè: De quibus ratio conſtiterit quid poſt commiſſum egerint. Quæ res majorem nobis conflat invidiam: Ut nos, cùm ſingulorum cauſas audire & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod ſe nunc omnes jactant à Martyribus & Confeſſoribus accepiſſe.* Denuò culpat iſtiuſmodi generales Indulgentias: Quòd nempè in tanto numero non poſſent non eſſe, quibus nulla eſſet cauſa remittendæ ſatisfactionis. Et memoratam clauſulam addit eſſe invidioſam Epiſcopis: Quod nempè ipſa Epiſcopos cogeret negare lapſis, quod Martyres videbantur conceſſiſſe. Hinc enim lapſi non ſolummodò Provinciales Eccleſias, ſed & ipſam Primatialem Carthaginenſem Cathedram impleverunt violentiis. Promiſſam à Martyribus pacem ſtatim ſibi repræſentari ab Epiſcopis coegerunt.

Hæc Cypriani verba, *Ut quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret*, demonſtrant hunc poſt alios longè graviores fuiſſe leviorem Luciani exceſſum. Audi graviores exceſſus: *Frater noſter Lucianus, & ipſe unus de Confeſſoribus, fide quidem calidus & virtute robuſtus, minùs tamen Dominica lectione fundatus, quædam conatus eſt, imperiti jam pridem ſe vulgi authorem conſtituens, ut ejus manu ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur. Cùm Mappalicus Martyr cautus & verecundus, legis ac diſciplinæ memor, nullas contra Evangelium litteras fecerit, ſed tantùm domeſtica pietate commotus, matri & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandaverit pacem dari: Saturninus quoque poſt tormenta adhuc in carcere conſtitutus nullas ejuſmodi litteras emiſerit. Lucianus verò, non tantùm Paulo adhuc in carcere poſito, nomine illius libellos manu ſua ſcriptos paſſim dedit, ſed & poſt ejus exceſſum eadem facere ſub ejus nomine perſeveravit, dicens hoc ſibi ab illo mandatum: Neſciens Domino magis quàm conſervo obtemperandum. Aurelii quoque adoleſcentis, tormenta perpeſſi, nomine libelli multi dati ſunt, ejuſdem Luciani manu ſcripti, quòd litteras ille non noſſet.* Iſtius Pauli mandatum exponit ipſe Lucianus in litteris ad Celerinum, Romanum Confeſſorem: Ep. 22. *Scire debuiſti, quid circa nos actum ſit. Cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi: Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt accerſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Et adjungit: *Sed & omnes, quos Dominus in tanta tribulatione accerſire dignatus eſt, univerſi litteras ex compacto univerſis pacem dimiſimus.* Laudat & firmare conatur jam improbatas à Sancto Cypriano litteras, & ab ipſis datam generalem Indulgentiam. Proindè Lucianus in ſolius Pauli, ac etiam in ſolius Aurelii Martyris nomine dederat primò Indulgentias: Et variè hic exceſſerat. Primò, Quòd illegitimis aliorum Martyrum poſtulationibus miſcuiſſet ſe, atque ita alienis exceſſibus ſe maculaſſet. Secundò, Quòd in Pauli, ac etiam in Aurelii nomine dediſſet pacis libellos. Hanc enim formulam eſſe ſuſpectam, ſcandaloſam, & offenſivam piarum aurium, eſt ſuprà demonſtratum. Tertiò exceſſerat, quòd ex unici Martyris nomine dediſſet omnibus generaliter pacem. Et à Sancto Cypriano admonitus ſtuduit hunc exceſſum moderari. Ex omnium Martyrum & Confeſſorum adunato nomine cœpit iſtam gratiam continuare. Et ipſe etiam Cyprianus profitetur hunc exceſſum fuiſſe leviorem. Quidam Scholaſtici Doctores cenſent Indulgentiarum donationem quotidiè fieri faciliorem Sancti Petri clavibus, & poſſe in dies eſſe largiorem: Quòd nempè aſſiduè creſcat cœleſtis Sanctorum numerus, ideòque & conflatus ex ipſorum meritis theſaurus. Quòd rectè cenſeant, evincit laudata Sancti Cypriani epiſtola. Illa interim improbat quaſvis generales Indulgentias. Et hinc laudat Mappalicum Martyrem, quòd ſolam matrem & ſororem Epiſcopo commendaſſet. Pietas, qua primi gradus conſanguineis Indulgentias hodie ſupplicamus à Romano Pontifice, adeò antiquis fulcitur exemplis. Cyprianus magis adhuc laudat Saturninum Martyrem, qui omninò nullum commendarat Epiſcopo. Malebat ille huic rei non miſceri Martyres, & Apoſtolicas claves plenè permitti ſuo arbitrio & libertati. Imitatur Magiſtrum ſuum Tertullianum in libro de pudicitia: *At tu & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem.* Cap. 22. Quod hic errat nec licere nec valere, ille cenſet non expedire. Quod nempè multi legitima gratia abuterentur.

Secundus Luciani exceſſus fuit, quòd etiam plenas omnium peccatorum Indulgentias poſtularet ab Epiſcopis, & ſtatim juberet repræſentari. Hinc enim lapſi, dum iſtam repræſentationem ſtatim facere noluerunt Cyprianus & alii per Africam Epiſcopi, fuerunt horrendè tumultuati. Adverſùm illos Cyprianus ſcripſit plures epiſtolas, quarum una ad ſuum Clerum habet: *Magis ac magis ad pœnitentiam componantur lapſi,* Ep. 18. *nec delicto priori adjiciant aliud delictum, dum nec nobis nec Evangelio volunt ſervire.* Nolebant Canonicas ſatisfactiones explere, immò nec ſuas cauſas examinari ab Epiſcopis, ſed ſibi volebant ſtatim impendi reconciliationis gratiam, atque ita Evangelium, avitam Eccleſiæ diſciplinam, Romani Synodi Decreta, & ſuorum Epiſcoporum mandata prævaricabantur, & addebant delictis delicta. Quin & ipſos prævaricabantur Luciani litteras. Hæ enim, licèt plenam imperarent Indulgentiam, cauſas tamen examinari permittebant, per clauſulam: *De quibus ratio apud te conſtiterit.* Et Cyprianus, licèt hiſce violentiis generosè reſtiterit, tamen apud Romanam Eccleſiam fuit de conniventia accuſatus, & compulſus ſcribere apologeticas litteras.

teras. Iſta generalis Indulgentiarum plenitudo tunc adeo diſplicebat Romanæ Eccleſiæ. Quidam tamen Epiſcopi obedierunt litteris, & lapſos ipſarum vigore ſtatim admiſerunt non tantùm ad Conſiſtentiam, ſed etiam ad Perfectionem, ad communionem cum oblatione, ad oblationem nominis, ad Sacroſanctam Euchariſtiam. At audaciam ſibi graviſſimè diſplicuiſſe Divina Majeſtas demonſtravit per varia miracula, per multam vindictam in tales ſacrilegos Euchariſtiæ præſumptores. Exempla plura refert Sanctus Cyprianus in ſermone de lapſis. Ibidem demonſtrat Martyres apud Dominum poſſe multa, ſed non omnia: Non poſſe repugnare Evangelio, ideoque nec poſtulare, ut lapſis delicta remittantur citra omnem ſatisfactionem, ut illis paſſim dentur plenariæ Indulgentiæ: Suum ſenſum inſigniter expreſſit in datis contra hoſce exceſſus litteris ad omnes Martyres & Confeſſores: Ep. 11. *Peto ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis.* Quod ipſum confirmat in ſequenti ad ſuam plebem epiſtola, addens *acerba poma non eſſe decerpenda.* Hoc eſt, illos quorum pœnitentia necdum eſt ſatisfactioni proxima, non admittendos ad pacem & communionem. Vult Indulgentias nec univerſales eſſe, nec ex integro plenarias: Et hanc amplitudinem non tantùm diſciplinæ adverſari, ſed etiam Evangelio.

Tertium Luciani exceſſum exponit Sanctus Cyprianus in epiſtola ad lapſos. Eccleſiæ claves demonſtrat ſoli Petro Apoſtolo, ac ejus in Epiſcopatu ſucceſſoribus datas, atque proſequitur: Ep. 27. *Cùm hoc Divina lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo, & Clero, & in omnibus Stantibus ſit conſtituta. Abſit enim, nec Domini miſericordia & poteſtas ejus invicta patiatur, ut Eccleſia eſſe dicatur lapſorum numerus, cùm ſcriptum ſit, Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum. Si autem quidam lapſi Eccleſiam ſe volunt eſſe, & ſi apud illos, atque in illis eſt Eccleſia, quid ſupereſt, niſi ut ipſi rogentur à nobis, ut nos ad Eccleſiam dignentur admittere? Submiſſos ergò & quietos, & verecundos eſſe oportet eos, qui delicti ſui memores ſatiſfacere Deo debent, nec Eccleſiæ nomine litteras facere, cùm ſe magis ſciant Eccleſiæ ſcribere.* Carthaginenſis etiam Eccleſiæ magna pars erat lapſa. Hinc illa turma promiſſam ſibi à Martyribus pacem ſtatim repræſentari poſtulavit per communes litteras, ipſiſque poſuit hunc titulum: *Eccleſia Carthaginenſis Cypriano Epiſcopo.* Quæ audacia cunctis ubique Epiſcopis & ſtantibus populis meritò & graviſſimè diſplicuit. At quod ejus fuit fundamentum? Quòd Lucianus illis Sacramentalis reconciliationis pacem non promiſiſſet dumtaxat, ac poſtulaſſet dandam ab Epiſcopis, ſed ex Pauli ac Aurelii conſummatorum Martyrum nomine jam dediſſet. Hinc illi ſeſe cenſuerunt non adhuc lapſos & proſtratos, ſed plenè reparatos, integros, ac Perfectos, ideoque tanquam tales prætenderunt admitti in Eccleſiam. Etenim Luciano Martyr Paulus proximè ante ſuam conſummationem dixerat: *Luciane coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt accerſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Et ſuprà adductus Martyrum libellus habuit: *Communicet ille cum ſuis.* Et de peccatorum per claves remiſſione ſcribit in libro de pudicitia Tertullianus: Cap. 22. *At tu & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem.* Et in libro ad Martyres: Cap. 1. *Quam pacem quidam non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Hujuſmodi loca conglomerat in primo antiquarum obſervationum libro eruditus Aurelianenſium Epiſcopus Gabriel Albaſpinæus, & adjungit: *Teſtimonia equidem nullo pacto refellenda, quibus convincitur Martyres Sacerdotes purè & abſolutè culpas mortales remiſiſſe. Atque in omnibus his locis, aliiſque etiam Patribus, quamvis non ſit diſtinctum inter Martyres Presbyteros & Laicos, tamen crediderim Sacerdotes pœnam & culpam, Laicos verò pœnam dumtaxat & pœnitentiæ tempus remiſiſſe.* Affirmat quòd antiqua diſciplina ante expletas ſatisfactiones non impartiret Sacramentalem reconciliationem, atque adjungit: *At Martyres, ſi eſſent Sacerdotes, utrumque perficere poterant, & à culpa ſimul & à pœna abſolvere; ſi verò tantùm eſſent Laici, à pœnis & ab ipſo tempore diminuere multùm poterant.* Urget præſertim hæc Tertulliani verba: *Ad metalla confugiunt, & indè communicatores revertuntur.* Et commentatur? *Non poterant redire in communionem Eccleſiæ, niſi abſoluti.* Et certè vox, *Communicator*, omninò importat aut integrum fidelem, aut certè reparatum.

Reſpondeo tamen iſtam doctrinam carere fundamento. Etenim præcipuus horum inſolentium libellorum author fuit Matyr Lucianus, quem certum eſt fuiſſe Laicum. Fuiſſe enim Divinæ legis imperitum Cyprianus aliquoties teſtatur. Et ipſum nullibi titulavit Presbyterum, Nec item Celerinus Martyr in ſuis ad ipſum litteris. Certè ſi erat Presbyter, paſſus fuit inſignem injuriam, & adverſùm ambos potuit imitari Sanctum Hieronymum, qui adverſùs Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum, quòd ſine Presbyteri titulo Hieronymum vocitaſſet, fuit proteſtatus: Ep. 61. cap. 25. *Ego miſellus, dum in ſolitudine deliteſco, à tanto Pontifice truncatus, Presbyteri nomen amiſi.* Etiam Aurelius Martyr, cujus nomine ad dandam pacem Lucianus abutebatur, fuit Laicus adeò imperitus, ut neſciret ſcribere. Et tamen ille non tantùm pœnas attentavit remittere, ſed etiam culpas. Attentavit lapſos in Pauli ac Aurelii nomine tranſmutare in Eccleſiam, & in perfectos Eccleſiæ Communicatores. Et quæ Evangelica aut Apoſtolica regula permittit Indulgentiam donari, aut ſatisfactiones remitti à Laico? Uti harum impoſitio, ita & remiſſio ſpectat privativè ad claves Sancti Petri, ideoque neutri Laicus ſe poſſit ſine ſacrilego Attentato miſcere. Et hinc adverſùm memoratas ſuorum Carthaginenſium lapſorum ad ſe litteras Sanctus Cyprianus laudavit dictas claves, proteſtatus eſt ſpectare ad ſolos Epiſcopos, & adjunxit: Ep. 27. *Scripſerunt autem mihi nuper quidam de lapſis humiles, & mites, & trementes, & metuentes Deum, & qui in Eccleſia ſemper glorioſè & granditer operati ſunt,*

& opus

& opus ſuum Domino imputaverunt, ſcientes illum dixiſſe, & cùm hæc omnia feceritis, dicite, ſervi ſupervacui ſumus, quod debuimus facere fecimus. Quæ illi cogitantes, & quamvis libello à Martyribus accepto, ut tamen à Domino ſatisfactio ſua admitti poſſet, orantes ſcripſerunt mihi, ſe delictum ſuum cognoſcere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temerè aut importunè properare, ſed expectare præſentiam noſtram, dicentes pacem quoque ipſam, ſi eam nobis præſentibus acceperint, dulciorem ſibi futuram. Hi humiles lapſi intelligebant Dogma Evangelicum ac Apoſtolicam diſciplinam: Norant pacem ſibi à Luciano non potuiſſe dari, ideoque ipſam ſupplicabant humiliter à Cypriano, parati differri uſque ad ejus ab exilio reditum, obedire Romanæ Synodi decretis, ac interim pergere in pœnitentia & ſatisfactionibus. Notanda ſunt etiam hæc ejuſdem epiſtolæ verba: *Peto diſcernatis deſideria veſtra, & quicumque eſtis qui has litteras nunc miſiſtis, nomina veſtra libello ſubjiciatis, & libellum cum ſingulorum nominibus ad me tranſmittatis. Ante eſt enim ſcire, quibus reſcribere habeam: Tunc ad ſingula quæ ſcripſiſtis, pro loci & actus noſtri mediocritate reſcribam.* Lapſi, uti à Luciano pacem generatim acceperant, ita ejus executionem à Sancto Cypriano generatim flagitabant. Utrumque hic improbat: Nulli lapſo vult vel à Martyre poſtulari, vel ab Epiſcopo donari pacem, niſi ad maturam cujuslibet cauſæ cognitionem.

Illuſtrat hæc in litteris ad Clerum Romanæ Ep. 29. Eccleſiæ: *Poſteaquam ad vos litteras fecit de quorundam proſpecta temeritate, qui pœnitentiam agere & Deo ſatisfacere detrectant, litteras ad me fecerunt, pacem non dandam ſibi poſtulantes, ſed quaſi jam datam ſibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dediſſe.* Prodit radicem, ex qua Lucianus pacem lapſis non ſupplicavit ab Epiſcopis, ſed ipſe dedit in Pauli nomine. Lucianus non ſe fundavit in ſuo, quem nullum habuit, ſacro Ordine, ſed in neſcio quo ſingulari ac divino Pauli Martyris privilegio, quo cunctis ubique lapſis potuerit tantùm donum impartiri. Et Evangelio & diſciplinæ repugnabat iſtud privilegium. Etenim & Evangelium & diſciplina pacem, quam permittunt ſuppliciter rogari per Martyres, donari ſanciunt per ſolos Epiſcopos. Non ſolummodo pacem culpæ, ſed etiam dimiſſivam ſolius ſatisfactionis & pœnæ. Hinc Cyprianus conſtanter edixit Luciani nugas fundari in ſola ipſius imperita temeritate. Quod Lucianus in divino Pauli privilegio ſe fundaret, diſertè edicit in ſuo ad Cypriani relationem Reſcripto Romanus Clerus, *Immoderatam* iſtorum lapſorum *petulantiam & periculoſam temeritatem* durè notat, atque adjungit: *Quos ſatis mirati ſumus ad hoc uſque proſilire voluiſſe, ut pacem ſibi non tam peterent, quàm vendicarent. Immò jam & in cœlis ſe habere dicerent. Qui ſi habent, quid petunt quod tenent? Si autem non habere illos probatur, hoc ipſo quod petunt, cur non judicium eorum ſuſtinent, à quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt? Quod ſi aliundè prærogativam Communicationis habere ſe credunt, cum Evangelio illam conferre conentur, ut ita demùm firmiter valeant, ſi ab Evangelica Lege non diſſonant. Cæterùm quo pacto Evangelicam poterit præſtare communicationem, quod contra Evangelicam decretum videtur veritatem?* Iſtud ſingulare & cœleſte Pauli privilegium conſtanter affirmat adverſari Evangelio, ideoque eſſe nugax commentum. Multis demonſtrat pacis donationem ex Evangelica Lege ſpectare ad ſolos Sacerdotes, ideoque veros Martyres huic non poſſe refragari.

Iſto ſæculo divinum cœleſtium revelationum Chariſma erat frequens. Eximia ejus exempla habemus & in Sancto Cypriano, & in ejus Magiſtro Tertulliano, & in aliis Scriptoribus. Graſſabatur item & varius æmularum præſtigiarum fucus. Adversùs Prophetam paſſim interceſſit Pſeudo-Propheta. Et iſte fucus non tantummodo Montanum præcipitavit, ſed etiam Tertullianum. Eadem igitur illuſio poſſit & Paulum Martyrem circumſcripſiſſe. Attamen Romanus Clerus & ipſum & Lucianum conatur purgare, affirmat Luciani libellos fuiſſe perperam intellectos, ac omnem exceſſum tranſcribit in lapſos: *Nam ſi dandam lapſis pacem Martyres putaverunt, cur ipſi non dederunt? Cur illos ad Epiſcopum, ut ipſi dicunt, remittendos cenſuerunt? Is enim, qui jubet fieri, poteſt utique facere, quod fieri jubet. Sed ut intelligimus, imò ut res ipſa loquitur & clamat, ſanctiſſimi Martyres utrobique adhibendum putaverunt temperamentum & pudoris & veritatis. Nam & quia à multis urgebantur, dum ad Epiſcopum illos remittunt, verecundiæ propriæ, ne ulteriùs inquietarentur, conſulendum putaverunt: Et dum illis non ipſi communicant, Evangelicæ Legis illibatam ſinceritatem cuſtodiendam judicaverunt.* Quòd Lucianus lapſis pacem non dederit, ſed ipſam dumtaxat ab Epiſcopis dandam ſupplicarit, probat Clerus ex duobus libellorum articulis. Primò, Quòd cunctos lapſos cum ſuis libellis miſerit ad Epiſcopos. Secundò, Quòd ipſis communicare noluerit. Utique ante impartitam pacem ab Epiſcopis. Et nota, quod Martyres pacem non tantùm dare, ſed etiam ab Epiſcopis dandam jubere non potuerint. Debuerunt Eccleſiæ Clavibus humiliter ſupplicare. Hinc in alio ad Sanctum Cyprianum Reſcripto pergit idem Clerus: *Lapſis maximè congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda.* Ep. 31. *Pulſent ſanè fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant. Arment ſe quidem modeſtiæ telis, & quem negando mortis metu fidei dimiſerant clypeum, reſumant: Sed ut contra hoſtem diabolum vel nunc armati, non contra Eccleſiam, quæ illorum dolet caſus, armatos eſſe ſe credant. Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant Legatos pro ſuis doloribus lachrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis & pudorem. Immò ſi dedecoris admiſſi magnitudinem perhorreſcunt, ſi pectoris & conſcientiæ ſuæ lethalem plagam & ſinuoſi* vul-

vulneris altos receſſus verè medica manu tractant, erubeſcant & petere: Niſi quia majoris rurſum eſt & periculi & puderis, auxilium Pacis non petiiſſe. Oſtendunt hanc humilitatem eſſe lapſis perneceſſariam, ideoque ipſorum Advocatis ac interceſſoribus Martyribus etiam competere.

CAPUT IV.

Exponuntur recentiores errores circa Indulgentias.

PAlmare fundamentum, ex quo poſteriorum ſæculorum Errones cœperunt Indulgentias rodere, edicit in opere contra Waldenſes Petrus Pilichdorffius: *Quare non ſolùm VValden-*
Cap. 30. *ſes Hæretici, immò multi Catholici quandoque titubant de indulgentiis, hoc facit indiſcreta pronunciatio quæſtuariorum Sacerdotum, qui indifferenter omnibus hominibus, hoc & illud facientibus, Indulgentias promittunt. Et hoc non eſt de mente Domini Papæ aut aliorum Prælatorum, qui non dant eas, niſi verè pœnitentibus, & confeſſis, & contritis.* Quòd indiſpoſitis impartita Indulgentia ſit prodiga, falſa, ac nociva Pax, abundè jam audivimus à Sancto Cypriano. Hanc ille cenſuit non dandam, niſi ſatisfactioni proximis Pœnitentibus. Et certè peccata citra omnem pœnitentiam non poſſint indulgeri. Porrò eleemoſyna eſt omninò verum pœnitentiæ opus. Et quòd ipſa ſola pœnitentem reddat ſatisfactioni proximum, ideoque Indulgentiæ aptum, multi olim cenſuerunt. Præſertim mediis Chriſtianis ſæculis, dum cœpit nummaria ſeu eleemoſynaria pœnitentiarum redemptio. Lucas Dacherius in quarto Spicilegii tomo vulgavit Epiſtolam, qua Gregorius ſeptimus apud omnes Sancto Petro fideles queritur Romanæ Eccleſiæ patrimonia eſſe invaſa ac detineri à Regibus, ſacras ejuſdem civitatis Baſilicas jacere ruinoſas, Guilielmum Aquitaniæ Ducem & alios Principes, quòd ipſis reparandis larga ſubſidia miſerint, amplè commendat, atque proſequitur: *Quorum nos videntes devotionem, & laudabilem erga communem matrem dilectionem, tam per nos, quam etiam per Succeſſores noſtros, ter in anno cum omnibus Romanis Eccleſiis generaliter Miſſam celebrare, & ſepties illorum ſpecialiter memoriam inter ſacra Miſſarum ſolemnia habere promiſimus, ut omnipotens Dominus meritis Dei genetricis, quæ ſingulari pietate Romanam ſemper tuetur Eccleſiam, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, omnium Sanctorum, maximè Romæ quieſcentium, oratione, à cunctis eos peccatis abſolvat, & ad vitam æternam perducat.* Eorum piis eleemoſynis reddidit has pietatis vices. Et litterarum titulus habet: *Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus qui Chriſtiana fide cenſentur, & beati Apoſtolorum Principis Sedem, Eccleſiarum omnium Matrem recognoſcunt, ſalutem & abſolutionem omnium peccatorum, per benedictionem & merita Beatorum Petri & Pauli, Principum Apoſtolorum.* Cunctis ſimilem pietatem Romanæ Eccleſiæ exhibentibus videtur largiri plenam Indulgentiam. Etiam de Sancto Leone nono Pontifice ſcripſit ad Nicolaum ſecundum Sanctus Anglorum Rex Eduardus: *Leo injunxerat nobis ſub nomine obedientiæ & pœnitentiæ propter votum, quo voveramus ire Romam, ut in remiſſionem omnium peccatorum meorum conſtruerem Monaſterium in honorem Apoſtoli Petri.* Et iſtam gratiam Nicolaus confirmavit. Exſtant Epiſtolæ apud Dominum Car- A. 1060. n. 9.
dinalem Cæſarem Baronium. Et ad neſcio quem Epiſcopum ſcribit Sanctus Petrus Damiani: *Non ignoras, quia cum à Principibus terras accipimus, juxta menſuram muneris eis de quanti-* Lib. 4. Ep. 12.
tate pœnitentiæ relaxamus. Sicut ſcriptum eſt: Divitiæ hominis redemptio ejus. Et ad Clerum Florentinæ Eccleſiæ: *Cùm Sacerdotes Eccleſiæ annoſam indicunt quibuſdam peccatoribus pœnitentiam, nunquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum redemptione menſuram, ut nimirum facinora ſua eleemoſynis redimant, qui longa jejunia perhorreſcunt? Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum Canonibus minimè reperitur, abſurdum eſſe & frivolum judicabitur?* Haſce eleemoſynarias Indulgentias, licet fateatur novas, conſtanter adſeverat legitimas. Quod ipſum confirmat in aliis ſuis operibus.

Et Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui ad decimi ſæculi finem ſedit, Pontius Montis majoris Eccleſiæ dedit ſummas Indulgentias, & addidit de publicè pœnitentibus: *Hic talis ad dictam Eccleſiam ſi venerit in die dedicationis ejus, aut ſemel in anno cum ſua vigilia, & adjutorium dederit ad opera Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, quæ modo noviter conſtruitur in prælibato monte, ex parte Domini noſtri* JESU *Chriſti, & ex noſtra, ſit abſolutus de tertia parte majorum peccatorum, unde pœnitentiam habet acceptam.* Exſtat Diploma apud Lucam Dacherium in ſexto tomo Spicilegii. Similes Indulgentias Magalonenſi Eccleſiæ Synodaliter dedit ad undecimi ſæculi exordium Gaufredus Archiepiſcopus Narbonenſis. Ita apud Philippum Labbæum habet antiquus Catalogus Epiſcoporum Magalonenſium, ad Epiſcopatum Arnaldi. Ex quibus vides non tantùm ſingulares, ſed etiam generales eleemoſynarias Indulgentias eſſe admodùm antiquas. Et quin ex æquis rationibus, & incertis Eccleſiæ neceſſitatibus ſint legitimæ, non eſt dubitandum. Hinc illas ad inveniendas pro Græcorum ad Synodum itinere neceſſarias expenſas dedit, & multis argumentis defendit etiam Concilium Baſileenſe. Vide ejus Epiſtolam, ſeu reſponſionem quintam & octavam. Et quòd eleemoſynæ ſint magnum & eminens Chriſtianæ pœnitentiæ opus, & ſatisfactioni non tantummodò faciant proximum, ſed ipſam quandoque etiam compleant, clamant omnes utriuſque Teſtamenti Scripturæ, & inſigniter demonſtrat Sanctus Cyprianus in ſermone de eleemoſyna.

His obſtare videtur in litteris ad Zozimum Peluſienſis Eccleſiæ Presbyterum Iſidorus Pe- Lib. 3. Ep. 260.
luſiota: *Vir quidam, cùm ad eum fuiſſet allatum, te paucis piſcibus à quodam, qui falſum jurarat, acceptis eum, quantum quidem in te erat,*

erat, crimine ſolvere minimè dubitaſſe, magnoperè ingemuit. Ejus dolorem affirmat fuiſſe juſtiſſimum, ac proſequitur: *Neque enim hoc perjurum crimine liberat, quòd muneribus placatus ſis; verum ſi ſua recuperet, qui ob perjurium læſus eſt. Quamobrem ſordidi quæſtus cauſa Divina oracula ne depraves, aut ſiniſtra interpretatione pervertas. Neque enim ea injuriam quidem inferre, Sacerdotibus autem munera offerre præcipiunt, ſed læſis ſe defendere rebus ipſis præſcribunt. Etenim illud, Si ligaveritis, de iis qui peccant eſt dictum; atque item, Si ſolveritis, de iis qui pœnitentia ducuntur. Crimine autem ſolvitur, non qui Sacerdotem delinit, ſed qui eum, cui illata eſt injuria, placat. Nam ſi Sacerdotibus hujuſmodi poteſtatem conceſſam eſſe arbitraris, iis qui peccant, delicta ſua propellere atque abſtergere minimè ſtudentibus, tum tyrannicum hoc oraculum videbitur, atque Sacerdotum dumtaxat commodum ſpectans, eorum autem, quibus injuria facta eſt, nullam rationem habens. Crudeliſſimi item ac inhumaniſſimi, qui Sacerdotii munere funguntur, quòd non omnes criminibus ſolvant.* Multis oſtendit has quæſtuarias abſolutiones ac remiſſiones adverſari Evangelio, eſſe Phariſaicas ſordes, & lepram Simoniacam, quæ Spiritum Sanctum non reddat peccatoribus, ſed longiſſimè ab ipſis abigat. Reſpondeo Zozimum fuiſſe ſceleratiſſimum ſpiritalium rerum nundinatorem, & hic de tribus præſertim argui. Primò, quòd pro ſe munera accepiſſet. Secundò, quòd impœnitenti perjuro feciſſet gratiam. Tertiò, quòd injurioſum perjurium citra reſtitutionem attentaſſet remittere. Quæ omnia tria damnantur ab Evangelio, & ab omnibus ſub cœlo Eccleſiis ſemper fuerunt condemnata. Porrò duriorem ſatisfactionis ſpeciem commutare in mitiorem, atque ita ob faciendas veris Chriſti pauperibus aut aliis verè piis cauſis eleemoſynas donare Indulgentiam, omninò permittit Evangelium. Dummodò fiat ex legitimis rationibus.

Eſt tamen res periculoſa, & obnoxia multis abuſibus. Etenim in ſua Lateranenſi Synodo ſtatuit Innocentius tertius: *Eleemoſynarum quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti, niſi Apoſtolicas aut Diœceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant, prohibemus*. Et infrà: *Qui ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint & diſcreti, nec in tabernis aut aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant aut ſumptuoſas expenſas, caventes omninò, ne falſæ Religionis habitum gerant*. Eleemoſynaria Indulgentia poſt inſtitutum ab Urbano ſecundo ſacrum bellum cœpit admodum frequentari. Dari cœpit omnibus, qui ſanctum illum Domini exercitum ſuis eleemoſynis adjuvarent. Extendi item ad ſuſtentanda pauperum hoſpitalia, reparandas Baſilicas, aliaſque cauſas ſimiles. Et tam à Romano Pontifice, quàm ab aliis Epiſcopis inſtituti ſunt Prædicatores, qui per ſingula oppida & pagos adjuvarent Indulgentias ſuis concionibus, & pœnitentium oblationes colligerent. Et hos iſta ætas titulavit Eleemoſynarum Quæſtores ac Prædicatores Quæſtuarios. Et hi pedetentim fuerunt

Cap. 62.

lapſi in jam dictos exceſſus. Et in ipſis fuerunt adeò pertinaces, ut corrigi debuerint per generale Concilium. Notanda ſunt verba: *Alios ſe mentiendo. Ne falſæ Religionis habitum gerant*. Quo populum in largas eleemoſynas circumſcriberent, iſti paraſiti aſſumebant Monaſticum habitum: Simulabant curios, & ex alienis peccatis vivebant Bacchanalia. Quos abuſus denuò compeſcere debuerunt Bonifacius octavus, & in Viennenſi Concilio Clemens quintus. Nec ſoli quorundam hinc indè Epiſcoporum, ſed etiam Romanorum Pontificum Quæſtores commiſerunt graviſſimos exceſſus. Etenim inter articulos, ob quos Conſtantienſis Synodus degradavit Joannem vigeſimum tertium, fuit & hic: *Dominus Joannes Papa Nicolao Mercatori, in legatione exiſtenti, conceſſit ut quibuſcumque hominibus utriuſque ſexus ad ſuæ libitum voluntatis deputare poſſet Confeſſores. Et quòd hujuſmodi Confeſſores abſolvere poſſent à pœna & culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus. Quas quidem prætenſas Indulgentias idem Mercator publicavit, & publicari fecit in certis locis, civitatibus, & villis: Utpotè Trajecti, Meclinia, Antverpiæ, & alibi. De quibus maximas pecuniarum ſummas exhauſit & extorſit, Chriſti fideles ſeducendo, & ſtatum ac vitam Eccleſiæ Catholicæ enormiter ſcandalizando*. Ita habes in undecima Seſſione laudati Concilii. Eadem in re exceſſiſſe Bonifacium nonum tradunt authentici Scriptores. Quinimmò in Mediolanenſis Ducatus hiſtoria Bernardinus Corius affirmat, quòd ad Joannis Galeatii Mediolanenſium Vice-Comitis preces dederit eleemoſynarium Jubilæum cum hac ampliſſima clauſula; *Ut in Vice-Comitis ditione unuſquiſque à quocumque abſolveretur peccato, etiamſi nec contritus eſſet, nec confeſſus*. Quod an verum ſit, ignoro. Etenim dum Robertum ſecundum Flandriæ Comitem ad Apoſtolicæ Sedi rebelles Cameracenſes ac Leodienſes armata manu domandos induxit Paſchalis ſecundus Pontifex, addidit ſuo Diplomati: *Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ Sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieruſalem pervenias*. In Apologeticis adversùs Paſchalem litteris Leodienſis Eccleſiæ Clerus horrendè damnat has Indulgentias ex vario capite, & concludit: *Undè hæc nova authoritas, per quam reis ſine confeſſione & pœnitentia offertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas?* De horrendo Clavium exceſſu Paſchalem manifeſtè calumniantur. Aliud enim Paſchalis non fecit, quàm ſacro adversùm Turcas & Saracenos bello datas ab Urbano ſecundo Indulgentias extendere ad hoc bellum Catholicæ pietatis. Extendere ad ſolos pœnitentes & confeſſos. An etiam Bonifacium nonum calumnietur Bernardinus Corius, relinquo aliis examinandum. Quidquid ſit, ex iſto, qualiſcumque fuerit, Bonifacii lapſu Joannes Launojus in epiſtola ad Chriſtophorum Fauvæum ſine fundamento conatur ſtabilire ſua de Apoſtolicæ Sedis fallibilitate commenta. Etenim non ex Cathedra egit iſta Bonifacius. Romana Eccleſia ejus infirmitates ingemuit & damnavit. Fuerunt delicta

non

non prædicationis, ſed converſationis. Parentum noſtrorum miſerias ſilentio honoremus. Eas corrigendas Conſtantienſis Synodus curavit. Etenim inter varios, quos per eligendum novum Pontificem voluit correctos, exceſſus fuit hic decimus ſeptimus: *De Indulgentiis*.

Ex ſimilibus interim Pontificum ac Epiſcoporum exceſſibus plures poſteriorum ſæculorum hæretici arripuerunt anſam impugnandi quaslibet Indulgentias. Imitati ſunt Montaniſtam Tertullianum. Eorum primi videntur fuiſſe Waldenſes, de quibus ſcribit Petrus Pilichdorffius: *Hæ-*
Cap. 30. *retici Waldenſes reprobant Indulgentias Prælatorum Eccleſiæ*. Et apud Anonymum, qui ipſos non inerudite revicit, authorem hic eſt eorum nonus error: *Indulgentiæ & remiſſiones, quæ per Epiſcopos fiunt, nullius ſunt utilitatis & momenti.* Audi primum & palmare erroris fundamentum: *Si benefactoribus alicujus loci remittitur tertia pars, vel hujuſmodi injunctarum pœnitentiarum, ergo remiſſiones illæ ſunt venales. Si quis enim ovum vel obolum dederit, erit benefactor. Et ſi datur illi remiſſio pro pecunia, venalis erit remiſſio, & remiſſionis gratia.* Alterum fundamentum: *Si duorum vel plurium annorum pœnitentia in unius oboli oblationem commutatur, & annorum plurimorum in horam breviſſimam, ergò Deus defraudatur.* Tertium fundamentum: *Si verum eſt quod de Indulgentiis dicitur, ergò eodem pretio longæ & graves pœnitentiæ, quo leves & breves, redimuntur.* Quartum fundamentum: *Hujuſmodi Indulgentias dans dat impunitatem peccandi. Quia homines impunè peccant, ſi tam levis, immò ridiculoſa ſit remiſſio peccatorum.* Quintum fundamentum: *Si Indulgentiæ eſſent in terra, tunc inſaniſſimi ſunt, qui transfretationes & alias longas peregrinationes ſuſcipiunt, ſi tres oboli tantùm eis proſunt.* Proindè Indulgentias, quas propter ſacri transmarini belli ſuſceptionem, aut alias laborioſas ad Sanctorum limina peregrinationes tunc dabat Eccleſia, videntur Waldenſes admiſiſſe, & improbaſſe ſolas quæſtuarias. Ab indiſcreta abuſus damnatione videntur fuiſſe abrepti ad damnandam ſimul ſubſtantiam.

Alterum contra Indulgentias errorem adducit Conradi Abbatis Uſpergenſis ſupplemen-
A. 1246. tum: *Hoc tempore fuerunt in Suevia Prædicatores, qui in Pontificem Romanum & Cardinales magna dicendi libertate os aperirent, Frederici ſecundi & Conradi filii cauſam juſtificantes, auſi dicere apud Summum Pontificem, Cardinales & Epiſcopos nullam reſidere authoritatem, quoniam omnes una labe Simoniæ maculati eſſent, nec quidquam tenere à Chriſto poteſtatis. Et quòd Sacerdotes in mortali conſtituti peccato neque ligarent, neque ſolverent, neque conſecrarent. Quòd nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet Divinis officiis: Quodque ſine diſcrimine ea audirentur, & celebrarentur impunè. Et in fine ſuæ prædicationis Indulgentiam, inquiunt, quam annuntiamus, non à Papa confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed ex Deo Omnipotenti vobis annuntiamus. Conrardus Rex, cùm tueretur hos Concionatores, penè incidit in capitis periculum.* Hæc prædicatio cœpit ſtatim poſt Lugdunenſe Concilium, in quo Innocentius quartus ab anteceſſore ſuo Gregorio nono excommunicatum Imperatorem Fredericum ſecundum degradavit. Facta enim fuit iſta Synodus decimi tertii ſæculi anno quadrageſimo quinto. An Simoniaci, quoniam Gnoſtica laborant hæreſi, & Spiritu Sancto ſunt penitus vacui, valida præter Baptiſmum conficiant Sacramenta, eſt antiqua quæſtio: Eam pluribus in Synodis Sanctus Leo nonus ac ejus ſucceſſores diſcuſſerunt, at non definierunt. Quanta inſolentia ac violentia Florentini Monachi ſuum Epiſcopum Petrum, & data per ipſum Sacramenta iſto tempore tractaverint, & quomodo ipſos multi populi fuerint imitati, eſt alibi declaratum. Sub quarto Innocentio adhuc pendebat quæſtio eadem: Et Petrus Lombardus, aliique Scholaſtici Doctores favebant turbulento errori. Ipſum enim exſtinxit tandem ac plenè ſepelivit Doctor Angelicus. Et hoc eſt omninò unum è magnis ejus in Eccleſiam beneficiis. Eundem igitur errorem arripuerunt turbidi illi defenſores Imperatoris Frederici, Romanam Eccleſiam infamarunt ac damnarunt de Simonia, blaterarunt ab ipſa amiſſum Spiritum Sanctum, exutam omni poteſtate clavium, nullum ab ipſa poſſe dari Sacramentum, nullam ferri cenſuram, nullam donari Indulgentiam, ideoque ab ipſa inflictam Frederico degradationem, & varia hinc indè ad ipſam firmandam & exequendam lata Eccleſiaſtica Interdicta eſſe frivola & vana Attentata. Garrierunt Fredericum adhuc eſſe legitimum Imperatorem, datum in Imperiali unctione Sanctum Spiritum, & ipſi & ipſius defenſoribus adhuc aſſiſtere, ideoque datas ab illo Spiritu Indulgentias à ſe prædicari. Sacrum bellum contumaci Frederico inferre & cunctis hujus militibus plenarias Indulgentias elargiri parabat Innocentius: Turbines illi has blaſphemabant, & meliores Frederici denſenſoribus datas ab ipſo Deo blaterabant. Blaterabant cum imperito Luciano: Et ex pejoribus fundamentis. Et adverſùm ipſos Doctor Angelicus docuit quævis per Simoniacos etiam & quoſvis Hæreticos data præter pœnitentiam Sacramenta eſſe firma & rata. Et veritatem admiſit omnis Eccleſia.

Nihilominus ex prava iſta radice prodiit & tertius error circa Indulgentias. Error Flagellantium, quorum apud Gangenhuyſen in Miſnia author fuit Conrardus Smidt, & qui ſeſe appellarunt Fratres Crucis. Ipſorum errores enumerat Magnum Belgii Chronicon, & hic eſt primus: *Eorum Secta dicitur Fratres Flagellantes, ſeu Fratres Crucis, & originem ex quibuſdam ſcripturis habet, per Angelos ſanctos ſuper Altari Beati Petri Romæ delatis circa annum Nativitatis Chriſti milleſimum trecenteſimum quadrageſimum octavum. Undè illi primò illo tempore per mundum diſcurrentes, ſe flagellis ceciderunt, & dixerunt Deum illo tempore Romanum Pontificem, cæteroſque Prælatos, ne deinceps populo Chriſtiano præeſſent, ſuſtuliſſe, eoſque omni auctoritate ligandi & ſolvendi, & quaſcumque res conſecrandi privaſſe. Et ut in expulſione negotiatorum de templo adverſus Chriſti propter malitiam Sacerdotum abjecit & repudiavit Sacerdotium Judaicum, ita in adventu Fratrum*

Cru-

Crucis propter Sacerdotum nequitiam Deum ſuſtuliſſe & abjeciſſe Sacerdotium Evangelicum. Eoque modo ſex Sacramenta Eccleſiæ ceſſaviſſe. Nempè omnia Sacramenta præter Baptiſmum, de quo fuit ſecundus articulus: *Quod in tranſitu Fratrum Crucis, videlicet quando primùm cum flagellis per mundum, Cruce eos præcedente, & ipſis ſe flagellantibus, tranſeunt, legem tum Baptiſmi in aqua extinctam à Deo, & legem Baptiſmi in proprio ſanguine inſtitutam. Aiunt enim, quòd Chriſtus in Cana Galilææ circa finem convivii nuptialis aquam mutavit in vinum rubeum: Eo ſignificari, quòd circa finem mundi Baptiſmus aquæ in Baptiſmum ſanguinis mutari deberet. Et ſicut vinum rubeum præ omni vino priùs poſito convivantibus magis placuit, ita novam legem Baptiſmi ſanguinis Deo præ omnibus legibus placere dicunt. Nec poſt prædictum tranſitum fuiſſe verum Chriſtianum, nec intrare quemquam potuiſſe in Regnum cœlorum, niſi qui proprio ſanguine de corpore ſuo per flagellum in memoriam paſſionis Chriſti ſponte excuſſo fuerit baptizatus.* Alia ſex Sacramenta non tranſmutarunt, ſed penitùs exſufflarunt, & hic fuit tertius articulus: *Ad remiſſionem peccatorum nihil prodeſſe confeſſionem Sacerdoti factam, nec per eundem abſolutionem, ſed quantumcumque enormia ſint peccata, ſufficere cum cordis contritione ſolam flagellationem proprii corporis. Undè omnes Indulgentiæ, per quemcumque conceſſæ, nullæ ſunt.* Spontanea per proprii corporis flagellationem pœnitentia non eſt antiquiſſima apud Eccleſias. Ejus primus auctor ad undecimi ſæculi exordium fuit Sanctus Dominicus Loricatus, ſanctiſſimus in Sancti Benedicti Ordine Anachoreta. Et paſſus multarum contradictionum obices, accuſatus de novitate. Ipſum verò defendit Sanctus Petrus Damiani, adeò potenter ac feliciter, ut iſtud pœnitentiæ genus omnis tandem Eccleſia probarit. Et omnia ferè Monaſteria in ſuos mores admiſerunt. Quare Flagellantium error fuit, quòd omnibus fidelibus garriret neceſſarium ad vitam æternam. Et quidem ſua hypocriſi turbarunt omnem Europam. Vagati ſunt etiam per Italiam, Galliam, atque Angliam. Et cum ipſis cucurrerunt etiam Epiſcopi. Etiam fœminæ ſuas turmas habuerunt. Et ſedentem Avenione Clementem ſextum Pontificem inſigniter terruerunt. Nec tantùm Eccleſiaſticis cenſuris, ſed etiam armata manu debuere compeſci, & fugari. Quòd fuerit duplex Flagellantium Secta, alia ſub Frederico ſecundo Imperatore ac Innocentio A. 1249. quarto Pontifice, alia ſub ſexto Clemente, rectè ſcribit in ſuis Annalibus Henricus Monachus Rebdorffienſis. Videntur eadem prædicaſſe. Turbidi illi pro degradato Frederico Prædicatores videntur fuiſſe Flagellantes. Quòd poſteriores non ſtatim ab exordio, ſed paulatim ſint lapſi in ſuos fœdiſſimos errores, atque ita in populi odium devenerint, idem Henricus teſtatur. Longa eſt hæc hiſtoria: Nec ſpectat ad hunc locum. Omnium horum errorum fons fuit Abbas Joachim, & ejus defenſor Joannes de Pervia, de quo Magnum Belgii Chronicon: *Joannes adfirmat, quòd Evangelium Chriſti & doctrinam novi Teſtamenti ad perfectionem perduxerit, & evacuari illa poſt mille ducentos ſexaginta annos, & anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo debeat inchoari doctrina Joachimi, quam nominavit Evangelium æternum, totam perfectionem hominum ſalvandorum illi attribuendo.* Ejus librum damnavit, & exuri juſſit Alexander quintus. Novum Joachimi Abbatis, quod poſtea Petrus Joannis Bitterrenſis reſumpſit, ac in multis alteravit, Evangelium largè exponit in Hæreticorum catalogo Guido Carmelita, Epiſcopus Majoricenſis. Ex iſto igitur peſſimo fonte ſuos Sacramentarios errores habent etiam Flagellantes. Et quia ſe videbant omni legitimæ miſſionis auctoritate deſtitui, ſibi à cœleſti Epiſtola factam Legationem nugaciſſimè garriverunt.

Quartus circa Indulgentias Erro fuit Joannes Wicleffus, cujus per Gregorium undecimum damnatis diſcipulis Henricus Chnychtonus adſcribit hos articulos: *Quòd Papa modernus Urbanus ſextus non gerit vices Beati Petri in terris,* Lib. 5. *ſed eſt filius Anti-Chriſti. Nec erat verus Papa à tempore Sancti Sylveſtri. Quod Papa non poteſt concedere aliquas Indulgentias: Nec Epiſcopi quicumque. Et quod omnes confidentes in hujuſmodi Indulgentiis ſint maledicti.* Epiſcopali perfectioni temporales poſſeſſiones adverſari cenſuit Wicleffus cum Arnaldo Brixienſi, ideoque omnem Epiſcopalem poteſtatem à Magni Conſtantini, qui iſtis ditavit Eccleſias, Baptiſmo credidit evanuiſſe. Hinc & hos ejus articulos damnavit Conſtantienſis Synodus: *Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti. Sylveſter Papa & Conſtantinus magnus erraverunt ditando Eccleſiam.* Et alios ſimiles. Etiam hunc: *Poſt Urbanum ſextum non eſt recipiendus aliquis in Papam, ſed vivendum more Græcorum ſub legibus propriis.* Wicleffus videtur non tantummodo Sanctum Sylveſtrum, ſed etiam ſextum Urbanum agnoviſſe legitimum Pontificem, atque ità à ſuis diſcipulis inſigniter diſſonare. Immò etiam à ſemetipſo. Etenim ſi Eccleſiæ ditatio ſit contra Chriſti regulam, Sanctus Sylveſter ac omnes ejus Succeſſores ſunt profeſſi hæreſim, in ipſa perdurarunt, adeoque non fuerunt Pontifices. Etiam hos articulos ille docuit: *Conſulendum eſt fidelibus, quòd non petant Curiam Romanam, vel Avenionem ad Papales Indulgentias, vel abſolutiones à pœna & culpa ſibi vel aliis impetrandas. Quia Dominus totius mundi non vult in tali brevi vel anguſto loco coarctari, ſed in cœlo exiſtens perpendiculariter cuilibet vigilanti eſt paratus ad lumen ſuæ gratiæ influendum.* Cenſet Indulgentias non petendas ab Epiſcopis, ſed à ſolo Deo. Audi alium articulum: *Quantum ad Indulgentias, privilegia, & regulationem Eccleſiæ in lege nova, patet quod foret expediens toti Eccleſiæ, quòd omnes novitates ejuſmodi ſint ſopitæ. Omnia enim talia videntur eſſe phantaſmata, nec fundata rationibus, nec ſcripturis.* Et hunc: *Sicut Chriſtus injunxit adulteræ, quòd nolit amplius peccare, ita videntur & Confeſſores debere injungere pœnitentiam confitenti. Quia nulla eſt Pœnitentiaria, à qua capi poteſt certior pœnitentia injungenda.* Agit Martini Lutheri Magiſtrum, docet optimam pœnitentiam eſſe novam vi-

vitam, adeoque nullis opus eſſe ſatisfactionibus ac Indulgentiis.

Quintus circa Indulgentias Erro fuit Magiſter Joannes de Weſalia, Concionator Eccleſiæ Wormatienſis, cujus hi fuerunt errores: *Joannes Indulgentias nihil eſſe credit*. Docuit & hunc articulum: *Si quis confiteatur, injungitur illi ardua pœnitentia, ut peregrinetur Romam, vel ad alia remotiora loca, ſtrictum jejunium, & quòd dicat multas orationes. Quod Chriſtus non fecit, ſed ſolùm dixit: Vade, noli ampliùs peccare. Sic gravata eſt Chriſtianitas per humanas leges & conſtitutiones*. Etiam ipſe cenſuit optimam pœnitentiam eſſe ſolam novam vitam. Porrò quale iſto tempore apud Germanos fuerit Concionatoris officium, exponit Conrardi Abbatis Uſpergenſis Supplementum: *Inſtitutum eſt officium prædicaturæ in templo Argentoratenſi, ſub Ruperto Duce Bavariæ, Epiſcopo Argentoratenſi. Ad quam* A. 1478. *rem Petrus Scultus, Conſul Argentoratenſis, vir integerrimus, impenſas non mediocres præſtitit, ſupra ſeptingentos florenos. Et operam dedit, ut Joannes Gyler de Keyſerperght Theologiæ Doctor ad munus illud primus vocaretur, qui triginta annis præfuit & profuit. Et quod de Origene fertur, qualem habuit ſermonem, talem habuit & vitam*. Iſtud ergò munus ad ejuſdem ſæculi annum ſeptuageſimum nonum Joannes de Weſalia habuit in Eccleſia Wormatienſi, & illic non ſcripto, ſed verbo effutivit ſuos errores. Et per Gerardum Elten, & Jacobum Springer, ex Prædicatorum Ordine Doctores Theologos, & contra hæreticam pravitatem Inquiſitores, fuit prohibitus & caſtigatus. Nempè tunc Joannis Wicleffi virus incipiebat ſpargi per Germaniam.

Sextus circa Indulgentias Erro fuit Magiſter Joannes Weſſelus, Friſo, Groningenſis, Doctor Pariſinus, vulgò dictus. *Lux mundi*: Ob eminentem ſcientiam. Edidit plures reverà eruditos libros, enumeratos per dictum Uſpergenſis Abbatis Supplementum, & inter ipſos fuerunt hi: *De Sacramento Pœnitentiæ. Et quæ ſint claves Eccleſiæ? De poteſtate ligandi & ſolvendi. Quæ ſit vera communio Sanctorum? De theſauro Eccleſiæ. De participatione ac diſpenſatione hujus theſauri. De Fraternitatibus*. Utpotè quæ paſſim gaudeant multis ac magnis Indulgentiis. Reverà fuit vir eruditus. Affirmat varia. Primò, Indulgentiarum nullam eſſe memoriam in ſacris litteris, nullam in Sancto Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, aut aliis Patribus. Omnes Sancto Thoma Aquinate, & Magno Alberto vetuſtiores Magiſtros affirmat *ab hac nova Indulgentiarum aſſertione diſceſſiſſe, aſſerentes nihil eſſe aliud, niſi piam fraudem, & dolum non malum, quo Plebs officioſo errore trahatur ad pietatem*. Indulgentias, quas Magnus Gregorius paſſim dicitur dediſſe Romanis Stationibus, proſcribit ad Apocrypha. Secundò affirmat ipſarum omninò eſſe in ſacris litteris memoriam, ſed quæ ipſas improbet & damnet. Etenim in ſecunda Epiſtola Sanctus Petrus Apoſtolus affirmat noſtram vocationem non fieri certam, nec nobis in Chriſti regnum dari introitum, niſi per bona Chriſtianæ Juſtitiæ opera, ideoque Indulgentias non prodeſſe. Affirmat illam eſſe primam Romani Pontificis Indulgentialem Bullam, cui nullus poſterior adverſari poſſit aut prævalere. Tertiò aſſerit Indulgentias non ſpectare ad Apoſtolicas juriſdictionis Claves, ſed ad poteſtatem & opus operatum ſacri Ordinis. Et probat ex quarta conſideratione Joannis Gerſon in tractatu de Indulgentiis: *Poteſtas clavium Eccleſiæ Sacramentalis & in foro conſcientiæ eſt eminentior, utilior, ac eligibilior in collatione Indulgentiarum, quàm ſola poteſtas judicialis*. Quia nempè per ſacramentalis Reconciliationis ex opere operato virtutem æterna pecti pœna commutatur ac mitigatur in temporalem, & per eandem Chriſtianæ Regenerationis virtutem pleniſſimè aufertur. Hanc cenſet unicam, veram, ac omni per Papales Bullas data firmiorem Indulgentiam: Et in ipſa danda omnem Parochialem Presbyterum eſſe Romano Pontifici æqualem. Quartò aſſerit temporalis pœnæ, non minus quàm ipſius culpæ remiſſionem eſſe privativè reſervatam Divinæ Majeſtati. Et probat: *Quæ immediatè inter Deum & hominem geruntur, hæc ſibi Deus dijudicanda reſervavit*. At verò hujuſmodi ſunt peccatorum remiſſio, ad ipſam requiſita cordis converſio, & pro remiſſis peccatis ſatisfactio. Hinc infert *Papam non ampliùs poſſe ſuper pœnis relaxandis quàm ſuper peccatis remittendis*. Addit & aliud argumentum: *Qui quæ intra hominem ſic aguntur, ut nullis indiciis foris pateant, ſcire non poteſt, dijudicare non poteſt. Quando purgandus oculus, aut quam purus eſſe debeat, quo dignus inveniatur videre Deum, oculus mortalium definire non poteſt. Quæ Papa de ſe ipſo definire non poteſt, hæc non poteſt in aliis judicare. Qui neque poteſt, neque debet, ſi vul judicare, peccat & errat: Et judicium eſt nullum, velut à non ſuo Judice latum. Omnis dictus ex taliter nullo judicio ſequens eſt etiam nullus. Plenaria remiſſio prærequirit judicium de perfectè purgato mentis oculo: Undè non efficacior illa remiſſio, quàm ſit illa præcedens dijudicatio*. Agit in plenarias Indulgentias, quibus legitimis ac validis credimus citra omnem obicem patere januas Regni. Regni ingreſſus prærequirit plenam ex toto corde dilectionem, & ab omni terreno amore mundatum cordis oculum: Hæc ſecretiſſimè, ac omninò inſenſibiliter aguntur in homine, ideoque Magiſter Weſſelus cenſet illa ad Indulgentiale Pontificis judicium non pertinere.

Huc etiam ſpectant ejus ſequentes articuli: *Multos verè confeſſos, contritionem & Indulgentialem conditionem executos, eſſe verè parvulos in Chriſto, verè adhuc valde informes Chriſto, multo partu opus habentes, antequàm in eis Chriſtus formetur. Papam nulla poteſtate arbitraria poſſe perfectè Chriſtum formare in parvulis ac imperfectis. Papam non poſſe evacuare quod ex parte eſt, & non poſſe facere, ut veniat quod perfectum eſt: Non poſſe facere de viatore comprehenſorem, nec poſſe viatorem perfectum etiam in termino vitæ conſtituere*. Pergit impugnare plenarias Indulgentias. Perſiſtit adſerere, quòd ad Regni ingreſſum plena requiratur dilectio, plenaque mundi-

tia

tia ab omnibus terrenis amoribus: Hinc infert Papam, qui iſta dona non poſſit infundere, etiam donare non poſſe plenas Indulgentias. Quæ ſua ſenſa confirmat per multos articulos. Etiam per hos: *Neque Prælatorum authoritas, neque Sacramentorum veritas in hac vita immunem conſtituunt à peccato. Qui non poteſt immunem à peccato reperire, non poteſt immunem decernere.* Utique donando plenas Indulgentias. Hinc ex iſta donatione ſic infert & argumentatur: *Poteſt igitur Papa per ſuas Indulgentias Divinæ Juſtitiæ, Divinæque Miſericordiæ derogare. Sed hoc eſt impoſſibile, niſi Deus præjudicet Divinæ Sapientiæ. Sed hoc nonniſi per propriam ſtultitiam & errorem. Quod ſi faciat, ſcandalum præbet puſillis.* Noſtras pro peccatis ſatisfactiones affirmat Divinæ Majeſtati deberi ex rigida juſtitia, ipſas non niſi per ipſam Divinam Miſericordiam remitti poſſe aut temperari, ideoque hoc attentantem Papam in utrumque Divinæ gloriæ Attributum excedere. Qui libri perierunt, præter Apologiam adversùs Jacobum Angularem, Naelduicenſis Eccleſiæ Decanum qui Indulgentias contra ipſum defenderat. Hanc, ac etiam deſumptos ex aliis ejus libris plures devios articulos vulgavit Melchior Goldaſtus.

Martini Lutheri hæreſis eſt omnibus abundè nota. Graſſabantur tunc plures Indulgentiarum abuſus. Ex his ille arripuit anſam ad impugnandam ipſarum etiam ſubſtantiam. Hinc lapſus eſt & in alios errores. Rem deſcribit in libro de bello Smalcaldico Joachimus Camerarius: *Motum eſt hoc* Lutherani ſchiſmatis *negotium ab initio ex improbis & ad quæſtum paratis nundinationibus; cùm nonnulli audaces, vel potiùs impudentes homines, nomine Papæ abuterentur ad decipiendos ſimplices & religioſos Germanos, ex quorum ſuperſtitione mercedem ſpontè oblatam illi tanquam fructum aliquem colligerent.* Horum Quæſtorum inſolentias exponit, atque proſequitur: *Venales proponebantur defunctorum animæ, quas licebat redimere certo ſoluto pretio, & peccatis ſuis quiſque qualibuſcumque hanc veniam impetrare poterat numerata pecunia, quantam inſtitor petebat. Ac nummi collecti ab illis negotiatoribus inſumebantur in varias voluptates, cùm de Germanorum ſtolidorum opibus animo illi quieto delicatiſſimè viverent. Hæc autem mercatura vocabatur venia peccatorum.* Quæ omnia etiam adducit in ſua ad Adrianum ſextum Pontificem legatione & querimonia Nurembergenſis Germanorum Procerum Conventus. Affirmat harum, & quidem ſæpiùs iteratarum, Indulgentiarum fucum fuiſſe Romanæ urbis reparandas Baſilicas, au inferendum Turcis bellum, per ipſas omnem Germaniæ & pecuniam & pietatem eſſe exhauſtam, inductam omnem criminum impunem licentiam, & omnem hunc quæſtum in Romanorum Pontificum conſanguineos malè periiſſe. Eoſdem exceſſus acerrimè inſectatur in Citizenſis Eccleſiæ Chronico Paulus Langius, circa Martini Lutheri doctrinam ceſpitat, at-
A.1513. que adjungit: *Sed cum ſui, & ego, more ſuſpenſus multorum, qui uſque per œcumenicum Concilium, quid in tam ardua re tenendum ſit, decretum fuerit, paratus nihilominus & modò & ſemper à rectè ſapientibus doceri, quorum etiam, & potiſſimum Romanæ Eccleſiæ judicio ſcripta mea examinanda & corrigenda ſubjicio.* Omnes præſertim queruntur circa exceſſus in defunctorum Indulgentiis. Quos ipſos contra Calixti tertii & Julii ſecundi exceſſus paucis ante Lutherum annis fecerat Legatio Imperatoris Maximiliani. Exceſſus videtur incœpiſſe à Clemente quinto, de quo ſcribit Joannes Weſſelus: *Doctores Pariſien-* Cap.6.
ſes temeritatem illam Angelis in cœlo præcipientem, reprehenderunt & correxerunt, qui cruce ſignatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiebatur. Et in alio ejuſdem adversùs Jacobum Angularem libri capite: *Palàm Reverendiſſimus ille* Florentinorum Archiepiſcopus, *& magnus Indulgentiarum defenſor Antoninus confitetur copias Bullarum Clementis totam continere exorbitantiam, quòd non credat fuiſſe bullatas. Quæ tamen hodiè Viennæ, Lemovicis, Pictavis, plumbatæ in theſauro privilegiorum reſervantur.* Plures exſtant ſimiles etiam Catholicorum querimoniæ.

CAPUT V.

Demonſtratur Indulgentiarum donatio fuiſſe uſitata etiam ab Apoſtolis.

QUæſtio prima eſt, An in Sacris Novi Teſtamenti litteris nulla ſit Indulgentiarum memoria? Rationem dubitandi facit idem Sanctus Antoninus, de quo Joannes Weſſelus pergit: *Studioſiſſimus ille Chronographus Antoninus planè confitetur ſe nondum inveniſſe, quando Indulgentiæ habuerint initium.* Et cum aliis Juriſconſultis Joannes Andreas cenſet illas cœpiſſe ab octavo Bonifacio. Etiam Jacobus Angularis fatetur nec in Sacris litteris, nec in antiquis Eccleſiæ Patribus reperiri ipſarum memoriam, ideoque ipſas nititur fundare in Traditione. Reſpondeo ipſas omninò laudari in Sacris litteris. Etenim de incœſtuoſo Corinthio in prima ad Corinthios epiſtola ſcripſit Apoſtolus: *Tradidi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri* JESU *Chriſti.* Exponit in quinta decima homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Non dixit Apoſtolus ipſum dedere Satanæ, ſed tradere, ei aperiens portas pœnitentiæ, & tanquam pœdagogo eum tradens.* Et ad verba, *In interitum carnis,* ſcribit: *Quomodo factum eſt Beato Job. Sed non pro eadem cauſa. Nam illic quidem pro ſplendidioribus coronis, hic autem pro ſolvendis peccatis. Ut eum flagellet malo vulnere, aut alio morbo.* At verò alibi dicit: *A Domino judicamur hìc patientes. Sed hìc eum vetans magis tangere, tradit Satanæ.* Et in quarta ſuper ſecundam epiſtolam homilia ſcribit: *Cùm incæſtuoſum amputari jubebat Apoſtolus, ei indulgendi arbitrium Corinthiis non permiſit.* Ei inflixit perpetuam totius vitæ pœnitentiam, & Spiritus ſalutem remiſit ad diem

diem Domini, ad ſupremi in Patris dextera Pontificis JESU Chriſti tribunal. Nefandam iſtam mœchiam reſervavit Chriſto Domino, & nec in exitu voluit per Sancti Petri claves abſolvi. Ex quo vides hanc primævam & rigidam Patrum diſciplinam ducere originem ab Apoſtolis. Et tamen de eodem mœcho ſcripſit idem Paulus in Cap.2. ſecunda epiſtola: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donavi, propter vos, in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Et laudatus Chryſoſtomus commentatur: *Non ſolùm id Apoſtolus jubet, ut objurgationi finis imponatur, ſed ut etiam ad priorem ſtatum reducatur. Etenim ſi quis eum, qui verberibus cæſus eſt, tantummodò miſſum faciat, nec ei medeatur, nihil fecit. Vide autem quoniam rursùs modo illum quoque coerceat, ne ob condonatum peccatum fiat deterior. Nam quamvis peccatum confeſſus fuerit, ipſiuſque eum pœnituerit, oſtendit tamen eum non tam pœnitentiæ opera, quàm gratia & beneficio veniam conſequi. Ob id ait: Donetis & conſolemini. Et quod ſequitur, idem declarat. Non enim, inquit, quòd id promereatur, nec quòd eam, quam par eſt, pœnitentiam præſtiterit, ſed quia infirmus eſt, ideo hoc peto.* Affirmat varia. Primò, quòd per objurgationem Apoſtolus intelligat publicam pœnitentiam. Secundò quòd ipſa fieret à pluribus. Hanc enim pœnitentiam non à ſolo Epiſcopo, nec item à ſolo Clero, ſed etiam à cunctis Stantibus Laicis fuiſſe ſuo adhuc tempore taxatam & fixam, frequenter ſcribit Sanctus Cyprianus. Tertiò dicit Chryſoſtomus, quòd iſti pœnitentiæ finem impoſuerit Apoſtolus, ac reſtantem adhuc partem remiſerit. Quartò, quòd gratioſè remiſerit. Quintò, quòd mœchum curaverit Sacramentaliter abſolvi ac reponi in communionem Eccleſiæ. Sextò, quòd id fecerit cum tanta moderatione, ut exindè nec ipſe mœchus, nec quis alius arriperet impunitatis ſpem aut occaſionem peccandi. Septimò, quòd hanc gratiam fecerit ex mera commiſeratione infirmi hominis.

Ad dandas, inquam, Indulgentias Apoſtolus in hoc pœnitente mœcho attendit duo: Pœnitendi ſtudium, ac humanam infirmitatem. Hinc ad ejus verba, *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur*, pergit Doctor Chryſoſtomus: *Quæ verba ſunt hominis magnæ pœnitentiæ teſtimonium ipſi tribuentis, nec eum ſinentis ruere in deſperationem. Quid eſt autem, Abſorbeatur? Nempè vel hoc faciens quod à Juda factum eſt, vel etiam, ſi vitæ uſura fruatur, deterior factus. Etiamſi enim reſiliet, inquit, quod contractum ex longiori objurgatione dolorem non ampliùs ferre queat, ac deſperata ſalute, aut in laqueum, aut in majorem deinceps improbitatem ruet. Itaque occurrendum eſt, ne ulcus ingraveſcat, neve id quod rectè atque ex virtute fecimus, ob neglectum modum amittamus. Hæc autem eò dicebat, ut & illum coerceret, & admoneret, ne poſt impetratam veniam ignavior fieret. Non enim, inquit, eum ita excepi, quaſi contractas ſceleris ſordes penitus abſterſerit, ſed quòd verear, ne gravius aliquid in ſe admitteret. Ex quo illud diſcimus, non ex ſcelerum tantùm natura, ſed etiam ex eorum animo atque affectione judicandam eſſe pœnitentiam, quemadmodum tum quoque fecit Apoſtolus, quòd ipſius imbecillitatem pertimeſceret.* Affirmat ad rectè faciendam pœnitentiæ impoſitionem aut remiſſionem non ſolam criminis gravitatem aut levitatem, ſed etiam criminoſi infirmitatem aut robur eſſe attendenda. Quam regulam ſecutus eſt etiam Sanctus Cyprianus. Etenim inter varias, ob quas lapſis indulgendum cenſuit, cauſas frequenter ponit & hanc: *Ne Eccleſiam deſerant, ac gentiliter vivant.* Ne mireris quòd iſti pœnitenti Apoſtolus timuerit Judæ deſperationem & laqueum. Etenim hæc Apoſtoli verba, *Ut firmetis in eum charitatem*, exponit Chryſoſtomus: *Hiſce verbis ſummæ virtutis teſtimonium Corinthiis tribuit. Siquidem ii, qui hominem uſque adeò amabant ac tuebantur, ut etiam animis inflarentur, adeò rursùs eum averſati ſunt, ut tantoperè laborandum Paulo fuerit, ut in eum firmarent charitatem.* Hic eſt igitur ille homo, cujus cauſa ſcripſit in prioribus litteris Apoſtolus: *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrum, qui hoc fecit.* Erat grandis Corinthiorum Presbyter & Doctor, de cujus gloria inflabantur, ideoque ejus flagitium volebant diſpenſatoriè diſſimulatum. Et hinc non malè educitur, quod in primo Apoſtolicæ prædicationis exordio majores Clerici novas etiam poſt ſacrum Ordinem nuptias poſſent inire. Nec enim conjugium, ſed ſolum incœſtum damnavit in iſto homine Apoſtolus. Et quia ille ex tanto Eccleſiæ gradu deciderat quaſi in nihilum, per nimium mœrorem fecit ſe de Judæ Traditoris deſperatione ſuſpectum. Nam quòd olim quidam etiam ad publicam pœnitentiam damnati, & ad ipſam peragendam in cuſtodia concluſi Hiſpani ſemetipſos deſperati ferro aut laqueo peremerint, teſtatur ac damnat decima ſexta Synodus Toletana. Cap.4.

Has Apoſtoli voces, *Donavi in perſona Chriſti*, Chryſoſtomus variis modis commentatur: *Hoc eſt, ad gloriam Chriſti, vel tamquam Chriſto hoc etiam imperante. Id quod ſummum ad permovendos eorum animos momentum habebat. Proptereà quòd jam Indulgentiam non adhibere in negotio, quòd ad Chriſti gloriam pertineret, ac ipſi placeret, vererentur.* Et iterùm: *Hoc eſt, ſecundùm Deum, vel ad Chriſti gloriam.* Per Chriſti perſonam alibi intelligit Chriſti Domini nomen, virtutem, ab ipſo datam Apoſtolicam poteſtatem. Et ex his vides Corinthi Epiſcopum & Clerum ad dandam Indulgentiam fuiſſe difficiles. Hinc addit Apoſtolus: *Propter quod obſecro vos.* Laudatus Joannes exponit: *Non jam imperat Apoſtolus, ſed obſecrat, non ut Præceptor, ſed ut æqualis, atque illis*, utique Corinthiorum Epiſcopo & Clero, *in judiciario ſubſellio poſitis & conſtitutis ipſe in patroni ordine atque loco ſe collocavit. Quoniam enim id, quod in animo habebat, confecerat, præ gaudio jam modum in ſupplicando excedit.* Et adjunxit Apoſtolus: *Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam ex-*

pe-

perimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Lapſum Presbyterum ad perpetuam ac ſolemnem pœnitentiam dejicere Corinthii primo detrectarant, & ad Apoſtoli juſſum tandem admiſerant. Nunc vela vertebat Apoſtolus, ipſumque mandabat recipi in fratrem. In ejus judiciis videbatur eſſe *eſt* & *non*. Hinc laudat Corinthios, quòd in omnibus ſibi obediant. Huc etiam ſpectant hæc verba: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego*. Doctor Chryſoſtomus elucidat: *Vides quo pacto Apoſtolus rursùm poſteriores ſibi tribuit, illos videlicet duces atque auſpices, ſe verò comitem dumtaxat oſtendens. Sic nimirùm exacerbatus animus mitigatur: Sic durus animus emollitur*. Ipſe nec per ſemetipſum indulgere, nec Epiſcopum compellere ad indulgendum voluit: Exemplum dedit, quòd circa ſibi ſubditos Epiſcopos Patriarchæ & Primates debeant imitari. Pergit Apoſtolus: *Nam & quod donavi, ſi quid donavi, propter vos*. Et Joannes Chryſoſtomus: *Poſtea ne ſupinos & ignavos eos reddat, ut penes quos negotii ſumma ſit, atque illum haudquaquam miſſum faciant, ad hoc ipſos impellit, dum ait ſe quoque illi condonaſſe*. Et infrà: *Illius qui peccarat abſolutionem Apoſtolus ſibi & illis arrogat*. Quæ omnia Sanctus Joannes Chryſoſtomus confirmat in oratione, qua exponit verbum Apoſtoli: *Sufficit tibi gratia mea*. Et ex his manifeſtè lucet hìc ab Apoſtolo donatas fuiſſe Indulgentias, & hanc omninò eſſe Bullam indulgentialem. Magiſter noſter Joannes Weſſelus primò formalis, deinde realis, tandem nominalis fuit Theologus, atque ita in iſtis quiſquiliis, quam in Evangelicis ac Apoſtolicis litteris verſatior. Indulgendi poteſtas ſpectat ad remiſſionem peccatorum, ideoque nobis data eſt à reſuſcitato è mortuis Domino per verba: *Quorum remiſeritis peccata*.

Secunda quæſtio eſt, An proximi Apoſtolorum Succeſſores Epiſcopi, ac alii Eccleſiæ Patres ſint hac poteſtate conſtanter uſi? Reſpondeo fuiſſe uſos. Lucet ex adductis ſuprà teſtimoniis, præſertim Tertulliani, Sancti Cypriani, Romani Cleri, ac etiam Sancti Pontificis Cornelii. Quæ omnia inſigniter apud Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Eccleſiaſticam Hiſtoriam confirmat antiquus, quem Sanctus Hieronymus meritò appellat diſertiſſimum, Eccleſiæ Scriptor Apollonius, de Montaniſtarum Pſeudo-Prophetiſſa Maximil-
Lib. 5. la, ac ipſorum Pſeudo-Martyre Alexandro ſcri-
Cap. 17. bens: *Dicat nobis ipſa Prophetiſſa de Alexandri facinoribus, qui ſe Martyrem prædicat, & quem ipſa convivio excipit familiariter, quem etiam alii complures adorant, cujus latrocinia & alia flagitiorum genera, pro quibus debitas pœnas perſolverit, nihil noſtra intereſt commemorare, præſertim cùm in ipſas tabulas publicas ſatis accuratè relata ſint. Igitur quiſnam iſtorum alterius condonabit peccata? Prophetanè Martyri latrocinia, an Martyr Prophetiſſæ avaritiam?* Quod enim Montaniſtæ munera non tantùm acciperent, ſed etiam exigerent à ſeductis populis, idem Apollonius demonſtrat. Laudat antiquam Eccleſiæ formam, qua lapſi à Martyribus Indulgentiales libellos impetrabat. Eoſdem apud eundem Euſebium laudat in litteris ad Fabium Antiochiæ Patriarcham Sanctus Dionyſius Patriarcha Alexandrinus. Diverſos ſuæ Eccleſiæ ſub Decio Tyranno Martyres enumerat, atque adjungit: *Illi divini Martyres, qui jam Chri-
ſti tanquam Aſſeſſores ſunt, & Regni ejus conſortes,* Lib. 6. cap. 34.
participes judicii, & illius in judicandis hominibus ſententiam approbantes ferunt, dum erant apud nos, nonnullos è fratribus, in quibus crimen ſacrificandi Idolis hærebat, quique à fide excidiſſent, cùm eorum converſionem ac pœnitentiam perſpicerent, ipſamque poſſe acceptam fore ei, qui omninò non vult mortem peccatoris, ſatis exploratum haberent, ad ſe denuò admittunt, recipiunt in Eccleſiam, conventus cum illis celebrant, ineunt ſocietatem, precum & epularum unione una utuntur. Quid igitur conſilii nobis datis? Quid cenſetis nobis agendum? Pendebat tunc Novatianenſis contra Romanam Eccleſiam ſchiſmatica atque hæretica de lapſis recipiendis quæſtio. Et non tantùm in Italia & Africa, ſed etiam in Ægypto & Oriente lapſi adhærebant Apoſtolicæ Sedis clementi judicio, indulgentiales libellos ſupplicabant à Martyribus, ipſos Martyres dabant, Epiſcopi paſſim exequebantur, & omnis populus comprobabat. Hinc Fabii de tanta quæſtione judicium exquiſivit Dionyſius. Nota hæc ejus ibidem verba: *Inſtitutum refringemus?* Omninò reſpiciunt novellum tunc Romanæ Eccleſiæ Decretum.

Quæſtio tertia eſt, An etiam adeundi carceris, & illic à Martyribus Indulgentiam ſupplicandi mos ſit antiquus & Apoſtolicus? Reſpondeo affirmativè. Etenim Tertullianus,
temporibus Apoſtolicis vicinus, in libro ad Mar- Cap. 11.
tyres laudat hunc morem, uti antiquum. Quod ipſum palàm facit in devio libro de pudicitia. Hunc eſſe antiquum morem, diſertè ſcribit et-
iam Sanctus Cyprianus. Et Indulgentiæ, quam Ep. 11.
lapſo Corinthiorum Doctori dedit, Apoſtolus addidit: *Donavi propter vos*. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus exponit: *Quid igitur? An ut ab hominibus gratiam iniret, ipſi ignovit? Minimè. Ideò adjecit: In perſona Chriſti. Hoc eſt, ſecundùm Deum vel ad Chriſti gloriam*. Harum litterarum tempore quidem apparuerant varia Gentilium in Chriſtianos odia & perſecutiones, necdum tamen plena à Romano Imperio Martyria. Et Corinthiorum cum Epiſcopo Clerus erat alienus ab hac Indulgentia, & per multa Apoſtoli argumenta debuit ad ejus impartitionem parari ac induci. Proindè honorati ejuſdem Eccleſiæ Laici Apoſtolo ſupplicarant, & meruerunt exaudiri. Et lapſus Presbyter iſtis Laicis pro iſto interventu haud dubiè ſupplicarat. Poſt hanc Epiſtolam ſtatim ſucceſſit Neſtoriana perſecutio, plurimoſque nobis dedit Martyres: Chriſtianæ fidei Proceres, Heroes, atque Primates. Hinc ad ipſos ſtatim cœperunt lapſi confugere, & commendatitias, quales iſti Corinthio dederat Apoſtolus, litteras ad ſuos Epiſcopos ſuppliciter flagitare. Et hunc morem duraſſe uſque ad Conſtantini tempora, docent antiqua Sancti Daviri, ac aliorum ſub Anulino Africæ Proconſule paſſorum Acta, in quibus ſcribitur de Menſurio Carthaginenſi Archiepiſcopo: *Combuſtorum veniam librorum à Martyribus poſcere & implorare debuerat*. Iſte eſt Anulinus, in Donatiſtarum

Actis & Sancti Optati ac Sancti Auguſtini ſcriptis notiſſimus, ad quem Magnus Conſtantinus dedit varias litteras & leges.

Et hinc prodiit Chriſtianorum temporum mos, quem in libro adverſùm Waldenſes laudat Petrus
Cap. 30. Pilichdorffius: *Has Indulgentias, licet ad diverſa loca, & pro diverſis operibus pietatis Prælati Eccleſiæ dare valeant, tamen crebriùs eas conferunt in locis, ubi ſanguis plurimus Martyrum effuſus, ut factum eſt Romæ, & alibi. Ergo Romipetæ & alii peregrini, pia intentione & recta illuc venientes, merentur eas. Nam illa Romana Civitas ſpecialiter à Domino eſt electa, ubi non ſolùm plurimus plurimorum Martyrum ſanguis, ſed etiam glorioſorum Principum Petri & Pauli eſt effuſus.* Uti primi fideles ad deſignatos Martyres & ipſorum metalla confugiebant & carceres; ita nos peccatores ad conſummatos Martyres habemus confugium, & per ipſos à noſtris Epiſcopis, & præſertim ab ipſa Divina Majeſtate, ac ejus ad dexteram exaltato noſtro ſupremo Epiſcopo veniam peccatorum ſupplicamus atque impetramus. Noſtri Epiſcopi, de ipſorum in nos pietate confiſi, aperiunt Eccleſiæ theſaurum, ac nobis impendunt. Qui mos eſt omninò antiquiſſimus. Etenim in quinto Sancti Joannis Chryſoſtomi tomo exſtat Sermo, cui hic titulus: *Cùm Epiſcopus Martyrum diem ruri celebratum abiiſſet, habitus eſt in urbe ſermo ad Martyres.* Extollit Martyrum merita, & adjungit de ipſorum reliquiis: *Thecas igitur illas cum fide complectamur, inardeſcamus mente, gemitus profundamus. Multa ſunt à nobis admiſſa delicta, & magna ſunt noſtra peccata. Proptereà multa medicina, & diligenti confeſſione indigemus. Effuderunt ſanguinem ſancti Martyres, oculi tui lachrymas tibi effundant. Poſſunt & lachrymæ peccatorum ſigna exſtinguere.* Multis exhortatur ad ſeriam apud Martyrum thecas pœnitentiam. Antequam populum ad ſuburbanam Martyrum Baſilicam educeret, declamavit iſtum ſermonem, atque ita populum ad ejuſmodi confeſſionem & pœnitentiam præparavit. Lucidius ſe exponit in ſermonibus ad Antiochenum populum. Etenim in Sanctorum Martyrum, quos Imperator Julianus trucidarat, Juventini & Ma-
Hom. 40 ximi feſto declamat: *Heri beatus Babylas,* ab Imperatore Numeriano trucidatus Antiochiæ Patriarcha, *cum tribus pueris nos hic congregabat, hodie verò par ſanctorum militum in acie Chriſti exercitum oſtendit. Heri quadriga Martyrum, hodie biga ſe oſtendit. Impar eorum eſt ætas, ſed par fides; varia certamina, ſed eadem fortitudo. Illi tempore ſuperiores, hi recentiores. Ejuſmodi eſt theſaurus Eccleſiæ, novas & veteres habet margaritas; ſed una eſt omnium gratia. Eorum flos neque langueſcit, neque defluit tempore. Neſcit vetuſtatis rubiginem ſplendoris iſtius natura. Temporis acceſſione opes quæ ad corpora ſpectant, facilè intereunt, ſed non ſic ſe res habet in ſpiritualibus theſauris: De Martyribus, inquam, qui ſemper in eodem juventutis flore ſunt, ſemper ſuæ gloriæ virtutem emittunt & radios. Quod ſcientes vos, non aliter priſcos, aliter recentiores colitis Sanctos.* Spiritualem Eccleſiæ theſaurum adſerit componi ex cunctis ſimul adunatis Martyrum meritis, horum nullum exhauriri tempore, ideoque theſaurum iſtum nunquam diminui, ſed quotidie augeri. In alia homilia Sanctum Patriarcham & Martyrem Ignatium affirmat Romæ paſſum, & Antiochiæ ſepultum, ita profuiſſe utrique civitati, etiam cunctis per quas ejus reliquiæ tranſierunt civitatibus, & proſequitur: *Quemadmodum theſaurus quidam perpetuus, qui quotidiè exhauritur & nunquam deficit, ſic etiam beatus Ignatius cunctis ad ſe accedentibus benedicens fiducia, & ſtrenua alacritate, magnaque fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantùm, ſed quotidiè ad ipſum confluimus, ſpirituales ex eo fructus percipientes. Quiſquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis.* Sanctorum Martyrum ad Divina nobis promerenda beneficia vires inſigniter commendat, & concludit: *Utilis igitur cunctis hic theſaurus eſt, & refugium ſalutare, tam illis qui rebus duris atque aſperis & peccatis conflictantur, ut ab iis liberentur, quam illis qui proſperè ac feliciter degunt, ut diu fruantur illis bonis.* Eccleſiæ theſaurum, ac ejus in donanda peccatorum remiſſione indefectibilem virtutem, lucidè profitetur. Peccatores lucidè hortatur, ut pro remiſſionis gratia accedant conſummatorum Martyrum Baſilicas, uti olim ipſorum parentes acceſſerant Confeſſorum metalla, & deſignatorum Martyrum carceres.

Quòd iſti acceſſui Apoſtolicas Claves tunc aliquando adjunxerint Epiſcopi, accedentium ſatisfactiones per apertum theſaurum adjuverint atque mitigaverint, licèt evidenter demonſtrare non poſſim, exiſtimo tamen apud omnes eſſe indubitatum. Etenim non tantùm antè, ſed etiam poſt Magni Conſtantini tempora, & ab illo datam Eccleſiis pacem Epiſcopi conſtanter perrexerunt dare Indulgentias, & lapſorum pœnitentias mitigare. Duodecimus Nicæni Concilii Canon in Liciniana perſecutione lapſos milites damnat ad decem annorum pœnitentiam, & hos ſic diſtribuit: *Poſt triennii tempus, quo inter Audientes erunt in afflictione permaneant.* Hoc eſt, ſeptem annis ſubſternantur. Subſtratio erat veraciter afflictio. Et Canon adjungit: *Sed in his omnibus Propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ oportet explorare. Quotquot enim metu, & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam ſine ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Poſtmodùm verò licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.* Quatuor palmares & quaſi ſubſtantiales antiquæ ſatisfactionis partes erant Fletus, Auditio, Subſtratio, & Conſiſtentia. Et omnium duriſſima erat Subſtratio. At ecce Nicænum Concilium permittit, ut verè intra Auditionem pœnitentibus omnem Subſtrationis afflictionem plenè remittat Epiſcopus, ipſoſque immediatè tranſmittat ad Conſiſtentiam. Et etiam illic cogitet de ipſis aliquid humanius, hoc eſt, etiam iſtud tempus abbreviet, ipſoſque impartiat Perfectione. Eſt Canon Sancto Cypriano longè clementior. Ille enim ſolos plenæ ſatisfactioni proximos voluit donari gratia: Et manifeſtum eſt Audientes ab iſta plenitudine plurimùm abeſſe. In Maximini perſecutione

ne lapſos ad plenam omnium graduum pœnitentiam damnat etiam Ancyrana Synodus, atque adjungit: *Statuimus ut Epiſcopi, modo converſationis examinato, poteſtatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, examinetur, & ſic eis clementia impartietur.* Secundas, licet improbarit, cum levi tamen pœnitentia permiſit, tertias non niſi ex graviſſimis indulſit cauſis, quartas autem nuptias ad fornicationes ſemper proſcripſit Orientalis Eccleſia, ideoque Neocæſarienſis Synodus ſtatuit: *De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum eſt manifeſtum. Sed converſatio eorum & fides tempus abbreviat.* Hoc eſt, propter animi fidelem in peragenda pœnitentia diligentiam Epiſcopus poſſit ſingularum claſſium tempus abbreviare. Et hoſce Canones reſpexit, ipſorumque partim verba, partim ſenſum inſeruit primo ſui Capitularis titulo Iſaac Lingonenſis Epiſcopus: *Penes Epiſopos erit poteſtas, modum converſationis pœnitentium probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò precedens eorum vita & poſterior inquiratur: Et ita eis impartiatur humanitas. Converſatio pœnitentium & fides tempus abbreviat. Satisfactio pœnitentiæ non eſt tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda.* Quod ipſum frequenter ſcribit Sanctus Auguſtinus. Et de Eriath Franco, qui Monachum Presbyterum occiderat, & pro Indulgentia acceſſerat Apoſtolicam Sedem, ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum ſcribit in exſtantibus apud Jacobum Sirmondum fragmentis Nicolaus primus Pontifex: *Uſque ad mortem pœnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat, ſed devotionem ejus fidei, ſive quia ad ſuffragia Apoſtolorum feſtinaverit, humaniùs cum illo peregimus.* Quia ad conſummatos Martyres Apoſtolos acceſſerat, uti olim lapſi accedebant ad deſignatos Martyres. Plura ſunt hujuſmodi antiqua Decreta atque exempla.

Can. 4. & 5.

Frag. 7.

Quarta quæſtio eſt, An homicida ille Romanam ſanctorum Apoſtolorum Baſilicam pro accipienda Indulgentia acceſſerit, adeoque datæ Baſilicis Indulgentiæ ſint ita antiquæ? Reſpondeo affirmativè. Licèt enim hæc Nicolaus Pontifex non aſſerat, & ego non valeam demonſtrare, conſtanter tamen aſſerit in epiſtola ad Rixfridum Trajectenſem Epiſcopum Sanctus Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis: *Sanctus Leo Papa tertius, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo tertio, cum magna ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum & Prælatorum multitudine ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperialiter cum ſuis ſuſceptus, inter multa pietatis ſuæ opera, inſtantia ejuſdem Sereniſſimi Imperatoris & Regis, Aquiſgrani in Palatio dedicavit Eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Eccleſiam multis Indulgentiis.* Etiam apud Agrippinam Coloniam & alias Germaniæ civitates affirmat ab ipſo fuiſſe dedicata plura Altaria atque Eccleſias, & omnes honoratas magnis Indulgentiis. Eaſdem addit datas omnibus celebrantibus feſtum Sancti Guiberti, Verdenſis in Rheno Inſulæ Apoſtoli, & populis ad Divina tunc officia confluentibus. Exſtat epiſtola apud Laurentium Surium poſt vitam laudati Guiberti. Habet quaſdam ſpuriæ ſuppoſitionis notas. Etenim Romanos Cardinales contra iſtius ſæculi morem præponit Archiepiſcopis & Epiſcopis. Ejus interim de Indulgentiis aſſertionem confirmat magnum Belgii Chronicon, & extendit ad varias apud nos Eccleſias. Quidquid ſit, certum eſt hanc Iudulgentiæ formam eſſe ſeptimo Gregorio longè antiquiorem. Etenim ſub Joannis vigeſimi Pontificatu celebrata Lemovicenſis Synodus cunctis adverſùm privata bella ſancitam pacem ſervantibus dedit abſolutionem peccatorum ac benedictionem æternam, atque concluſit: *Concedat propitius Deus, ut omnes, qui ad ſolemnitatem anniverſariam dedicationis hujus Baſilicæ hodierna die conveniſtis, intercedente beato Martiale Apoſtolo, & cæteris Sanctis ſuis, quorum Reliquiæ hìc pio venerantur amore, vobiſcum hinc veniam peccatorum veſtrorum reportare valeatis.* Non ipſa dat, ſed jam antea in iſtius Eccleſiæ dedicatione datam ſupponit Indulgentiam. Ejus perceptionem ac fructum cunctis iſto anno præſentibus apprecatur. Et quòd Sanctus Anglorum Rex Eduardus Romam ad percipiendas Indulgentias accedere voverit, & quòd iſtud votum in Monaſterii ædificationem cum eadem Indulgentia commutaverit Sanctus Leo nonus, ſuprà nobis dixit Nicolaus ſecundus. Proindè ad Romanæ Eccleſiæ Baſilicas pia peregrinatio gaudebat tunc Indulgentiis. Et in diplomate, quo Cavenſis Monaſterii dedicationem honoravit, hæc habet Urbanus ſecundus: *Quicumque in ſtatu pœnitentiæ poſitus fuerit, & ad hunc locum accedens fuerit ibi uno die ante ipſius Baſilicæ conſecrationem, & per totum diem ſequentem, nec non & die Jovis ſancto, atque per totum diem Veneris ſanctum ſequentem, de omnibus peccatis, de quibus verè contritus fuerit & confeſſus, illam indulgentiam & veniam à Domino conſequatur, quam mereretur in eundo & redeundo ad Sanctum Jacobum Compoſtellanum.* Ergò Compoſtellana Eccleſia habebat tunc amplas Indulgentias. Remenſium Archiepiſcopus Turpinus cunctis Carolum magnum ad ſacrum contra Hiſpaniæ Saracenos bellum comitantibus dedit plenas Indulgentias: Et Compoſtellanam Eccleſiam variè exaltavit. Forſan per plenas Indulgentias. Quidquid ſit, certum eſt iſtam indulgendi formam eſſe antiquam, & hinc in Decreto, quo ſæculare Jubilæum inſtituit, habet Bonifacius octavus: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de urbe, conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones, & Indulgentiæ peccatorum.* Poſt ſeptimi Gregorii tempora cœpit iſta forma eſſe frequentior.

CAPUT VI.

Plenariæ Indulgentiæ antiquitas demonſtratur.

QUæſtio prima eſt, An primitivæ Eccleſiæ Epiſcopi aliquando dederint plenarias Indulgentias? Reſpondeo dediſſe. Etenim Romanæ per Sancti Fabiani Pontificis mortem vacantis Eccleſiæ ex vicinis & advenis Epiſcopis adunata Synodus ſtatuit: *Ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari nobis à Deo ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur; eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demùm cautè & ſollicitè ſubveniri.* Agit præſertim de habentibus Indulgentiales Martyrum libellos: Eis non ſolam Sacramentalis reconciliationis, ſed etiam omnium adhuc debitarum ſatisfactionum remiſſivam pacem ſanxit impartiendam. Poſtulatam à Martyribus pacem impartiendam: At verò Martyres utramque poſtulaverant. Et gravioribus peccatis ante expletam aut plenè remiſſam ſatisfactionem paterna iſtius temporis diſciplina non dabat pacem Sacramentalis reconciliationis. Quod ipſum apertè lucet ex quorundam circa hanc pacem dubio, quod adducit in litteris ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus: *Si qui infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubvenitur. Poſteaquam tamen ſubventum eſt, & periclitantibus pax data, ſuffocari à nobis non poſſunt aut opprimi, aut vi & manu noſtra in exitum mortis urgeri, ut quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem. Quò magis in hoc judicium Divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hic quoque ad vitam percepta pace teneantur.* Iſtud dubium non de Sacramentali reconciliatione fuit, ſed de ſola reſtantium ſatisfactionum Indulgentia: Iſtam enim reconciliationem poſſe ad reincidentiam dari nemo unquam docuit in Eccleſia, nec potuit docere. Et reverà dubium non caruit fundamento. Hinc enim poſterior diſciplina ipſum attendit, omnem in mortis articulo dandam Indulgentiam ſanxit dari ad reincidentiam, ideoque convaleſcentes eſſe etiam ex acceptæ Perfectionis & Oblationis gradu reducendos ad Conſiſtentiam, & illic cogendos ad plenam expletionem reſtantium ſatisfactionum. Hinc etiam Romana Synodus non quibuſcumque indulſit moribundis, ſed ſolis illis qui uſque ad morbum egerant pœnitentiam, & criminis ſui deteſtationem fuerant frequenter profeſſi. De aliis ſcripſit ad eundem Antonianum idem Cyprianus: *Non eſt dignus in morte accipere ſolatium, qui dum viveret, non cogitavit ſe moriturum.* Non omni exeunti, licet inſtantiſſimè ſupplicaret, tunc dabatur pœnitentiæ actio ſimul & reconciliatio. Hæc in moribundos clementia eſt longè poſterior. Et iſta Romanæ Synodi Decreta non ſolùm Sanctus Cyprianus, ſed omnis tunc Eccleſia probavit atque admiſit.

Quæſtio ſecunda eſt, An extra mortis articulum tunc Eccleſia nemini dederit plenas Indulgentias? Reſpondeo dediſſe. Etenim ipſas ex omnium Collegarum adunato nomine poſtulavit Martyr Lucianus, plurimi lapſi ad eas ſibi ſtatim repræſentandas violenter coegerunt ſuos Epiſcopos, & plures hinc inde Epiſcopi, vel ipſis ob Catholicæ Confeſſionis exilium abſentibus Preſbyteri ſuccubuerunt. Inter illos fuit Therapius Bullenſis in Proconſulari Afrorum Provincia Epiſcopus, de quo ad Fidum Epiſcopum reſcripſit Primas Cyprianus: *Legimus litteras tuas, Frater chariſſime, quibus ſignificaſti, de Victore quodam Presbytero, quòd ei, antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius Collega noſter immaturo tempore & præpropera feſtinatione pacem dederit. Quæ res nos ſatis movit receſſum eſſe à Decreti noſtri authoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla urgente infirmitate, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur; ſed librato apud nos diu conſilio, ſatis fuit objurgare Therapium Collegam noſtrum, quòd temerè hoc fecerit, & inſtruxiſſe ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque à Sacerdote Dei ſemel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam uſurpare permiſimus.* Ep. 59. Perfectam cum oblatione communicationem Victori Therapius dederat, ipſam Cyprianus ratam cenſuit, ideoque non auferendam, nec Victorem rejiciendum ad Conſiſtentiam, in qua reſtantes ſatisfactiones expleret. Et ratio fuit, quòd illa pax, licèt quomodocumque & contra Romanæ Synodi Decretum, tamen eſſet data ab Epiſcopo. Quòd enim datas à Presbyteris Indulgentias Cyprianus exſufflaverit & caſſas declaraverit, eſt ſuprà oſtenſum. Et de Therapii facto ità cenſuit non ſolus Cyprianus, ſed Synodus ſexaginta ſex Epiſcoporum. Nempè licèt temerè, tamen ſimplici fide & ex cauſis egerat Therapius, ideoque iſta Synodus ſecuta eſt regula quam in ſermone de lapſis firmat Cyprianus: *Pœnitenti, operanti, roganti poteſt Deus clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes.*

Cyprianus iſta ſcripſit ante Pontificatum Sancti Cornelii. Ab interlocutorio Romanæ Synodi Decreto uſque tunc cenſuit non recedendum. At verò poſt electum & conſecratum Cornelium fuit liberalior, duobus extra mortis articulum caſibus cenſuit plenè indulgendum. Primus fuit in cauſa Nini, Clementiani, & Flori, Capſenſis in Byzacio Eccleſiæ filiorum, qui in Proconſulari perſecutione primùm geneſoſè congreſſi, ac tandem per tormentorum violentiam lapſi, ſtatim pœnitentes redierant ad

Eccleſiam, & toto triennio diligenter inſtiterant ſatisfactionibus. De his Fortunatus Thuccaborenſis Epiſcopus cum quibuſdam Collegis cenſuit conſulendum, *an eos ad communicationem* Ep. 53. *jam fas eſſet admittere?* Et Sanctus Cyprianus reſpondit: *Et quidem quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his Indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, nomen confeſſos eſſe, violentiam Magiſtratuum & populi furentis incurſum immobilis fidei obſtinatione viciſſe.* Eorum in primo congreſſu conſtantiam, & de ſubſecuto lapſu triennalem pœnitentiam facundè commendat, atque concludit: *Exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quod triennio jugiter ac dolenter cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certè non puto incautè & temerè his pacem committi.* In perſecutione lapſi tunc ad plenam totius vitæ pœnitentiam obſtringebantur. Hinc de quibuſdam pacem prætendentibus ſcripſit olim ad ſuum Clerum exul Cyprianus: Ep. 14. *Acies adhuc geritur, & agon quotidiè celebratur, ſi commiſſi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differre non poteſt, poteſt coronari.* Aſſerit eos, nec per Martyrum libellos, nec per Eccleſiæ claves, ſed per ſolum reſumptum certamen & conſummatum Martyrium eſſe Deo reconciliandos. At verò nunc cenſet diligentem ſolius triennii pœnitentiam, licèt plena non ſit, tamen eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ut lapſis pax, ſeu plena reſtantium ſatisfactionum remiſſio, nec temerè, nec incautè indulgeatur. Ita ipſe cenſuit, ſolus autem non auſus definire, poſt inſtans Paſcha celebrandæ Synodo propoſuit referre & commendare.

Alter caſus eſt in litteris ad Sanctum Pontificem Cornelium. Affirmat oves in periculo non deſerendas à Paſtoribus, colligendum diſperſum gregem, Domini exercitum armandum ad certamen cœleſtis militiæ, atque proſequitur de jam ſæpiùs laudato Romanæ Synodi Decreto: Ep. 51. *Meritò trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiori, ut infirmis in exitu ſubveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & ſubvenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis & Corporis Chriſti muniamus. Et cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus? Intereſſe debet inter eos qui vel apoſtataverunt, & ad ſæculum, cui renunciaverant, reverſi gentiliter vivunt, vel ad hæreticos transfugæ facti contra Eccleſiam parricidalia quotidiè arma ſuſcipiunt, & inter eos qui ab Eccleſiæ limine non recedentes, & implorantes jugiter ac dolenter Divina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pugnam paratos eſſe, & pro Domini ſui nomine ac pro ſua ſalute ſtare fortiter & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, ſed vigilantibus damus. Pacem non deliciis, ſed armis damus. Pacem non ad quietem, ſed ad aciem damus.* Rursùs per pacem non ſolam Sacramentalem abſolutionem intelligit, ſed etiam reſtantium ſatisfactionum, ſine qua prævia dari illa non poterat, plenam remiſſionem. Etenim pœnitentes lapſos non ad ſolam Conſiſtentiam admittendos ſuadet, ſed ad perfectam cum oblatione & Euchariſtiæ perceptione communicationem: At verò hæc impendi non poterat, niſi poſt plenè expletas aut plenè remiſſas ſatisfactiones.

Sanctus ergo Cyprianus Romanum de naturaliter moribundis Decretum cenſuit extendendum ad violenter moribundos, qui novum in nova perſecutione certamen ſpondebant aggredi, certare felicius, & conſummari victores. Uti in Claromontano Concilio Urbanus ſecundus Pontifex omnibus, etiam ſceleratis, contra Saracenos in Syriam profecturis & pugnaturis dedit, ita cunctis lapſum ſuum novo certamine correcturis Sanctus Cyprianus dandam cenſuit plenam Indulgentiam. Omne reſtantis illis pœnitentiæ debitum cenſuit in iſtius certaminis labores commutandum. Urbani Decretum adeò non caruit fulcro antiquiſſimorum exemplorum. Quinimò Cypriani gratia fuit Urbaniana longè amplior. Etenim Urbanus gratiam plenam fecit ſolis in iſto bello morientibus, Sanctus autem Cyprianus ipſam fieri voluit cunctis, licet morte non conſummarent Martyrium, generosè certantibus. Et adversùm naturaliter moribundos mota difficultas, *Quid ſi convaleſcant & ſupervivant*, mota etiam fuit adverſum hoſce certaturos: *Si, quod Dominus avertat à fratribus noſtris, aliquis lapſorum fefellerit ut pacem ſubdolè petat, & imminentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſeipſum fallit & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat. Nos, in quantum nobis & videre & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari & mentem perſpicere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator & cognitor citò venturus, & de arcanis cordis atque abditis judicaturus. Obeſſe autem mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adjuvari. Nec ideò Martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi, cùm propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.* Affirmat duo. Primò, dolosè citra præliandi mentem poſtulantibus impartita pax ſit irrita & nulla. Utpote extorta per obreptionem. Secundò, quòd ſincerè petentibus, at per carnis infirmitatem in certamine iterum labentibus facta gratia ſit firma & rata, & quòd ipſius fructus ſit reſervatus Divino judicio. Cenſet ipſam non eſſe ad reincidentiam, ſed abſolutè donari, ideoque eſſe irrevocabilem. Urbaniana gratia fuit ex alia parte amplior. Etenim non ſolis pœnitentiam profeſſis, & ipſam ſedulò exequentibus, ſed etiam cunctis ipſam profeſſuris & amplexuris fuit conceſſa.

Pergit Cyprianus in ſua Epiſtola: *Nec quiſquam dicat, Qui Martyrium tollit, ſuo ſanguine baptizatur, nec illi pax ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro gloriæ ſuæ pacem, & accepturo maiorem de Divina dignatione mercedem.* Eſt argumentum ad hominem. Etenim vacante adhuc Romana Cathedra, lapſorum quidam indulgentialibus Martyrum libellis fulti, aſſerebant perſecutionem adhuc fervere, quotidiè imminere novi certaminis periculum, pacem ſibi eſſe neceſſariam, ideoque volebant ſibi ſtatim ab Epiſcopo repræſentari. Et Romanæ Synodi Decreto inſiſtens Cyprianus conſtanter reſpondit: *Qui differri non poteſt, poteſt coronari.* Dixit certaturis & victuris pacem à Deo dandam, ideoque Eccleſiæ claves illis non eſſe neceſſarias. Hoc argumentum jam aliqui retorquent in præſentem Cypriani ſententiam. Et ille repoſuit: *Primò idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium. Et mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit & accendit. Dominus enim in Evangelio dixit: Cùm vos tradiderint, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Quando autem dicat in traditis atque in confeſſione nominis conſtitutis Spiritum Patris loqui, quomodo poteſt ad confeſſionem paratus aut idoneus inveniri, qui non priùs pace accepta receperit Spiritum Patris, qui corroborans ſervos ſuos ipſe loquitur & confitetur in nobis.* Addit perſecutionis tempore non omnes præliati aut eſſe aptos ad prœliandum, ſed multos ſuæ infirmitati diffidentes ſugere in montes & deſerta, & illic non raro emori morbo aut fame, occidi à latronibus, aut à belluis devorari. His dicit pacem neceſſariam, & edicit cauſam: *Nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit, & contempta domo & parentibus & liberis, ſequi Dominum ſuum maluit, ſine pace & ſine communicatione decedit? Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die Judicii, quòd Paſtores creditas & commiſſas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare?* Hæc animarum pericula facundè exaggerat, & tandem concludit: *Ne igitur ore noſtro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humanæ crudelitatis, quàm Divinæ & paternæ Pietatis opponimus, oves nobis commiſſæ à Domino repoſcantur, placuit nobis, Sancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare, imò pugnaturis arma ſuggerere. Quod credimus vobis quoque Paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. Quod ſi de Collegis aliquis exſtiterit, qui urgente certamine pacem fratribus & ſororibus dandam non putat, reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ.*

Ex quibus verbis addiſcimus plura. Primò, Quòd data per Epiſcopos & Eccleſiæ claves pax ſeu reconciliatio nobis peccatoribus reddat Spiritum Sanctum, ideoque virtutem habeat ex opere operato, & ſit verum novi Teſtamenti Sacramentum. Secundò, Quòd ſit neceſſarium ſalutis medium. Hinc enim de illorum Confeſſorum, qui in montibus aut deſertis ſine ipſa moriebantur, æterna ſalute Sanctus Cyprianus dubitat, affirmatque ipſorum animas à crudelibus Paſtoribus per Divinam juſtitiam repetendas. Eſt dura ſententia. Etenim ſimilium Confeſſorum charitas, licet non perfecta aut robuſta, fuit tamen adulta: Et ipſa formatam contritionem Cyprianus cenſuit nec in mortis articulo citra Sacramenti adjutorium juſtificare. Quòd juſtificet, clementiùs & rectiùs docuit in quarto libro de Baptiſmate contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus. Tertiò diſcimus, quòd Sacramentalis reconciliatio non tantummodò nobis reſtituat Spiritum Sanctum, ſed etiam addat arma & vires ad denuò contra ſæculi ac diaboli illecebras ac violentias pugnandum. Quartò, quòd propter hujus effectus & doni neceſſitatem non conveniat infirmis lapſis negari abſolutionem. Et quòd ipſam periculi tempore negare ſit ipſos præcipitare in novos lapſus. Et hoc non de ſecretis aut minoribus delictis, ſed de publica idololatria Cyprianus cenſuit. Quinto diſcimus, quòd ſua Synodalia non tantùm de fide, ſed etiam de diſciplina ac moribus Decreta Cyprianus retulerit Romano Epiſcopo, ejus judicio ſubjecerit, & ſupplicaverit approbari. Hujuſmodi relatio ſemper ſecum ducit jus appellationis. Hinc ergo & talia non tantum Provincialium, ſed & Diœceſanarum Synodorum Decreta per appellationem potuerunt devolvi Romam, & ibidem exſufflari. Quod nota adversùs novum Dogma Domini Petri de Marca. Sextò diſcimus, quòd non tantùm plenarias, ſed etiam generales indulgentias Sanctus Cyprianus & omnis Africana Eccleſia dederit. Septimò, quod Romana tunc Eccleſia admiſerit hæc omnia, & probarit. Lucet ex aliis Sancti Cypriani ad Cornelium litteris: *Nec Eccleſia iſtic cuiquam clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur; patientia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio Religionis examino: Delictis plus quàm oportet remittendis penè ipſe delinquo.* Ep. 55. Purgat ſe adversùs Feliciſſimi Diaconi factionem, quæ ipſum Romæ de nimia in lapſos ac alios pœnitentes duritia accuſarat: Quòd nempè tunc etiam Romana Eccleſia in lapſos eſſet clementior. Etenim & Novatianenſis factio accuſavit ipſum Sanctum Cornelium, quòd lapſum Epiſcopum Trophymum recepiſſet in communionem. Et in litteris ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus reſpondit: *De Trophymo non ita res habet, ut ad te pertulit rumor & mendacium malignorum. Nam ſicut Anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt, colligendis fratribus noſtris chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit, & quoniam cum Trophymo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophymo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternita-*

nitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophymus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophymo fuerat, admiſſus eſt: Qui omnes ad Eccleſiam regreſſuri non eſſent, niſi cum Trophymo comitante veniſſent. Tractatu ergò illic cum Collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophymus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophymus, ut Laicus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet.

Ex his iterùm habemus plura. Primò, quòd etiam hæc Romana Sancti Cornelii Synodus dederit & plenariam & generalem Indulgentiam. Etenim dedit cuncto, cujus Trophymus fuerat Epiſcopus, civitatis populo. Totus cum ſuo Epiſcopo fuerat lapſus, ac ejus pravo exemplo in lapſum circumſcriptus. Et iſte populus, & ejus præſertim Epiſcopus debebant tota vita pœnitere, & non niſi in exitu accipere Sacramentalis reconciliationis Viaticum. Quanto tempore pœnituerint, ignoro. Interim omnem illis reſtantem ſatisfactionem gratiosè remiſit Cornelius, omnes admiſit ad Chriſtianæ communionis pacem, atque ita & plenam & generalem dedit Indulgentiam. Secundò diſcimus, quòd antiquus, idololatris nec in exitu dans Sacramentalis pacis Viaticum, Eccleſiæ Canon fuerit ſemper diſpenſabilis. In uno caſu. Dum nempè plena aliqua lapſa communitas pœniteret, & maternam Eccleſiæ pietatem imploraret. In talem civitatem nequibat induci novus populus: Hinc aut omnis turma erat reconcilianda, aut exſtinguenda illic Eccleſia. Iſta fuit diſciplina Anteceſſorum: Et ipſam in Trophymo ſecutus eſt Cornelius. Tertiò habemus, quòd iſta Anteceſſorum diſciplina etiam plenas ac univerſales dederit Indulgentias. Etenim omnes iſti lapſi debebant per omnem vitam pœnitere, & ipſorum quidam etiam in futuro ſæculo. Qui nempè hìc fuiſſent negligenter executi pœnitentiæ officium. Omnes has ſatisfactiones expungebat tunc Eccleſia. Quartò habemus, quòd lapſos Epiſcopos & Clericos, licèt omnem lapſam plebem ſecum reducerent, Eccleſia numquam reparaverit in ſuum gradum, ſed in laicam dumtaxat communionem. Demonſtrari hoc poſſit lucidis & multis exemplis. Et hinc Cornelium eſſe indiſpenſabilis paternæ diſciplinæ prævaricatorem, ideoque irregularem demonſtratura Novatianenſis factio ipſum de reparato in Epiſcopalem communionem Trophymo fuit calumniata. Hinc pleno impetu Sanctus Cyprianus refutavit calumniam.

Tertia quæſtio eſt, An hæ plenariæ Indulgentiæ apud Divinæ Majeſtatis tremendum Tribunal ſemper habuerint plenum ac infallibilem effectum? Reſpondeo non ſemper habuiſſe. Etenim in datis ad Sanctum Cyprianum litteris ſuum, quòd pœnitentibus lapſis cautè & ſollicitè jubebat in exitu ſubveniri, Synodale De-
Ep. 31. cretum laudat Romanus Clerus, & de data tunc abſolutione ſubjungit: *Deo ipſo ſciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera, nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.* Agit de data in extremis pace Sacramentalis abſolutionis, & reſtantium ſatisfactionum Indulgentia: Et palàm profitetur ejus fructum & applicationem pendere à gratioſo & incerto Divinæ miſerationis arbitrio. Proindè id longè potiori jure profitendum eſt de datis ante mortis articulum Indulgentiis. Hinc etiam de Nino, Clementiano, & Floro, qui per nimiam tormentorum crudelitatem dejecti fuerant, & toto triennio egerant ſeriam pœnitentiam, Sanctus Cyprianus ſcripſit ad Fortunatum Tuccaborenſem Epiſcopum: *Et quidem quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his Indulgentiam Domini non defuturam.* Sperat illis dandam per Eccleſiæ claves Indulgentiam à Divina Clementia fore comprobandam: Solvenda in terris vincula fore ſoluta, & in cœlis. Et in ſermone de lapſis ſcribit: *Poteſt Dominus Deus Indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in-acceptum referre quidquid pro talibus petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Affirmat Divinam Clementiam poſſe facere, non debere. Hinc proſequitur: *Vel ſi quis plus eum ſuis ſatisfactionibus moverit, ſi ejus iram, ſi indignationis offenſam juſta deprecatione placaverit, dat ille & arma rursùm, quibus victus armetur, reparat & corroborat vires, quibus fides inſtaurata vegetetur. Repetet certamen ſuum miles, iterabit aciem, provocabit hoſtem, & quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.* Mavult lapſos per plenam ſatisfactionem, quàm per Indulgentiales Martyrum libellos reparari: Et hanc reparationis viam affirmat apud Divinum Tribunal eſſe multò ſecuriorem.

Quæſtio quarta eſt, An haſce & plenas & generales Indulgentias impartiri Eccleſia ſemper perrexerit? Reſpondeo, perrexiſſe. Quæ enim ratio ſuaſiſſe poſſit interpolationem? Hæc tamen forma magis frequentari cœpit mediis Chriſtianæ fidei ſæculis. Etenim Rhemenſium Metropolita Turpinus cunctis Magnum Carolum ad Hiſpanicum contra Saracenos bellum comitaturis Francis dedit plenarias Indulgentias. Quin & Græcorum Imperator Nicephorus Phocas cunctos in tali bello morientes voluit non tantùm iſto donari beneficio, ſed etiam Martyres declarari. Et Græcorum plures iſtam ſententiam comprobarunt. Ex quibus vides Urbanum ſecundum ſimilis Indulgentiæ non eſſe primum authorem. Exindè tamen plena ac generalis Indulgentia cœpit eſſe frequentior. Præſertim poſt inſtitutum à Bonifacio octavo in ſingulis ſæculis, & à Clemente ſexto ad ſingulos quinquaginta annos extenſum Jubilæum. Tunc enim Romani Pontifices, quòd totus mundus

non

non poſſit Romam accedere, cœperunt iſtam gratiam ſequenti anno dare Primatialibus fidelium gentium Eccleſiis, tandemque ad omnes civitates, oppida, & pagos extendere. Quin & alias dare Indulgentias. Etenim de Bonifacio nono ſcribit Magnum Belgii Chronicon: *Bonifacius conceſſit multis locis Alemanniæ, ut viſitantes certas iſtorum locorum Eccleſias conſequerentur Indulgentias ſimiles, quæ erant quondam conceſſæ tali vel tali loco, ſeu tali vel tali Eccleſiæ, quæ in ipſo conceſſionis privilegio exprimebatur. De quibus locis vel Eccleſiis fama vulgaris erat, quod viſitantibus ea vel eas conceſſæ eſſent olim à Sede Apoſtolica Indulgentiæ pleniſſimæ. Prædictæ verò Indulgentiæ non ſolùm concedebantur in locis inſignibus, ſed in villis etiam non muratis, & in Monaſteriis, vel Eccleſiis ſitis in campis.* Et in Anglicana Hiſtoria ſcribit Thomas Monachns Walſinghanenſis: *Elienſes per hoc tempus pares eſſe cupientes Norvicenſibus, qui in feſto Trinitatis, & Burienſibus, qui in feſto Sancti Edmundi Indulgentias impetrarant, à Sede Apoſtolica obtinuerunt peregrè adventantibus & Eccleſiæ ſuæ benefacientibus, in feſto Trinitatis à primis ipſius Veſperis uſque ad poſteriores Veſperas feriæ Martis in hebdomada Trinitatis, verè contritis & confeſſis, plenam remiſſionem.* Ita plena & generalis per ſingulos annos Indulgentia paulatim devenit ad quaſvis Eccleſias & Monaſteria. Etiam in pagis & campis. Quæ tanta clementia nunquam fuit apud Græcos. Apud ipſos tamen hodie ſunt quæſtuariæ Indulgentiæ. Etenim Patriarchalis Exarchus, dum ad Peſceſium & Charatzium mendicandum circuimit, habet poteſtatem donandæ Indulgentiæ omnibus contribuentibus. Ita habes apud Martinum Cruſium in Turco-Græcia. Quare mos ille non videtur fuiſſe ante Turcicam captivitatem. Nullum ſcio exemplum.

Fol. 334.

Fol. 293.

CAPUT VII.

Indulgentiarum theſaurus & poteſtas exponuntur.

INfinitum ac inexhauſtibilem Eccleſiæ theſaurum laudari ſuprà audivimus à Sancto Joanne Chryſoſtomo. Eundem in litteris ad Tarraconenſis Provinciæ Epiſcopos elucidat Clemens ſextus Pontifex: Dominicæ Paſſionis meritum exponit, atque proſequitur: *Quantum exindè, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis, pius pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti.* Affirmat hujus theſauri fidelem ex cauſis diſpenſationem eſſe Sancti Petri clavibus creditum & commiſſum à Domino Deo, ac pergit: *Ad cujus quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum à primo juſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur, de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenùs formidandum, tum propter infinita Chriſti merita, tum pro eo, quod quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tantò magis accreſcat ipſorum cumulus meritorum.* Diſtinguit duplicem, alium ex ſolis Chriſti Domini, alium ex omnium aliorum Sanctorum meritis conflatum theſaurum, affirmat neutrum poſſe exhauriri, & priori adminiculum præberi à poſteriori. Et hinc quæſtio eſt, Quale ſit iſtud adminiculum? Reſpondeo ipſum inſigniter in libris de pœnitentia exponi à Sancto Ambroſio. Sanctus Paulus Apoſtolus, dum inceſtuoſum Corinthiorum Doctorem juſſit redigi in pœnitentiam, atque ita parari ad Divinam reconciliationem, adjunxit: *Expurgate vetus fermentum.* Et hoc ejus verbum Ambroſius commentatur: *Velut enim operibus quibuſdam totius populi purgatur, & plebis lachrymis abluitur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mundatur interiori. Donavit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut unum per omnes redimeret, & per unum omnes redimerentur.* Et infrà: *Tota Eccleſia ſuſcipit onus peccatoris, cui compatiendum eſt & fletu, & oratione, & dolore, & quaſi fermento ejus ſe totam conſpergit, ut per univerſos ea, quæ ſuperflua ſunt, in aliquo pœnitentiam agente, viritim miſericordiæ aut compaſſionis velut collativa quadam admixtione purgentur.* Lib. 1. cap. 15.

In ſequenti ejuſdem operis libro laudat fratrem Lazarum ad ſororum preces fuiſſe reſuſcitatum à Domino, & pergit ad peccatorem: *Veniat ad monumentum tuum Chriſtus, & ſi viderit pro te flere Martham, boni fœminam miniſterii, flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, ſicut ſancta Eccleſia, quæ optimam ſibi partem elegit, movebitur miſericordia, cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet, Ubi poſuiſtis eum? Hoc eſt, In quò rerum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis, ſi lachrymis ſuis ipſe ſe movet. Videam ſi jam peccato ei, cujus venia poſcitur, defunctus eſt. Dicet plebs: Veni & vide. Quid eſt, Veni? Hoc eſt, veniat peccatorum remiſſio.* Ad ſinceram ac ſeriam Confeſſionem & pœnitentiam hortatur ibidem peccatorem, & proſequitur: *An teſtes precationis & conſcios refugis, cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres ut dignentur intervenire, ad genua te ipſe proſternas, oſculeris veſtigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ etiam veniæ precatores? Hoc in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices? Fleat pro te Mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet, videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat: Beati triſtes, quia gaudebitis. Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit. Ideò citiùs exaudivit JESUS Petrum, ut Dorcas reſurgeret, quia pauperes morte mulieris ingemiſcebant.* Laudat antiquam pœnitentiæ diſciplinam, quam edicit in libro de pœnitentia Tertullianus: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, mandat ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum, Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injun-*

Cap. 7.

Cap. 10.

Cap. 9.

injungere. Has injungere præſertim deſignatis Martyribus, aut damnatis ad metalla Confeſſoribus. Proindè hi omnes, & ipſa etiam mater Eccleſia, ſeu univerſa Sanctorum communio iſtud ipſum impendunt reſuſcitandis peccatoribus, quod fratri Lazaro Maria & Martha, quod defuncto filio conflens matri viduæ turba, & quod defunctæ Dorcadi impendit flens pauperum multitudo. Fuerunt validi apud Divinam Majeſtatem deprecatores. Hoc ergò ipſum ad impetrandas à Divina Majeſtate Indulgentias confert cœleſtis ſocietas Sanctorum. Uti olim lapſi accedebant deſignatos Martyres, ipſiſque injungebant ſuæ deprecationis legationem ad ſuos Epiſcopos, ita hodiè Epiſcopi accedunt conſummatos Martyres, alioſque omnes Sanctos, & ipſis eandem injungunt pro lapſis legationem ad Divinam Majeſtatem.

Ad omnem Sacramentalem effectum concurrunt tres cauſæ: Ipſius Sacramenti opus operatum, juſtificandi fides, & univerſa Sanctorum communio. Quòd ſine hac nullum Sacramentum poſſit eſſe validum aut ratum, adeoque longè minus fructuoſum, eſt ſuprà abundè demonſtratum. Nec ſola militans, ſed etiam, & quidem potiori jure, triumphans communio ad iſta concurrit. Non tantùm Sacramentalis abſolutio, ſed etiam Sacramentalis pœnitentiæ impoſitio eſt grande Dei donum, de quo ſcribit duodecima Toletana Synodus: *Sicut Baptiſmum,* Cap. 2. *quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur, ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperunt, obſervabunt*. Uti Baptiſmus ad accipiendam Chriſtianæ regenerationis gratiam, ita pœnitentiæ impoſitio ad læſæ per peccata Divinæ Majeſtati ſatisfaciendum nobis applicat & Chriſti Domini & totius illi circumſubſtantialis corporis merita: Utraque per Sancti Petri claves Sacerdos applicat etiam à ſe impoſitis in pœnitentiam actionibus, atque ita non tantùm ex operantis, ſed etiam ex operato opere facit ipſas eſſe ſatisfactorias. Qui per Novi Teſtamenti Sacramenta ſolam Domini paſſionem, Sanctorum autem paſſiones exiſtimant ab Eccleſiæ clavibus diſpenſari per ſolas Indulgentias, inſigniter labuntur. Et quidem de applicatis Chriſti Domini meritis rectè ſanxit Tridentina Synodus: *Ju-* Seſſ. 6. cap. 7. *ſtificationis cauſa meritoria eſt dilectiſſimus Dei Unigenitus, Dominus noſter* JESUS *Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima in ligno Crucis paſſione nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*. Proindè aliter tanti capitis, aliter illi circumſubſtantialis, quod eſt Sanctorum communio, corporis merita nobis per Sacramenta applicantur, ac in nobis operantur: Illa ut cauſa de condigno meritoria, hæc dumtaxat ut impetratorium ac de congruo adminiculum & meritum. Eodem modo fit in Indulgentiis. Et capitis & corporis ſatisfactiones Epiſcopus nobis applicat: Illas ut ſuperabundans pro totius mundi peccatis pretium, has ut iſtius applicandi impetratorium ſeu de congruo meritorium adminiculum. Iſtud omne per Apoſtolicas claves invocatum corpus jam pro nobis peccatoribus poſtulat à Chriſto Domino ac ejus Patre Deo, quod olim deſignati Martyres pro lapſis per Indulgentiales libellos ab Epiſcopis poſtulabant.

Obeſſe videntur duo per Pium quintum Pontificem aboliti & circumſcripti articuli: *Quandò per eleemòſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant, nam alioquin eſſemus ſaltem aliqua ex parte Redemptores, ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur*. Reſpondeo primum articulum eſſe manifeſtè ſcandaloſum, & ſuſpectum de Lutherano & Calviniano errore, ideoque meritò circumſcriptum. Quòd enim noſtra piæ ſatisfactionis opera ſint ad emendam à Divina Majeſtate peccatorum remiſſionem non raſus, non ſcalptus, non adulter, ſed per omnia juſtus nummus, profitetur in libro de pœnitentia Tertullianus: Pœnitentiæ lachrymas, converſionis laborem, & eleemoſynæ modum eſſe ſolvendorum peccatorum pretia, tam ex lege quàm ex Evangelio demonſtrat in libris de adoratione in ſpiritu Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Lib. 7. & 8. Et in quarto ſermone de Eleemoſyna & Collectis ſcribit Magnus Papa Leo: *Cibus egeni eſt cœleſtis Regni pretium*. Et certè Sancto Cypriano uſitatiſſimum, & omnibus Eccleſiæ Patribus laudatum ſatisfactionis nomen altiſſimè iſtud ipſum clamat. Offenſæ per peccata Divinæ Majeſtati non quovis modo, ſed plenè uſque ad noviſſimum quadrantem, & hoc per bona opera, eſſe ſatisfaciendum aſſiduè prædicant Scripturæ omnes atque inculcant. Porrò inter Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi errores Ottho Friſingenſis Epiſcopus in libris de Geſtis Frederici primi Imperatoris ponit & hunc: *Quòd meritum humanum extenuando, nullum mereri diceret niſi Chriſtum*. Lib. 1. cap. 50. De Gilberto, quòd eſſet moribus integer Epiſcopus, varii cenſuerunt varia. Errorem manifeſtè docuit, & ſuum ſenſum exponit in tertio Inſtitutionum libro Joannes Calvinus, hæc commentans de Cap. 4. nu. 30. veteri lege: *Qui fit ut nullis prorſùs operibus admiſſa delicta procurari jubeat, ſed ſola in expiationem ſacrificia requirat, niſi quod ita teſtari vult unicum eſſe ſatisfactionis genus, quo judicium ſuum placatur? Nam quæ tunc immolabant ſacrificia Iſraelitæ, non hominum opera cenſebantur, ſed à ſua veritate, hoc eſt, unico Chriſti ſacrificio æſtimabantur*. Adducit hæc Danielis Prophetæ ad Regem Nabuchodonoſor verba, *Pecca-* Nu. 36. *ta tua eleemòſynis redime*, atque exponit: *Non voluit ſignificare juſtitiam & miſericordiam eſſe Dei propitiationem, & pœnarum redemptionem. Abſit enim ut alia nunquam fuerit apolytroſis, quam ſanguis Chriſti*. Et Calviniſtæ & Lutherani nobiſcum omninò profitentur Chriſtianæ pietatis

tatis opera eſſe ſancta, Deo grata, utilia ad vitam æternam, immò & neceſſaria. Verùm negant meritoria iſtius vitæ, aut pro peccatorum pœnis vel culpis apud Deum ſatisfactoria. Utramque iſtam dignitatem adſcribunt ſolis Chriſti Domini operibus, noſtra quævis bona opera garriunt eſſe dumtaxat conditiones, per quas Dominicum meritum & ſatisfactio nobis applicentur. Audi inſignem ignorantiam aut calumniam Philippi Melanchtonis in apologia Auguſtanæ confeſſionis circa articulum de Confeſſione & Satisfactione: *Fatentur adverſarii, quòd ſatisfactiones proſint ad remiſſionem culpæ, verùm fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad redimendas pœnas, ſeu Purgatorii, ſeu alias.* Garrit inania. Etenim ſatisfactiones non tantùm ad pœnarum, ſed etiam ad culparum remiſſionem eſſe non raſum, non ſcalptum, non adulterum nummum, conſtanter cum Tertulliano profeſſa ſemper fuit omnis ſub cælo Eccleſia. Iſtorum blateronum errorem omninò olet, ac præ ſe fert adductus articulus: Hic omninò dignus fuit aboleri atque circumſcribi.

Secundus articulus habet plus difficultatis. Etenim in primo de Indulgentiis libro ſcribit Dominus Cardinalis Robertus Bellarminus: Cap. 4. *Damnavit Pius quintus multos articulos quorundam Lovanienſium, quorum unus erat ſolius Chriſti ſatisfactionibus remitti pœnam temporalem, Sanctorum autem paſſionibus offerri Deo, ut Deus illarum intuitu applicet nobis merita Chriſti.* Addit iſtam opinionem repugnare Conſtitutioni Clementis ſexti, Conſtitutioni Leonis decimi damnantis Martini Lutheri articulos, & communi ſenſui Theologorum; Cenſet non tantùm Chriſto Domino, ſed etiam multis aliis Sanctis fuiſſe ſuperflua ſatisfactionum merita, ex ambobus confici theſaurum, ambo ſimul nobis applicari in pretium, redemptionem, ac ſatisfactionem reſtantium à remiſſis peccatis temporalium pœnarum. At hunc ſenſum, uti fœdum errorem, Catholicæ Eccleſiæ improperat in quarto Inſtitutionum libro Joannes Calvinus: Cap. 9. n. 14. *Martyres plus morte ſua præſtitiſſe Deo, quàm ſibi opus eſſet, tantamque illis meritorum largitatem ſuperfuiſſe, quæ in alios redundaret. Ne igitur ſupervacaneum ſit tantum bonum commiſceri eorum ſanguinem ſanguini Chriſti, & ex utroque theſaurum Eccleſiæ confici ad remiſſionem & ſatisfactionem peccatorum. Atque ita accipiendum, quod ait Paulus Coloſſenſibus: Suppleo in corpore meo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Hunc affirmat eſſe ſenſum Papiſtarum. Affirmat ipſum adverſari antiquo per cunctos unanimiter Patres præſertim per Sanctum Leonem Papam prædicato Dogmati: *Quamvis multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio fuit propitiatio mundi. Accepere juſti, non dedere coronas. Et de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippè illorum mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit, cum unus exſtiterit Dominus Chriſtus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſunt reſuſcitati.* Eſt iſtud ipſum argumentum, quod olim Indulgentiis objecit etiam Montaniſta Tertullianus. Si quis authenticus Eccleſiæ Doctor aculeatos ejus dentes tunc repreſſiſſet, de Eccleſiæ theſauro non cogeremur hodie & contra hæreticos, & contra Catholicos diſceptare.

Dominus Cardinalis Magni Leonis doctrinam reveretur & admittit, additque Calvinum in Eccleſiam vomere calumnias. Hæc eſt prima: *Non docemus Martyres morte ſua plus Deo præſtitiſſe, quàm ſibi opus eſſet abſolutè, ſed quàm ſibi opus eſſet ad ſatisfactionem pro reatu pœnæ temporalis. Quod quidem adeò verum eſt, ut cæcus ſit oporteat, qui id non videat.* Hæc eſt ſecunda calumnia: *Quod Calvinus addit nos dicere Sanctos plus eſſe meritos apud Deum, quam ſibi neceſſe eſſet, & meritorum largitatem ita illis ſuperfuiſſe, ut in alios redundaret, non agnoſcimus ut noſtra Placita, ſed ut ipſius commenta. Nos enim, ut concedimus ſatisfactiones multis ſuperfuiſſe, ita negamus ſuperfuiſſe merita, vel ipſa merita in alios redundare.* Verùm Calvinus non de ſolo æternæ vitæ, ſed etiam de ſatisfactionis merito loquitur: Etiam hoc vult nulli Sancto ſuperabundaſſe. Et quidem hæc eſt alia ad intima humanæ per Chriſtum Dominum ſatisfactionis Arcana ſpectans quæſtio: Et utroque fidelis mentis aperto oculo poſſit quis palpitare hic, & non videre ejus abyſſum. Quidquid de ipſa ſit, hic quæritur, An ſuperfluæ, ſi quidem ſint, Sanctorum ſatisfactiones cum Chriſti Domini ſatisfactionibus in Eccleſiæ theſauro miſceantur, & ambæ per Eccleſiæ claves nobis communicentur in reſtantium pro remiſſis peccatis pœnarum redemptionem, pretium, ac ſatisfactionem? Et ad hanc quæſtionem hæret ipſe etiam Dominus Cardinalis. Etenim ad hoc argumentum: *Satisfactio Chriſti eſt infinita, non igitur opus eſt ut adjungantur ſatisfactiones ex paſſionibus Sanctorum*: Ad hoc, inquam, argumentum reſpondet: *Non eſt quidem opus, ut adjungantur Sanctorum paſſiones paſſionibus Chriſti, quaſi hæ per ſe non ſufficiant, ſed adjunguntur tamen, quia æquum eſt ut paſſiones illę coram Deo non ſint inanes, præſertim cùm id ſit tum glorioſum Chriſto, à quo manat omne bonum Sanctorum, tum ipſis etiam Sanctis perhonorificum. Quomodo autem concurrant in hac applicatione ſatisfactiones Chriſti cum paſſionibus Sanctorum, id eſt, An applicetur pars una ſatisfactionis ex paſſionibus Chriſti, pars alia ex paſſionibus Sanctorum, an verò integra ſatisfactio accipiatur ſemper ex paſſionibus Chriſti, & ad ſatisfactionis cumulum ſuperaddantur paſſiones Sanctorum, non videtur nimis curioſè inveſtigandum. Illud videtur certum, paſſiones Chriſti, quæ ſunt infiniti pretii, per Indulgentias applicari finito modo, & ideò aliquid reverà ſuperaddi, cùm paſſiones Sanctorum illis adjunguntur.*

Eſt congrua reſponſio. Etenim certum eſt Sanctorum paſſiones non eſſe inanes. Quiſquis ipſas ab Eccleſiæ theſauro excludere, aut fructu privare attentarit, lucidè impinget in laudatas Clementis ſexti ac Leonis decimi conſtitutiones, nec non in Symboli articulum, quo profitemur ſanctorum Communionem. Et quidem quo-

quomodo Capitis & corporis ſatisfactiones in Eccleſiæ theſauro, ac in ejus per Indulgentias diſpenſatione miſceantur, revera non eſt curiosè inveſtigandum. Interim præfata Joannis Calvini calumnia nos cogit inveſtigare. Et certum eſt non ſic miſceri, ut ex ambabus applicetur ſua portio, & ſic fiat una integra Indulgentia. Hanc enim mixturam Calvinus impugnat: Et ex firmo fundamento. Ejuſmodi deviæ quorundam Scholaſticorum ſententiæ frequenter dederunt anſam hæreticis in Eccleſiam calumniis. Iſtorum nugas hi ſuis venditant ut fidem totius Catholicæ Communionis. Præterea certum eſt cujuſcumque Sancti mortem, licet pretioſam, eſſe tamen ſingularem, & quòd præter Dominum nullus ſua morte ſolverit alterius debitum. Hoc eſt, quòd nullus pro alio ſatisfecerit de condigno, nec poſſit ſatisfacere. Hæreſiarcha Neſtorius Chriſtum Dominum, licet communem & purum, tamen ab omni & actionis & contagionis peccato immunem, & per omnia ſanctum docuit eſſe hominem, atque ita aptum credidit ad ſatisfaciendum pro aliis. At quid de iſto commento Eccleſia cenſuerit, edicunt Acta Epheſini Concilii, ac præſertim probata Scripta Sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini. E plurimis locis audiamus pauca: E primo libro ad Reginas:
Cap. 7. *Quod ſi vulgaris tantùm homo eſſet Emmanuel, quomodo mors illius humanæ naturæ opem tuliſſet?* Laudat magnorum Sanctorum mortes, & adjungit: *Illorum mors generi humano nihil omninò contulit.* Et infrà: *Si Chriſtus verus Deus non eſſet, quam utilitatem illius Sanguis nobis potuit adferre? Aut quomodo conſcientias noſtras ab operibus mortuis potuit expiare? Quid enim vulgaris hominis ſanguis virtutis aut efficacitatis habet, quod non etiam ſanguis hircorum? Omnino nihil.* Et iterùm: *Multi ex ſanctis Prophetis interempti ſunt, at nemo illorum omnium aut peccatorum cauſa oppetiiſſe, aut ſua nos morte Deo obtuliſſe dictus eſt. Præſtitit hoc autem Chiſtus.* Quocirca certum eſt Sanctorum paſſiones nobis non eſſe, aut applicari poſſe ut condignum ſatisfactionis pretium. Mediis Eccleſiæ ſæculis viguit mos, quo magnis ſatisfactionibus gravati peccarores accedebant ſanctiora Monaſteria, & iſtas explendas imponebant alicui Sanctiori Monacho: Quòd hic pro illis de condigno ſatisfaceret, nemo unquam docuit, aut potuit docere. Hæc virtus privativè ſpectat ad Majeſtatem Capitis. Proindè Sanctorum paſſiones nonniſi impetrando, ſeu nonniſi de congruo poſſunt prodeſſe. Nec aliam virtutem habent in Eccleſiæ theſauro. Et hinc Clemens ſextus optimè definivit ipſas eſſe Dominicis ſatisfactionibus adminiculum. Leo decimus ſolummodo dixit ipſas unà cum Dominicis ſatisfactionibus contineri in Eccleſiæ theſauro.

At cur igitur Pius quintus circumſcripſit præfatum articulum? Reſpondeo circumſcriptum ob juſtiſſimas rationes. Primò, quia videtur Sanctorum Martyrum paſſionibus omnem nobis merendi & pro nobis ſatisfaciendi virtutem auferre. Etenim illæ, licet non de condigno, pro peccatis noſtris omninò ſatisfaciunt. Sancti præſertim Martyres ſunt veri de iniquitatis mammona nobis facti amici, qui nos, cùm defecerimus, recipient in æterna tabernacula. Eorum apud Deum merita ſunt tanta, ut etiam in extremo tremendo die quoſdam æternæ damnationis reos ſint ab illius ſententia liberaturi. Ita in libris de Dei Civitate palàm docet Sanctus Auguſtinus. Et de redeunte cum Trophymo Epiſcopo lapſa plebe ſcripſit ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus: *Pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus.* Ep. 52. Nempè non tantùm pro ſemetipſa, ſed etiam pro ſuo Trophymo faciebat lapſa plebs, quod pro lapſo in latrocinia diſcipulo feciſſe Sanctum Joannem Apoſtolum ſcribit in Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis hiſtoria Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter: *Crebris* Lib. 9. cap. 17. *precibus pro illo Deum invocat, continuis jejuniis unà cum eo ſe macerat.* Non lapſa plebs, nec unus Apoſtolus, ſed tota triumphantium Sanctorum communio pro nobis fundit & offert aſſidua ſuarum orationum atque ſatisfactionum odoramenta ante thronum Dei & Agni, & ipſa nobis per Sancti Petri claves applicantur: Quis ergò dubitet, quin pro nobis ſatisfaciant? Præterea malè olent hæc articuli verba: *Non propriè redimuntur noſtra delicta.* Quid articuli author per vocem, *propriè*, intellexerit, ignoro. Interim articulus palàm diſcedit à ſuperiùs laudata Ambroſiana phraſi de pœnitentibus: *Velut operibus quibuſdam totius populi purgatur, & plebis lachrymis abluitur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mundatur interiori.* Nec enim ille tantummodò redimit, qui condignum redemptionis pretium donat, ſed etiam qui ipſum impetrat & procurat. Nonne illi, qui redimendis apud Barbaros captivis eleemoſynas colligunt, in dies dicunt: *Nos illum aut illum redimimus?* Et rectè dicunt. Eodem, immò majori ſenſu peccata noſtra per ſanctorum Martyrum paſſiones redimuntur. Nec ideò illi ſunt noſtri redemptores. Dei Eccleſia nunquam ſic eſt locuta. In ſolum condigni pretii largitorem quadrat iſte titulus. Proindè dictus articulus ſanctorum Martyrum paſſiones depreſſit, & palàm receſſit à phraſi ſanctorum Patrum. Hinc paſſiones iſtas ab Eccleſiæ theſauro excludere fuit ſuſpectus, ideoque optimo jure abolitus & circumſcriptus.

Porrò dandæ Indulgentiæ poteſtas eſt penes ſolos Epiſcopos. Ita omnis Eccleſia ſemper credidit, ex iſta fide ſemper egit. Et ad ſolos Apoſtolos, ac ipſorum ſucceſſores Epiſcopos dictum eſt à Domino: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hanc illi poteſtatem committere poſſunt & ſuis Presbyteris: Eam tamen quæ Indulgentias continet, partem nulli unquam, niſi quibuſdam ad poſteriora ſæcula Abbatibus commiſerunt. Quinimmò adſtantes ſui populi fideles ſcripſit adversùm quoſdam, Martyrum libellos exequi, & Indulgentiam dare auſos Presbyteros exul Sanctus Cyprianus: *Audiant, quæſo, patienter noſtrum conſilium, exſpectent regreſſionem noſtram, ut cùm ad vos* Ep. 12. *per Dei miſericordiam venerimus, convocati Coepiſcopi plures, ſecundùm Domini diſciplinam & Confeſſorum præſentiam, Beatorum Martyrum litteras*

ras & deſideria examinare poſſimus. Lapſos, qui ſibi promiſſam à Martyribus pacem volebant ſtatim repræſentari, compeſci, & uſque ad Eccleſiæ pacem, & ſuum ab exilio reditum differri mandat in litteris ad ſuum Clerum, & adjun-
Ep. 14. git cauſam: *Hoc enim & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit, ut Epiſcopi plures in unum convenientes, præſente & Stantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus.* Quod ipſum firmat in lit-
Ep. 15. teris ad Romanæ Eccleſiæ Clerum. Cenſet Indulgentias non à ſe ſolo Primate totius Africanæ Diœceſeos, ideoque nec à quovis alio Epiſcopo dandas, ſed à Synodo: Et quidem præſente Clero, & Stantium plebe. Agit & de danda Indulgentia, & de taxanda pœnitentia: Ad utrumque actum affirmat Cleri & populi non conſenſum, ſed conſilium fuiſſe neceſſarium. Hinc enim ſcripſit ad Sanctum Pontificem Cornelium: *O ſi poſſes, Frater chariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, cùm pravi iſti & perverſi de ſchiſmate revertuntur. Videres quis mihi labor ſit perſuadere fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent & lætantur, cùm tolerabiles & minùs culpabiles redeunt, ita contra fremunt, & reluctantur, quoties inemendabiles & protervi, vel adulteriis & ſacrificiis contaminati, & poſt hæc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam redeunt, ut bona intùs ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, immò extorqueo ut tales patiantur admitti. Et juſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quod unus atque alius, obnitente plebe & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, pejores exſtiterint, quàm priùs fuerant, nec fidem pœnitentiæ ſervare potuerint, quia nec cum vera pœnitentia venerant.* Ex poſterioribus verbis lucet Cleri, vel ſaltem populi conſilium potiùs quàm conſenſum fuiſſe neceſſa-
Ep. 26. 31. rium. Quam diſciplinam viguiſſe etiam in Romana Eccleſia, docent bina Romani Cleri ad Cyprianum Reſcripta. Et mos omninò ducit originem ab Apoſtolis. Etenim inceſtuoſo Corinthiorum Presbytero indulgere non niſi de ſtantis Cleri & populi conſilio atque aſſenſu voluit Sanctus Paulus Apoſtolus. Multis id in ſecunda ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia demonſtrat Sanctus Joannes Chryſoſtomus.

Notanda ſunt Sancti Cypriani verba: *Adulteteriis vel ſacrificiis contaminati.* Reſpiciunt Sancti Zephyrini pro mœchis, & Sancti Cornelii pro idololatris Decreta. Zephyrinus omnibus non tantùm fornicantibus aut immundis, ſed etiam adulteris, immò & monſtris, dummodò imponendam illis pœnitentiam explerent, ſanxerat donandam pacem Sacramentalis reconciliationis. Factam fornicatoribus, & aliis ſimilis infirmitatis lapſibus gratiam probavit atque admiſit Carthaginenſis Eccleſia, at ægerrimè paſſa eſt extendi ad adulteria aut monſtra. Radicem aperit Sanctus Cyprianus in litteris ad Epiſcopum
Ep. 52. Antonianum: *Et quidem apud Anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt.* Non contra omnem impudicitiam, ſed contra ſolum adulterium. Etenim adulterium eſſe homicidio gravius paſſim cenſuit Africana Eccleſia. Hinc Decalogum legit juxta Apoſtolicum ad Romanos
contextum: *Non adulterabis, non occides.* Et Cap. 15.
quia homicidis pacem tunc necdum dabat etiam Romana Eccleſia, etiam adulteris non dandam iſti Epiſcopi cenſuerunt. Et ab ipſorum ſenſu Carthaginenſis Eccleſia non plenè receſſit. Cenſuit etiam adulteris dandam pacem, verùm difficillimè, & nonniſi poſt longam & probatiſſimam pœnitentiam. Eodem modo tractavit novellam tunc erga idololatras clementiam. Libellatos & ſimilium leviorum lapſuum reos admiſit ad gratiam, verùm in publicis gentilium ſacrificiis contaminatos fuit ſeveriſſima, ac ſimiliter nonniſi poſt plenam ac probatiſſimam pœnitentiam cenſuit admittendos.

Quin in adminiſtrando pœnitentiæ Sacramento hodie utamur nimia clementia, & quidam pœnitentiales Presbyteri variè excedant, non eſt dubitandum. Omninò opus eſt correctione. Verùm & hæc indiget moderamine. Quidam illam exordiri tentant, & cenſent nullam olim ſatisfactionem fuiſſe pœnitentialium Presbyterorum, imò nec unius Epiſcopi arbitrio creditam, ſed ad ipſam taxandam fuiſſe opus relatione ad Metropolitam aut Primatem, ac etiam Synodali judicio. Et probant ex adductis Sancti Cypriani, Romani Cleri, & ſimilibus aliorum Patrum teſtimoniis. At certum eſt ipſos deviare, & Patrum ſcopum ab eis non perſpici. Omnis in idololatriam lapſus uſque ad Sancti Cypriani tempora erat extra ſpem accipiendæ per claves abſolutionis, ſed poſt totius vitæ ſeriam pœnitentiam debebat abire ad tremendum ſummi noſtri in Dei Patris dextera Pontificis JESU Chriſti tribunal, & illic judicari. Cum Romano Clero Cyprianus moribundis fecit gratiam, reliquorum lapſorum cauſas diſtulit in reddendam Eccleſiis pacem. Erant plures lapſorum ſpecies, ideoque & varia erat ſingulis figenda pœnitentia. Hoc novum & arduum judicium & Cyprianus & Romanus Clerus cenſuerunt nonniſi in magna Synodo peragendum. Et rectè. Quin & poſt varias variarum Synodorum deciſiones quotidie emerſerunt novæ factorum ſpecies, quæſtiones difficiles & dubiæ. Et ipſas Epiſcopi ex Apoſtolico Canone retulerunt ad Metropolitam, Metropolitæ ad Primatem aut Patriarcham, Patriarchæ ad Papam. Hinc apud Cyprianum habes plures Epiſcopales relationes de imponenda præſertim idololatris pœnitentia, plura ad ipſas Synodalia Reſcripta. Verùm extra ſimiles caſus nulla requirebatur relatio, nullum Reſcriptum. Quiſque Epiſcopus aut Presbyter agebat juxta Canones iſtius temporis, & conſuetam ſuæ Eccleſiæ diſciplinam. Agebat ex fideli arbitrio, ſui actus rationem Domino redditurus. Eadem eſt ratio de Indulgentiis. Ipſas paſſim dabat ſolus Epiſcopus. Etenim Indulgentiales Martyrum libelli non ad Synodum dirigebantur, ſed ad ſolum Epiſcopum. Nec referre, nec Reſcriptum exſpectare debebat Epiſcopus, niſi in caſibus difficilibus ac dubiis.

Et

Et quidem non ſolas dierum aliquot aut annorum, ſed etiam plenas Indulgentias dabat olim Epiſcopus. Abundè lucet ex uſque huc adductis exemplis. Et ita fuit uſque ad Lateranenſem Innocentii tertii Synodum, à qua habemus hunc Canonem: *Quia per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur, ac deindè in anniverſario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit adhibere.* Utique in dedicandis Eccleſiis. Eſt mos antiquus. Etenim de Rotrodo Rothomagenſi Archiepiſcopo, Beccenſis Monaſterii Eccleſiam dedicante cum multis Epiſcopis, ſcribit ejuſdem Monaſterii Chronicon: *Archiepiſcopus largitus eſt quadraginta dies Indulgentiarum omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui prædictam Eccleſiam viſitaverint in anniverſario ipſius dedicationis.* In ipſo tamen dedicationis die plures olim Epiſcopi dabant plenam Indulgentiam. Hoc igitur correxit tertius Innocentius. Et ex illo tempore plena Indulgentia fuit Summo Pontifici reſervata. Adeò ut nec Legatis à ſuo latere Cardinalibus majoris Indulgentiæ poteſtatem Papa ſoleat credere. Et hinc Pileum, Sanctæ Praxedis Cardinalem, Urbani ſexti in Anglia Legatum, quòd biennales ac triennales daret Indulgentias, omnibus fuiſſe ſtupori, & de Attentato ſuſpectum, ſcribit Thomas Walſinghamenſis.

A. 1178.

A. 1381.

Quæſtio eſt, An Indulgentiæ donatio ſpectet ad Epiſcopalis Ordinis & conſecrationis, an ad poteſtatem Juriſdictionis? Joannes Weſſelus affirmavit ſpectare ad conſecrationem. Etenim hæc donatio ſpectat ad ligandi & ſolvendi poteſtatem, quam in ſuæ Reſurrectionis die Dominus dedit Apoſtolis, & cujus fundamentum poſuit in hiſce verbis: *Accipite Spiritum Sanctum.* At verò iſta verba omninò important Sacerdotalem conſecrationem. Prætereà, Sacramentalis ſatisfactionis impoſitio & ejuſdem remiſſio videntur ſpectare ad eandem poteſtatem. At verò impoſitio lucidè ſpectat ad poteſtatem Sacerdotalis Ordinis. Etenim talem ſatisfactionem imponere, uti ſuprà audivimus à duodecima Toletana Synodo, eſt pœnitentiæ donum infundere. Eſt injunctis Chriſtianæ pietatis officiis operari operis ad Deo ſatisfaciendum virtutem adnectere. Quod manifeſtè non poſſit fieri, niſi per poteſtatem Sacerdotalis Ordinis. Licet non conſecratus Epiſcopus poſſit injungere pœnitentias, illæ tamen non ſunt Sacramentales. Quare videtur etiam hujuſmodi à Sacerdotibus injunctas pœnitentias non poſſe remittere. Per eandem quippe cauſam res incipit & deſinit. Et certè olim electus & confirmatus Epiſcopus ante conſecrationem non adminiſtrabat, præſertim ſpiritualia. Reſpondeo hæc argumenta non carere omni fundamento. Nihilominus iſtam donationem eſſe non ordinis, ſed juriſdictionis actum, jam paſſim docent omnes Doctores: Et à vulgata via non eſt ullatenus recedendum. Quidquid ſit, eadem poteſtate uti poſſit & generale & Provinciale Concilium. Qui de hac re dubitant, graviter labuntur. Quòd enim Sanctus Cyprianus, Romanus Clerus, & omnes tunc meliores ſub cœlo Epiſcopi de Indulgentialibus Martyrum libellis non niſi per Synodos quandoque definiverint, eſt omnibus notum. Et poſterioribus ſæculis etiam Conſtantienſe ac Baſileenſe Concilium exercuerunt iſtam poteſtatem.

CAPUT VIII.

Legitima Indulgentiarum cauſa exponitur.

Indulgentiam concedens Epiſcopus paſſim imponit alicujus Baſilicæ piam cum orationibus viſitationem, confeſſionem peccatorum, jejunia, ac eleemoſynas. Et hæc pietatis opera quidam exiſtimant eſſe cauſam Indulgentiæ. Errant. Eſt ad Indulgentiam ac ejus effectum neceſſaria præparatio. Eccleſia enim etiamnum hodie non recedit ab Apoſtolica regula, quam laudat in litteris ad Martyres & Confeſſores Sanctus Cyprianus: *Peto ut eos, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, nello nominatim deſignetis.* Etiam Moyſes & Maximus, Romanæ Eccleſiæ Presbyteri & incarcerati Confeſſores, ad Sanctum Cyprianum ſcripſerunt pacem non facilè præſtandam peccantibus, ſed fovendos ipſorum animos, nutriendos ad maturitatis tempus, & è Sanctis Scripturis de ſui peccati qualitate inſtruendos. Omninò omnem pro remiſſis peccatis debitam ſatisfactionem ſine graviſſimis cauſis non poteſt, & paſſim non vult mater Eccleſia remittere: Pœnitentibus imponit orationem, jejunium, & eleemoſynam, tria cardinalia pœnitentiæ opera, ita ipſos conatur facere ſatisfactioni proximos aut certè vicinos, paratque & nutrit ad fructum Indulgentiæ. Quare pœnitentiales Presbyteri, qui Indulgentiali tempore gravibus peccatis imponunt leviſſimas pœnitentias, hallucinantur inſigniter, & peccatoribus plurimùm nocent. Quò major his pœnitentia imponitur, eo fiunt viciniores ſatisfactioni, & ad Indulgentiæ fructum aptiores. Ep. 11. Ep. 26.

Proindè veram Indulgentiæ cauſam exponit in ſecunda ad Corinthios epiſtola Sanctus Paulus Apoſtolus, ſcribens de inceſtuoſo pœnitente: *Ita ut è contrario magis donetis & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Et infrà: *Nam & ego quod donavi, propter vos.* Hominem iſtum & ſeriò pœnitentem, & graviter animo dejectum videns Corinthiorum populus ſupplicavit Apoſtolo: Et iſtas cauſas hìc conſiderans donavit. Ipſas ſuprà nobis abundè expoſuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et ejus commentarium confirmat in libris de Pœniten-

 tia

Lib. 1. cap. 17. tia Sanctus Ambroſius: *Si ſatis ad condemnationem eſt objurgatio quæ fit à pluribus, ſatis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio quæ fit à pluribus. Moralis Magiſter; & noſtræ infirmitatis conſcius, & pietatis Divinæ Interpres, vult donari peccatis, vult conſolationem adhiberi, ne triſtitia pœnitentem tædio longæ dilationis abſorbeat. Ideò ergò donavit Apoſtolus. Nec ſolùm donavit, ſed etiam in eum voluit confirmari charitatem. Nec ſolùm donavit ipſe, ſed voluit etiam omnes donare. Et ſe propter alios donaſſe dixit, ne multi propter unum diutiùs contriſtarentur*. Proindè donandæ Indulgentiæ cauſa non debet eſſe communis, ſed poſſit eſſe privata. Dum nempè illa non eſt generalis, ſed alicujus unici pœnitentis ſingulare beneficium. Et adductam ab Apoſtolo cauſam probat etiam Synodus Ancyrana, Neocæſarienſis, ac Nicæna. Pœnitentis converſationem mandant attendi ab Epiſcopo, & cum diligenti agi humaniùs: *Ne nempè à triſtia abſorbeatur.*

Et hæc cauſa, licèt quàm maximè legitima, non eſt tamen unica. Altera igitur apud Eccleſias ſemper probata Indulgentiæ cauſa eſt articulus mortis. Hinc enim omnibus etiam Idololatris eam dari juſſit Romana Synodus, ſanctuſque poſteà Cornelius confirmavit. Et ipſam fuiſſe non ad reincidentiam, ſed plenè abſolutam, ideoque per ſubſecutam ſoſpitatem non evanuiſſe ſcripſit Sanctus Cyprianus ad Epiſcopum Antonianum. Et ipſa nullum moribundum privari adeò voluit, ut exul ſcripſerit ad
Ep. 13. ſuos Presbyteros atque Diaconos: *Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & gravibus infeſtat, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum adjuvari apud Deum poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectata præſentia noſtra, apud Presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, apud Diaconum quoque exomologeſim delicti ſui facere poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Indulgentia prodeſſe nequit niſi remiſſis peccatis. Hinc pœnitenti ad ejus effectum neceſſaria eſt exomologeſis, manus impoſitio in pœnitentiam, donatio pacis. Hoc eſt, Sacramentalis confeſſio, ſatisfactionis impoſitio, & abſolutio. Et hanc, ne Indulgentiæ effectus perderetur moribundis, Cyprianus permiſit ac juſſit impendi etiam à Diaconis: Quòd enim olim apud quaſdam Eccleſias Diaconi attentarint etiam abſolutionem impartiri, cunctis Eccleſiaſticam antiquitatem callentibus eſt manifeſtum. Suo loco demonſtrabitur. Interim vide eruditum de pœnitentia opus Joannis Morini. Nota etiam moribundis, licet plenam haberent Indulgentiam, à Cypriano paſſim imponi manum pœnitentialem, ſeu Sacramentalem pœnitentiam. Quo nempè & ipſi ſic fierent ſatisfactioni vicini, atque ita ad Indulgentiæ fructum aptarentur.

Et hinc de Clemente ſexto Pontifice ſcripſit meritò in Neuſtriæ Hypodigmate Thomas Walſinghamenſis: *Fuit tanta mortalitas hominum, ut multi periti putarint decimam partem humani generis relictam fuiſſe ſuperſtitem. Sæviente in Anglia tanta peſte hominum, Dominus Clemens Papa conceſſit plenam remiſſionem omnibus verè confeſſis & contritis, morientibus in hac epidemia per totum Regnum.* A. 1344.
Etiam in Anglorum Annalibus ſcribit de Gregorio undecimo: *Papa Gregorius, bonus vir & juſtus, ob amorem Domini Simonis de Langham, Cardinalis & Epiſcopi Prænestini, quondam Cantuarienſis Archiepiſcopi, dum peſtilentia invaluiſſet in hac terra, per Bullas ſuas omnibus tunc morientibus, verè contritis & confeſſis, plenam remiſſionem de theſauris Eccleſiæ indulſit, exceptis his qui ære alieno gravarentur. Magnum utique beneficium, & omni acceptione digniſſimum, & quo majus non potuit impendiſſe.* A. 1378
Rectiſſimè egit uterque Pontifex. Imitatus eſt Sanctum Cyprianum. Nam & mortalitas, cujus cauſa hic omnibus lapſis voluit in exitu etiam per Diaconos ſubveniri, fuit horrenda illa peſtis, cujus occaſione ſcripſit librum de mortalitate, omnibus de vita periclitantibus prælegendum. Et certè peſtilentialis morbi tormenta, dum pia patientia acceptantur, ſunt inſignis Chriſtiana pœnitentia, ac omninò faciunt ſatisfactioni proximum. Hinc omnibus ex ipſo morientibus rectè datur plena Indulgentia. Succeſſores Pontifices fuerunt liberaliores: Ad quamvis mortem quandoque extenderunt beneficium. Et de ipſo ſcribit laudatus Thomas: *Adami Cardinalis Anglici petitione declaratum eſt per Papam Bonifacium nonum, quod Bullæ de Indulgentiis plenariis conceſſæ quibuslibet in extremis, tantùm valent eas obtinentibus in confeſſione, quæ mortem immediatè præcedit, qui licet multoties propter diverſa pericula confiteantur, & convaluerint, uſque ad extremum articulum nullum ſortiuntur effectum.* A. 1390.
Fuit recta declaratio. Secuta eſt antiquos Canones, qui datas in extremis Indulgentias ſanxerunt deinceps fore ad reincidentiam. Et hinc vides, quòd inter Martini Lutheri articulos Leo decimus rectè damnaverit etiam hunc: *Indulgentiæ mortuis ſeu morituris, & infirmis nec neceſſariæ ſunt, nec utiles.* Nullis quam morituris eſſe utiliores, omnis olim cum Sancto Cypriano judicavit Eccleſia.

Nec tantùm utiles, ſed omninò exiſtimo eſſe paſſim fructuoſas & efficaces. Dum nempè immiſſa per Divinam Providentiam mors patienter acceptatur, & ad ipſam fidelis peccator ſe piè diſponit. Ejus tormentum eſt inter omnia terribilia terribiliſſimum, ideoque pia ipſius acceptatio omninò reddit ſatisfactioni proximum, quin & eſſe poſſit plena ſatisfactio, etiam pro graviſſimis peccatis. Inſigne exemplum habemus apud A. 1335.
eundem Thomam Walſinghamenſem: *Hoc anno in Eccleſia de Edilich, Diœceſis Vintonienſis in die Palmarum, poſt prædicationem cujuſdam Sacerdotis litterati, Joannis de Vecca nomine, mulier quædam Joanna, coram populo, à juventute ſua corpus ſuum libidini & obſcœnitati fuiſſe expoſitum, ac alia facinora lacbrymabiliter confeſſa eſt inaudita, obnixè flagitans pœnitentiam à Sacerdote prædicto ſibi imponi ſalutarem. Sacerdos quoque de*

Divina miſericordia confidens, poſt ſacræ Scripturæ nominata ne deſperaret, ſed in Domino peccatores miſericorditer ad pœnitentiam exſpectante ſpem poneret, ſex dierum in pane & aqua jejunium in ſuorum remiſsionem indixit delictorum. Illa pœnitentiam talem ſuorum reſpectu facinorum parùm ſeu nihil fore aſſerente, pœnitentiam qualemcumque agere poſſet, ſibi injungi ſuppliciter exoravit. Ille verò diebus poſteà tribus, in petitione muliere perſeverante, in expiationem omnium peccatorum ſuorum indixit jejunium. Proſtrata verò illa coram imaginibus Eccleſiæ, flens & ejulans, ac preces ad Deum devotè fundens, pronamque in terra ſe proſternens, in Corporis Chriſti elevatione exanimis & albiſſima eſt reperta. Nempè ejus contritum cor reſpexit Divina clementia, & mortis tormentum ipſi dedit in plenam ſatisfactionem.

Lutheranus Scholiaſtes poſuit ad marginem: *Commentum de muliere pœnitentiam agente.* Reſpondeo commentum firmari ab ipſo Apoſtolo ad Corinthios ſcribente de indignè communicantibus: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Affirmat iſtam à Domino inflictam mortem eſſe Divinæ clementiæ correptionem, & ita nos à mundi damnatione liberari, ſatisfacere pro iſto grandi peccato, & tranſmitti in vitam æternam. Etiam à Sancto Petro Apoſtolo percuſſos Ananiam & Sapphiram fuiſſe per temporalem mortem tranſmiſſos in regnum, ſcribit in tertio adversùs Parmenianum libro, ac in
Cap. 1. decimo ſermone de diverſis Sanctus Auguſtinus. Et ad Lincolnienſem Epiſcopum ſcripſit olim Theobaldus Stampenſis: *Auguſtinus de Sodomitis in lacu ſubmerſis tractans dicit, quòd quidam ex illis ſalvati ſunt per bonam compunctionem & verum cordis gemitum. Quia non ſolùm ſuperbæ cogitationes, ſed etiam pravæ actiones antè vim compunctionis fugiunt.* Exſtat Epiſtola apud Lucam Dacherium. In ſexta ſententiarum parte Cardi-
Tom. 3. nalis Robertus Pullus eſt multò liberalior: *Qui inſpiciens ante actam vitam ſuam corde conteritur & humiliatur, is ſi pœnam quamlibet pro culpa ſibi
Cap. 53. oblatam patienter ſuſcipit, futuram eadem de culpa effugit. Sic Sodomitas, ſic mari rubro ſubmerſos, ſic denique in deſerto proſtratos punivit in præſenti, ne puniret in æternum.* Quam Divinam pietatem confirmare, quin & ad quoſvis extremo per humanam juſtitiam ſupplicio pro ſuis criminibus punitos extendere videtur in Nahum Prophetæ commentariis Sanctus Hieronymus. Quidquid ſit, dum per Divinam Juſtitiam inflicto, & per pœnitentem pietatem acceptato cujuſcumque mortis tormento accedit donata per Sancti Petri Claves Indulgentia, quibuſcumque peccatis eſt firma ſpes plenæ remiſſionis.

Etiam dum ob graſſantem peſtem, & ab ipſa natum generale mortis periculum Clemens ſextus & undecimus Gregorius dederunt generales Indulgentias, à Patrum traditione non receſſerunt. Imitati ſunt Sanctum Cyprianum. Nec enim ſolis in idololatriam lapſis fecit hìc iſtam gratiam, ſed extendit ad omnes moribundos. Anteà in mortis articulo nec abſolutio nec pœnitentiæ actio poterat iſtis impendi: Exindè voluit etiam ipſos perfectè ſeu cum pleniſſima Indulgentia reconciliari. Etiam aliæ cauſæ noſtros Majores ad ſimilem generalem gratiam quandoque permoverunt. Gregorius ſeptimus in præſenti Decreto adducit hanc: *Ut Rudolphus Regnum Theutonicum regat & defendat ad veſtram fidelitatem, ex parte veſtrâ dono, largior, & concedo omnibus ei fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum.* Verùm hanc cauſam graviter improbavit olim Clerus Leodienſis Eccleſiæ. Hìc, uti & Cameracenſis, adversùs Apoſtolicam Sedem pertinaciter defendit Henricum Imperatorem, ideoque ad Robertum Flandriæ Comitem poſt dictas de ejus in ſacro apud Syriam bello geſtis laudes ſcripſit Paſchalis ſecundus: *Gratias agimus Prudentiæ tuæ, quod Præceptum noſtrum in Cameracenſi Parochia executus es.* Robertus in Syria generosè adeò ſe geſſit, ut exindè etiamnum hodie dicatur Robertus Hieroſolymitanus. Flandriæ Comes ſemper fuit Protector Cameracenſis Eccleſiæ, ideoque ejus Clerum, quem Sancti Petri gladio non poterat, per Roberti gladium reduci ad obedientiam rogavit Paſchalis: Et Robertus reduxit. Hinc Paſchalis pergit: *Id ipſum de Leodienſibus excommunicatis Pſeudo Clericis præcipimus. Juſtum enim eſt, ut qui ſemetipſos à Catholica Eccleſia ſegregant, per Catholicos ab Eccleſiæ beneficiis ſegregentur.* Henricum Ex-Imperatorem affirmat eſſe hæreticorum caput, & tandem concludit: *Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ Sedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieruſalem, Domino præſtante, pervenias.* Et ad hæc Leodienſis Clerus reſpondit: *Hactenus Evangelicis, Apoſtolicis, & Propheticis teſtimoniis innitebamur, & quod minùs habebat materia, augebat exemplorum copia. Hìc verò quid dicam neſcio, quò me vertam non video. Si enim utriuſque legis totam bibliothecam, ſi omnes totius bibliothecæ veteres expoſitores revolvam, exemplum hujus Apoſtolici Præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum Sacris Canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quòd juſtè necnè ipſe vel alii fecerint, nulla authoritate diſcimus. Hoc ſolùm dicimus, quia non poteſt aliquis aliquem indiſcretè ſolvere vel ligare.* Multis hoc, rem licèt claram, demonſtrat, atque concludit: *Hunc morem diſcretè ligandi & ſolvendi hactenus tenebas, & nobis tenendam mandabas, o ſancta Mater Romana Eccleſia. Undè ergò hæc nova authoritas, per quam reis ſine confeſſione & pœnitentia offertur præteritorum impunitas, & futurorum libertas? Te, o Mater, liberet Deus ab omni malo.* Cenſent Henricum fuiſſe à Gregorio ſeptimo inique degradatum, ideoque ejus expugnationem non eſſe juſtam cauſam Indulgentiæ. Addunt Gregorium etiam in modo peccaſſe: Utpotè qui peccatoribus ſine Sacramentali confeſſione ac abſolutione dederit iſtam gratiam. Aiunt Paſchalem incedere eadem via, ideoque ſimiliter deviare.

Et quidem quod dicunt Indulgentiam dari non poſſe non confeſſis & contritis peccatoribus, eſt omninò veriſſimum. Neque id fecit aut Gregorius, aut Paſchalis. Exantlandos in iſtis bellis labores uterque cenſuit eſſe ſufficientis pœnitentiæ actionem, quæ qualemcumque peccatorem faceret ſatisfactioni vicinum, atque ita mediante legitima confeſſione & abſolutione mereretur plenam indulgentiam. Et huic largitati ſufficientem cauſam judicavit eſſe dandam per iſta bella pacem, turbatæ Eccleſiæ neceſſitatem, & hujus expunctionem. Etenim Rex Henricus non tantummodò libertatem, ſed & Eccleſiæ caſtitatem conculcabat pedibus: Canonicas Antiſtitum electiones exſufflabat, invadebat nominationem ac inveſtituram, & quaſvis Eccleſiæ dignitates palàm vendebat indignis etiam hominibus. Eiſdem ſordibus fœdabat Rempublicam. Præterea legitimum Papam Gregorium extrudere præſumpſerat atque in Sancti Petri thronum intrudere idolum fœdiſſimum, ſæpè anathematizatum Ravennæ Archiepiſcopum Guibertum. Non tantùm à Paganis, Saracenis, aut Hæreticis Eccleſia perſecutionem patitur, ſed
Ep. 55 etiam à falſis Fratribus. Inſigniter hoc in litteris ad Sanctum Cornelium demonſtrat Sanctus Cyprianus. Et quòd illius ab infidelium injuriis liberandæ neceſſitas ſit dandis plenis ac generalibus indulgentiis ſufficiens cauſa, in Claro-Montano Concilio judicavit omnis Latina Eccleſia: Et Græca comprobavit. Et Leodienſis Clerus de hoc articulo nunquam dubitavit. Exiſtimavit Henricum non fuiſſe degradatione dignum, cum ſeptimo Gregorio & Urbano ſecundo etiam ſecundum Paſchalem deviaſſe ipſum ac ejus fautores perſequendo, ideoque in diſpenſandis Indulgentiis indiſcretè agere, & abuti Apoſtolicis clavibus. An porrò Gregorius cunctis Rudolphi Regnum adjuvantibus, an verò ſolis pro ipſo in bello morientibus dederit plenam Indulgentiam, ignoro. Certè Paſchalis dedit ſolis morientibus. Etenim & his ſolis, licet ſacri adverſùm Saracenos belli labor eſſet longè durior, dedit in Claro-Montana Synodo Urbanus. Et hanc tunc fuiſſe conſuetam ſacri belli gratiam, ſuprà audivimus à ſecundo Gelaſio. Etiam Honorius ſecundus, dum Nortmannorum Principi Rogerio indixit ſacrum bellum, ſolis morientibus dedit plenam indulgentiam. Eugenius tertius fecit primus hanc largiorem gratiam: *Omnibus, qui ſacrum contra Saracenos bellum incœperint ac perfecerint, licèt in ipſo non moriantur, omnium peccatorum, quæ corde contrito fuerint confeſſi, & ab ipſis abſoluti, dedit plenam Indulgentiam.*

Poſteriores Pontifices fuerunt longè liberaliores. Etenim non ſolis in Syriam proficiſcentibus, ſed cunctis ad ſacrorum militum ſuſtentationem contribuentibus dederunt plenas Indulgentias. Largam, quam quiſque juxta ſuas vires faceret eleemoſynam, judicarunt eſſe tantæ virtutis apud Divinam clementiam, ut peccatorem redderet ſatisfactioni proximum. Proceſſerunt juxta vigentem tunc Theologiam de redimendis pœnitentiis. Et hinc alii Pontifices, ac multi etiam ante Innocentium tertium Epiſcopi gratiam ampliarunt ad manus adjutrices ædificandarum aut reparandarum Eccleſiarum. Item ad reparationes civitatum, aut publicas iſtiuſmodi neceſſitates. Et hæc clementia tandem fuit obnoxia multis abuſibus. Et hinc quaſvis quæſtuarias Indulgentias meritò proſcripſit jam pridem Romana Eccleſia. Nec ſunt his præſertim noviſſimis & corruptis ſæculis reſumendæ. Duodecimi ſæculi annus ſeptuageſimus ſeptimus fuit placabilis, & illuſter multis Divinæ Miſericordiæ beneficiis. Exſtinctum tum fuit durum & longum ſchiſma adversùs Alexandrum tertium: Et Imperator Fredericus primus ei eſt ſolemniter Venetiis profeſſus obedientiam. Hinc in Dominicæ Adſceſionis feſto cunctis ibidem fidelibus laudatus Pontifex fecit plenam ac generalem gratiam. Anconitana civitas eidem Pontifici ſemper manſerat fideliſſima, longamque & duram à Frederico ſuſtinuerat obſidionem. Hinc illi Alexander dedit eandem Indulgentiam. Ex aliis item cauſis alii Pontifices fuerunt ita liberales,

---

CAPUT IX.

Exponitur origo & varia forma Jubilæi.

FAmoſa eſt Bonifacii octavi liberalitas, qui ſæculare Jubilæum inſtituit, & cunctis tunc ſub cœlo fidelibus, qui ſancta Principum Apoſtolorum limina viſitarent, & verè contriti Sacramentalem abſolutionem acciperent, dedit pleniſſimam omnium peccatorum Indulgentiam. Secutus eſt Majorum veſtigia: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de urbe conceſſæ ſint magnæ remiſſiones & Indulgentiæ peccatorum.* Has omnes confirmat, ipſas ſingulariter extendit ad faciendum in quovis ſæculari anno acceſſum, & concedit non tantùm plenam aut pleniorem, ſed omnium peccatorum pleniſſimam veniam, atque adjungit: *Statuentes, ut qui voluerint hujuſmodi Indulgentiæ à nobis conceſſæ fieri participes, ſi fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, ſeu interpolatis, & ſaltem ſemel in die; ſi verò peregrini fuerint, aut forenſes, ſimili modo quindecim diebus ad Baſilicas eaſdem accedant. Unuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas ampliùs & devotius frequentabit.* Hanc toties ex vera pietate repetitam frequentationem cenſuit eſſe pœnitentiam ſatisfactioni proximam. Romanos ad triginta, peregrinos ad ſolos quindecim viſitationis dies adſtrinxit: Quod nempè laborioſa ad urbem peregrinatio ſit in ſatisfactionis partem computanda. Ex eodem principio procedunt hæc verba: *Unuſquiſque plus merebitur, &c.* Etenim amplior ac devotior frequentatio pœnitentem reddit ſatisfactioni viciniorem. Ejus varietas facit Indulgentiam eſſe plenam, pleniorem ple-

pleniſſimam. Gloſſator exponit: *Quomodo iſta compatiuntur, Plenam, largiorem, & pleniſſimam? Dico Papam interpretatum fuiſſe in Conſiſtorio, me præſente, hanc Indulgentiam adeò plenam, prout Clavium poteſtas ſe extendit. Quod intelligo, prout verba patiuntur.*

Communis ſententia exiſtimat, quod iſtarum vocum primus author Bonifacius totius injunctæ pœnitentiæ per plenam, totius quæ per Canones injungi poterat pœnæ gratiam per pleniorem, per pleniſſimam Indulgentiam intellexerit remiſſionem totius ſatisfactionis, quæ à Divina juſtitia poſſet exigi. Et hoc Bonifacii opus laudat Rothomagenſe à Philippo Labbæo publicatum
A. 1300. Chronicon: *Papa Bonifacius conceſſit hoc anno viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ peccatorum Indulgentiam generalem, ſtatuens & concedens. Indulgentiam conſimilem ipſa limina viſitantibus quolibet anno centeſimo. Et ita fuit concurſus maximus populorum.* Et Nicolaus Trivettus: *Papa Bonifacius indultum faciens omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui per anni hujus ſpatium, ac per quemlibet annum centeſimum futurum, Romam ad Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas voto peregrinationis humiliter acceſſerint & devotè, cunctorum ſuorum conceſſit Indulgentiam peccatorum.*

Bonifacii liberalitatem auxit Clemens ſextus. Jubilæi Indulgentiam dedit quovis anno quinquageſimo. Et adjungit: *Si etiam qui pro ea Indulgentia conſequenda ad* Romanas Sanctorum Apoſtolorum *Baſilicas & Eccleſias accedent, poſt iter arreptum legitimè impediti, quominùs ad urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo, in dicta urbe deceſſerint, verè pœnitentes & confeſſi, eandem Indulgentiam conſequantur.* Hujus liberalitatis duplex fuit cauſa. Primò, quia Judaicum Jubilæum non quovis centeſimo, ſed quovis quinquageſimo anno fuerat factum: Et ipſum fuerat imago Jubilæi Chriſtiani. Secundò, quia è natis intra unius ſæculi curſum hominibus plurimi nec ejus exordium videant nec finem, ideoque ab iſta Divina gratia ſint penitus alieni. Hujus gratiæ originem
F. 300. exponit Magnum Belgii Chronicon: *Primo anno Papæ Clementis Beata Birgitta revelatum ſibi per viſionem à Deo dixit, ut Papa Avenione Romam redeat, quo ſe & univerſalem Eccleſiam reformet, & annum Jubilæum indicat. Sed Papa Romam venire non maturavit. Annum tamen Jubilæum, maximè ad inſtantiam Romanorum, de centeſimo anno ad quinquageſimum reduxit. Et inter Eccleſias pro conſequendis Indulgentiis anni Jubilæi viſitandas connumeravit Eccleſiam Lateranenſem, concedens ut ii, qui poſt iter arreptum in ipſo anno Jubilæo legitimè impedirentur, quominùs ad urbem Romanam pervenirent, ſeu etiam qui numero dierum in ipſis Indulgentiis conſequendis adſcripto necdum expleto decederent, dummodò verè pœniterent, Indulgentias ipſas conſequerentur.* Bonifacius ſolam Vaticanam, Clemens inſuper Lateranenſem Baſilicam juſſit viſitari. Duplici hac pietate cenſuit pœnitentes fieri ſatisfactioni viciniores. Adjungit idem Belgii Chronicon: *Anno ſequenti, ſcilicet milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, fuit annus Jubilæus per Papam Clementem ordinatus & conſtitutus in urbe Roma, tanquam loco digniſſimo, in quo, ut ait Beatus Gregorius, ultra ſex millia corporum Sanctorum in quolibet die anni requieſcunt, prout in prologo dicti Jubilæi Clemens aſſerit. Prædicto igitur anno Jubilæo inſtituto & publicato per totam Chriſtianitatem, innumerabilis populus utriuſque ſexus turmatim Romam perrexit pro prædictis Indulgentiis impetrandis. Cujus tanta fuit multitudo, ſicut quidam fide dignus ex peregrinantibus narravit, ut quotidiè infra dictum annum ad* 5000. *peregrinorum intrantes & exeuntes urbem Romæ computarentur.* Romæ requieſcens tanta Sanctorum multitudo pro cunctis peregrinantium ac etiam incolarum peccatis omninò potenter intercedit apud Dominum, atque ita Jubilæi Indulgentiam facit validam & ratam.

Liberalitatem denuò auxit Urbanus ſextus. Scribit enim Thomas Walſinghamenſis: *Dominus Papa Urbanus conſiderans vires hominum & ætates imminutas, conſtituit Jubilæum fieri, qui inciperet à Natali ſequenti, & in æternum poſteà ſemper revolutus triginta tribus annis, cunctis Chriſticolis volveretur, indicans videlicet annos ætatis plenitudinis Chriſti myſticos & idoneos ad renovandum Jubilæum.* Et in libris de Clementini ſchiſmatis origine Theodoricus à Niem: *Urbanus ultimo anno Pontificatus annum Jubilæi abbreviavit, ſcilicet ad ſingulos triginta tres annos, & conſtituit quod tunc anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo octavo in feſto Natalis Domini inciperet annus Jubilæus in urbe, & duraret per annum incluſivè. Prout & factum fuit. Sed ipſe Urbanus illum non vidit: Quia priùs ab hac luce migravit. Et innumerabiles peregrini toto illo anno, poſtquam incœpit Jubilæus, præſertim de Alemannia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Anglia, & aliis Regnis ac Provinciis, quæ fuerunt de obedientia Urbani, ad Urbem venerunt: Undè & maxima offertoria Eccleſiis & Baſilicis urbis per viſitatores data fuerunt, ſed reſiduum & major pars ad manus Bonifacii noni, & quorundam aliorum devenit.* Et Magnum Belgii Chronicon hæc omnia confirmat, etiam adductam à Thoma Walſinghamenſi, quæ Urbanum movit, rationem. Et adjungit de proximo Urbani ſucceſſore Bonifacio nono: *Anno Pontificatus Bonifacii primo, juxta ordinationem Domini Urbani Papæ ſexti, & ex hujus approbatione, plurimi qui obedientiam Bonifacio præſtabant, pro indulgentiis anni Jubilæi conſequendis de univerſis mundi partibus ad Urbem Romanam confluxerunt. Ille verò qui de Regno Franciæ erant, & alii ejus obedientiam repudiantes, hoc anno pro hujuſmodi Indulgentiis Romam non venerunt, ſed juxta primam ordinationem Clementis ſexti, anno Domini milleſimo quadringenteſimo, in maxima multitudine pro eiſdem Indulgentiis obtinendis Romam venientes limina Sanctorum viſitabant.* Graſſabatur tunc ſchiſma Clementinum, & Clementis ſucceſſor Petrus de Luna ſedebat Avenione, ſe oſtentans Benedictum decimum tertium. Hinc Gallia nec Urbanum nec Bonifacium pro legitimis Pontificibus, ſed habebat pro intruſis Idolis, ideoque & ab ipſis alteratum Jubilæi tempus refutabat. Et quidem poſt Con-

Lib. 1. cap. 68.

F. 300.

ſtantienſe Concilium & exſtinctum ſchiſma etiam Romana Eccleſia abjecit iſtam Urbani novitatem, rediitque ad Decretum Clementis. Et ita fuit uſque ad Paulum ſecundum, qui Jubilæi Indulgentias eſſe voluit quovis anno vigeſimo quinto. Et ita etiamnum vivimus.

Laudatum Belgii Chronicon addit de nono Bonifacio: *Poſtquam annus Jubilæus juxta conſtitutionem Urbani & approbationem iſtius Bonifacii tranſiit, Dominus Bonifacius unum annum ſub anni Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum forma Colonienſi civitati conceſſit, ita ut venientes Coloniam, vel ibidem habitantes, iſto anno mediante viſitantes certas Eccleſias ad hoc directas cum oblationibus ſuis, poſſent conſequi Indulgentias, quæ viſitantibus urbem Romanam in anno Jubilæo conceſſæ erant, videlicet pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum. Quo anno elapſo, ſimilis annus ab eodem Bonifacio ſub eadem forma conceſſus eſt civitati Magdenburgenſi. Et ad utramque hanc civitatem miſſus eſt Collector Papæ, qui certam partem recepit oblationum. Deindè Indulgentias ſimiles conceſſit viſitantibus alias nonnullas civitates Germaniæ ad certos menſes. Undè in Miſnia & Praga ex hujuſmodi conceſſione concurſus magnus populorum fuit. Deindè idem conceſſit multis locis Alemanniæ, ut viſitantes certas iſtorum locorum Eccleſias conſequerentur Indulgentias ſimiles, quæ erant quondam conceſſæ tali vel tali loco, ſeu tali vel tali Eccleſiæ, quæ in ipſo privilegio conceſſionis exprimebantur. De quibus locis vel Eccleſiis fama vulgaris erat, quòd ea vel eas viſitantibus conceſſæ olim eſſent à Sede Apoſtolica Indulgentiæ pleniſſimæ. Prædictæ verò Indulgentiæ non ſolùm concedebantur in locis inſignibus, ſed in villis etiam non muratis, & in Monaſteriis vel Eccleſiis ſitis in campis. Et in omnibus privilegiis conceſſionum prædictarum ponebatur clauſula*: Porrigentibus manus adjutrices. *Ita ut hujuſmodi Indulgentias, niſi qui ipſis locis vel Eccleſiis manum porrigeret adjutricem, nemo conſequi videretur. Undè quidam hujuſmodi conceſſiones non magni faciebant, ut quas lucro magis, quàm ex zelo inſtitutas à Papa ſuſpicabantur.*

Eandem gratiam habuerunt Leodienſis civitas, & Cameracenſis. Addit Erfordienſis de
C. 135. Thuringiæ Lantgraviis hiſtoria: *Anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio, in octava Paſchæ, inchoatus eſt annus Jubilæus in civitate Miſnenſi, ad preces Domini Wilhelmi Marchionis Miſnenſis, & duravit ſub omni modo, ſub pleniſſima remiſſione omnium peccatorum & pœnarum, ſicut in Roma tempore ſuo, uſque ad feſtum Sancti Andreæ Apoſtoli.* Etiam Theodoricus à Niem ſcribit: *Bonifacius ad diverſa Regna miſit Quæſtores, vendendo Jubilæi Indulgentiam offerentibus tantùm, quantùm eſſent expenſuri in via, ſi propterea iviſſent ad urbem.* Addit plura, quæ ſatius eſt ſilentio tegere. Nolim omittere hæc de Quæſtoribus verba: *Omnia peccata etiam ſine pœnitentia confitentibus relaxarunt.* Fuit Quæſtorum exceſſus, ideoque illum Joannes Launoius iniquè traducit in ipſum Bonifacium. Octavus ergò Bonifacius Jubilæi Indulgentias ſolis Romam pervenientibus, Clemens ſextus cunctis, licèt ob legitimum impedimentum non pertingerent, ejus iter ingredientibus, nonus Bonifacius dedit etiam domi remanentibus, dummodò donarent itineris impenſas. Et ad harum partem recipiendam miſit Quæſtores, at poſt lapſum Jubilæi annum. Et cuivis Regno aut Provinciæ deputavit ſuam civitatem. Et iſtud ipſum fecerunt Succeſſores. Etiam cum exceſſu, A Conſtantienſi Synodo damnatos Joannis vigeſimi tertii exceſſus ſuprà audivimus. Notanda ſunt Synodi verba: *Chriſti fideles ſeducendò.* Sunt deſumpta ex Sancto Cypriano. Quòd enim illegitimè profuſa Indulgentia ſit Pœnitentium ſeductio, laudatus Pater conſtanter ac frequenter adfirmat.

Et hinc inter abuſus, quos in Romana Eccleſia corrigendos juſſit laudata Synodus, fuit & hic: *De Indulgentiis*. Et ibidem promotus Martinus quintus eſt fideliter ac inſigniter exſecutus. A nono Bonifacio cœptam, quæ Jubilæi Indulgentias proximo anno extendebat ad Regna & Provincias, gratiam continuavit, verùm cum ſummâ caſtitate & moderamine. Etiam de illius ſucceſſore Nicolao quinto ſcribit Magnum Belgii Chronicon: *Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo fuit annus Jubilæus Romæ, & magnus populus ex omni natione perrexit Romam pro Indulgentiis.* Reverà celeberrimum fuit iſtud Jubilæum. Etenim ad ipſum Thomas Palæologus, Peloponneſi Deſpotes, Conſtantini Palæologi Imperatoris, à Conſtantinopolitanæ urbis expugnatoribus Turcis nuperrimè occiſi, germanus frater, Sancti Andreæ Apoſtoli caput detulerat, & ipſum ſolemniſſimè Pontifex in proceſſione circumtulerat. Omnem ſolemnitatem accuratè deſcribit Pius ſecundus in octavo libro rerum memorabilium ſui temporis. Pergit Belgii Chronicon: *Anno ſequenti Dominus Nicolaus Papa ad inſtantiam illuſtris Ducis Burgundiæ Philippi, unum annum ſub anni Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum forma conceſſit oppido Mechlinienſi, ita ut venientes Mechliniam, vel ibidem habitantes, ſi illo anno durante certas Eccleſias ad hoc directas cum oblationibus ſuis viſitarent, conſequi Indulgentias omnium peccatorum poſſent. Eodem anno Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Nicolaus de Cuſa, tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, per Alemanniam Legatus, ad ſuæ Legationis terminos fuit honorificè ſuſceptus. Omnibus ergò, qui in ſuæ Legationis terminis habitabant, verè contritis & confeſſis, & qui ad certas in diverſis Alemanniæ partibus Eccleſias, de conſilio ſuo & loci Epiſcoporum ac Prælatorum ordinatas, certam pecuniæ ſummam juxta bonorum ſuorum facultatem voluntariè in pios illius Patriæ uſus mox convertendam contribuerent, conceſſit Jubilæum, id eſt, plenam omnium peccatorum remiſſionem, non autem à pœna & culpa abſolutionem. Quia, ut ipſe in Synodo Provinciali nobis audientibus Magdeburgi per ipſum celebrata dicebat, Sedes Apoſtolica ſub his verbis*, A pœna & culpa, *Indulgentias numquam dare conſuevit, ſed bene omnium peccatorum remiſſionem.*

Et idem Cardinalis adjecit: *Si quis pro uno*

ſimpli-

ſimplici peccato mortali ſeptennem ageret pœnitentiam juxta Canonum Decreta, in forma per Bartholomæum deſcripta, & pro duplici peccato mortali, ut eſt adulterium & ſimilia, quatuordecim annis juxta præmiſſa pœniteret, nullam & tunc poſt hanc vitam ſubiturum pœnam. Si autem prædictam non ageret pœnitentiam, quod tunc in præſenti vita non perficeret, id poſtmodùm in Purgatorio uſque ad ultimum quadrantem debere perſolvi. Quia verò multis obnoxius criminibus talem pro peccatis mortalibus agere pœnitentiam vix poſſet, idcircò dicebat dari Indulgentias, ut vel ſic de theſauris Eccleſiæ ſuppleat, quod pro digna ſatisfactione ſibi ſentit deeſſe. Valde ergò eſt utile homini Chriſtiano tales Indulgentias promereri libenter, quibus purgata anima poſt vitam hanc mortalem poſſit ſine macula vultui Divinæ gloriæ in cœlo præſentari. Ut autem omnem Clerum & devotum populum ſuæ Legationis redderet aptum ad hujuſmodi Indulgentias promerendas, certos Confeſſores in civitatibus conſtituit, qui ſine pecunia, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, etiam in caſibus reſervatis confitentes abſolverent, dicens non eſſe abſolutos, nec Jubilæi gratiam promereri, qui ſuis Confeſſoribus contra mandatum dare quidquam præſumerent: Quibus tamen in ſuo diſceſſu plenam laboris mercedem ex præmiſſis ciſtis dari mandavit. Ipſe etiam ab omni munere manus ſuas puras ſervavit, quod tamen terræ Magnates & alii divites copioſè offerebant, eſculentis & poculentis, ſine quibus vita præſens tranſigi non poteſt, dumtaxat exceptis. Quæ omnia eiſdem verbis habes apud Joannem Buſchium in Chronico Capituli Windeshemenſis.

Et ex ipſis habemus varia. Primò, quòd Indulgentia non donet abſolutionem à culpa & pœna, ſed à ſola poſt culpæ remiſſionem reſtante, & per ipſam de æterna in temporalem commutata pœna. Culpæ remiſſio fieri debet per Sacramentum Sacerdotalis Reconciliationis. Cardinalis Cuſanus improbavit Bonifacii noni Quæſtores, qui Indulgentiis adſcribebant etiam remiſſionem culpæ. Secundò habemus, quòd pro unico adulterio agenda ſit ſeptem annorum pœnitentia, & quòd hæc ad plenam ſatisfactionem omninò ſufficiat. Quod poſterius an verum ſit, ignoro. Etenim primitiva uſque ad Zephyrinum Pontificem Eccleſia unicum etiam adulterium coegit ad perpetuam totius vitæ in cinere & ſacco pœnitentiam, & neque tunc abſolutionem dedit, ſed ſedenti ad Patris dexteram ſummo Pontifici noſtro reſervavit, ac remiſit judicandum. Et Magni Baſilii ad Sanctum Amphilochium ſcripta mollior diſciplina unicum adulterium ſubjicit pœnitentiæ quindecim annorum. Cardinalis tamen Cuſanus locutus eſt ex decimo nono Ancyrano Canone. Quin & ſexageſimus nonus Eliberinus Canon iſtud crimen cogit ad pœnitentiam ſolius quinquennii, Et hinc tertiò diſces, quid in Apoſtolicis Diplomatibus ſit mille, centum, aut quinquaginta annorum Indulgentia. Eſt remiſſio agendæ per tot annos pœnitentiæ. Quòd enim quidam horrendis & multis criminibus circumducti peccatores ad tot ac plurium annorum pœnitentiam obligentur, ac uſque ad extremi judicii diem ſint cruciandi in Purgatorio, poſſit demonſtrari authenticis documentis. Quartò diſcimus, quòd Nicolai quinti tempore Jubilæi Indulgentia necdum ad omnes civitates, oppida, & pagos extenderetur ſequenti anno, ſed dumtaxat ad unam Regni aut Provinciæ civitatem. Et quidem ob preces Regias, ac de ſingulari gratia.

Hanc generalem extenſionem primus feciſſe, ac ſemper faciendam ſanxiſſe videtur Paulus ſecundus. Etiam ipſe ad dandas quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Sodalitatibus, & Confraternitatibus ampliſſimas Indulgentias cœpit facillimus eſſe ac largiſſimus. Et quoniam pœnitentialem diſciplinam non parum per hæc lædi videbat, largitatem ſuam eſt poſteà inſigniter moderatus. Ejus conſtitutio exſtat in Extravagantibus communibus ad titulum de Pœnitentiis ac Remiſſionibus. Eadem liberalitas fecit Jubilæum annum negligi. Etenim multi patriis Indulgentiis contenti neglexerunt Romam accedere. Hinc Pauli Succeſſor Xiſtus quartus anno Jubilæo ſuſpendit omnes Indulgentias datas extra almam urbem: Etiam datas per modum Jubilæi. Et ita uſque hodie ſervatur. Quæ tamen ſuſpenſio non habet locum in Indulgentiis pro defunctis. Xiſtus diſertè loquitur de ſolis vivorum Indulgentiis. Porrò quidam exiſtimant datas ad Jubilæi modum Indulgentias eſſe Inſtitutum noni Bonifacii. Labuntur. Gratia eſt antiquior. Etenim quòd Clemens ſextus Baſileenſi, in quo Frater Thomas Argentinenſis fuit electus in Priorem Generalem Fratrum Auguſtinenſium generali Capitulo dederit plenas in Jubilæi forma Indulgentias, teſtatur gravis Scriptor Albertus Argentinenſis. Factum id eſt anno quinquageſimo primo quarti decimi ſæculi: Proximo anno poſt Romanum Jubilæum. Videtur Clemens hoc in iſtud Capitulum extendiſſe, atque ita extenſio iſta nono Bonifacio etiam eſſe antiquior. Poſteriores Pontifices plenæ Indulgentiæ gratiam jam pridem dant omnibus etiam Provincialibus Fratrum Mendicantium Capitulis. Quinimmò de Erfordienſi Patrum Prædicatorum Capitulo ſcribit Erfordienſis Lantgraviorum Thuringiæ hiſtoria: *Anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſexto Fratres Prædicatores in Er-* C. 138. *fordia celebrarunt Capitulum Provinciale cum anno Jubilæo, abſolventes advenientes contritos & confeſſos ibidem; authoritate Dei & Apoſtolica à pœna & à culpa.* À culpa per Sacramentalem reconciliationem, à pœna per Papalem Indulgentiam. Et hæc gratia non caret fundamentis. Iſta enim Capitula ſunt quaſi quædam Synodi. Et has ſpiritualibus gratiis foveri eſt antiquiſſima Patrum conſuetudo. Hinc de Martino quinto Pontifice ſcribit Magnum Belgii Chronicon: *Martinus Papa dedit gratiam Jubilæi ſemel in vita, & ſemel in morte omnibus iis, qui Conſtantienſi Concilio interfuerunt, dummodo feriam unam in hebdomada per ſeptimanam jejunarent.* Laborioſum fuerat Conſtantienſe Concilium: Hinc iſtos labores cum dicto jejunio ſufficientes credidit Pontifex, qui pœnitentem facerent ſatisfactioni proximum. Ab eodem Concilio Eccleſia accepit ſum-

ſummum fructum & gaudium: Hæc Pontifex credidit eſſe ſufficientem cauſam, ob quam aperiret theſaurum Eccleſiæ. Eadem ratio locum ſuo modo habet in Regularium Comitiis.

CAPUT X.

Indulgentiæ effectus, & ad ipſum neceſſaria diſpoſitio exponuntur.

MArtinus Kemnitius fatetur publicas & duras pœnitentias fuiſſe olim gravibus peccatis impoſitas ab Epiſcopis, eaſdemque ab ipſis relaxatas, & proſequitur: *Hæ fuerunt veteres Eccleſiæ ſive relaxationes ſive Indulgentiæ, à quibus quemadmodum Pontificiæ Indulgentiæ per omnia cauſarum genera ſint diverſæ, ex hac narratione & deſcriptione Indulgentiarum in principio expoſita, ſi fiat collatio, manifeſtum eſt, atque ideò nudam tantùm pono recitationem, relinquens lectori collationem diverſitatis.* Pontificiæ Indulgentiæ non tantùm impoſitas aut imponendas à Sacerdotibus pœnitentias remittunt, ſed etiam in futura vita debitas remiſſis peccatis pœnas: Eas omnes pœnas, quæ per iſtas pœnitentias deberent expungi. Hoc Dogma admittere non vult Kemnitius: Vult ſolas in humano, nullas in Divino judicio debitas pœnas fuiſſe remiſſas à primitivæ Eccleſiæ Sacerdotibus, ideoque inter noſtras ac illorum Indulgentias eſſe immenſum intervallum. Nec admireris. Audi quid de noſtris pœnitentiis ac ſatisfactionibus ſentiat: *Nec verò neſcius ſum veteres aliquandò nimis largiter, & verbis nimium magnificis diſciplinam illam Canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit, ſatisfactionibus illis peccata expiari. Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, ſanari, & Judicem placari. Auguſtinus Deum illis de peccatis præteritis propitiari. Ea talia ſunt, quæ ſalva fide nec poſſunt, nec debent, ſicut ſonant, accipi & intelligi.* Palàm profitetur horum Patrum Dogma à ſuo Martini Lutheri Dogmate eſſe penitus alienum: Noſtras pœnitentias vult nullius ponderis aut ſatisfactionis eſſe apud Divinam juſtitiam, ideoque per Epiſcopales iſtarum remiſſiones nobis nullum donari fructum in futuro ſæculo. Et ità paſſim ſentiunt Lutherani omnes & Calviniſtæ.

Et quidem quòd noſtræ, tam ſpontaneè aſſumptæ, quàm per Sacerdotes impoſitæ pœnitentiæ ſint vera apud Divinam Juſtitiam merita, quòd per ipſa omnium culparum imperremus Sacramentalem condonationem, quòd per ipſa uti per legitimas ſatisfactiones expungamus cunctas remiſſis peccatis debitas in futuro ſæculo pœnas, quòd ſint iſtius ſatisfactionis atque expunctionis legitimum pretium, eſt certa ac manifeſta Sanctorum Patrum, Apoſtolorum, ac ipſius Evangelii doctrina. Eſt demonſtratu longè facillimum. Sed non ſpectat ad hunc locum. Hìc dumtaxat aſſero non ſolas Canonicas aut Sacramentales pœnitentias remitti per Indulgentias ſeu Sancti Petri claves, ſed etiam remiſſis peccatis debitas in futuro ſæculo pœnas. Proindè Indulgentia habet duplicem effectum: Immediatum, ac mediatum. Immediatus eſt remiſſio Canonicæ aut Sacramentalis pœnitentiæ. Hoc eſt, & illius quam quis Sacerdos injunxit, & illius quam ſecundùm Canones poſſet injungere. Qui ſolas injunctas pœnitentias cenſent poſſe remitti per claves, palàm hallucinantur. Etenim in Deciana perſecutione lapſis nulla erat impoſita pœnitentia: Omnem Idololatriæ lapſum, uti à Sacramentalis abſolutionis pace penitus excludebat, ita pœnitentiæ actione non donabat tunc Eccleſia. Omnem lapſum jubebat flere, ac in cinere & ſacco pœnitere uſque ad extremum vitæ ſpiritum, & nulli faciebat illam gratiam, quam tertia-decima Toletana Synodus titulat *Pœnitentiæ donum*. Cap. 10. Perpetuam lapſorum pœnitentiam non imponebat per claves, ideoque per operis operati virtutem non adjuvabat: Ipſam nolebat facere Sacramentalem. Ita illos compellebat ad rigidiùs pœnitendum. Et tamen his Romana Eccleſia, Sanctus Cyprianus, & omnes paſſim Epiſcopi in quibuſdam caſibus dabant plenam Indulgentiam: Non injunctas, ſed illas, quas potuiſſent injungere, pœnitentias remittebant. Ejuſdem Sancti Cypriani, item Tertulliani, ac aliorum Patrum tempore non ſoli Audientes aut Subſtrati, ſed etiam Flentes accedebant Martyrum carceres & Confeſſorum metalla, ab ipſis ſupplicabant Indulgentiales libellos, ac ipſas etiam Indulgentias accipiebant ab Epiſcopis: Et tamen illis nulla adhuc erat injuncta pœnitentia. Hæc enim non injungebatur niſi in tranſmiſſione à Fletu ad Audientiam. Pluribus documentis poſſet iſthæc Eccleſiæ poteſtas demonſtrari. Et ſanè etiam laicus Princeps non ſolas jam inflictas à ſe, ſed etiam infligendas pœnas poteſt remittere. Et hinc Indulgentiarum in vivos diſtributio eſt vera abſolutio. Eſt abſolutio à vinculis injunctæ aut injungendæ pœnitentiæ. Quapropter illi, qui Purgatorii pœnas credunt immediatè remitti per Epiſcopos, aut qui credunt ita doceri ab Eccleſia, graviter deviant & errant.

Harum igitur pœnarum remiſſio eſt mediatus clavium & Indulgentiarum effectus. Claves ac Indulgentiæ remittunt non ſolas injunctas aut injungendas pœnitentias, ſed etiam futuri ſæculi pœnas, quæ per iſtas deberent remitti atque expungi. Alioquin Indulgentiæ non in ſolatium & ædificationem animarum cederent, ſed in gravamen ac deſtructionem. Pœnitentiam deſtruerent, lapſos à danda Deo ſatisfactione ſeducerent, & ipſos Divinæ iræ traderent caſtigandos in futuro ſæculo. Eſſent obnoxiæ cunctis exceſſibus, de quibus erroneam Feliciſſimi factionem frequenter arguit Sanctus Cyprianus. Porrò aſſertam hic à nobis veritatem ipſe docet in litteris ad ſuum clerum: *Qui libellos à Martyribus acceperunt, prærogativa eorum adjuvari apud Deum poſſunt.* Ep. 13. Et in proxima ad eundem Clerum Epiſtola: *Qui libellum à Martyribus acceperunt, auxilio eorum apud Dominum adjuvari in delictis ſuis.*

ſuis poſſunt. Et iſtud auxilium atque prærogativam ſtatim exponit: *Cum pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remittantur*. Hoc eſt, cum plena & à culpis & à pœnis abſolutione. Hæc enim erat pax lapſis poſtulata per Martyres. Et in ſermone de lapſis affirmat Martyres plurimum poſſe apud Divinam Majeſtatem, addit ipſorum libellos debere ſacris litteris, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Canonibus conformari, & poſt multa concludit: *Deus pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes*. Omnis hic ſermo, & cunctæ Sancti Cypriani Epiſtolæ per poſtulatam à Martyribus, & ab Epiſcopis datam pacem lucidè intelligunt plenam, quæ etiam apud Divinam Juſtitiam in futuro ſæculo ſuffragetur, peccatorum remiſſionem: Affirmant per legitimam Indulgentiam donari iſtud ipſum, quod donatur per plenam ſatisfactionem. Qui per hanc agnoſcit expungi in futuro ſæculo reſtantes dimiſſis peccatis pœnas, agnoſcit eaſdem expungi etiam per legitimas Indulgentias. Ubi iſtud Lutherani & Calviniſtæ agnoverint, etiam de hoc ſtatim deſinent dubitare. Eadem de cauſa unus Indulgentiæ effectus nequit dari aut valere ſine alio. Etenim ut quis purgatorias futuri ſæculi pœnas, & non pias in hac vita ſatisfactiones, aut has debeat, & non illas, eſt penitus impoſſibile. Et hinc Epiſcopale pro pœnitentibus factum, dum ipſum Divina miſeratio non refert in acceptum, eſt etiam irritum ac nullum.

Et ad hos effectus requiritur varia in pœnitente conditio ac diſpoſitio. Prima eſt Sacramentalis confeſſio & abſolutio, ac per ipſam obtenta remiſſio omnium culparum. Hanc aſſiduè laudat & neceſſariam affirmat Sanctus Cyprianus. In
Ep. 13. litteris ad ſuum clerum: *Qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, exomologeſim delicti ſui facere poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Ita loquitur in cunctis paſſim ſuis de hac re Epiſtolis. Requirit exomologeſim, manus impoſitionem in pœnitentiam, & impartitionem pacis: Quæ palam ſunt confeſſio, pœnitentiæ impoſitio, & abſolutio. Etenim culpa non per Indulgentiam, ſed per operatum Sacramenti opus debet condonari. Per idem debita peccato pœna, dum tota non expungitur, ex æterna debet mutari in temporalem. Et hanc ſolam remittit Indulgentia. Et hinc Bonifacii noni Quæſtores, qui & culpas & pœnas omnes ſuaſerunt per Indulgentiam remitti, etiam non confeſſis, meritò arguerunt Theodoricus à Niem & Nicolaus Cardinalis Cuſanus. Uti gravibus peccatis ante abſolutionem paſſim impoſita, ita & paſſim remiſſa fuit olim pœnitentia: Et ante illam Indulgentia nec habuit nec habere potuit ullum effectum.

Secunda conditio ſunt vera cordis contritio, ex ipſa procedentes lachrymæ, & varia piæ pœnitentiæ opera, quibus peccator redditur vicinus ſatisfactioni. Hiſce enim dumtaxat vicinis eſſe indulgendum conſtanter docuit Sanctus Cyprianus. Quòd peccata citrà omnem pœnitentiam remittere ſpectet privativè ad Divinam Majeſtatem, ſcribit in ſermone de lapſis. Etiam agonizantibus, quos ob Martyrum preces gratia donabant Epiſcopi, cenſuit Sacerdotalem manum imponendam in pœnitentiam. Per hanc manum aliqui malè intelligunt Sacramentalem abſolutionem. Erat manus, quæ ex Audientià tranſmittebat in Subſtrationem, difficillimam pœnitentiæ claſſem, & à qua quorundam Sacramentalis pœnitentia olim etiam incipiebatur: Plenam & non plenam pœnitentiam diſtinguit ipſe item Cyprianus: Plena omnibus quatuor, non plena conſtabat ſolis duabus poſterioribus, atque ita à Subſtratione ducebat exordium. Habebat diſpenſatoriam duorum priorum gratiam. Quocirca etiam agonizantes, licet ob Martyrum preces faceret plenam Indulgentiæ gratiam, ſine pœnitentia non abſolvit tunc Eccleſia, ſed coegit ad Subſtrationem, conſuetaſque manuum impoſitiones in pœnitentiam. Et ſolis illis, qui ſtatim à lapſu pulſaſſent Eccleſiæ fores ac pœnituiſſent ſeriò, fecit in agone gratiam, alios etiam à Sacramentalis Reconciliationis Viatico excluſit, judicans eſſe indignos in morte accipere ſolatium, qui viventes non cogitaverant ſe morituros. Et hinc pœnitentiales Presbyteri, qui plenæ Indulgentiæ diebus nullas aut modicas pœnitentias imponunt magnis peccatoribus, graviſſimè exorbitant, & plurimos fruſtrantur Indulgentiæ fructu.

Eadem de cauſa ad lucrandam Indulgentiam Apoſtolica Sedes pœnitentibus paſſim imponit etiam orationes intra certam Baſilicam, eleemoſynas, atque jejunia: Ut ipſos ita faciat vicinos ſatisfactioni. Hinc item ad Remigium Lincolnienſem Epiſcopum reſcripſit Gregorius ſeptimus: *Abſolutionem peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, authoritate Principum Apoſtolorum fulti, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris*. Et Dominus Cardinalis Cæſar Baronius rectè interpretatur: *Apparet Sedis Apoſtolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum ſuppetunt vires, benè operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus*. In Cæſar-Auguſtanæ à Saracenis detentæ civitatis expugnatione morientibus militibus plenam Indulgentiam dedit etiam Gelaſius ſecundus, & de reliquis ibidem in obſidione laborantibus adjunxit: *Qui pro eodem Domini ſervitio vel laboraverint, & qui præfatæ Urbis Eccleſiæ à Saracenis dirutæ, undè reficiatur, & Clericis ibi Deo famulantibus, undè paſcantur, aliquid donant vel donaverint, ſecundùm laborum ſuorum & beneficiorum Eccleſiæ impenſorum quantitatem ad Epiſcoporum arbitrium, in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & Indulgentiam conſequantur*. Ita habet epiſtola Apoſtolica ad Chriſtianum exercitum. Et Petri Cæſar-Auguſtani Epiſcopi ad omnes ſub cœlo fideles epiſtola: *Alii juxta beneficiorum ſuorum quantitatem, & operum ſuorum*

Lib. 1. Epiſt. 34.

A. 1073. nu. 71.

rum meritum conſequantur delictorum ſuorum remiſſionem. Exſtant epiſtolæ apud Annales laudati Cardinalis. Eodem modo in anno Jubilæo aut quavis alia Indulgentia non omnes plenam, ſed plurimi ſolam juxta ſuæ pœnitentiæ & aliorum bonorum operum merita & quantitatem conſequuntur remiſſionem. Prout nempè plenæ ſatisfactioni magis aut minùs per iſta acceſſerint.

Quæſtio eſt, An per Romanos Pontifices datæ plenariæ Indulgentiæ ſint ſemper legitimæ, validæ, ac apud Divinam Majeſtatem ratæ? Præſertim illæ, quæ jam paſſim ac ferè in dies dantur in feſtivitatibus quorumcumque Sanctorum? Quidam exiſtimant unius ſancti, exempli gratia Sancti Petri, apud Deum merita non eſſe tanta, ut ob illa quotannis detur omnibus ſub cœlo pœnitentibus plena remiſſio omnium peccatorum. Et ipſis favere omninò videtur Sanctus Cyprianus. Etenim hic ex Pauli Martyris nomine Indulgentialis libellus *Communicet ille cum ſuis*, non quotannis, ſed dumtaxat ſemel, nec pro tota Eccleſia, ſed pro unica dumtaxat poſtulabat familia, & tamen ipſum uti nimis generalem Sanctus Cyprianus omninò projecit. Eadem de materia ſcribit in libro de lapſis: *Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat, ſolus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo non poteſt eſſe major. Nec remittere aut donare Indulgentia ſua ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviori commiſſum eſt. Ne adhuc lapſo & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum: Maledictus homo, qui ſpem habet in homine. Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, qui negantem negare ſe dixit, qui omne judicium de Patre ſolus accepit. Credimus quidem apud judicem poſſe plurimum Martyrum merita, & opera juſtorum: Sed cum dies judicii venerit, cum poſt occaſum ſæculi hujus & mundi ante Tribunal Chriſti populus ejus adſtiterit. Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini Præcepta reſcindere, non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam: Nec miſericordiam priùs Dei deprecandam putare, ſed contempto Domino de ſua facultate præſumere. Sub ara Dei animæ occiſorum Martyrum clamant magna voce dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui in terris inhabitant? Et requieſcere ac patientiam tenere adhuc jubentur. Et quemquam poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis dignum fieri contrà Judicem velle, aut priùs quàm vindicetur ipſe alios defendere? Mandant aliquid Martyres fieri? Si juſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum, à Dei Sacerdote facienda ſunt: Obtemperantis fragilis & prona conſenſio, ſi petentis fuerit etiam Religioſa moderatio*. Addit etiam Noe, Moyſen, ac Danielem, tres juſtitiæ eminentiſſimos gigantes, in multis pro ſuo populo precibus non fuiſſe à Divina Majeſtate exauditos. Et conſumatos in cœleſti vita Martyres nec pro ſemetipſis ſemper exaudiri. Longè igitur minùs deſignatos Martyres ab Epiſcopis per omnia exaudiendos. Agit præſertim in iſtos Martyres, qui non uni perſonæ aut familiæ, ſed toti alicui civitati aut Diœceſi Indulgentias poſtulabant. Haſce preces affirmat exorbitare, eſſe pœnitentiæ everſivas, ideoque adverſari Evangelio. Quæ omnia videntur habere locum etiam in Indulgentiis, quas cunctis ſub cœlo pœnitentibus dant hodiè Romani Pontifices quotannis in feſto alicujus Sancti.

Adverſam tamen ſententiam ſuadet in quinto adversùm apoſtaticas Juliani Imperatoris blaſphemias libro Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Patriarchæ Moyſis pro duræ cervicis populo interceſſiones demonſtrat à Divina clementia fuiſſe frequenter exauditas, atque proſequitur: *Reges interdum aliquos in terris videre eſt præ animi impotentia ſævire in eos, à quibus vel incautis offenſionis aliquid acceperunt. Nec ullorum ſupplicationi cedere, quamvis maxima in dignitate conſtituti ſint. Non Ducibus, non aliis ſummi honoris inſignibus ornatis. Hic autem ſupremus omnium Deus unius juſti preces accipit*. Et infrà: *Atqui nos Moyſis poſteri diſcere debuimus ſummam Dei clementiam, & quantum apud ipſum virtus valeat, oratioque Sanctorum. An non ea res bona ſpe vitam implet? Nam ſi juſti unius preces ſuſcipit, cum vulgus interdum tam gravibus ſceleribus obſtrictum ſit, numquid omnes bono animo eſſe oportet, licet humanis infirmitatibus capti, ſacriſque legibus violatis videant ſuis capitibus imminere ſupplicium? ſufficiet enim ipſis, ut ſerventur, juſti unius oratio, ſi modò ſcelerum pœniteat*. Unius adhuc viatoris Moyſis orationibus adſcribit tantas apud Divinam Majeſtatem vires, ideoque Sancti Petri aut Sancti Pauli, aut cujuſcumque alterius glorioſi comprehenſoris preces omninò cenſet eſſe multò efficaciores.

Reſpondeo iſtas Indulgentias eſſe omninò validas ac ratas. Abundè patet ex ſupra adductis Tertulliani, Sancti Cypriani, ac aliorum Patrum teſtimoniis. Ille ſanctus, in cujus feſto Romanus Pontifex dat omnibus Eccleſiæ pœnitentibus plenas Indulgentias, non apud Epiſcopos, uti olim agebant deſignati Martyres, ſed apud Divinam Majeſtatem potentiſſimas pro illis preces interponit: Attamen iſtarum quoad varios pœnitentes ſunt varii effectus. Locum hìc habet laudata per Gelaſium ſecundum regula: *Quilibet Indulgentiæ fructum percipit juxta modum ſuæ pœnitentiæ ac meritorum*. Et duodecima Joannis Gerſonis in tractatu de Indulgentiis conſideratio habet: *Indulgentiarum conceſſio non eſt parvipendenda, ſeu contemnenda, ſed amplectenda devotè in fide, ſpe, & charitate Domini noſtri* JESU *Chriſti, qui poteſtatem talium clavium Eccleſiaſticarum dedit hominibus. Conſtat enim, quod fructuoſior eſt, & acceptabilior Deo & hominibus, operatio talibus innitens indulgentiis, quàm altera, & hoc cæteris paribus, non innitens. Conſilium eſt igitur ſolum vel ſanum, quod abſque curioſa diſcuſſione de præciſa, vel evidenti, & certa menſuratione ſeu quantificatione hujuſmodi Indulgentiarum ſtudeat*

deat homo priùs tales acquirere ſecundùm qualitatem ſuæ vocationis. Pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia facit & fecit in numero, pondere, & menſura. Poſtremò concedentes Indulgentias, taliter & in intentione, & in verbis, & in ſcriptis ſuas conceſſiones moderentur, ut nec Divinæ juſtitiæ cum miſericordia derogetur, nec ſcandalum, maximè puſillorum, præbeatur, vel ne facilis conceſſio majoris Indulgentiæ pro minimis vel exiguis cauſis pariat in arduis & legitimis pro Eccleſia vel Republica negotiis detrimentum. Quiſque & plenæ pro ſuis peccatis ſatisfactioni ſtudeat, & hocce ſtudium quotidianis etiam Indulgentiis conetur adjuvare. Quò iſtud ſtudium fuerit diligentius, eò hic conatus erit fructuoſior. Iſtud namque ſtudium nos aſſiduè facit viciniores ſatisfactioni, ideoque Indulgentiarum capaciores. Plures de hac materia quæſtiones relinquo ſcholaſticæ Theologiæ Profeſſoribus.

Reſtant argumenta Joannis Weſſeli, qui cenſuit ſolos in charitate perfectos eſſe aptos Dei Regno, & addidit iſtam perfectionem conferri non poſſe per Indulgentias. Iſta enim perfectio eſt omnium cupiditatum, licet non quoad motum, ſaltem quoad adhæſivum aſſenſum evacuatio, quam clarum ac certum eſt non niſi à ſolo immediatè Deo poſſe donari. Hinc ille intulit nullas, ſaltem plenas, Indulgentias poſſe donari per Epiſcopos. Reſpondeo iſtam majorem eſſe longè falſiſſimam. Etenim in primo libro de Baptiſmo adverſum Donatiſtas ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Sicut in Sacramentis veteris Teſtamenti vivebant quidam ſpiritales, ad novum ſcilicet Teſtamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes, ſic & nunc in Sacramento novi Teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt animales. Qui proficere ſi nolunt ad percipienda quæ ſunt ſpiritus Dei, quò eos hortatur ſermo Apoſtolicus, ad vetus Teſtamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant, ipſo profectu & acceſſu ad novum pertinent. Et ſi priùs quàm ſpiritales fiant, ex hac vita rapiantur, cuſtoditi per Sacramenti ſanctitatem in terra viventium computantur, ubi eſt ſpes noſtra & portio Dominus. Nec invenio quid veriùs intelligatur quod ſcriptum eſt: Imperfectum meum viderunt oculi tui. Quandoquidem ſequitur: Et in libro tuo omnes ſcribentur.* Quod præſertim verum eſt in illis, qui poſt criminoſam vitam baptizantur in ipſo mortis exitu, & ita cum bono Latrone audiunt: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Errorem enim continent hæc Sancti Gregorii Nyſſeni verba in oratione adversùm illos, qui Baptiſma in finem differunt: *Trifariam dividuntur res hominum in ea quæ exſpectatur vita. Et primus quidem erit ordo eorum, qui ſunt laudabiles & juſti. Secundus eorum, qui neque honorantur, neque puniuntur. Tertius autem eorum, qui pro peccatis dant pœnas. Ubi ergò eos ponemus, qui in exequiis accipiunt lavacri beneficium?* Conſtanter affirmat ipſos eſſe in ſecundo dumtaxat ordine: Eſſe donatos ſola remiſſione peccatorum, ideoque & immunes à gehenna, verùm alienos à gloria Regni. Et multis hæc confirmat. Verùm ſolus hæc docet in Eccleſia, ideoque & errat. Ubi eſt plena, utique & à culpa & à pœna futuri ſæculi, peccatorum remiſſio, non poteſt non eſſe gloria Regni. At verò talis remiſſio datur multis etiam in charitate imperfectis. Et ejus complementum dari omninò poſſit etiam per Indulgentias. Plena charitas illis non eſt meritum, ſed erit præmium. Per imperfectam hic vivunt, & viam ſibi parant ad perfectam, quam accipient in alterius vitæ exordio, atque ita inchoabunt & intrabunt Dei gaudium & regnum. Res hæc eſt alterius loci, & pluribus indiget elucidari. Agendum hic eſſet etiam de defunctorum Indulgentiis. Has item relinquo Doctoribus ſcholaſticis.

Ultrajectenſe, Moguntinum, & Brixinenſe Conciliabulum.

Brixinenſis Conciliabuli Acta compendio deſcribit Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Anno Domini milleſimo octogeſimo, cum apud Brixiam Noricam triginta Epiſcoporum Conventus, nec non & Optimatum exercitus, non ſolùm Italiæ, ſed & Germaniæ, juſſu Regis Henrici congregaretur, factus eſt omnium conſenſus adversùs Hildebrandum Papam, cognomento Gregorium ſeptimum, quem Pſeudo-monachum, totiuſque veſaniæ peſtiferum principem, & præcipuè ſanctæ Romanæ Sedis invaſorem affirmantes, ab Apoſtolica Sede depellendum, quamvis abſentem, deprædicabant, & Guibertum Ravennenſem Archiepiſcopum ipſi ſubrogandum eligebant. Hujus Decreti concluſio hæc eſt: Quia, inquiunt, illum conſtat non à Deo electum, ſed à ſe ipſo in fraude ac pecunia impudentiſſimè objectum, qui Eccleſiaſticum ſubvertit ordinem, qui Chriſtiani Imperii perturbavit Regnum, qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum defendit Regem, qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter conjuges divortia, & quidquid quietè inter piè viventes ſtare videbatur, concuſſit; Nos authore Deo congregati in unum, Legatis ac litteris freti decem & novem Epiſcoporum, die ſancto præteritæ Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contrà eundem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia & incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtione ponentem, hæretici Berengarii antiquum diſcipulum, divinationum & ſomniorum cultorem,*

mani-

manifeſtum Necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & idcircò à vera fide exorbitantem, judicamus Canonicè deponendum & expellendum, & niſi ab ipſa Sede his auditis deſcenderit, perpetuò condemnandum. Facta hæc ſunt ſeptimo Kalendas Julii, feria quinta, indictione tertia.

Iſtam, in qua ſe fundavit Brixinenſis, Moguntinam Pſeudo-Synodum memorat etiam Sigebertus Gemblacenſis: *Henricus Imperator in Pentecoſte conventu habito Moguntiæ, decrevit Hildebrandum à Papatu eſſe deponendum, & Longobardiam petens, Guibertum Ravennæ Epiſcopum pro Hildebrando Papam deſignat.* Præceſſerat & alia Ultrajectina Pſeudo-Synodus, de qua Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Ubi ad aures Henrici Regis & fautorum ejus anathema à Domino Papa factum perſonuit, infremuit factioſorum ſtrepitus, ac in Beati Petri Vicarium turpia & nefanda concrepans intonuit, dicentium magum eſſe, impoſtorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & ſi quid aliud adverſetur ſanæ doctrinæ. Non debere Regem, Imperatoris filium, qui non ſine cauſa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patricius, tutor, & defenſor eſſe deberet, tantam pati ſanctæ Dei Eccleſiæ conculcationem, ut homo omnium peripſema, pro ſuis ſceleribus juſtè puniendus, & meritò ab Eccleſia exturbandus, ſummam illam Regii nominis Majeſtatem impugnaret. Maledictum fruſtrà prolatum in eum, à quo proceſſerat, retorquendum. Ut qui Domino ſuo & Regi foveam paraverat maledictionis, eo immuni remanente, ille qui caput & cauſa mali erat, prior incideret in eam. Cum in hoc omnis perſtreperet Aula, decretum eſt communi conſilio, ut ille, qui reverendam à ſæculis Regiam Majeſtatem ab Eccleſia extorrem pronunciaverat, ab Eccleſiæ corpore ſegregaretur. Et Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui ſupra omnes eſt, ab his, qui ei ſubeſſe debebant, excommunicationi adjudicatus eſt. O dementia incomparabilis! furor indicibilis! inſania mirabilis! Quis, rogo, Imperatorum, quis Regum ad tantam proſilire auſus eſt protervam audaciam, inſanamve proterviam, ut Clavigeri cœleſtis Vicarium, cujus lingua eſt clavis cœli, Canonicè electum, ab omni Chriſti civitate ſuſceptum, benè viventem, recta docentem, ab Eccleſia alienandum pronunciaverit? Conventus hic apud ulterius Trajectum habitus eſt, ubi contrà Deum & hominem eſt diſputatum. Dies erat Sabbathi, & veſpere Sabbathi ipſa nocte Dominicæ diei illuceſcente, in Concilio malignantium conſtitutum eſt & deliberatum, ut in craſtino ad Miſſas in omnium audientia Papa excommunicaretur, quia auſus fuiſſet Regem & Dominum ſuum excommunicare. Juſtam eſſe hanc ſententiam, ut in quo peccaverat, puniretur. Aderat in conſeſſu illo iniqua gerentium Virdunenſis Theodoricus, & Poppo Tullenſis, & alii plures, qui etſi favebant Regiis negotiis, hoc tamen, quia Sanctorum Patrum obviabat Decretis, & ſanctionibus repugnabat Canonicis, averſati ſunt. Et quidem Tullenſi id officii à Rege impoſitum fuit, eò quòd eſſet mentis timidæ, & multæ inconſtantiæ, ut id negotium exequeretur. Sed ille, dum pavet ad ſingula, nec audet reniti, noctu cum Virdunenſi aſſumptis ſociis fugæ ſe credit conſilio. Solus Guilielmus Trajectenſis inventus eſt, qui dum heſternam ructat crapulam, poſuit in cœlum os ſuum, & lingua ejus in Dominum & Magiſtrum ſuum maledictionis intorſit jaculum. Sed non impunè. Nam cùm hoc inter ſacra Miſſarum peregiſſet ſolemnia, & peracto ſcelere datus in reprobum ſenſum ad eadem perexplenda accingeretur, ne vel in hoc à Judæ proditoris conſortio & merito ſepararetur, ubi Corpus Dominicum, in quod peccaverat, malè ſibi conſcius ſumpſit, ultio Divina manifeſtata eſt. Percuſſus eſt enim à Deo plaga inſanabili, ita ut cum horrore & ſtupore mirabili clamaret: Ardeo, ardeo. Quia corpus, quod vivificat, incendium illi pœnamque pariebat, quod exarſerat in eo, ſicut ignis in ſpinis, ut manifeſta in eo fieret ultio Domini. Nec datum eſt illi tempus, ut pœniteret, ſed mox ut ſenſit ignem in ſe graſſantem, in ſede corpore inclinato, dum clamaſſet, Sancta Maria, miſeram vitam miſerabili morte finivit.* Quòd in ſempiternas gehennas deſcenderit, eſt ſuprà demonſtratum. Et ipſe poſt mortem apparens eſt illud ipſum flebiliter profeſſus. Quòd in ignem tranſmutata Sacroſancta Euchariſtia etiam alium indignum ſumptorem aduſſerit, teſtatur in ſermone de lapſis Sanctus Cyprianus.

Porrò hæc Pſeudo-Synodus non hoc anno, ſed anteriùs fuit facta. Interim fuit præparatio ad hanc Brixinenſem. Et de hac ſcribit etiam Marianus Scotus: *Apud Brixiam Noricam triginta Epiſcoporum, magnæque partis Optimatum* 1080. *Regni conventus contra Hildebrandum Papam habetur.* Et Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Guibertus invaſit Sedem Apoſtolicam, à damnatis & excommunicatis, ſuique ſimilibus, in Apoſtaticum, non in Apoſtolicum electus. Quæ conſpiratio primùm facta eſt apud Brixiam, ubi congregati aliqui Epiſcoporum è Synagoga Satanæ, traditi in reprobum ſenſum, & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri, & Sanctam Sedem ejus Romanam Eccleſiam turpia & nefanda jacientes, ad plenitudinem damnationis ſuæ elegerunt Guibertum Hæreſiarcham de ſui ſimilibus, & deſperata ſuperbia Apoſtolicum eum vocantes, Apoſtatam, non Apoſtolicum effecerunt. Qui idcircò omnium fidelium odio dignior eſt, quia cum à Principibus, Henrico ſcilicet Rege depoſito, & cæteris hujus perditionis Miniſtris, quæſitum eſſet, quis ad impugnandum ſanctum virum, Papam videlicet Gregorium, falſitatis vexillum ſuſciperet, nemo omnium tam audax, tam præſumptor, tam deſperatus vel perditus inventus eſt, qui naufragium fidei ſubire deligeret, præter eum ſolum. Qui idcircò, credimus, Antichriſti negotium ſuſcepit, ut ruinam Archiepiſcopatus Ravennenſis, quem pro ſuis criminibus eodem Rege præſidente Synodali judicio perdiderat, ſuſceptione oblati periculi compenſaret. Aderat in Conventu illo numerus multus damnatorum, quos ad perſequendum amatorem juſtitiæ communicatio criminum & amor Principis illexerat: Eum ſolum invenit diabolus promptiorem, cui malitiæ ſuæ omnem principatum committeret. Suſcepit itaque Sedem Satanæ, & in Cathedra peſtilentiæ ſublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus fovea peccandi. Quæ autem fuerit ejus promotio ſeu inthronizatio, quomodo ad hanc dejectionem, &*

quam

quam præcipitanter adſcenderit, & à quibus execratus ſit, quæve eorum fuerit vita vel converſatio, & quid de Ordinato vel Ordinatoribus ejus ſentiendum ſit, Geberardus Salzburgenſis Epiſcopus, qui cuivis ſpeculum erat bonorum, interrogatus edicat.

Audiamus Geberardi litteras ad Herimannum Metenſem Epiſcopum, virum ſimilis ſanctimoniæ: *Guibertus, quondam Ravennas Archiepiſcopus, cum obedientiam, quam Apoſtolicæ Sedi juramento promiſerat, non attendere, ſed contra ipſam omnimodis ſuperbire ſtuduiſſet, in Romana Synodo inrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus eſt ab Apoſtolica Sede, & ab Epiſcopis totius Eccleſiæ. Nec hoc ſemel in una Synodo, ſed in omnibus Synodis, quotquot jam ſeptennio Romæ celebratæ ſunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus, & pro iiſdem inrecuperabiliter depoſitus & anathematizatus, Sedem Romani Pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpotè ſibi ſimilium, invaſit, legitimo Paſtore adhuc eidem Sedi præſidente. Ipſorum autem excommunicatorum nullus eum conſecrare, vel potiùs execrare præſumpſit, præter Mutinenſem & Aretinum Ex-Epiſcopos, qui ambo pro ſuis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerunt. Sed hi, etiamſi officium & communionem haberent, & Romana Sedes Paſtore vacaret, nullum tamen eidem Sedi Pontificem ordinare poſſent. Hujus enim ordinationis privilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis, Albanenſi, Oſtienſi, Portuenſi, à Sanctis Patribus eſt conceſſum. Ergò Mutinenſis & Aretinus Epiſcopi, juxta teſtimonium ſanctiſſimi Papæ Innocentii, non benedictionem, ſed damnationem, quam habuerunt, ſuo Ravennati imponere potuerunt. Nec illum in Romanum Patriarcham, ſed in perditiſſimum Hæreſiarcham promoverunt. Caveat igitur omnis Chriſtianus caput Anti-Chriſto inclinare, ſtatuam quam Nabuchodonoſor erexit adorare, ſicque ſe ipſius Hæreſiarchæ perniciosiſſimo anathemati innodare. Nam quicumque illi obedierit, qui dixit, Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo, certiſſimè in æternam damnationem ibit cum ipſo. Amen.* Laudata Innocentii verba habes in litteris ad Rufum Theſſalonicenſem ac alios Illyrici Epiſcopos, quæ adfirmant per hæreticæ manus impoſitionem vulnerari nobis caput, & adjungunt: *Qui quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit.*

Quòd Romani Pontificis conſecratio non per quoſvis, ſed per ſolos Hoſtienſem, Portuenſem, & Albanenſem Epiſcopos poſſit fieri, eſt antiquiſſimus Romanæ Eccleſiæ mos, & haud dubiè Apoſtolicum Inſtitutum. Ipſum laudat in Carthaginenſis Collationis Breviculo Sanctus Auguſtinus. Donatiſtis, qui Cæcilianum Carthaginenſem Primatem non à Felice Aptungenſi Epiſcopo Provinciali, ſed à Numidiæ Primate, uti Principem à Principe, debuiſſe ordinari, ideoque perperàm fuiſſe ordinatum contendebant, reſpondet: *Aliud habet Eccleſiæ conſuetudo,*
Lib. 3. cap. 16. *ut non Numidæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent, ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Hoſtienſis Epiſcopus.* Pergit Auguſtinus de Donatiſtis: *Hoc autem dicentes de ſua conſuetudine, quam neſcio quando inſtituerunt, Eccleſiæ Catholicæ præjudicare conabantur, quæ conſuetudo ſi antiqua eſſet, hoc ipſum objeciſſent Cæciliano, quando eum abſentem damnaverunt.* Secundus Tigiſitanus Epiſcopus, ac tunc Numidiæ Primas, quidem Cæciliano ſuperordinavit, ac in Carthaginenſem thronum intruſit Majorinum, attamen ob ſolam Provincialium, qui omnes Cæciliano manebant fideles, Epiſcoporum inopiam, non ex animo inducendæ iſtius novitatis. Hanc poſteà, ut ſuis in Cæcilianum & Catholicam Eccleſiam odiis fomenta adderent, Donatiſtæ ſibi confinxerunt. Ut enim Patriarcha, & quivis à Patriarchali manu exemptus Primas aut Metropolita conſecretur à propriis Suffraganeis, mandat antiquiſſima, ideoque & Apoſtolica conſuetudo. In quibuſdam Provinciis ſpectavit ad ſeniorem, in quibuſdam ad dignioris, aut etiam vicinioris civitatis Suffraganeum. Porrò de Hoſtienſi civitate, Anci Martii Regis opere, quam Almæ Urbis clientem & alumnam ap- Lib. 3. c. 21.
pellat Florus, ſcribit in libris de Gothico Imperatoris Juſtiniani bello Procopius Cæſarienſis:
Hoſtia urbs quondam magni nominis, nunc mœnibus Lib. 1. cap. 26.
planè nuda. Nempè ipſis ſpoliata per Gothos. Eam vocat Romanorum Navale. Rationem dat in Chronico Cæſarienſis Euſebius: *Portum Hoſtiæ Claudius exſtruxit, dextra levaque duobus quaſi brachiis objectis.* Fuiſſe ampliſſimam civitatem docent in Theodoſiano Codice lex quarta tituli de frumentario Romanæ urbis Canone, & lex unica tituli de pane Hoſtienſi. Hiſce de cauſis Sanctus Petrus Apoſtolus ſuos in ſupremo Romanorum Epiſcopatu Succeſſores voluit per iſtius Epiſcopos conſecrari. Et hinc inter alia Novatiani, primi Anti-Papæ, crimina ponitur, quod ſe per tres agreſtes, ab urbe remotos, vi & dolo ac ebrietate circumſcriptos & compulſos Epiſcopos fecerit conſecrari. Ita apud Eccleſiaſticam memorati Euſebii hiſtoriam habes in litteris Sancti Cornelii Pontificis ad Fabium Pa-
triarcham Antiochenum. Nempè iſta conſecra- Lib. 6. cap. 35.
tio tunc adeò ſpectabat ad Hoſtienſem Epiſcopum, ut iſti etiam ſimplices Epiſcopi alia via non potuerint ſeduci ad alienum jus invadendum. Et de Urſicino, Sancti Damaſi Anti-Papa ſcribit Socrates: *Perſuaſit quibuſdam obſcuris*
& abjectis Epiſcopis, ut in occulto ipſum crearent Lib. 4. cap. 24.
Epiſcopum. Ipſorum unum edicunt in precibus Theodoſio Imperatori porrectis Romani Presbyteri Fauſtinus ac Marcellinus: *Urſicinum Paulus Tiburtinus Epiſcopus benedicit.* Et Sancti Bonifacii primi Anti-Papam Eulalium fuiſſe à violenter attracto Hoſtienſi Epiſcopo conſecratum, ideoque Bonifacium debuiſſe conſecrari ab alio, habes in Auctuario Symmachi, Urbani tunc
Præfecti. Et de Liberii Anti-Papa Felice ſecun- Ep. 22.
do habet per Conſtantinum Cajetanum deſcripta ex Sancti Petri Archivo, & per Martinum Mileſium publicata Sancti Damaſi vita: *In Liberii locum Felix Diaconus ſubrogatur, quem Acacius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus conſecravit.* Quod ipſum in Illuſtrium virorum catalogo inſinuat Sanctus Hieronymus. Nempè Hoſtienſis Epi-

ſcopus Imperatori Conſtantio nolebat in hanc pravitatem cooperari. Et de Pelagio primo habet liber Pontificalis: *Dum non eſſent Epiſcopi, qui eum ordinarent, inventi ſunt duo Epiſcopi, Joannes de Peruſia, & Bonus de Ferentino. & Andreas Presbyter de Hoſtia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in Clero, qui eum poſſent promovere. Et multitudo Religioſorum, Sapientum, & Nobilium ſubtraxerant ſe à communione ejus, quia in morte Vigilii Papæ ſe miſcuiſſet, ut tantis pœnis affligeretur*. Nempè Pelagius, Vigilii adhuc Diaconus & apud Juſtinianum Imperatorem Apocriſarius, cum Theodoro Cæſarienſi apud Cappadoces Archiepiſcopo conſpiraverat adversùm tria Chalcedonenſis Concilii Capitula, & quinto, ob cujus denegatam confirmationem Vigilius fuit à Principe relegatus & tractatus crudeliſſimè, Concilio faverat, ideoque de ipſo ſcribit in Neſtorianæ ac Eutychianæ hæreſis Breviario Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ Archidiaconus: *Illud liquere omnibus credo,*
Cap. 24. *per Pelagium Diaconum & Theodorum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum hoc ſcandalum fuiſſe in Eccleſiam ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitavit, ſe & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc ſcandalum introivit in mundum*. Ita clamavit in lecto mortis. Iſta igitur de cauſa omnis Romanus Clerus & populus Pelagii electi communionem & conſecrationem eſt averſatus, atque ita ille debuit conſecrari per alienos Epiſcopos. Et quidem per ſolos duos: Contra Canones. Cur hi Hoſtienſis Eccleſiæ Presbyterum ſibi adjunxerint, edicit Cencius Camerarius in opuſculo de ritu Papalis conſecrationis: *Electus ab Epiſcopo Hoſtienſi ſpecialiter, & aliis Epiſcopis de Curia conſecratur. Hoc addito, quòd ſi fortè Hoſtienſis Epiſcopus præſens non fuerit, Archipresbyter intereſſe debet conſecrationi*. Exſtat opuſculum
A. 1091. apud Dominum Cæſarem Cardinalem Baronium. Et ad vocem, *Archipresbyter*, additur: *Portuenſis ſeu Velitrenſis*. Hæc verba omninò redundant. Quid enim privilegii poſſit Portuenſi aut Velitrenſi Archipresbytero competere ex abſentia Hoſtienſis Epiſcopi? Iſtud eſt omninò privilegium Archipresbyteri Hoſtienſis. Et ità di-
A. 554. ſertè affirmat Hermannus Contractus. Errat tamen ipſum tunc eſſe tertium conſecrantem. Ex eodem privilegio proceſſit quod ad Henricum Ravennæ Archiepiſcopum ſcribit de Parmenſis Epiſcopi Cadaloi in Apoſtolicam Sedem intruſione Sanctus Petrus Damiani Hoſtienſis Epi-
Lib. 3. ſcopus: *Nobis Epiſcopis per diverſa latibula fu-*
Epiſt. 4. *gientibus, Presbyter Hoſtienſis Eccleſiæ, ut Cadaloum ad Apoſtolatus culmen proveheret, raptus eſt à ſatellitibus Satanæ, & violenter attractus*. Adjungit Presbyterum procul dubio deponendum: *Quia ſui ſibimet privilegium Pontificis uſurpavit*. Videtur aſſerere à Presbytero illo tale quid etiam ob Epiſcopi abſentiam non potuiſſe attentari: Quòd nempè iſtud ejus privilegium tunc abiiſſet in deſuetudinem. Quidquid tunc fuerit, jam pridem abolitus eſt iſte mos: Iſte Archipresbyter eſt à tanto honore jam pridem remotiſſimus. Pergit liber Pontificalis de Sancto Leone ſecundo: *Sanctiſſimus vir ordinatus eſt à tribus Epiſcopis, Andrea Hoſtienſi, Joanne Portuenſi, & Placentino Velitrenſi, eò quòd Albanenſis Eccleſia Epiſcopum minimè habebat*. Et de Joanne quinto: *Hic conſecratus eſt à tribus Epiſcopis, Hoſtienſi, Portuenſi, Velitrenſi, ſicut Prædeceſſor ejus Leo Papa*. Et de laico in Papatum intruſo Conſtantino: *A Georgio Epiſcopo Præneſtino, & aliis duobus, Euſtratio Albanenſi, & Citonato Portuenſi conſecratus eſt*. Quòd nempè Hoſtienſis Epiſcopus tantæ iniquitati nollet cooperari. Habes hæc in vita Stephani quarti. Etiam Benedictum tertium fuiſſe ab Hoſtienſi & Albanenſi Epiſcopis conſecratum ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius, & adjungit: *Ut mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus eſt Pontifex. Portuenſis verò Epiſcopus prohibitus ab Eccleſia ordinationem, quam debuerat, ſuper eum nullatenus fecit, quod anathemati ſeſe junxerat, ac in perjurii voraginem ceciderat, atque manebat*. Et de Adriano ſecundo ſcribit Guilielmus Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Per Epiſcopos Reverendiſſimos, ſcilicet Petrum Cavenſem, Leonem Sylvæ candidæ, denique tertio loco Donatum Hoſtienſem, quia Epiſcopus Albanenſis obierat, Formoſus verò Portuenſis Epiſcopus ad prædicationem Bulgarorum deſtinatus exſtiterat, benedictionem Summi Pontificatus ſuſcepit*. Etiam Leonem octavum fuiſſe à Sicone Hoſtienſi, Benedicto Portuenſi ac Gregorio Albanenſi Epiſcopo ordinatum, teſtatur Romana Synodus Joannis duodecimi. Et de Gregorio ſeptimo ſcribit in Virdunenſis Eccleſiæ Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Licet* Papalis *ordinationis & conſecrationis privilegium ſolis Cardinalibus Epiſcopis, Albanenſi, Hoſtienſi, & Portuenſi, ſit commiſſum, Giraldus* Hoſtienſis, *quia aberat, exſpectatus non eſt, ſed qui ejus vices exſequeretur, ſubrogatus eſt*. Quòd nempè Gregorii conſecratio ex cauſis non pateretur moras. Quod horum trium Epiſcoporum privilegium laudant etiam in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem Sanctus Petrus
Damiani, Bertoldus Presbyter Conſtantienſis, Lib.
& in Sigeberti Gemblacenſis appendice Rober- Ep. 10.
tus Abbas Montenſis. Et adjungit: *Hoſtienſis*
Epiſcopus ex antiqua conſuetudine ordinat & ſa- A. 1182.
crat Romanum Pontificem. Quæ conſuetudo exinde accidit, quod martyrizato Beato Sixto & Sancto Laurentio ejus Diacono, Beatus Juſtinus Presbyter cum Clero Romano elegit Dionyſium in Pontificem Romanum, quem ſacravit Maximus Hoſtienſis Epiſcopus. Ex hac conſuetudine exindè Hoſtienſis Epiſcopus ordinat & ſacrat Romanum Pontificem, & habet Pallium ſolummodò ad ea, quæ pertinent in ordinatione & conſecratione Romani Pontificis. Hæc ex quo fonte Robertus habeat, ignoro. Fuit & ſacræ & prophanæ Antiquitatis peritiſſimus, & dives multis eruditis codicibus: Ex horum aliquo forſitan hauſerit. Ego malim iſtud fundari in Apoſtolico Canone, qui quemvis Patriarcham ac Autocephalum Primatem juſſit ab aliquo ſuo Comprovinciali Epiſcopo conſecrari. Quis Pontifex Hoſtienſi Epiſcopo Pallium dederit, etiam ignoro. Vaticanus & autenticus de Alexandri tertii Actis Codex laudat hunc Pontificem fuiſſe conſecratum ab Hoſtienſi Epi-

Epiſcopo, & adjungit: *Ad hunc ſolum Romani Pontificis conſecratio pertinet*. Et ejus Anti-Papam Octavianum, ſeu Pſeudo-Victorem quartum affirmat fuiſſe conſecratum ab Epiſcopo Malphitano, Ferentinenſi, & Tuſculano, additque fuiſſe *auſum temerarium*. Etiam Octaviani ſucceſ-
A. 1164. ſorem Pſeudo-Paſchalem tertium, quòd à Leodienſi Epiſcopo Henrico conſecratus fuerit, culpant Albericus, & Godefridus Coloniæ Monachus ad Sanctum Pantaleonem. Eodem igitur meritiſſimo jure Geberardus Salisburgenſis Epiſcopus damnavit ordinationem Guiberti.

Guibertus erat tunc pridem conſecratus Epiſcopus, ideoque per ordinationem intelligi debet Papalis coronatio ſeu inthronizatio. Nam & hæc ſpectat ad Hoſtienſem Epiſcopum. Guilielmus Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius exponit hujus conventiculi Acta, ac præſertim Guiberti inthronizationem: *Hunc talem*, utique Guibertum, *Henricus Rex adoravit pronus in terram, cui etiam, ſuadente Dionyſio Placentino Epiſcopo, juraſſe aſſeritur, ut ab eo Imperii coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus, omnes qui aderant præſentes, mente excœcati ſunt, ut non reſpicerent cœlum, ſed ad ejus veſtigia oſculanda, proh dolor, ſeſe pariter ter incurvarent. His ita peractis, Rex in apertam hæreſim lapſus, ad propria in Octavis Apoſtolorum regreſſus eſt; Guibertus verò hæreſiarcha, inſignitus Papalibus inſignibus, cum complicibus ſuis pomposè intravit Italiam*. Etiam in avitum Papalis conſecrationis locum hic conventus impegit. Papa enim, niſi graviſſima neceſſitas impediat, conſecrari debet Romæ in Vaticana Baſilica, ad corpus Sancti Petri. Victorem tertium, Guiberto Romanam Urbem occupante, fuiſſe electum ſcribit Magnum Belgii Chronicon, atque adjungit. *Victorem invitum pauci de Romanis ad culmen ſummi Sacerdotii trahunt, corruptiſque pecunia Leonianæ Urbis cuſtodibus, ob metum Schiſmatis, nocte conſecrandum in Eccleſia beati Petri inducunt*. Tanta eſt neceſſitas, ut conſecratio accipiatur in iſta Eccleſia. Et non de nocte accipi debet, ſed hora diei tertia. Victor maluit horam, quàm locum diſpenſatoriè prӕteriri.

Duravit hic Conventus à die vigeſima quinta Junii uſque ad diem ſextam Julii. Interfuerunt triginta Epiſcopi. Verùm Romani Pontificis ad ipſos non ſpectabat electio. In opere de Romanæ Eccleſiæ privilegiis Presbyter Cardinalis Deus-dedit affirmat Guibertum fuiſſe Cadaloicæ intruſionis Ante-ſignanum, & de hac ad ipſum Cadaloum ſcribit Sanctus Petrus Damiani:
Lib. 1. Ep. 20. *Quid tibi de Cardinalibus videtur Epiſcopis? Qui videlicet Romanum Pontificem principaliter eligunt*. Cadaloum notat, quòd non à Romanæ Eccleſiæ Clero ac populo, ſed electus fuerit à ſolis Placentino & Vercellenſi Epiſcopis, adeoque eſſet manifeſtè intruſus. Hoc ipſum in Guiberto damnat Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi vita, ſcripta per ejus Presbyterum Pœnitentiarium: *In Guiberti promotione Roma non quæritur, nec Romanus Clerus aut Populus*. Brixinenſi enim conventiculo adſuit unicus Presbyter Cardinalis Hugo Blancus, de quo idem ſcriptor: *Unicus adfuit Hugo nomine, candidus facie, nigerrimus mente. Cardinalis olim, ſed dudum pro ſuis ſceleribus juſtè excommunicatus & abjectus. Hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam. In loco ſi quidem horrido & aſperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames aſſidua, frigus penè ſempiternum, locus iſte vicus eſt pro Civitate, qui Brixinorum vocatur, altiſſimis circumdatus ſcopulis, ubi etiam vix nomen obtinetur Chriſtianitatis, promovetur. Hic principalis Eccleſiæ privilegia, hìc ſummi Sacerdotis jura, hìc Sanctorum Patrum inſtituta, hìc omnia evacuantur Canonica Decreta. Nimirum ſi qui rogaſſent, ut alium Cœlis imponeret Deum, quantum in ipſo erat, exiſtimo, faceret & confirmaret*. Utique Ex-Cardinalis Hugo. Infame adeò ſpectrum, ne ſine Cardinalibus viderentur eligere, triginta Epiſcopi ſibi adjunxerunt.

Quæſtiones variæ circa Brixinenſe Conventiculum.

PRima quæſtio eſt, An Guibertus ab hoc conventiculo fuerit reverà electus? Reſpondeò non fuiſſe. Fuit Regia excommunicati ac degradati Henrici nominatione intruſus. Diſertè hoc ſcribit in libris de Guibertino Schiſmate Lib. 1.
Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus: *Deindè, quia cum in eodem Decreto cautum eſſet, ut Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageretur, & poſteà Regi notificaretur, ipſi præfatum Decretum violantes, elegerunt, quod eis non licebat, priùs Cadaloum Parmenſem, poſteà Guibertum Ravennatem, induentes eos Apoſtolicis inſignibus vocantes Apoſtolicos, Apoſtatas Antichriſti prædeceſſores*. Laudat Synodale Nicolai ſecundi de Romani Pontificis electione Decretum, in quo ſunt hæc verba: *Eligatur ſalvo debito honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, ſicut jam ei conceſſimus, & Succeſſoribus illius, qui ab Apoſtolica Sede perſonaliter hoc jus impetraverint*. Henricus Rex Nicolai tempore erat adhuc puer, & Guibertus Parmenſis Clericus agebat ejus Cancellarium. Hic Decretum corrupit, & ita transformavit, ut non ſolius Regii conſenſus, ſed plenæ nominationis jus Henrico adſcriberet, atque hac peſſima arte effecit in Baſileenſi Conventu nominari in Papam, ac intrudi Cadaloum Parmenſem Epiſcopum in vacantem Cathedram defuncti Nicolai. Nam & Guibertus erat homo Parmenſis. Meliora per Sanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum edoctus Henricus hæc Attentata correxerat, nihilominùs ob inflictam ſibi à Gregorio ſeptimo degradationem actus in rabiem rediit ad eundem rabidum ſenſum, atque iſtum eundem jam Ravennæ Archiepiſcopum Guibertum in hoc Brixinenſi Conventiculo nominavit, atque violenter in Papatum intruſit. Quod ipſum in Caſſinenſis Monaſterii Chronico teſtatur Leo Hoſtienſis Epiſcopus Germanorum ac Longobardorum, qui Henricum in ſchiſmatica adversùs ſeptimum Gregorium expeditione ſeque-

bantur, Epiſcoporum cum Deſiderio Caſſinenſi Abbate & Romanæ Eccleſiæ Cardinale de Guiberti intruſione diſputationem refert, atque inter
Lib. 3. cap. 50. alia ſcribit: *Epiſcopi illi privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono & centum vigintiquinque Epiſcopis fecerat, proferebant, quo ſtatutum fuerat, ut nunquam in Romana Eccleſia ſine Imperatoris nutu Pontifex fieret, quod ſi contingeret fieri, ſciret ſe hujuſmodi non pro Papa habendum, ſed anathematizandum.* An integrum & ſanum, an verò corruptum à Guiberto Decretum allegaverint, infrà diſcutiam. Quidquid ſit, aſſeruerunt Pontificis nominandi Indultum Henrico fuiſſe à Nicolao datum, atque ejus vigore Guibertum eſſe promotum. Addiderunt plures Pontifices fuiſſe ita promotos, exemplis demonſtrare conati ſunt, atque ita tam hujus promotionis, quàm ipſius etiam Decreti juſtitiam evincere. Ejuſdem Deſiderii aliam cum ipſo Anti-Papa Guiberto de eadem re diſputationem exponit idem Leo. Et de Apoſtolicæ Sedis invaſione redargutus Hæreſiarcha, *ſe invitum id feciſſe reſpondit. Nam ſi facere id renuiſſet, jus ſuum profectò ab Imperatore adimendum aſſerebat.* Utique jus nominandi Pontificis. Et hoc tanto zeli impetu defenderunt iſti Epiſcopi, ut ad Papalis electionis ex Apoſtolico Canone libertatem provocanti, & Germanorum Imperatoribus nequidem Regium conſenſum deinceps permittendum aſſerenti Deſiderio Aſtenſis Epiſcopus *indignationem Regis & omnium ultra montes habitantium fuerit cum ſtomacho minatus.* Et tamen hic, licet Henrico adhæreret, non erat alienus à ſeptimo Gregorio.

Secunda quæſtio eſt, An Guibertina & Henriciana factio fuerit circa hoc punctum fundata? Reſpondeo nec ullum fundamenti fucum illi adfuiſſe. Lucet ex Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi variis ad ejus nugas reſponſionibus. Hæc eſt prima: *Quòd ſi admittendum eſt, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem & ejus Optimates, ſe ea conſtitutione indignos feciſſe. Primùm, quia poſteà præfatum Nicolaum, Colonienſem Archiepiſcopum pro ſuis exceſſibus corripuiſſe, graviter tulerunt, eumque hujus gratia, quantùm in ſe erat, à Papatu depoſuerunt, & nomen ejuſdem in Canone conſecrationis nominari vetuerunt, ideoque Decretum ejus de jure irritum eſſe debebit. Quia cùm à toto orbe Papa haberetur, juxta eorundem ſententiam eiſdem Papa non fuit. Quaſi non ex Dei, ſed ex eorum tantùm penderet voluntate, quempiam quidlibet eſſe vel non eſſe. Romanus enim Pontifex, ut ſapientes norunt, non modò deponi, ſed etiam nullo Chriſtiano jure poteſt à quolibet judicari.* Colonienſis ille Archiepiſcopus fuit ſanctus Anno. Ejus à Nicolao Pontifice caſtigatum delictum uſque huc ignoro. Forſan fuerint ejus lites cum populo Colonienſi. Porrò Nicolai Decretum erat precaria & ad nutum revocabilis in Henricum Regem gratia. Lucet ex adductis ejus verbis. Et iſta in Nicolaum audacia erat atrociſſima injuria atque ingratitudo. Hinc Anſelmus rectè ſcribit precariam gratiam ab ipſa fuiſſe exſufflatam. Inſigniter hæc illuſtrat in diſputatione cum Regio Advocato Sanctus Petrus Damiani: *Ecce compellis me vulgato ſermone depromere, quod ob Imperialis Palatii reverentiam decreveram ſilentio præterire, ſed juxta veſtræ ſcilicet exactionis inſtantiam jam in medium proferetur opus egregium veſtrum, ſæculis omnibus inauditum. Rectores enim Aulæ Regiæ cum nonnullis Teutonici Regni Sanctis, ut ita loquar, Epiſcopis conſpirantes contra Romanam Eccleſiam, Concilium collegiſtis, quo Papam per Synodalem ſententiam condemnaſtis, & omnia, quæ ab eo fuerant ſtatuta, caſſare incredibili prorsùs audacia præſumpſiſtis. In quo nimirùm non dicam judicio, ſed præjudicio id ipſum quoque privilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat, ſi dicere liceat, vacuaſtis. Nam dum quidquid ille conſtituit, veſtra ſententia decernente deſtruitur, conſequenter etiam id, quod ab eo Regi præſtitum fuerat, aboletur.* Sceleratum hunc conventum fuiſſe actum Baſileæ, affirmat Hermannus Contractus. Verùm hæc ejus Acta, utpotè pudenda, præterivit ſilentio.

Sanctus Anſelmus adducit & ſecundam reſponſionem: *Deindè, quia cum eodem Decreto cautum eſſet, ut Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageretur, & poſtea Regi notificaretur, ipſi præfatum Decretum violantes, elegerunt, quod eis non licebat, prius Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, poſteà Guibertum Ravennatem.* Affirmat non nominandi Pontificis facultatem, ſed ſolam Regii in factam electionem ac Electi perſonam conſenſus gratiam fuiſſe indultam à Nicolai Decreto, ideoque Regem & nuper in Cadaloi, & tunc in Guiberti intruſione graviter exceſſiſſe. Quòd ſit & veriſſima, & peremptoria reſponſio, palàm claret ex ipſo Nicolai Decreto. Et iſtud in libro de unitate Eccleſiæ advertit Venericus Vercellenſis Epiſcopus, ideoque poſt multa in ſeptimum Gregorium eructata convicia pergit: *Atque ideò ipſa, quæ verè erat & eſt Romana Eccleſia, cùm ſit Mater omnium Eccleſiarum, quæ aliquo pravo dogmate nec aliquando fefellit, nec aliqua hæreſi unquam falli potuit. Talis, inquam, ſancta Mater Romana Eccleſia, cùm non poſſet non miſereri filiis viſcerum ſuorum, qui per diſſenſionem Regis Henrici & Hildebrandi Papæ trahebantur, elegit ſumma neceſſitate Guibertum Ravennatis Eccleſię Epiſcopum ad Paſtoralem curam Romani Pontificatus, conſentiente pariter & agente Rege Henrico, pariterque Patricio Romanę Eccleſię. Neceſſitas autem non habet legem. Igitur factum non eſt hęreticę pravitatis errore, quòd conſenſit Guibertus adhuc Hildebrando viventi ſubrogari: Summa ſcilicet neceſſitate. Quoniam conſtat eum vixiſſe ad interitum Eccleſiæ pariter & Reipublicæ.* Blaterat Hildebrandum fuiſſe hæreticam Eccleſiæ ac Reipublicæ perniciem, ideoque omnem illi communicantem Clerum & populum excidiſſe à Romana Eccleſia, degeneraſſe in prophanam Synagogam, & illam migraſſe ad ſolam Regis Henrici communionem. Quoniam vera Romana Eccleſia labi non poteſt in hæreſim, longè minùs ipſam docere. Cum omnibus hæreticis garrit veram Chriſtianitatem periiſſe de toto terrarum orbe, & contractam eſſe ad ſua Conventicula: Ad ſolam Africam,

ad

ad ſolam Phrygiam, aut etiam ad ſolam Maſtrucam Sardorum. Garrit cunctos veræ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos ſediſſe in Brixinenſi Synodo, ab his electum Guibertum, Henricum Regem conſcripſiſſe electioni, atque ita ipſam factam Canonicè juxta Decretum Nicolai. Schiſmatica pertinacia eruditum virum coegit ita delirare. Manifeſtum enim eſt Brixinenſi conventiculo nullam adfuiſſe Romanam Eccleſiam, ideoque Guibertum Regiæ nominationis violentia fuiſſe intruſum.

Sanctus Anſelmus addit tertiam reſponſionem: *Prætereà præfatus Guibertus, aut ſui, ut ſuæ parti favorem adſcriberent, in eodem Decreto quædam addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à ſe diſſidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria ſibi concordantia valeant inveniri. Quale autem Decretum eſt, quod à ſe ita diſcrepare videtur, ut quid in eo credi potiſſimum debeat, ignoretur?* Cardinalis Deus-dedit hæc omnia indidit ſuo operi contra Simoniacos & Schiſmaticos invaſores, atque adjunxit: *Excommunicatio autem, quæ in præfato Decreto terribiliter profertur, à Guiberto aut à ſuis fautoribus indita ſolummodò creditur, quoniam in antiquioribus hujus Decreti exemplaribus longè aliter habetur. Et hæc quidem ſuper eos veniet, qui eam in ſui favorem ibidem indidere: Et ſuper eos, qui eam timendam dicere præſumunt. Super illos quidem, ut incidant in foveam, quam fodere, & ut apprehendat eos captio, quam occultavere.* Iſta corruptio putatur facta ſtatim poſt mortem Nicolai Pontificis. Guibertus tunc erat Regis Henrici Cancellarius. Et hac de re ſcribit Herman-

A. 1061. nus Contractus: *Romæ Nicolao Papa defuncto, Romani coronam & alia munera Henrico Regi tranſmiſerunt, eumque pro eligendo ſummo Pontifice interpellaverunt. Qui ad ſe convocatis omnibus Italiæ Epiſcopis, generalique Conventu Baſileæ habito, eadem impoſita corona Patricius Romanus appellatus eſt. Deindè cum communi omnium conſilio Parmenſem Epiſcopum in ſummum Romanæ Eccleſię elegit Pontificem.* Regia authoritate nominavit.

A. 1063. Quod ipſum lucidè affirmat Lambertus Schafnaburgenſis: *Gerardus Papa, qui & Nicolaus, obiit. In cujus locum per electionem Regis & quorundam Principum Parmenſis Epiſcopus eſt ſubſtitutus.* Utique Cadalous. Per Italiæ Epiſcopos Hermannus intelligit ſolos Epiſcopos Longobardiæ. Hi enim ſoli ſpectabant ad Germanicum Imperium. Eadem de re ſcribit in Collectaneis de antiquis Pontificum Geſtis Nicolaus Aragonenſis: *Cùm in urbe Romana hęc*, jam nobis dicta per Hermannum Contractum, *agerentur, Longobardorum Epiſcopi, tam Simoniaci & incontinentes, quàm alii facinoroſi, authore Guiberto Parmenſi, convenerunt in unum, & conſimilium Clericorum multitudine congregata, communiter ſtatuerunt, ut aliundè non deberent Papam accipere, quàm de paradiſo Italię, & talem perſonam, quę eorum infirmitatibus compateretur & condeſcenderet. Quo facto aliquos ex ipſis ad Imperatricem ultra montes miſerunt, qui ejus animum quibuſdam veroſimilibus figmentis allicerent, & ſibi propitiam facerent. Venientes autem ad eam, ſuggeſſerunt quòd filius ejus ita in honorem Patriciatus deberet ſuccedere, ſicut in Regia dignitate. Prętereà impudenter aſſerebant, quòd Nicolaus Papa ſtatuerat Decretis ſuis, quòd nullus deinceps haberetur Romanus Epiſcopus, niſi priùs eligeretur à Cardinalibus, cui poſteà accederet conſenſus Regis.* Conjugatos & Simoniacos, in Longobardia præſertim graſſantes, Epiſcopos & Clericos Nicolaus Pontifex duriſſimis Decretis compeſcuerat, & redegerat ad avitam diſciplinam. Etiam Gerardum Galeriæ Comitem excommunicaverat ob gravia crimina, & exſtinctis facibus tradiderat perpetuo anathemati. Ita in præfata diſputatione affirmat Sanctus Petrus Damiani. Et Longobardorum Epiſcopis favebat Guibertus Cancellarius, Longobardus & ipſe, utpotè Parmenſis. Hæ igitur vulpes poſt Nicolai mortem conjunxerunt caudas, & conjurarunt deinceps non admittere Papam niſi de paradiſo Italiæ, id eſt, de Longobardia: Et non niſi talem, qui ſuis infirmitatibus miſerando condeſcenderet, id eſt, ipſis permitteret uxores & Simoniam.

Hunc in finem puero Regi Henrico miſerunt Regia inſignia, crearunt Romanorum Patricium, ac ejus matri piiſſimæ Principi Agneti perſuaſerunt Romano Patricio fuiſſe à Nicolao Papa indultam Romani Pontificis nominationem. Et hac via Agnes ex ſui filii nomine nominavit Cadaloum, utique commendatum à Guiberto. Et ille ſtatim ſacrilega Clericorum conjugia inſtaurare promiſit, atque ita ſuos ſectatores facere non tantùm Cadaloitas, ſed etiam Nicolaitas. Nicolaus Aragonenſis rectè dicit à Longobardiæ Epiſcopis quoſdam fuiſſe è ſuo gremio Legatos ad Imperatricem. Quòd ſolus cum Vercellenſi Epiſcopo Dionyſius Placentinus fuerit Legatus, atque hi ſoli duo Cadaloum inthronizarint, disertè in ſuis ad hunc litteris teſtatur Sanctus Petrus Damiani. Et quòd hi Auguſtæ Agneti ſuaſerint ad Papæ promotionem ex Nicolai Decreto requiri Cardinalium ſuffragia & Regium conſenſum, eſt penitus devium à vero. Quomodo enim piiſſima Princeps tunc nominaſſet? Proindè certum eſt, quòd iſti turbines ſuaſerint ac perſuaſerint à Nicolai Decreto eſſe Principi indultam Pontificis nominationem. Altè id clamant hæc Lamberti Schafnaburgenſis verba: *Cauſabantur Romani Principes, quòd* A. 1064.
Rex eis inconſultis Romanę Eccleſię Pontificem conſtituiſſet. Et ob eam injuriam meditari defectionem videbantur. Propter quod placuit Colonienſem Archiepiſcopum Romam mitti. Qui veniens eò, cùm aliud turbatis rebus invenire non poſſet remedium, judicavit ordinationem, quę inſcio Senatu Romano facta fuiſſet, irritam fore. Et ſic amoto Parmenſi Epiſcopo, per electionem eorum Anſelmum Lucenſem Epiſcopum pro eo ordinari conſtituit. Ita Anſelmus Lucenſis Epiſcopus factus eſt Alexander ſecundus.

Proindè Guibertus Cancellarius tunc corrupit Nicolai Decretum. Ita ipſum transformavit, ut Romano Imperatori ac etiam Patricio permitteret Romani Pontificis nominationem. Et hinc meliora edoctus Sanctus Anno, & per ipſum inſtructi Regina mater ac omnes Proceres ſtatim

ſtatim diſceſſerunt à factæ nominationis Attentato, deſeruerunt Cadaloum, & eligi permiſerunt Alexandrum ſecundum. Et ſic hodie in Synodorum tomis exſtans, & ſuprà à nobis explanatum, quod Romano Imperatori ac Cæſari Regium conſenſum permittit in Papalem electionem, Nicolai Decretum nullo modo eſt fictum aut depravatum, ſed legitimum atque integrum. Lucet ex laudata Sancti Petri Damiani diſputatione: *Privilegium invictiſſimo Regi noſtro ipſi quoque defendimus, & ut ſemper plenum illibatumque poſſideat, vehementer optamus.* Et infrà: *Abſit à nobis, ut propter cujuslibet hominis inſolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem ſui juris amittat, & quem, authore Deo, votis omnibus præſtolamur ad Imperiale faſtigium, non permittimus ob alienam culpam incurrere Regiæ dignitatis detrimentum.* Agit de privilegio Regii conſenſus, & de Baſileenſis conventiculi in Nicolaum ſecundum Pontificem inſolentia. Porrò Romani, quos adversùs Cadaloi intruſionem interceſſiſſe ſcribit Lambertus Scafnaburgenſis, Principes erant moti à Dominis Cardinalibus & omni Romana Eccleſia. Et horum potiùs, quàm iſtorum jus ille debuerat urſiſſe.

Audiamus & quartam Sancti Anſelmi reſponſionem: *Sed ut tandem invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus, unus ſcilicet Patriarcha, cum quolibet Epiſcoporum Concilio non potuit abrumpere, immò nec mutare non obviantia fidei Decreta Sanctorum quinque Patriarcharum, ſcilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, Conſtantinopolitani, & ut ex numero præfatis Synodis appoſito colligi poteſt, Sanctorum Patrum numero ducentorum quinquaginta, & eo ampliùs:* Epiſcoporum, ac præſertim Romani Pontificis, Regiam nominationem affirmat ac demonſtrat damnari fermè à cunctis, quibus omnes quinque adfuerunt Patriarchæ, generalibus Conciliis, præſertim à ſecundo Nicæno, cui adfuerunt plusquam ducenti & quinquaginta Epiſcopi. Affirmat hæc omnia per Patriarchalem Nicolai Synodum evacuari non potuiſſe, aut immutari. Adducit & alia Romanorum Pontificum contra Regiam in Canonicas Epiſcoporum electiones violentiam Decreta, atque concludit: *His itaque decurſis, patet præfatum Decretum nullius eſſe momenti, nec unquam aliquid virium habuiſſe. Hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum ſententias Dei ſpiritu conditas ſequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret, ſurripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigiſſe, cùm quidam ipſius Deceſſor inveniatur decreviſſe, & meliori uſus conſilio poſteà immutaſſe. Siquidem Bonifacius ſecundus legitur ex Decreto conſtituiſſe Vigilium Diaconum ſibi in Pontificatu ſuccedere. Quod quia Romano Clero viſum eſt Canonibus adverſari, præſente Clero ab eodem ſuppoſitum eſt igni ante confeſſionem Beati Petri Apoſtoli. Et certè præfatus Nicolaus, ſi tot Patrum ſententias tunc in unum collectas vidiſſet, eas ſuo Decreto tam concorditer adverſari perpendiſſet.* Bonifacii ſecundi Decretum, & circa ipſum Acta ſunt nota Eruditis. Ejuſdem ſententiæ fuit Deſiderius Caſſinenſium Abbas, Romanæ Eccleſiæ per Gregorium ſeptimum creatus Cardinalis, & poſt ipſum Victor tertius. Etenim de ejus cum Germanorum Epiſcopis diſputatione pergit Leo Hoſtienſis Epiſcopus: *Cùm illi oſtendiſſent privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono & Epiſcopis centum viginti quinque fecerat, ut nunquam in Romana Eccleſia ſine Imperatoris nutu fieret, quod ſi contingeret fieri, ſciret ſe hujuſmodi non pro Papa habendum, ſed anathematizandum; Deſiderius hujuſmodi rationibus occurrit, dicens neque Papam, neque Archidiaconum, neque Epiſcopum aliquem, ſeu Cardinalem, vel quemlibet omninò hominem, licitè id facere potuiſſe. Sedes enim, inquit, Apoſtolica Domina eſt noſtra, non ancilla, nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: Et ideò nulla omninò ratione ſub jugum à quoquam mitti poteſt. Quod à Nicolao Papa factum eſt, injuſtè profectò ac temerè præſumptum eſt. Non tamen cujuſque ſtultitia vel temeritate amittit Eccleſia dignitatem ſuam, neque vos id ſentire ulla ratione debetis. Neque, favente Deo, ultrà continget, ut ex Alemanni Regis nutu Papa ordinetur.*

Nodoſa ſunt hæc teſtimonia. Videntur non ſolam Romani Pontificis perſonam, ſed etiam Patriarchalem ipſius Synodum affirmare fallibilem in generalibus motum Decretis, ideoque eidem infirmitati etiam Apoſtolicam Sancti Petri Cathedram ſubjicere. Hinc ad hæc evadenda aliqui reſpondent Anſelmum ac Deſiderium non de integro ac ſano Nicolai Decreto loqui, ſed de vitiato per Guibertum Cancellarium. At certum eſt errare. Etenim & Anſelmus & Deſiderius palàm loquuntur de Decreto, quod Imperatori Henrico indulſit non Papalem nominationem, ſed ſolum Regium conſenſum. Præterea vitiatum à Guiberto Decretum non erat Synodale Nicolai, & ob iſtud Nicolaus non poterat argui. Proindè reſpondeò primò, Papalis electionis formam nec ad Chriſtianum dogma, nec ad generalem Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſed eſſe rem indifferentem, mutabilem ex rationibus, vario tempore mutatam, & adhuc fortè mutandam, ideoque in ipſa valere hanc à Sancto Auguſtino in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas ſcriptam regulam: *Ipſa plenaria Concilia ſæpè priora poſterioribus emendantur,* Lib. 2. *cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* cap. 3. Affirmat non Romanum tantummodò Pontificem, ſed etiam Generale Concilium in ſimilibus poſſe circumſcribi ac errare. Reſpondeo ſecundò, circa iſtud Decretum non Nicolaum ſecundum aut ejus Synodum, ſed Sanctum Anſelmum ac etiam Cardinalem Deſiderium fuiſſe circumſcriptos. Nicolaum ab illis ſine fundamento culpari. Fateor Regium in factas electiones conſenſum adverſari Eccleſiaſticæ libertati: Eum tamen à Barbaris Erulorum Regibus inchoatum Imperatori Juſtiniano ac ejus uſque ad Conſtantinum quartum Succeſſoribus permiſit Romana Eccleſia. Sine ipſo Magnus Gregorius noluit conſecrari. Eundem exſtinctum

reſumpſit Imperator Ludovicus Pius, & ejus Succeſſores dudum continuarunt. Ad eundem Henrico Regi indulgendum Nicolaus ſecundus fuit inductus à magnis rationibus. Et cur iſtud ſine omnium quinque Patriarcharum aſſenſu, id eſt, ſine generali Concilio non potuerit facere? Hinc interim nota, quòd Sanctus Anſelmus nonniſi quinto loco ponat Patriarcham Conſtantinopolitanum. Quia nempè tertium Conſtantinopolitanum & vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem Romana Eccleſia uſque tunc non admiſerat.

Quæſtio tertia eſt, An iſtud Nicolai Decretum fuerit caſſatum à Gregorio ſeptimo? Reſpondeo fuiſſe. Hinc enim ad adhærentes Henrico Regi Epiſcopos dixit Abbas & Cardinalis Deſiderius: *Non ultrà continget, ut ex Allemanni Regis nutu Papa eligatur*. Et Regis ac totius Germaniæ indignationem comminanti Aſtenſi Epiſcopo repoſuit *conſtantia conſueta, neque Regem, neque totum ſimul orbem, ſi in unum conveniret, ſe ab hac depellere poſſe ſententia. Poteſt quidem, inquit, Imperator ad tempus, ſi tamen id permittat Deus, vim libertati Eccleſiaſticæ inferre, noſtrum tamen ad hoc nunquam poterit inclinare conſenſum*. Sed ubi eſt hoc Gregorii Decretum? Quidam exiſtimant ipſum eſſe ſeptimi Gregoriani Concilii primum Canonem. Et inter hos eſt Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus. Verùm iſte Canon non Regium conſenſum damnat, ſed ſolam inveſtituram. Et de ſolis Epiſcopis atque Abbatibus agit, non de Romano Pontifice. Proindè reſpondeo Nicolai Indultum in Henrici degradatione fuiſſe à Gregorio circumductum. Erat enim non Decretum, ſed dumtaxat perſonale Indultum, ideoque cum civili Regis morte exſtinctum & ſepultum. Et hinc Deſiderius conſtanter affirmavit nulli Allemanno Regi deinceps permittendum. Undè & Calixtus ſecundus, licet Henrico quinto circa Epiſcopales electiones aliquid dederit, Romani Pontificis electionem ſervavit in pleniſſima, qua & hodiè gaudet, libertate.

Quarta quæſtio eſt, Quæ Henricum Regem occaſio permoverit ad hanc ſchiſmaticam Guibertinæ intruſionis audaciam? Reſpondeo fuiſſe permotum à ſibi inflicta per ſeptimum Gregorium degradatione. Henricum, quòd crimina ſua non corrigeret, tandem plenè degradavit Gregorius, & Rudolpho Sueviæ Duci Germanicum, ad quod ipſum Saxones elegerant, Imperium confirmavit, miſitque Imperialem coronam inſcriptam hoc verſu: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*. Hanc pœnam digerere non valens Henricus, primò Moguntinam, deindè Brixinenſem celebravit Curiam, & hocce horrendum jam pridem Wormatiæ inchoatum facinus complevit. Audiamus rem ab Othone Friſingenſi Epiſcopo in libris de Geſtis Frederici primi Imperatoris: *Cùm ſub Imperatore Henrico, qui inter Reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, Imperium graviſſimè ſciſſum fuiſſet, parteque maxima Optimatum Principi ſuo rebellante, tota pene Regni latitudo ferro & flamma fœdaretur, Gregorius ſeptimus, qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem, tanquam à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitatem eò vehementiùs indignatione motum ſuſcepit Imperium, quò nunquam ante hæc tempora hujuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania apud Boiariæ civitatem Brixinorum, in ipſo Pirenæo haud procul à valle Tridentina ſitam, coadunatis Epiſcopis, Princeps Curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus, injurias ſibi à Romana Eccleſia irrogatas affectuosè conqueritur, quòd videlicet ipſo inconſulto, qui tanquam Rex & Patricius, primus in electione ſuæ urbis Epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi Pontificem præfeciſſent, cùm à patre ſuo Imperatore plures ibidem quaſi ſine electione inthronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eò faciliùs contra Romanam Eccleſiam inclinari poterant, quò & laici ſæcularis honoris conſideratione accenſi, & Epiſcopi conſilio Clericorum ſuorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis caſſanda judicatur, Guibertuſque Ravennatenſium Archiepiſcopus, Clemens vocatus, aſſenſu Principis creatur Urbis Epiſcopus, Gregoriuſque ſeptimus ab ipſis Pſeudo Monachus & Necromanticus appellatus exſufflatur*. Quod ipſum affirmat in libro de unitate Eccleſiæ Venericus Vercellenſis Epiſcopus, ac alii paſſim Scriptores. An porrò Reges degradare primus cœperit ſeptimus Gregorius, eſt ſuprà diſcuſſum.

Quod ad hocce facinus conjugati & Simoniaci Clerici & Epiſcopi ſint potentiſſimè cooperati, authentici item Scriptores affirmant. Calcar addidit Simoniaca ipſius Henrici avaritia, de qua ad Anti-Papam Guibertum declamat Sanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus: *Rex tuus ſine intermiſſione vendit Epiſcopatus ſuos, Edicta proponens, ut nullus habeatur Epiſcopus, qui à Clero electus, vel à populo fuerit expetitus, niſi præceſſerit honor Regius. Quaſi ipſe ſit hujus oſtii oſtiarius, de quo veritas dicit: Huic oſtiarius aperit*. Et infrà: *Vos Eccleſiæ Catholicæ, quam invaſiſtis per totum Regnum, quod quia intùs cecidit, foris diu ſtare non poterit, membra diſtrahitis, & in ſervitutem redacta, quaſi vile mancipium in veſtrum dominum redigitis, & Divini juris libertatem veſtro obſequio mancipatis, dicentes omnia Imperatoris juris eſſe ſubjecta, Epiſcopatus, Abbatias, omnes omninò Eccleſias, cùm Dominus dicat, Eccleſiam meam, Columbam meam, Oves meas. Paulus dicit: Nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron. In parte tua quis præficitur, niſi quem aut gratia ex hauſto fœnore, aut munus à manu, aut munus à lingua, aut munus ab obſequio attraxerit? Quis moribus, quis honeſtate, quis vitæ integritate eligitur? Perſequendi ſunt itaque lupi; vitandi ſunt univerſi, qui ad hoc, ut hæretici fiant, promoventur*:

tur: Qui lepram Giezi cum divitiis ſuis poſſident, & mala quæſita mercede non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum congregant.

Quibus ex verbis diſcimus varia. Primò, quòd poſt intruſum Guibertum Rex Henricus non tantùm Epiſcopatus & Abbatias vendere perrexerit, ſed iſtam iniquitatem inſuper Edictis firmarit & legibus. Utique ad Gregorii contra Simoniam Decreta exſufflanda. Et huc fortaſſe reſpicit in litteris ad Comitiſſam Mathildim Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, ſcribens de Caſſinenſium Abbate Deſiderio, jam promoto in Victorem tertium: *Decreta Domini ſui Papæ Gregorii, aliorumque ſanctorum Patrum, non ſolùm verbo apertè improbavit, verùm etiam manifeſtis operibus poſteà deſtruxit.* Poſt ejectum è ſede Gregorium graſſanti per omnem Italiam Henrico placere ſtuduit Deſiderius, atque ita ut ejus ſacrilegis præſumptionibus non refragaretur, videtur Gregorii adverſùm Simoniacos & conjugatos Clericos ſanctiſſima Decreta improbaſſe ac infregiſſe. Attamen Deſiderio adverſatus fuit Hugo, ideoque loqui poſſit ex
F. 231. affectu aut ſuſpicionibus. Ejus Epiſtola exſtat apud Hugonem Flaviniacenſem. Secundò diſcimus, quòd Henricus, quò Epiſcopatus & Abbatias ſecurius poſſet vendere & expilare, dixerit omnia ipſorum temporalia ſpectare ad Principem, rem propriam à ſe exigi, ideòque nullam hic eſſe Simoniæ ſpeciem. In tantas errorum tenebras ſolet pravas mentes Simonia dejicere. Tertiò diſcimus Simoniaca Regna jam intus cecidiſſe, ideòque brevi etiam foris lapſura. Nam & hoc Francorum Regibus olim minitatus fuit Magnus Gregorius. Quartò diſcimus, quòd per Regiam Simoniam paſſim intrudantur homines viliſſimi. Quintò, quòd hi non ſint Paſtores, ſed lupi ab omni populo vitandi. Sextò, quod exinde congregati nummi ſint theſauri criminum. Ut ergo hanc mercaturam dimittere non cogeretur, Henricus Rex cenſuit noſtrum Gregorium ex Apoſtolica ſede extrudendum.

Quinta quæſtio eſt, Quas cauſas & quæ crimina allegaverit contrà Gregorium? Reſpondeo palmarem cauſam eſſe nobis jam dictam ab Othone Friſingenſi Epiſcopo: *Ubi omnibus advenientibus, Henricus injurias ſibi à Romana Eccleſia irrogatas affectuosè conqueritur, quod videlicet ipſo inconſulto, qui tanquam Rex & Patricius, primus in electione ſuæ urbis Epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi Pontificem præfeciſſent, cum à Patre ſuo Imperatore plures ibidem, quaſi ſine electione, inthronizati fuerint.* Legitimè creatum Pontificem Henricus ſcivit nec à ſe poſſe ejici, nec per ullam Synodum degradari: Hinc dixit Gregorium eſſe illegitimè intruſum, ideoque quibuſdam criminibus accedentibus poſſe extrudi. Addidit à ſe non Patri ſuo permiſſam ac uſitatam nominandi Pontificis facultatem, ſed prætendi ſolum Regium conſenſum, ideoque Gregorii intruſionem eſſe manifeſtam. Et hinc criminoſi cum Proceribus Epiſcopi aſſumpſerunt ipſam Guibertinæ corruptelæ denuo intrudendæ in Decretum Nicolai Pontificis, atque ita Regis non tantùm in Regii conſenſus, ſed in Papalis nominationis audaciam circumſcribendi. Verùm fabula non fuit nixa firmis fundamentis. Etenim Regis Henrici Apologus longè aliter ſcribit. Affirmat Henricum à Gregorio fuiſſe excommunicatum, atque proſequitur: *Cernens Rex Apoſtolicum ad hoc tendere, ut ſe Regno privaret, nec alia ſua obedientia contentum, niſi ut Regno renunciaret, ex obedientia in rebellionem, ac ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apoſtolico facere parabat, quod Apoſtolicus ſibi facere intenderat. Ceſſa obſecro, Rex glorioſe, ceſſa ab hoc molimine, ut Eccleſiaſticum caput de ſuo culmine dejicias, & in reddenda injuria te reum facias. Injuriam pati, felicitatis eſt; reddere, criminis. Quærebat itaque Rex cauſas & occaſiones, qualiter eum ejiceret, inventumque eſt eum Romanam Sedem olim abjuratam inſediſſe. Quam idcircò abjuraverit, quia ad eam, dum Archidiaconus eſſet, adhuc vivente Domino ſuo per ambitionem adſpirare voluerit. Utrum hæc vera ſint, an falſa, parum comperi. Alii aſſerebant, alii figmentum eſſe dicebant. Utriſque Roma fuit in argumentum. His, quod Roma mundi Domina nunquam pateretur tale nefas; illis, quod ea cupiditatis ancilla facilè ob pretium permitteret omne nefas.* Schiſmaticam degradandi Pontificis audaciam damnat ac deteſtatur, de Gregorii adverſus Nicolai ſecundi Decretum intruſione nec unum verbum adducit. Erat enim fabula. De danda nominandi Pontificis facultate Nicolaus nec ſomniarat, & in Canonicam Gregorii electionem Henricus omninò dederat Regium conſenſum. Apologus aliud adducere nequiit, niſi damnatum in Formoſo etiam Pontifice perjurum ambitum. Etenim hic è Portuenſi ſede degradatus jurarat Epiſcopatum nunquam reſumere. Hinc Sergius tertius ipſum judicavit intruſum, ideoque licet jam defunctum, extrudendum. At in Gregorium noſtrum fuit manifeſta calumnia. Lucet ex ejus in degradatorio Henrici diplomate ad Sanctos Apoſtolos Petrum ac Paulum juratis verbis: *Valde invitus, cum multo dolore, & gemitu, & planctu in throno veſtro valdè invitus ſum collocatus.* Undè & hic ipſe Apologus non præſumpſit calumniæ adſtipulari. Eſt enim una ex calumniis & mendaciis Cardinalis Bennonis.

Porrò crimina, quæ Gregorii prætextæ intruſioni Brixinenſis Conventus voluit ad ipſum extrudendum adminiculari, ſuprà audivimus ab Abbate Uſpergenſi. Fuerunt mendaciſſima ſomnia præfati Bennonis. Otho Friſingenſis Epiſcopus ipſa appellat convitia & detractiones. Et præfatus Henrici Apologus nullam penitus ipſorum fecit mentionem. Et infenſus Gregorii hoſtis Venericus Vercellenſis Epiſcopus hæc dumtaxat ſcribit: *Conſtat Hildebrandum vixiſſe ad interitum Eccleſiæ pariter ac Reipublicæ.* Præcipuum crimen, ex quo illum cenſet Papatu indignum, continuò aſſerit eſſe fugam, qua invaſam ab Henrico Romam deſeruit Gregorius, & fugit ad civitatem Salernitanam. Ab Henricianis trucidari Pontifex non ſine cauſa timuit, ideo-

ideoque ſecutus eſt hoc Nazianzeni Gregorii Præceptum: *Lex noſtra ſancit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem prodamus per ignaviam, quamdiu autem licet, pericula ipſa ne provocemus, ſive animarum noſtrarum metu, ſive ut iis conſulatur, qui periculum nobis inferunt.* Ob hanc legitimam fugam Venericus clamat Gregorium non Paſtorem fuiſſe, ſed mercenarium, ideoque ejiciendum. Verùm non reſpondet ad rem. Etenim hæc fuga fuit Brixinenſi conventu poſterior, & nos hìc quærimus cauſas Brixinenſis Attentati. Et de cunctis iſtis calumniis Gregorius ſe ſolemniſſimè per ſumpram Euchariſtiam olim apud Canuſium expurgavit. Purgationis ſeriem exponit Lambertus Schafnaburgenſis.

Orat. 10.

A. 1077.

De Brixinenſi Conventu addit Otho Friſingenſis Epiſcopus: *Communi conſilio Pontifici Scriptum convitiis & detractionibus plenum dirigere præſumpſerunt, inter cætera dicentes; Sicut hactenus ſolebas dicere, quia nullus noſtrum eſſet Epiſcopus, ita ſcias quia nulli noſtrum deinceps eris Apoſtolicus.* Reynerus Reyneccius vulgavit iſtius Conventiculi litteras, quibus eſt hæc epigraphe: *Henricus non vſurpativè, ſed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando, jam non Apoſtolico, ſed falſo Monacho.* Et hoc eſt exordium: *Hanc talem pro confuſione tua ſalutationem promeruiſti, qui nullum in Eccleſia ordinem prætermiſiſti, quem confuſionis, non honoris, maledictionis, non benedictionis participem non feceris.* Eſt ſcurrile ſcomma, & libellus famoſus, ideoque non recitandus. Interim nec necromantiam, nec concubinatum, nec homicidia, nec hæreſim improperat Gregorio, ideoque profitetur illum ab iſtis fuiſſe immunem. Ipſum ſolummodò notat de invaſa per Simoniam Sede Apoſtolica, de Tyrannico in Epiſcopos ac omnem Clerum dominatu, & de ſui Regis attentata degradatione. Et cur hoc Attentatum ſit crimen, edicit: *Regem ſanctorum Patrum traditio ſoli Deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, niſi à fide, quod abſit, exorbitaverit, deponendum aſſeruit, cùm etiàm Julianum Apoſtatam providentia ſanctorum Epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli Deo deponendum commiſerit.* Et tandem Epiſtola concludit: *Tu igitur omnium Epiſcoporum noſtrorum judicio damnatus deſcende, vindicatam tibi Sedem Apoſtolicam relinque, alius in ſolium Sancti Petri adſcendat, qui nulla violentia Religionem palliet, ſed Beati Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus: Deſcende, deſcende.* Similes litteras ſcripſit Henricus ad Romanæ Eccleſiæ Clerum & populum, quarum hæc eſt concluſio: *Exurgite in Hildebrandum, fideliſſimi, & primus in fide ſit primus in ejus damnatione. Non autem ut ſanguinem ejus effundatis dicimus, quippe cùm major ei poſt damnationem pœna ſit vita quàm mors; ſed ut eum, ſi nolit, deſcendere cogatis, & alium communi omnium Epiſcoporum & veſtro conſilio à vobis electum in Apoſtolicam Sedem recipiatis, qui quod iſte in Eccleſia vulneravit, curare velit & poſſit.* Brixinenſe Attentatum mandat mitti in executionem.

Notanda ſunt prioris Epiſtolæ verba: *Qui nulla violentia Religionem palliet.* Damnant Gregoriana adversùm Simoniacos & conjugatos Clericos Decreta, & potentem ipſorum executionem. Ea blaterant ſanæ Sancti Petri doctrinæ adverſati. Nempè Henricus ad hæc omnia præſumenda erat à Simoniacis & conjugatis Epiſcopis ſeductus. Notanda item ſunt hæc verba poſterioris Epiſtolæ: *Alium communi omnium Epiſcoporum & veſtro conſilio à vobis electum.* Demonſtrant Henricum de facta Guiberti per Regiam nominationem intruſione erubuiſſe. Guibertum jam intruſerat, & tamen Romano Clero ac populo addicit Canonicam electionem. Nempè noverat Romanam Eccleſiam à Regiæ nominationis violentia eſſe alieniſſimam, ideoque ipſam circumducit per mendacia. Verùm adducta per Otthonem Friſingenſem verba, *Sicut hactenus ſolebas dicere, &c.* in neutra ſunt Epiſtola, ideoque ſcripta fuit & alia. Et hæc latet, aut interiit. Henriciana ad Sanctum Annonem Colonienſem Antiſtitem Epiſtola habet quid ſimile: *Nullum Hildebrandi judicio licet eſſe Sacerdotem, niſi qui hoc à faſtu ejus emendicaverit.* Quidam exiſtimant Gregorium argui, quòd ſanxerit nullum Epiſcopum ſine ſua prævia confirmatione poſſe deinceps à Metropolitis conſecrari. Et certè hoc ex Apoſtolico Canone eſt avitum jus cujuslibet Patriarchæ, ideoque per Gregorium omninò potuerat reparari. Attamen ipſum Gregorius non fecit: Et iſta Epiſtola eſt ſpuria & ficta. Et licèt maledicentiſſima ſit, tamen nec necromantiam, nec concubinatum, nec hæreſim impingit Gregorio, ideoque lucet haſce calumnias eſſe impudentiſſima mendacia ſolius Bennonis. Et adducta per Friſingenſem Othonem verba impetunt ſanctiones, quibus quoslibet Simoniacos & conjugatos Epiſcopos Gregorius degradavit. Utraque lepra maximè tunc graſſabatur in Clero Germaniæ atque Longobardiæ.

Sexta quæſtio eſt, An hæc Gregorii degradatio & Guiberti intruſio ſtatim habuerint effectum & executionem? Reſpondeo non habuiſſe. Etenim ipſe etiam Henricus de iſta intruſione erubuit in adductis ad Romanum Clerum ac populum litteris, dumtaxat retulit degradatum Gregorium, & ipſis addixit Canonicam novi Pontificis electionem. Et Brixinenſis Conventus Guiberto non mutavit nomen, ideoque ipſum necdum habuit pro ſuo Pontifice. Guibertus adhuc manſit Guibertus, non ampliùs Ravennas, & necdum Romanus Pſeudo-Epiſcopus, ſed factus militum Dux in Henrici exercitu. Audi rem à Bertholdo Conſtantienſi: *Henricus in Italiam, aſſumpto Apoſtata ſuo Guiberto, iterùm Romam inviſurus, proficiſcitur, adunata multitune ſchiſmaticorum. Ibique ea æſtate moratus, penè in caſſum laboravit, niſi quod milites ſuos quibuſdam caſtellis, ut facerent guerram Romanis, impoſuit. Quia eum nec hac vice Romam intrare permiſerunt. Ignem quoque in domum Sancti Petri per quemdam traditorem immittere voluit, ſed Dei miſericordia protegente non potuit. Cogitavit enim ut de improviſo portas irrumperet, ſi Romani derelictis propugnaculis ad incendium reſtinguendum concurrerent. Undè ignem domibus quibuſdam*

dam Sancti Petri immitti fecerunt. Sed Dominus Apoſtolicus huic verſutiæ obviavit. Nam primùm viſo incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſit, ipſeque ſolus, fiducia Sancti Petri fretus, facto ſigno Crucis contra incendium, ignem progredi ulteriùs non permiſit. Igitur Henricus, capto venerabili Epiſcopo de Sutria, aliiſque nonnullis, ſuoque Apoſtata Guiberto in Tiburtina urbe ad infeſtandos Romanos derelicto, ipſe Longobardiam revertitur. Poſt Brixinenſe conventiculum, Ex-Rex Henricus aſſiduis armis ſtuduit Romam capere, ejicere Gregorium, ac intrudere Guibertum. Sed dudum non potuit. Et interim ipſum ſecutus eſt Guibertus non ut Papa, ſed ut miles. Bertholdus adjungit: *Porrò Henricus totam Italiam adeò conturbavit, ut nullus ſecurus ad limina Apoſtolorum ire poſſet, qui non priùs abjuraret, quòd ad Papam Gregorium non eſſet diverſurus.* Et ita fuit uſque ad iſtius ſæculi annum octogeſimum tertium. Tunc Divina Providentia Romam permiſit ejus Schiſmaticis violentiis, ſequenti anno Gregorius fugit Salernum, Guibertus fuit intruſus in Lateranenſe Palatium, vocatus Clemens tertius, & ſe oſtentans uti Epiſcopum Romanum. Ita profitetur in libro de unitate Eccleſiæ Venericus Vercellenſis Epiſcopus, & alii paſſim Scriptores. Et in decurſu oſtendetur.

Septima quæſtio eſt, Quid Eccleſia de iſto Brixinenſi Attentato judicaverit? Reſpondeo Geberardi Salisburgenſis Archiepiſcopi ſenſum lucere ex adducta ejus epiſtola. Sancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi ſenſum jam item audivimus. Apud Conrardum Abbatem Uſpergenſem exſtat fragmentum epiſtolæ, qua Guibertum de audacia conſtanter corripit idem Anſelmus, atque adjungit de Gregorio: *Ut ergò de beato Gregorio Patre noſtro dicam, quod de Cornelio ſcripſit beatus Cyprianus, factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium, & ut veriùs dicam, omninò omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc aderat ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante eum factus eſſet, cum Alexandri locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Sacerdotalis Cathedræ vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate atque omnium noſtrum conſenſu ordinato, quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habet Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet unitatem. Quiſquis ille fuerit, licet multum de ſe jactans, ſibi plurimum vindicans, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cùm poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debet, factus eſt, jam non ſecundus eſt ille, ſed nullus.* Anſelmus hæc verba deſumpſit ex Sancti Cypriani ad Antonianum Epiſcopum epiſtola, quæ demonſtrat Sanctum Cornelium fuiſſe legitimè promotum ad Sancti Petri Cathedram, ideoque illi ſuperorordinatum Novatianum patenter eſſe intruſum idolum. Et addit hæc vera eſſe etiam in Gregorio & Guiberto. Et de ipſo pergit dictus Abbas: *Hæc priori*, utique Brixinenſi, *ſententiæ valde contraria ſcripſit Anſelmus Epiſcopus, qui litteris apprimè eruditus, ingenio acutiſſimus, facundia præcipuus, & quod omnibus majus eſt, in Dei timore & ſancta converſatione nominatiſſimus, adeò ut tam in vita quàm poſt mortem referatur miraculis clarus.* Quæ omnia conſtanter prædicarunt etiam Sanctus Petrus Igneus Albanenſis Epiſcopus, Otho Epiſcopus Oſtienſis, aliique per Italiam & Galliam, ac ipſam etiam Germaniam ſimiles viri, atque ita Eccleſiam firmarunt in obedientia Gregorii.

At verò Wecilo Moguntinus, Venericus Vercellenſis, aliique in Germania præſertim ac Longobardia Epiſcopi docuerunt Imperatorem non poſſe degradari, nec illi præſtita fidelitatis Sacramenta ſolvi per Romanam Eccleſiam, ideoque Gregorium eſſe Eccleſiæ ac Reipublicæ perturbatorem, authorem perjuriorum, Papalis poteſtatis abuſorem, turbulentum falſi Dogmatis prædicatorem, ideoque Papatu legitimè ejectum. Quam doctrinam ſuſcepit etiam Clerus Leodienſis Eccleſiæ. Lucet ex ejus litteris apologeticis adversùs Paſchalem ſecundum. Quin & aliqui eundem errorem conati ſunt perſuadere venerabili & conſtanti Eccleſiaſticæ poteſtatis vindici Herimanno Metenſi Epiſcopo, ideoque is gravem hanc quæſtionem retulit Gregorio, & accepit hoc Reſcriptum: *Quod poſtulaſti te quaſi noſtris Scriptis juvari & præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt authoritatem Sanctæ atque Apoſtolicæ Sedis non potuiſſe Regem Henricum, hominem Chriſtianæ legis contemptorem, Eccleſiarum videlicet & Imperii deſtructorem, atque hæreticorum authorem & conſentientem, excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis ejus abſolvere, non adeò neceſſarium nobis videtur, cùm hujus rei tam multa ac certiſſima documenta in ſacrarum Scripturarum paginis reperiantur.* Lib. 8. epiſt. 21. Laudat cœleſtes Sancti Petri Apoſtoli claves, illi datam univerſalem ligandi, ſolvendi, & paſcendi poteſtatem, atque concludit: *Numquid ſunt Reges hìc excepti? Aut non ſunt de ovibus, quas Filius Dei Beato Petro commiſit?* Papalem hanc poteſtatem antiquis teſtimoniis atque exemplis eruditè confirmat. Erroris author fuiſſe videtur Cunibertus Bambergenſis Eccleſiæ Clericus, qui Romanæ Eccleſiæ Primatum blateravit non datum à Deo, ſed uſurpatum & invaſum à Romanis Pontificibus, ideoque ipſum adversùs Imperialem aut Regiam Majeſtatem non poſſe prævalere.

Fuerunt tunc etiam aliqui circa utrumque Pontificem hæſitantes. Sic enim ſolet in quovis Romanæ Eccleſiæ ſchiſmate. Et inter ipſos fuiſſe videtur Anglicana Eccleſia. Ita ſuadet hæc epiſtola Sancti Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi: *Litteras tuas quas mihi per portitorem mearum miſiſti, ſuſcepi & legi, & diſplicuerunt mihi quædam, quæ in eis inveni. Non probo quòd Papam Gregorium vituperas, quod Hildebrandum eum vocas, quòd Legatos ejus ſpinoſulos nominas, quòd Clementem tot & tantis præconiis tam præproperè exaltas. Scriptum eſt enim non eſſe laudandum in vita ſua hominem, nec detrahendum proximo ſuo. Adhuc incognitum eſt humano generi, quales nunc ſint, & quales futuri ſint in conſpectu Dei. Credo tamen, quòd Imperator ſine magna ratione non eſt tantam rem ag-*

greſ-

greſſus patrare, nec ſine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam conſummare. Non laudo ut in Anglicam terram venias, niſi à Rege Anglorum licentiam veniendi priùs accipias. Nondum enim inſula noſtra priorem refutavit, nec utrum huic obedire debeat, ſententiam promulgavit. Auditis utrimque cauſis, ſi ita contigerit, perſpicaciùs quid fieri oporteat, provideri valebit. Scripta eſt epiſtola poſt captam ab Henrico Romam, poſt ejectum Gregorium, poſt plenè ibi intruſum Guibertum. Anteà enim Guibertus non profecerat in Clementem. Scripta eſt ad neſcio quem Clementis Legatum. Ex quo vides, quòd factionem ac intruſionem ſuam firmaturus Guibertus Legatos miſerit ad omnes Chriſtianos Reges. Ita enim conſueverunt Anti-Papæ. Iſti Legato, niſi anteà Regis licentiam accipiat, Angliæ ingreſſum diſſuadet Lanfrancus. Quia nempè Guilielmus Angliæ Conquæſtor Rex plures contra Eccleſiaſticam libertatem induxerat articulos, quorum unus fuit hic: *Nullus Romanæ Eccleſiæ Legatus ſine Regis venia poſſit Regnum intrare, aut in ipſo Juriſdictionem exercere.* Etiam hic fuit: *In Romanæ Eccleſiæ ſchiſmate neuter à Regno agnoſcetur in Papam, niſi quem Rex declaraverit.* Juxta iſtos articulos Lanfrancus loquitur. Et hinc Henricus ſecundus, dum ſimiles conſuetudines ſtabilire ſtuduit, ejus authoritate atque exemplo Sanctum Archiepiſcopum Thomam conatus eſt circumſcribere. Pſeudo-Legatum Lanfrancus rectè arguit, quòd Gregorium nominaret Hildebrandum, atque ita affirmaret plenè degradatum. Nam & Conſtantienſis Synodus Joannem vigeſimum tertium, poſtquam degradarat, non ampliùs nominavit Joannem, ſed Balthaſſarem de Coſſa. Lanfrancus voluit utrimque cauſas audiri. Et illis auditis conſtanter adhæſit Gregorio. Etiam totum Angliæ Regnum, atque ab illo tunc dependens Normandia. Lu- Lib. 9. epiſt. 5.
cet ex Gregorii litteris ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ſuum in Gallia Legatum. Quòd etiam Franciæ, Siciliæ, & Hiſpaniæ Reges, nec non & cuncti, qui eſſe perfectiores & columnæ videbantur in domo Dei, adhæſerint Gregorio, & ſoli Palatini per timorem aut favorem circum- Lib. 1. cap. 30.
ſcripti ſorices ſint ſectati Pſeudo-Clementem, teſtatur in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus.

In epiſtola ad Chriſtophorum Fauvœum Joannes Launojus hanc rem memorat. Adducit ex hiſtorico Joannis Victorini Memoriali hæc A. 1081.
verba: *Romæ facta eſt diſſenſio magna, his qui pro Imperatore erant dicentibus Hildebrandi depoſitionem eſſe juſtam, quia reus erat Majeſtatis ob hoc, quòd contra Imperatorem ordinaverat alium, rebellandique contra ipſum audaciam adſumpſerat; aliis dicto Papæ faventibus, quòd licet dictum crimen commiſiſſet, tamen non poterat de jure deponi, niſi in Concilio generali.* Et commentatur: *Tunc ergo arbitrabantur, qui Gregorii ſeptimi partes ſequebantur, generale Concilium ſupra Papam eſſe, qui deponendi Papæ authoritatem generali Concilio tribuunt.* Reſpondeo hujus ſchiſmatis radicem & ſeriem à Launojo non percipi. Nec enim ob crimina, ſed ob intruſionem Brixinenſis Conventus degradare attentavit Gregorium. Ei crimina affinxit in ſolum intruſionis adminiculum. Brixinenſis per Henricum Regem indictus Conventus Gregorium tractavit eo modo, quo Pariſienſis per Philippum Pulchrum Francorum Regem, ſub quo ſcripſit Joannes Victorinus, indictus conventus tractavit, ac poſteà idem Rex per Clementem quintum tractari voluit octavum Bonifacium. Uterque Conventus utrumque Pontificem dixit violenter intruſum, ac inſuper variè criminoſum, ideoque omninò extrudendum. Et inter articulos, quos nominato à ſe Clementi quinto præſcripſit Philippus Rex, hic fuit unus: *Ut Clemens Bonifacii memoriam damnaret, ac ejus uti intruſi nomen raderet de Papalibus tabulis, atque Pariſienſis Conventus de illo judicium faceret ratum & firmum.* Et Bertrandus Burdigalenſis Archiepiſcopus promiſit facere. Sed è Bertrando in quintum Clementem mutatus mutavit & mentem: Reſpondit hoc judicium à ſe non poſſe fieri, ſed opus eſſe generali Concilio. Et hæc eſt germana origo Concilii Viennenſis. Sic & ſeptimi Gregorii fautores aſſeruerunt prætenſam ejus intruſionem non à Brixinenſi conventiculo potuiſſe judicari, ſed à ſolo generali Concilio: Omnis tunc, etiam Gallicana, ſub cœlo Eccleſia conſtanter cenſuit intruſum quoque Pſeudo-Pontificem extrudi non poſſe niſi per generale Concilium. Proindè nec Joannes Victorinus, nec ſeptimi Gregorii fautores favent Joannis Launoji cogitationibus. Joannes enim Launojus agit non de illegitimo extrudendo, ſed de legitimo Pontifice judicando atque damnando. Hoc nemo tunc prætendit aut attentavit. Et fieri non poſſe omnes conſtanter docuerunt. Abundè lucet ex jam adductis circa hanc facti ſpeciem teſtimoniis.

Octava quæſtio eſt, Quis & qualis fuerit Guibertus? Reſpondeo ejus natales & primam profeſſionem edici à Nicolao Arragonenſi in vita Nicolai ſecundi Pontificis: *Eodem tempore Imperatoris Henrici relicta uxor cum parvulo filio gubernacula Italiæ Regni tenebat, quæ inter cætera fœmineæ levitatis Acta, cuidam Parmenſi Clerico Guiberto, nobili progenie orto, curam ipſius Regni & Cancellariam commiſit.* Guibertus igitur fuit civitate Parmenſis, genere nobilis, profeſſione Clericus, ab Henrici tertii Imperatoris Auguſta vidua Agnete, quæ cum parvulo filio Henrico quarto adminiſtrabat Imperium, promotus in Regni Cancellarium. Factum id fuit anno poſt milleſimum ſexageſimo ſecundo. Verùm promotio non placuit Germaniæ Epiſcopis & Proceribus. Hi puerum doloſè ſubripuerunt Agneti, omnem Regni adminiſtrationem tranſtulerunt in Sanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum, & Cancellarii dignitas data eſt Gregorio Epiſcopo Vercellenſi. Hæc eſſe iſto ipſo anno geſta ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis. Et in iſto ſui officii modico tempore Guibertus vitiavit Synodale Nicolai Decretum de Electione Romani Pontificis. Et uti cum officio non depoſuit malitiam, ita nec omnem poteſtatem. Etenim defuncto Nicolao, cum Simoniacis & conjuga-

jugatis Longobardiæ Epiſcopis & Clericis conſpirationem iniit, & Regiæ nominationi violentia intrudi in Apoſtolicam Sedem curavit ſuum Parmenſem Epiſcopum Cadaloum. De ipſo, licet Ex-Cancellario, & quarti Henrici Palatio dici queat, quod de Acacio Luſco Cæſarienſi apud Palæſtinos Epiſcopo & Imperatore Conſtantio ſcribit in Illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Acacius in tantùm ſub Imperatore Conſtantio claruit, ut in Liberii locum Romę Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret.* Et hinc liquet Guibertum fuiſſe conjugatum Clericum, aut ſanè iſtis ſacrilegis conjugiis potenter faviſſe. Nam & talis erat Cadalous.

Hic tandem fuit ejectus, & in Petri Cathedram promotus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, vocatus Alexander ſecundus. Et tunc moritur Henricus Archiepiſcopus Ravennæ, de quo ſcribit in vita Sancti Petri Damiani Joannes Monachus: *Erat tunc temporis defunctus Ravennę Archiepiſcopus, qui pro ſua protervia, ſententia Romanę Synodi fuerat olim communione privatus. Qui tamen nimia temeritate, neque ob illatam ſibi ſententiam tremefactus, ab Archiepiſcopali ſe non temperavit officio, conſentaneum ſibi populum ſua contagione miſerè fœdavit, totamque Eccleſiam illicitis auſibus prophanavit.* Ravennatum Eccleſia, ex quo per Græcorum Imperatorum Exarchos inflata cœpit ambire Authocephaliam, frequenter rebellavit Apoſtolicæ Sedi. Ad ipſam Henrici defuncti contagio undequaque pollutam Alexander ſecundus legavit ejus civem, Sanctum Petrum Damiani: Et hic eam purgavit ab omni ſcabie, & reduxit ad Matris obedientiam. Conſervandæ ſaluti neceſſarius erat ſanus Epiſcopus. Verùm Regiæ nominationis violentia tunc adhuc vexabat Eccleſias. Hinc factum eſt quod habent Acta laudati Alexandri: *Defuncto Ravennate Archiepiſcopo, Guibertus Cancellarius per interventum Imperatoris electus eſt in ipſa Eccleſia, & poſtmodum ab Alexandro Papa, licet immeritò, inſtantibus precibus, conſecrationem obtinuit. Cui priuſquam conſecrationis manus imponeret, Prophetico ſpiritu repletus idem Pontifex ſic quidem fertur dixiſſe: Ego quidem delibor, & tempus reſolutionis meę inſtat, tu verò hujus ſacroſanctę Sedis acerbam ſenties ultionem.* Factum id eſt anno iſtius ſæculi ſeptuageſimo ſecundo, qui Alexandro fuit vitæ ultimus. Et hinc tertia ſeptimi Gregorii epiſtola eſt ad hunc Guibertum: Et Alexandri mortem, & ſuam electionem illi refert Gregorius, necnon & Romanam commendat Eccleſiam. Ex quo lucet Guibertum fuiſſe tunc eminentem Epiſcopum. A Regiæ nominationis ſervitute ſemper exempta & libera fuit Ravennæ Eccleſia. Suo loco adduxi rationes. Hinc Guibertus non per nominationem, ſed per eligendæ perſonæ deſignationem videtur fuiſſe intruſus. Electus enim eſt per interventum Imperatoris.

Septimus Gregorius, quòd Eccleſiaſticam diſciplinam intrepidus repararet, paſſus eſt multas calamitates: Præſertim poſt excommunicatum Regem Henricum. Iſtarum unam refert Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Cencius quidam, civis Romanus, ex fautoribus Henrici, in Nativitate Domini Gregorium Papam in galli cantu Miſſam celebrantem, de Altari vulneratum graviter rapuit, & in turri ſua in cuſtodiam miſit. Undè populus iratus, eodem die turre Cencii deſtructa, eique vita vix impetrata, ſuo loco Pontificem reſtituit. Priùs tamen Miſſa ad Altare ſuſtentatus percantata, quam priùs incœperat, ſed nondum finierat.* Cencius fuit Romanorum potentiſſimus, Romanæ Urbis Præfectus, Stephani Præfecti filius. Factum id fuit tertio Gregorii Pontificis anno. Quod ipſum largiori ſtilo deſcribit Lambertus Scafnaburgenſis. Et Guibertum, quòd ex tunc ſperaret intrudi in Gregorii thronum, fuiſſe facinori cooperatum teſtatur in ejuſdem Pontificis vita Guilielmus Bibliothecarius. Et exinde homo inſolens non deſiit inſidiari Gregorio, conjurare cum ejus hoſtibus, & palàm rebellare. Nam quòd anno ſeptuageſimo ſeptimo Henricum Regem inſtigaverit ad Gregorium ſimul cum Comitiſſa Mathildi captivandum, in ſuis verſibus affirmat Domnizo Presbyter.

Audiamus quid de Guiberto ſcripſerit & ſenſerit ipſe ſeptimus Gregorius. In litteris ad Apuliæ & Calabriæ Epiſcopos affirmat Henricum Regem & Longobardiæ Epiſcopos ſemper ſibi fuiſſe hoſtiliter adverſatos, ab illis olim procuratum ſchiſma Cadaloi, nunc denuò intruſum Guibertum, Ravennatis Eccleſiæ devaſtatorem, Anti-Chriſtum iſtius temporis, & Hæreſiarcham, atque proſequitur de Brixinenſis Conventiculi Epiſcopis: *In quo nimirum Satanæ conventu illi interfuere, quorum vita eſt deteſtabilis, & ordinatio hæretica immenſitate multimodi criminis. Siquidem ad hanc inſaniam illa demùm eos deſperatio traxit, quòd neque precibus, neque ſervitiorum aut munerum promiſſionibus ſcelerum ſuorum veniam apud nos valuerint impetrare, niſi fortè vellent judicio Eccleſiaſtico, noſtræque cenſuræ ſe, mediante miſericordia, ſicut decet officium noſtrum ſubmittere. Hos itaque nullis rationibus fultos, immò omnium criminum conſcientia perditiſſimos, tantò magis vilipendimus, quantò ipſi ſe altiora conſcendiſſe confidunt. Per miſericordiam quippè Dei, & orationem Sancti Petri, quæ Simonem Magum, eorum utique Magiſtrum, ad altiora tendentem mirabiliter dejecit, ſperamus eorum ruinam non diu remoraturam, & quietem ſanctæ Eccleſiæ, victis & confuſis hoſtibus ſuis, more ſolito glorioſiſſimè dilatandam.* In litteris ad omnes Sancti Petri in Italia fideles affirmat ſibi à Roberto, Jordano, & aliis Nortmannorum Principibus, necnon à Thuſciæ ac aliarum vicinarum Provinciarum Dynaſtis promiſſa militaria auxilia, & concludit: *Undè poſt Kalendas Septembris, poſtquam tempus frigeſcere cœperit, cupientes ſanctam Ravennatem Eccleſiam de manibus impiis eripere, & Patri ſuo Beato Petro reſtituere, partes illas armata manu, ſicut de Domino ſperamus, petemus, ac per ipſius auxilium nos eam liberaturos haud dubiè credimus.* Cunctos Sancti Petri fideles hortatur ad ſibi auxiliandum. Verùm res non ſucceſſit. Henricus enim Rex multo cum milite intravit Italiam, & omnem Gregorii conatum eſt fru-

Lib. 8. epiſt. 5.

Epiſt. 7.

ſruſtratus. Ex his interim vides, quòd Guibertus, licet à Brixinenſi conventu evectus in Anti-Papam, non valedixerit Ravennati Eccleſiæ, quia nempè adhuc manebat Guibertus, necdum erat Clemens tertius.

Interim Gregorius non deſtitit ſtudere exſtinguendo ſchiſmati. Etenim in litteris ad Marchiæ Firmanæ, Thuſciæ, & Ravenatis Exarchatus Clerum & populum, affirmat Ravennatem Eccleſiam fuiſſe olim opulentiſſimam, & plenè ſubjectam Apoſtolicæ Sedis, atque proſe-
Epiſt. 12. quitur: *Cujus antiquum decus in ſpiritualibus & ſæcularibus profectò cùm reminiſcimur, non ſine gravi mœrore eam tanta devaſtatione laborantem nunc cernimus. Et ut apertiùs intelligatis, certè perverſorem, deſtructoremque ejus Guibertum, dictum Archiepiſcopum, ita Religionem ejus diſperdidiſſe, & bona dilapidaſſe non minori ferè dolore ſufferimus, quàm ſi idem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro ſua audacia feciſſet. Verùm cùm cætera facta illius perpenduntur, hæc non tantoperè miranda videntur. Quippè qui perjurium de inobedientia & infidelitate committere non timuit, quique contra ipſam Apoſtolicam Sedem, cui perjuraverat, conſpirare pro minimo habuit, eamque invadere cogitans, eodem modo diſſipare vehementiſſimè cupit, homo ſuperbiſſimus, nefandorum ſcelerum ſibi conſcius, cui mirùm videri debet, ſi adepta poteſtate, ubi licuit, ita ſe habuit? Sed illius facinora commemorare ſuperſedeo, quæ per totum Romanum orbem ſe prodiderunt, pro quibus ipſe in ſancta Synodo Romæ celebrata omnium Epiſcoporum qui aderant conſona ſententia, jam ex triennio, gladio anathematis ſine ſpe recuperationis percuſſus eſt. Ea non præterierunt notitiam veſtram.* Quæ omnia Gregorius repetit in duabus ſequentibus epiſtolis. Et in epiſtola ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem, ac Romanæ Eccleſiæ Cardinalem
Lib. 9. epiſt. 4. Presbyterum, adjungit: *Tu verò ipſe cognoſcis, quia ſi nos amor juſtitiæ & honor ſanctæ Eccleſiæ non teneret, tamque pravæ voluntati Regis & ſuorum vellemus favere, nullus aliquando Prædeceſſorum noſtrorum ab Anteceſſoribus Regibus, ſeu etiam Archiepiſcopis*, utique Ravennatibus, *tam amplum & devotum ſervitium, ſicut nos ab hoc Rege & hoc Archiepiſcopo, habere potuerunt. Verùm quoniam illorum minas & ſervitia pro nihilo ducimus, magis, ſi neceſsè fuerit, mortem ſuſcipere parati erimus, quàm impietatibus eorum aſſenſum præbere.* Quibus ex verbis habemus duo. Primò, quòd & Henricus & Guibertus olim fuerint amici Gregorio, & conati in omnibus placere. Quòd
Lib. 3. cap. 70. *Domino ſuo Gregorio ſeptimo Papæ fidelitatis Sacramenta Guibertus præſtiterit, & obedientiam novem annis exhibuerit*, ſcribit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus. Secundò habemus, quòd aſſumptum in Brixinenſi Conventu Papatum Guibertus circumtulerit ad ſolum Gregorii terrorem, paratus deponere, ſi placuiſſet Gregorio ad ejus & Henrici Regis crimina connivere. Ejus mores ibidem inſigniter depingit Leo, addens Dementis quàm Clementis nomine fuiſſe digniorem.

Nec tantùm propriæ Eccleſiæ, ſed etiam ſubditorum ſibi Monaſteriorum bona invaſit Guibertus, ac dilapidavit. Sanctus Petrus Damiani, nimiis pro reparanda Eccleſiæ diſciplina laboribus laſſatus & fractus, Oſtienſem Epiſcopatum depoſuit, & ſe clauſit in neſcio quo paupere Ravennatis Diœceſis Monaſterio, illic ſe parans ad tremendum Dei judicium. Videtur à Guiberto fuiſſe invitatus, verùm poſteà tractatus peſſimè. Etenim in datis ad ipſum litteris lamentatur ſe nec ad ejus faciem admitti, flagellari in dies, pati acres verborum plagas, atque adjungit: *Ecce, Clementiſſime Domine, cætera* Lib. 3. epiſt. 5.
Monaſteria ſub alis miſericordiæ veſtræ illæſa perſiſtunt, & cum ſecuritate & immunitate Deo deſerviunt; hoc autem ſolum, ex quo in illud ingredi præcepiſtis, tot patet invaſionibus & rapinis obnoxium, ut niſi mens veſtra vel nunc flectatur ad miſericordiam, jam videatur funditùs deſolandum. Sic itaque domus Dei per te videtur in ima dejici, per quem ſperabatur, Deo vobis cooperante, cœlo tenus exaltari. Quapropter, glorioſiſſime Domine, fuſis lachrymis ad veſtigia veſtra corruo, ſanctę Pietatis viſcera imploro, ut ſecundùm Gravitatis veſtrę prudentiam memineritis retinere flagellum, jam ponatis tot perſecutionibus modum, dicente Domino per Prophetam: Dum conturbatus fueris, in ira miſericordię memor eris. Nec gravetis ſanctum locum adhuc auferendo pecuniam, quem tantam Eccleſiaſticarum rerum noſtis jam pertuliſſe jacturam. Tantæ dignitatis & tantæ humilitatis virum excruciare, ejuſque ſanctum & inops Monaſterium expilare homo improbus non erubuit.

Porrò Geberardus Saliſburgenſis Archiepiſcopus rectè ſcripſit Guibertum non in unica, ſed in pluribus Romanis Synodis fuiſſe damnatum. Prima fuit quarta noſtri Gregorii Synodus: *Thebaldum dictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Ravennatem Guibertum, inaudita hęreſi & ſuperbia adversùs hanc ſanctam Catholicam Eccleſiam ſe extollentes, ab Epiſcopali officio ſuſpendimus, & olim jam factum anathema ſuper ipſos innovamus.* Anathematis cauſam exponit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus: *Anno Dominicę Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo Mathilde Comitiſſa Ligurię &* Lib. 3.
Thuſcię, iram Imperatoris Henrici ſibi metuens, cap. 49.
Liguriam & Thuſciam Provincias Gregorio Papę & ſanctę Romanę Eccleſię devotiſſimè obtulit. Hęc ergo cauſa inter Pontificem & Romanum Imperium diſſenſionis & odii fomitem miniſtravit. Tunc Henricus intravit Italiam, ſtuduitque & Mathildim & Gregorium capere, ac hujus in thronum intrudere Guibertum. Et hæc quidem Synodus non inflixit, ſed ſolummodò innovavit anathema: Utique à tertia Synodo inflictum in omnes generatim Regis Henrici fautores. Secunda ejus damnatio fuit plena depoſitio, inflicta per quintam Gregorii Synodum. Iſtam, licet Synodalia Acta nullam faciant mentionem, exponit Pontifex atque exſequitur in litteris ad Ravennatem Eccleſiam. Tyrannicas Guiberti deprædationes, aliaque facinora commemorat, atque proſequitur: *Sed quia his malis, aliiſque* Lib. 6.
quàm plurimis flagitiis irretitus atque pollutus, epiſt. 10.
ne argui poſſet atque convinci, ſuperbię fa-

ſtu elatus contra Apoſtolorum Principem calcaneum erexit, & in inobedientia, quæ ſceleri comparatur idololatriæ, perſeverat, eum ſine ſpe recuperationis, Spiritus Sancti judicio, Apoſtolicæ Sedis authoritate, in ſancta Romana Synodo eſſe depoſitum præſentium judiciis indubitanter cognoſcite. Quapropter ut nullam ei deinceps, quæ Epiſcopo debetur, obedientiam exhibeatis, omnibus vobis Beati Petri Apoſtolorum Principis authoritate præcipimus. Ejuſdem tertia damnatio habetur in actis ſeptimi Gregoriani Concilii: *Sententiam depoſitionis & excommunicationis jam plerumque datam in Thebaldum Mediolanenſem dictum Archiepiſcopum, & Guibertum Ravennatem confirmamus & corroboramus.* Et hoc tot elogiis inſigne monſtrum Brixinenſis conventus ſibi exaltavit in idolum.

Notanda ſunt Venerici Vercellenſis Epiſcopi de Guiberto verba: *Quòd ſi Clemens Papa, verè pius & pacificus, videtur his, qui ſunt ex contentione, vel in hoc eſſe culpabilis, quòd anteà Epiſcopus alterius Eccleſiæ nunc factus eſt Pontifex Romanæ Eccleſiæ, ſciant hoc licitum eſſe ex Canonum conſtitutione, præcipuè autem ex Decretis Antheri Papæ; ſi non fuerit ambitus cauſa, ſed factum aut neceſſitate aut utilitate. Juxta quod Petrus Sanctus & Princeps Apoſtolorum de Antiochia, utilitatis cauſa, translatus eſt Romam, ut ibidem proficere poſſet.* Affirmat Guiberti Papatum etiam translationis cauſa fuiſſe à quibuſdam Catholicis damnatum. Ex eadem enim cauſa Imperator Baſilius Macedo tentavit Marini primi Papatum, & ejus pro octavo Concilio Acta evertere. At ſine fundamento. Etenim Marinus non fuerat translatus. Et uſque ad Formoſum Pontificem Romana Eccleſia omnem translationem ignoravit. Et exindè natos tumultus cuncti novimus, & etiamnum deploramus. Interim neque tunc plenè dormivit translatio. Quin & Sanctum Leonem nonum, Damaſum ſecundum, Victorem ſecundum, Nicolaum ſecundum, & ſecundum Alexandrum novimus fuiſſe translatos. Ipſos diſpenſatoriè admiſit Romana Eccleſia, quòd in proprio gremio non reperiret aptam perſonam. Omninò diſpenſatoriè. Ita lucet ex adducto Catholicorum adversùs Guibertum argumento. Quin & plures Romanæ Eccleſiæ Cardinales iſtud ipſum adduxerunt adversùs Papalem electionem Othonis Hoſtienſis Epiſcopi. In mortis lecto Gregorius ſeptimus ad ſibi ſuccedendum commendavit quatuor: Deſiderium Caſſinenſis Monaſterii Abbatem, Othonem Hoſtienſem Epiſcopum, Sanctum Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, & Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem. Et Deſiderius impetravit eligi Othonem. Addit autem in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Hoſtienſis Epiſcopus: *Cùm jam jamque de Hoſtienſi Epiſcopo* Lib. 3. cap. 66. *decernerent Electores, repentè quidam de Cardinalibus contra Canones eſſe hanc electionem affirmans, nequaquam ſe conſenſurum clamavit.* Quòd nempè Otho promoveri non poſſet, niſi per translationem. Ita impedita fuit ejus promotio, & electus fuit Deſiderius, vocatus Victor tertius. Nihilominus huic ſucceſſit Otho, appellatus Urbanus ſecundus. Ita Apoſtolicus adversùm tranſlationes Canon apud nos cœpit paulatim dormire.

S. GREGORII VII. OCTAVUM ROMANUM CONCILIUM.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo primo, Pontificatus verò Gregorii ſeptimi anno octavo nondum exacto, præſidente eodem Apoſtolico, celebrata eſt Synodus Romæ in Baſilica ejuſdem Salvatoris & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, in qua inter cætera ſententiam depoſitionis Archiepiſcoporum Arelatenſis & Narbonenſis, atque excommunicationis per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgatam Dominus Papa, his qui aderant collaudantibus, firmavit. Henricum quoque dictum Regem, & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, iterùm excommunicavit. Anathematizavit item Ildimundum & Landum Campanicos tyrannos, omneſque adjutores eorum. Præterea ſuſpendit ab officio quoſdam Epiſcopos, qui ad Concilium invitati, neque ipſi, neque nuncii ipſorum pro ipſis venerunt.

SCHOLION.

FActa eſt hæc Synodus anno poſt milleſimum octogeſimo primo. Dies & menſis ignorantur. Facta videtur in exordio Aprilis. Etenim facta eſt octavo Gregorii anno necdum expleto: At verò Gregorius fuit electus anno poſt milleſimum ſeptuageſimo tertio, die decimo Kalendas Majas. Porrò damnatus hic Arelatenſis Archiepiſcopus fuit Aicardus, magnus Regis Henrici fautor, ideoque per Gregorium ac ejus Legatos variis in Synodis damnatus. Exſtat Gregorii Epiſtola, qua Arelatenſis Eccleſiæ Clerum ac populum cum ſtomacho increpat de nimium diuturna Epiſcopalis ſedis vacatione, hortatur ad tandem eligendum novum Epiſcopum, ad electioni præſidendum legat Leodegarium Epiſcopum Vapincenſem, & eligi mandat cum conſilio Hugonis Dienſis Epiſcopi, ſui in Gallia Vicarii. Quæ
Lib. 6. epiſt. 2. omnia ſcribuntur adversùs degradatum Aicardum. Videtur tamen ille tandem pœnituiſſe, ac rediiſſe in Apoſtolicæ Sedis gratiam. Ipſum enim uſque ad iſtius ſæculi annum nonageſimum ſediſſe Antiſtitem, ac in Cathedrali Baſilica fuiſſe Epiſcopaliter ſepultum, in Gallia Chriſtiana oſtendunt Fratres Sammarthani.

Damnatus hic Archiepiſcopus Narbonenſis, videtur eſſe ejuſdem farinæ Guifredus, de quo habet tertia Gregorii Synodus: *Agathenſem Epiſcopum Berengarium, quia Narbonenſi Archiepiſcopo excommunicato communicavit, & vices Epiſcopales pro illo fecit, excommunicamus*. Et quarta Synodus: *Renovamus excommunicationem à Prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Guifredum Archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe ab Epiſcopali officio eum ſubmovemus*. Et quinta Synodus: *Narbonenſis Archiepiſcopus iterùm excommunicetur*. Et ſexta Synodus: *Excommunicatus eſt ſine ſpe recuperationis Archiepiſcopus Narbonenſis*. Verùm hujus Synodi tempore Guifredus erat mortuus: Anno poſt milleſimum ſeptuageſimo nono eſſe in anathemate exſtinctum, affirmant tabulæ Narbonenſis Eccleſiæ. Proindè Gregorius hìc fulminat in ejus Succeſſorem Petrum, de quo ſeptima ipſius Synodus: *Petrum olim Ruthenenſem Epiſcopum, nunc autem Narbonenſis Eccleſiæ invaſorem, pari ſententia damnamus*. Adversùs eundem habemus in Gregorii ad neſcio quos nobiles Comites litteris: *Saluti veſtræ præ-* Lib. 8. epiſt. 16.
cipuè providentes rogamus, & ex parte Beati Petri præcipimus vobis, ut Narbonenſi Eccleſiæ, jam ex longo tempore à Diaboli membris pervaſæ, promptè ſubvenientes, fratrem noſtrum Dalmatium Archiepi-

ſcopum, quem tandem Canonicè electum meruit accipere, modis omnibus ſtudeatis adjuvare. Illi autem pervaſori, qui non per oſtium ut Paſtor, ſed aliundè ut fur & latro ingreſſus, oves Chriſti mactat, & perdit, immò Diabolo tradit, modis quibus poteſtis reſiſtite, ſi gratiam omnipotenti Dei, deſideratis accipere. Igitur Gregorio tandem obedivit Narbonenſis Eccleſia, ſibi intruſum Petrum extruſit, Canonicè ſibi elegit Dalmatium, & Romæ à Gregorio conſecratum inthronizavit. Attamen Petrus non deſiit latronem agere, & Eccleſiaſticarum poſſeſſionum partem violenter detinere, immò & in alios profundere. Lucet ex Urbani ſecundi ad Narbonenſis Eccleſiæ Clerum & populum litteris, exſtantibus in Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum. Et profani detentores videntur Urbano obtemperaſſe.

Quin hac in Synodo etiam Guibertum damnaverit Gregorius, licet Synodalia acta non exprimant, non eſt dubitandum. Diſertè id affirmat Presbyter Domnizo in carmine de Actis Comitiſſæ Mathildis. Exiſtimo hunc fuiſſe palmarem ſcopum hujus Synodi. Ejus acta edicit Gregorius in litteris ad omnes Sancti Petri in Italia fi-
Lib. 8. deles: *Notum ſit Dilectioni veſtræ, nos tam per noſ-*
epiſt. 7. *ipſos, quàm per Legatos noſtros, cum Duce Roberto, & Jordano, cæteriſque potentioribus Nortmannorum Principibus fuiſſe locutos, qui profectò unanimiter promittunt, ſe ſicut jurati ſunt, ad defenſionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, noſtriſque honoris contra omnes mortales auxilium impenſuros: Idipſum quoque nobis, & qui circa urbem longè lateque ſunt, & in Thuſcia, cæteriſque regionibus Principes firmiter pollicentur. Undè poſt Kalendas Septembris, poſtquam tempus frigeſcere cœperit, cupientes ſanctam Ravennatem Eccleſiam de manibus impiis eripere, & Patri ſuo Beato Petro reſtituere, partes illas armata manu, ſicut de Domino ſperamus petemus, ac per ipſius auxilium nos eam liberaturos haud dubiè credimus.* Omnes Sancti Petri fideles animat ad hoc ſacrum bellum. Inter Italiæ Principes eminebat Domina Mathildis, ideoque tunc factum eſt, quod in Apologeticis adversùs Paſchalem ſecundum Pontificem litteris ſcribit Leodienſis Eccleſiæ Clerus: *Legimus Hildebrandum Papam præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem.* Omnes hoſce ſacros milites Gregorius donavit plena Indulgentia omnium peccatorum. Et hocce exemplum poſteà in Claro-Montano Concilio imitatus fuit Urbanus ſecundus.

Lucem accipere hæc debent à Chronico Caſſinenſis Monaſterii. Guilielmus Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius hæc habet de fine & concluſione Brixinenſis Conventiculi: *Rex ad propria in octavis Apoſtolorum regreſſus eſt, Guibertus verò Hæreſiarcha, Papalibus inſignibus inſignitus, cum complicibus ſuis pomposè intravit Italiam.* Laudatum Chronicon addit Imperialem Coronam à Gregorio tunc fuiſſe miſſam Rudolpho Duci, & denuò confirmatum Imperium,
Lib. 3. atque adjungit: *Quod ubi Cæſari in Italia nun-*
cap. 49. *tiatum eſt, è veſtigio in Gallias tranſiens, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo primo, contra eundem Ducem bellum iniens, in quo primò publico Marte ſuperatus, deindè victor effectus eundem Ducem gladio trucidavit. Victor igitur Imperator effectus, ſuæ injuriæ ulciſcendæ memor, congregato exercitu, Romam advenit, ſed obſiſtentibus Romanis cum eodem Pontifice, ſine effectu reverſus eſt. Hoc etiam anno* Robertus *Dux cum quindecim millibus armatorum tranſito mari,* Romaniam *debellaturus ingreditur: Contra quem Alexius Imperator cum centum ſeptuaginta millibus adveniens bellum iniit, à quo idem Imperator devictus eſt.* Multa involvit compendio. Soluto Brixinenſi Conventu Henricus in Germaniam, Guibertus abiit in Italiam, ad civitatem Ravennatem. At ſibi metuens revocavit Henricum. Et tunc videtur Gregorius Nortmannos ac alios Italiæ Proceres animaſſe ad expugnandam Ravennam, & Henricum Italia ejiciendum. At interim Sveviæ Dux Rudolphus ſolemniter agebat Imperatorem, & omnia liberè pervadebat. Hinc ille Guibertum reliquit, ei prætulit ſalutem Imperii, ac rediit in Germaniam. Ita ad antecedentem annum ſcribit etiam Marianus Scotus: *Bellum juxta Ælſtram committitur à* Rege Henrico *in quo* Rudolphus Rex *occiditur, & Merſeburg ſepellitur, Saxones verò victoriam reportarunt.* Et Lamberti Schafnaburgenſis ſupplementum: *Ortum bellum juxta Ælſtram fluvium committitur, in quo* Rudolphus Rex *occiditur.* Et Sigebertus Gemblacenſis: *Hildebrandus Papa quaſi Divinitùs revelatum ſibi prædixit hoc anno falſum* Regem *eſſe moriturum. Et verum quidem prædixit, ſed fefellit eum de falſo* Rege *conjectura, ſecundùm ſuum velle ſuper Henrico* Rege *interpretata.* Rex *enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congreſſu falſus* Rex Rudolphus *cum multis Saxoniæ Principibus occiditur.* An circa annum hi tres, an autem Leo Hoſtienſis Epiſcopus ſcribat veritatem, eſt longa quæſtio. Quidquid ſit, in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus, ſcribens Rudolphi cædem contigiſſe ante Brixinenſe Conventiculum, & ad hujus patrandam audaciam Henricum fuiſſe ab illa victoria animatum, palàm labitur. Eodem tempore Robertus Siciliæ Dux fuit compulſus transfretare in Epirum ac Macedoniam, & Græcorum Imperatori Alexio Comneno inferre bellum: Ita expugnandæ Ravennæ conceptus evanuit, & Gregorius debuit inire alia conſilia.

Conſilia hæc habes in Papalibus ad Ravennatis Eccleſiæ Clerum ac populum litteris, quæ avitam iſtius Cathedræ dignitatem, Guiberti facinora, & iſti per hæc illatam ignominiam exal-
tant, ac proſequuntur: *Igitur illo putrido membro,* Lib. 8.
utique Guiberto, *gladio excommunicationis exci-* epiſt. 13.
ſo; atque ita ut inter Sacerdotes in æternum non debeat numerari depoſito, Dilectionem veſtram monemus, ac pro ſalute veſtra rogamus, ut toto mentis affectu ac intentione talem perſonam unà cum Confratribus noſtris Epiſcopis & Archidiacono, cæteriſque Diaconis, quos propterea ad vos noſtra vice direximus, ſtudeatis eligere, quæ tanto honori, ſcilicet veſtri Archiepiſcopatus regimini videatur ſecundùm Deum competere. Non ulterius Eccleſiam veſtram ancillari, ſervitute opprimi ab impiis manibus patiamini,

mini, ſed ſicut boni filii eam nobiſcum in maternam, hoc eſt, Romanæ Eccleſiæ libertatem vindicare ſatagite. Guibertus videtur ſeſe apud Ravennam non credidiſſe, ideoque Henricum fuiſſe ſecutus in Germaniam. Hinc aliquos Epiſcopos, & cum quibuſdam Diaconis etiam ſuum Archidiaconum Gregorius ſolemniter legavit ad iſtam Eccleſiam, ipſam ſtuduit inducere ad faciendam novi Epiſcopi electionem, atque ita Guibertum penitus extrudere. Et addidit pro cauſa: Quòd Guibertus eſſet ita depoſitus, ut in æternum non poſſet inter Sacerdotes numerari: Quæ ſententia omnino emanavit ab hac præſenti Synodo.

Verùm diviſa in partes erat Ravennatum Eccleſia, ideoque electio non potuit ſuccedere. Proxima Gregorii epiſtola ſcripta eſt ad omnes Ravennatis Parochiæ, Regionis Pentapolitanæ, Firmanæ Marchiæ, & Ducatus Spoletini Epiſcopos, Abbates, Comites ac Milites, ipſorum pro Sancto Petro Apoſtolo ac ipſius Romana Eccleſia zelum & devotionem prædicat, atque pergit: *Eſt autem in quo devotionem veſtram egregiè poteſtis oſtendere, ſi Decreta atque Statuta Sedis Apoſtolicæ pro poſſe veſtro ſtudeatis atque ſatagatis adjuvare. Igitur Ravennatem Archiepiſcopum fratrem noſtrum Richardum, quem poſt longas & innumeras Pervaſorum occupationes nuperrimè, ſicut olim à Sancto Petro Apollinarem, ita hunc Ravenna ab Eccleſia Romana meruit accipere, ſtudium vobis ſit, tum propter amorem ſanctiſſimi Martyris, cujus Sede & reliquiis illa decoratur Eccleſia, tum propter Apoſtolicæ Sedis debitam reverentiam, conſiliis & auxiliis veſtris confirmare, atque ei contra illius ſancti loci ſacrilegum damnatumque devaſtatorem Guibertum modis omnibus ſubvenire.* Quoniam novam electionem celebrare non audebat Ravennas Eccleſia, Apoſtolicæ Sedis jure uſus eſt Gregorius, neſcio quem Richardum dedit illi Epiſcopum, ipſum Romæ conſecravit, unà cum Apoſtolico Legato miſit Ravennam, admitti rogavit in thronum, & per Sancti Petri fideles in cunctis adjuvari. Quòd Romanus Pontifex in degradatorum à ſe Epiſcoporum thronos poſſit alios Antiſtites imponere ex Apoſtolico Canone, lucet ex Sancti Cypriani ad Sanctum Papam Stephanum epiſtola, ſcripta in cauſa Martiani Epiſcopi Arelatenſis.

Sed neque hoc conſilium optimo noſtro Gregorio ſucceſſit. Etenim Ex-Rex Henricus in Saxonico adversùs Rudolphum Imperatorem bello evaſit victor. Audiamus rem ab Hemboldo Presbytero: *Henricus congregavit exercitum grandem, ut expugnaret Rudolphum, fuitque cum eo famoſiſſimus ille Dux Godefridus, qui poſtea liberavit Hieruſalem, multique Potentum. Saxonum verò atque Suevorum exercitus erant cum Rudolpho. Pugnarunt ergò Reges mutuò, & victa eſt pars Rudolphi, cecideruntque Saxones & Suevi. Porrò Rudolphus vulneratus eſt in manu dextera, fugit Marcipolim, mortique jam proximus dixit ad famulos ſuos. Videtis manum dexteram meam de vulnere ſauciam? Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti tranſgreſſor honorem mihi indebitum* (Lib. 1. cap. 24.) *uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis. Viderint ergo illi, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè ſeducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi moleſtia, diem clauſit extremum.* Godefridum Ducem fuiſſe Henriciani exercitus Primicerium, & Rudolphum fuiſſe ab ipſo occiſum, teſtatur in ſacri belli hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyriorum. Quòd tamen poſtea Henricianam ac Guibertinam factionem reliquerit, docent ejus Acta in Claro-Montano Concilio. (Lib. 9. cap. 8.) Et quidem Rudolphùm fuiſſe læſum in dextera, alii etiam Scriptores notarunt. Eos inter eſt Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Inter Henricum Regem & Rudolphum rursùs bellum geritur juxta fluvium Elleſtram, in quo idem Rudolphus cecidit, ſed à ſuis Merſeborgh vicinum delatus, & brevi defunctus, honorificè eſt ibidem humatus. Fertur autem in extremis poſitus, & abſciſſam dexteram intuitus, ad Epiſcopos qui fortè aderant, graviter ſuſpirans dixiſſe: Ecce hæc eſt manus, qua Domino meo Henrico fidem Sacramento firmavi. Ecce ego jam ejus Regnum & vitam derelinquo præſentem. Videte qui me ejus ſolium conſcendere feciſtis, ut recta via veſtra monita ſequentem duxeritis.* Adfirmat dexteram fuiſſe abſciſſam. Hinc Hemboldus ſcribit iſtud vulnus fuiſſe mortale. Solemnis, quam hodie Hominium vocant, Procerum apud Regem profeſſio fiebat per implexam dexteræ dexteram. Item graſſabatur tunc error adfirmans iſtam profeſſionem non poſſe ſolvi per Eccleſiam. Erat palmare Brixinenſis audaciæ adversùs noſtrum Gregorium, & totius Henricianæ factionis fundamentum. Hinc illi ſparſerunt ſuam veritatem eſſe confirmatam à Divina Juſtitia: Perjurum Rudolphum fuiſſe percuſſum in ipſa dextera, & non ſolùm cum ſui perjurii, ſed & cum noſtri Gregorii & aliorum Epiſcoporum, qui ipſum in iſta ſeduxerant, deteſtatione fuiſſe defunctum. Ex eodem fonte prodiit ſuprà adductus ſarcaſmus Sigeberti Gemblacenſis, arguentis Gregorium de Pſeudo-Prophetia. Eſt è Cardinali Bennone, & quidem non fideliter, mutuata fabula, indigna refutari. Hac interim victoria inflatus Henricus rediit in Italiam cum ſuo Guiberto, & fecit quod habet Appendix Lamberti Schafnaburgenſis: *Henricus Rex obſidet Romam.* (A. 1081.) Et Sigebertus Gemblacenſis: *Henricus Imperator ad debellandum Papam Hildebrandùm petit Italiam, contra quem Papa urbibus & caſtellis munitis ſe ad rebellandum accingit, eumque hoſtiliter Romam adeuntem non recipit. Henricus autem Imperator, expugnatis urbibus & caſtellis, quæ contra ſe pro Hildebrando erant, Romam Leonianam obſidet.* Marianus Scotus addit: *Henricus cum magno exercitu Romam profectus, eam obſidet. Papa audiens multos Romanos favere ſchiſmaticis, deſperans ſe recepit in domum Theodorici, vel Creſcentis, ut quidam dicunt. Sed nec ibi ſe tutè ſciens, cum paucis noctu Salernum abiit, ubi uſque ad obitum ſuum habitavit.* Confundit res diſparatiſſimas. Etenim Gregorii fuga & plena Romæ captivitas eſt annis poſterior. Rei veritatem ſuprà audivimus à Caſſinenſis Monaſterii Chronico: *Victor Imperator, ſuæ ulciſcendæ inju-*

injuriæ memor, congregato exercitu, Romam advenit. Sed obſiſtentibus Romanis cum Pontifice, ſine effectu regreſſus eſt. Conſonat Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Anno Domini milleſimo octogeſimo primo, Rex Henricus Italiam cum exercitu petiit, Romamque perveniens in vigilia Pentecoſtes, reſiſtente ſibi Hildebrando Papa cum Romanis, ante caſtellum Sancti Petri caſtra petiit, ubi etiam crebris per biennium incurſibus Urbanorum infeſtatus, pauca manu multa viriliter peregit.* Uti Imperatorem Rudolphum ejecerat, ita ſtudebat etiam Gregorium ejicere, ac intrudere Guibertum. Devaſtavit omnem Italiam. Ex his vides omnem Gregorii pro Ravennate Eccleſia conatum tunc contigiſſe inter Paſcha ac Pentecoſten. Proximè poſt præſentem Synodum.

S. GREGORII VII.

NONUM ROMANUM CONCILIUM.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo quarto, Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ ſeptimi anno undecimo, duodecimo Kalendas Decembris, præſidente eodem Apoſtolico celebrata eſt tribus diebus in Lateranenſi Baſilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus, atque Apulia, pauci quoque Gallicani. Nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retrò vertere compulit, qui Oſtienſem Epiſcopum de Apoſtolica Legatione redeuntem, contra fas & juramenti fidem capi juſſit ſive permiſit. Tres autem Synodos Quadrageſimales ejuſdem Henrici perſecutio impedivit. Qui ſemel Beatum Paulum, bis Beatum Petrum adgreſſus, demum poſt multum fuſi ſanguinis, non tam ſuorum fortitudine, quàm negligentia civium, portici muros ſurripuit. Romanum ſiquidem vulgus, pars videlicet copioſior civitatis, biennii bello fatigatum, acri inedia laborabat: Cùm nec ipſis ad vicina oppida, vel caſtra exire liceret, nec illi jurati Henrico urbem vellent negotiatum venire. Multi quoque fame abacti urbem reliquerant. Proindè cæteri bello remiſſiùs attenti rem ex animo minùs gerebant, & à cuſtodiis, prout cuique licebat, ſine timore negligentiùs abierant. Hæc ſuper Henrici tyrannide, quia ſe occaſio præbuit, præſtrinxiſſe ſufficiat. Cæterùm Dominus Apoſtolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Chriſtianæ religionis converſatione, ſed & de robore animique conſtantia ad præſentem preſſuram neceſſaria, ore non humano, ſed Angelico patenter ediſſerens, die tertia totum ferè Conventum in gemitus & lacrymas compulit. Sicque Concilium Apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimiſit.

SCHO-

SCHOLION.

AD annum milleſimum octogeſimum ſecundum ſcribit Bertholdus Conſtantienſis: *Henricus in Italiam, adſumpto Apoſtata ſuo Guiberto, iterùm Romam inviſurus proficiſcitur, adunata multitudine Schiſmaticorum, ibique ea æſtate moratus, penè in caſſum laboravit, niſi quòd milites ſuos quibuſdam caſtellis, ut facerent guerram Romanis, impoſuit, quia eum nec hac vice Romani intrare permiſerunt. Ignem quoque in domum Sancti Petri per quendam traditorem immittere voluit, ſed Dei miſericordia protegente non potuit. Cogitavit enim ut de improviſo portas irrumperet, ſi Romani derelictis propugnaculis ad incendium reſtinguendum occurrerent. Unde ignem domibus quibuſdam Sancto Petro contiguis immitti fecerunt. Sed Dominus Apoſtolicus huic verſutiæ obviavit. Nam primùm viſo incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſit, ipſeque ſolus, fiducia Sancti Petri fretus, facto ſigno crucis contra incendium, ignem progredi ulteriùs non permiſit. Igitur Henricus, capto venerabili Epiſcopo de Sutria, aliiſque nonnullis, ſuoque Apoſtata Guiberto in urbe Tiburtina ad infeſtandos Romanos derelicto, ipſe Longobardiam revertitur.* Quod ipſum ſcribit Guilielmus Bibliothecarius: *Anno quoque ſecundo per Spoletinum Ducatum Henricus ad Urbem iterum redivit, & per totum Quadrageſimale tempus ipſam Romam cum multa hoſtilitate obſedit. Adveniente verò tempore Paſchali, ut æſtivum calorem devitaret, per civitates exercitum diſtribuit, & ipſe in Longobardiam cum paucis reverti ſtuduit, Guibertum verò apud Tiburtinos dimiſit, & exercitui ſuo præfecit, qui poſtpoſito Sacerdotio, per incumbentem æſtatem agros & ſegetes Romanorum devaſtavit, & alia mala tanquam vir ſanguinum eiſdem Romanis intulit.* Hæc fuit ſecunda Romanæ urbis obſidio & impugnatio. Noſter porrò Gregorius imitatus eſt Sanctum Marcellinum Anconitanum Epiſcopum, à quo publicum civitatis incendium fuiſſe eodem modo exſtinctum, ſcribit in primo dialogorum libro Magnus Gregorius. Quòd iſto modo etiam Sanctus Hilarion iratum mare placaverit, teſtatur in ejus vita Sanctus Hieronymus. Et hinc lucet inſignis ſanctimonia noſtri ſeptimi Gregorii.

De tertia Romanæ urbis obſidione ſcribit ad annum milleſimum octogeſimum tertium Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Henricus Rex Paſcha celebravit apud Sanctam Ruffinam, moxque Romam tendens caſtra poſuit, ubi & priùs, ad Occidentalem partem Caſtelli Sancti Petri, captaque eſt urbs quarto nonas Junii, feria ſexta ante octavam Pentecoſtes. Hoc tempore Hildebrandus Papa in Caſtello Creſcentii, quod vulgò domus Theodorici appellatur, incluſus exſpectabat eventum rei. Rex verò in Palatino monte munitionem inſtituens, non paucos, quos in præſidio poſuerat, ingraveſcente ſuper eos æſtatis inſueto fervore amiſit. Sed & alios de exercitu multos eadem mortalitas abſumpſit. Eodem tempore Legati Græcorum venerunt, munera multa & magna in auro & argento, vaſiſque ac ſericis adferentes. Romani autem viginti obſides Regi dantes ex nobilibus petierunt diem conſtitui, in quo Papa & omnes Senatores in præſentiam ejus venirent, qui diem ſtatuens Kalendas Novembris, ipſe ad montana conſcendit intrante Iulio, ibique commorans uſque ad ſtatutum tempus Romam rediit, ſed Papa in ejus præſentiam non venit. Vndè Romani commoti manus Regi dederunt, Hildebrandum verò Papam unanimiter abdicaverunt. Qui occultè fugiens, Salernum ſeceſſit. Ibidem ad diem mortis ſuæ permanſit.* Ad eundem annum ſcribit Appendix Lamberti Schafnaburgenſis: *Roma capta eſt ab Henrico Rege, & peſtilentia gravis facta.* Et Marianus Scotus: *Roma capta eſt ab Henrico Rege, & in ejus exercitu maxima peſtilentia facta.* Et Sigebertus Gemblacenſis: *Hoc anno Henricus Imperator, Roma Leoniana capta, Romam obſidet. Condicto inter Imperatorem & Papam die ad cauſam inter eos decernendam, cùm pax diſſimulante Papa inter eos non conveniret, Romani & multi Italiæ Epiſcopi à Papa deſciſcunt, qui fugiens ad Nortmannos ſe contulit.* Et ad annum ſequentem: *Romani Imperatorem Henricum recipiunt in urbe, & eorum judicio Hildebrandus Papatu abdicatur, & Guibertus Ravennæ Archiepiſcopus in Sedem Apoſtolicam inthronizatus, Clemens nominatur.* Et in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus: Lib cap. 50. *Henricus Imperator, exercitum congregans, Romam advenit, & porticum Sancti Petri per vim cepit, & ex magna parte deſtruxit, atque Archiepiſcopum Ravennatem, invaſorem Apoſtolicæ Sedis, abſque conſilio & voluntate totius Romanæ Eccleſiæ conſtituit.*

Sunt brevia multarum & magnarum rerum compendia. Et Uſpergenſis Abbas addit manifeſta mendacia. Gemblacenſis Sigebertus rectè diſtinguit Leonianæ urbis & antiquæ Romæ captivitatem, dicens hanc octogeſimo quarto, illam contigiſſe iſtius ſæculi anno octogeſimo tertio. Res elucidari debet ex accuratis Annalibus Bertholdi Conſtantienſis, ſcribentis ad octogeſimum tertium annum: *Henricus ſtatim juxta Sanctum Petrum quendam monticulum, nomine Palatiolum, in caſtellum erexit, in quo milites multos, ut impugnarent Romanos, impoſuit, qui eum trans-Tyberinas urbis regiones intrare nullo modo permittebant. Multi tamen jam ex Romanis conſenſerant, partim pretio inducti, partim multis ſeducti promiſſionibus, omnes tamen æqualiter jam triennii impugnatione nimiùm fatigati. Quid plura? Omnes penè Romani præter Principem Salernitanum hoc laudaverunt, ut Papa Gregorius Synodum in medio Novembri colligeret Romæ, cujus Synodi Statuta de cauſa Regni nec Henrico, nec Romanis, immò nulli penitus liceret prævaricari. Henricus quoque ituris ad illam Synodum & redituris ſecuritatem jure-jurando fecit. Vndè & Papa omnes religioſos Epiſcopos & Abbates ad Synodum litteris ſuis vocavit.*

Et adjungit de graſſante tunc in exercitum peſtilentia: *Reverſo Henrico Longobardiam, milites ejus, quos in Caſtello illo prope Sanctum Petrum dimiſit, repentina mors penè omnes invaſit. Inter quos & Udalricus Goſcezeheim abſque Eccleſiaſtica communione, heu miſer, interiit, author hujus ſchiſmatis & incenſor conſpirationis. Ex quadringentis autem militibus, qui in illo Caſtello pro cuſtodia dimiſſi ſunt, vix triginta gladium Sancti Petri, ut ajunt, conceſ-*

ſa vita evaſerunt. Ipſum autem Caſtellum à Romanis penitus ſolo adæquatum eſt. Henricus ergò Ravennate ſuo interim Ravennam transmiſſo, ad prædictam Synodum profectus eſt. Quò & Legati Theutonicorum Principum ire debuerant, ſed ab Henrico in via ad forum Caſſii capti & ſedati ſunt circa feſtum Sancti Martini, licet omnibus Synodum illam petentibus ſecuritatem juramento promiſerit. Undè & Romani contra Henricum murmurare cœperunt. Erant autem religioſiſſimi Monachi & Clerici, quos in captivitate fecit cruciari: Cum quibus & Othonem venerandum Oſtienſem Epiſcopum captivatum, videlicet ad ipſum ab Apoſtolica Sede tranſmiſſum. Multi tamen è Francigenis ad illam Synodum tam Epiſcopi quàm Abbates pervenerunt. Meliores autem Epiſcopi, & Domino Apoſtolico magis neceſſarii, id eſt, Hugo Lugdunenſis, Anſelmus Lucenſis, Reginaldus Comanus, ſpecialiter ab Henrico ad Synodum pervenire prohibiti ſunt. Dominus tum Papa Synodum tribus diebus ſolemniter celebravit: Et ne Henricum iterùm ſpecialiter anathematizaret, vix à Synodo exoratus, omnes tamen excommunicavit, quicumque aliquem ad Sanctum Petrum & Papam venientem impedirent quoquo modo.

Triennalis itaque Romanæ civitatis obſidio Gregorium impedivit ab omni Synodo. Et Leonianam civitatem ac Sancti Petri Baſilicam Henricus tunc tantùm obtinuit, omnes autem transTyberinas regiones, ac præſertim Lateranenſe cum Baſilica Palatium retinuit Gregorius. Anno poſt milleſimum octogeſimo tertio. Et tunc factum eſt quod ſcribit laudatus Bertholdus: *Iterum Henricus cum multitudine ſchiſmaticorum ſive excommunicatorum ante Pentecoſten Romam impugnaturus aggreditur, ſicque Guibertum Ravennatem, perjurum, depoſitum, & anathematizatum, apud Sanctum Petrum inthronizat, non per Oſtienſem & Albanenſem & Portuenſem Epiſcopos, qui hoc privilegium habent ut Papam conſecrent, ſed per Mutinenſem & Ariminenſem Epiſcopos, ut pote multis annis depoſitos & anathematizatos.* Guilielmus Bibliothecarius aſſirmat inthroniſmum fuiſſe factum per Bononienſem Epiſcopum, Vicentinum, & Cervienſem. Nempe loquitur de inthroniſmo poſtremo apud Lateranenſem Baſilicam. Ad iſtam rem etiam reſpicit Leo Oſtienſis Epiſcopus: *Henricus Romam advenit, porticum Sancti Petri per vim cepit, magnaque ex parte deſtruxit, & Archiepiſcopum Ravennatem, Apoſtolicæ Sedis invaſorem, abſque conſilio & voluntate Romanæ Eccleſiæ inſtituit.* Et tunc Romæ cœperunt ſedere duo Pontifices. Gregorius apud Lateranenſem, Guibertus apud Eccleſiam Vaticanam. Attamen tunc necdum accepit nomen Clementis.

Hiſce igitur malis fracti Romani, & ſibi nullum ex ipſis videntes exitum, rogavere Gregorium, ut Henrici cauſam, & ſuas in ipſum ſententias retractari Synodaliter permitteret, paterna clementia audiret eundem, atque ita Eccleſia & Reſpublica tandem pacificarentur. Et Gregorius annuit. Synodum indixit in menſem Novembrem. Ita affirmat Abbas Uſpergenſis. Hujus ſuæ clementiæ cauſam edicit Gregorius in litteris ad Altamannum Paſſavienſem Epiſcopum: *Notificamus Dilectioni veſtræ, pœnè omnes noſtros fideles, audita morte Rudolphi, beatæ memoriæ* Lib. 9. Epiſt. 3.

Regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, ut Henricum jam dudum, ſicut noſtis, plura facere nobis conatum, cui fermè omnes Italici favent, in gratiam noſtram recipiamus, adjicientes, ſi ille in Italiam, pro velle & conatu ſuo non valens nobiſcum habere pacem, contra ſanctam Eccleſiam venerit, ex vobis fruſtra ſperandum fore auxilium. Variæ igitur rationes Gregorio perſuaſerunt iſtam clementiam. Primò, quòd Rex Rudolphus eſſet in bello occiſus, ideoque pateret via reparandi Henrici. Secundò, quòd Henricus Gregorio multa promitteret. Tertiò, quod omnis ferè Italia illi faveret. Quartò, quòd ipſum armis ſubjugare videretur difficile. Aliud ab ipſo non exegit Gregorius, niſi veram deinceps pœnitentiam atque obedientiam. Hinc addidit: *Niſi ita obediens & ſanctæ Eccleſiæ humiliter devotus ac utilis, quemadmodum Chriſtianum Regem oportet, & ſicut de Rudolpho ſperavimus, fuerit, procul dubio ei non modò ſancta Eccleſia non favebit, ſed etiam contradicet.*

Hæreticos, Schiſmaticos, quoſvis anathematizatos, & præſertim hæreſium aut ſchiſmatum Authores, nonniſi cum ſolemni libello ſeu profeſſione admitti in Eccleſiam, ac reparari in gradum mandant Apoſtolicus Canon ac perpetua Eccleſiarum conſuetudo. Hinc etiam ab Henrico faciendam profeſſionem concepit Gregorius, tranſmiſit Altmanno, & adjunxit: *Quoniam Religionem tuam Apoſtolicæ Sedi fidelem & promiſſis tenemus & experimentis non dubitamus, de his ſi quid minuendum vel augendum cenſueris, non tamen prætermiſſo integro fidelitatis modo & obedientiæ promiſſione, poteſtati tuæ & fidei, quam Beato Petro debes, committimus.* Redituris Erronibus profeſſionis libellum præſcribere ſpectavit ſemper ad Romanam Eccleſiam. Hoc jure uti noluit Gregorius: Profitendum ab Henrico libellum ſubmiſit judicio Epiſcoporum Germaniæ. Tanta in Henricum fuit uſus benevolentia. Profeſſio habuit hæc verba: *Et eo die, quando illum,* utique Dominum Papam Gregorium, *primitùs videro, fideliter per manus meas miles Sancti Petri, & illius efficiar.* Ex ipſis deſumpti ſunt hi verſus, quos in Lotharii Imperatoris coronatione inſcripſit Lateranenſi Palatio Innocentius ſecundus: *Rex venit ante fores, jurans priùs urbis honores. Hinc homo fit Papæ, ſumit quo dante Coronam.* Hæc præſertim verba, *Homo fit Papæ*, peſſimam in partem accepit Imperator Fredericus primus, utrumque verſum voluit abraſum, & ex hac ejus adversùs Adrianum quartum controverſia tandem erupit horrendum ſchiſma Cardinalis Octaviani adversùs Alexandrum tertium. Rei ſeriem latè habes apud Radevicum Presbyterum Friſingenſis Eccleſiæ. An etiam Henricus hæc verba, *Illius miles efficiar*, indignè tulerit, ignoro.

Adducenda eſt Epiſtola, quam de hac Synodo & tractandis in ipſa rebus ſcripſit Gregorius ad omnem Latinam Eccleſiam: *Notum facimus vobis, chariſſimi fratres & filii, nos admodum deſiderare, & Apoſtolica authoritate velle ſancire, ut generalis Synodus congregetur in loco tuto & ſecuro, ſicque opportuno, ut ad eum poſſint undique terrarum Clericalis Ordinis & Laicalis, amici vel inimici, ſine timo-* Lib. 9. Epiſt. 28.

timore convenire. Diſponimus enim tractare, & diligenti excuſſione detectum in faciem orbis ex occultis tergiverſationum ſuarum antris extrahere, quicumque ille eſt, qui tantorum malorum, quæ jam pridem in Chriſtianam Religionem graſſantur & ſæviunt, cauſa & author exiſtit. Cujus etiam impietas, & inaudita temeritas hactenus obſtitit & proturbavit, ne inter Pontificatum & Regnum Divina pax & recta concordia fieret. Quam pacem, opitulante Deo, ſicut Chriſtiana devotio cupit & poſtulat, in eodem Concilio inſtaurare, & confirmare optamus. In qua Synodo præterea, Deo authore, ad honorem Beati Petri, ſecundum ſanctorum Patrum Decreta parati erimus quod juſtum eſt facere, & iniquorum nequitiam revelantes, de his quæ Sedi Apoſtolicæ objiciuntur, & unde quidam fratrum ſubmurmurant, ipſius innocentiam evidenter oſtendere: Ita tamen, ut ante omnia res Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quibus expoliata cognoſcitur, ſi dignum eſt, reſtituantur. Verùm illud admodum veſtræ Dilectioni notificare non dedignamur, Deo teſte, Rudolphum, qui Rex ab Ultramontanis ordinatus eſt, non noſtro Præcepto ſive conſilio Regnum tunc ſuſcepiſſe: Inſuper etiam nos in Synodo decernentes firmaviſſe, niſi Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui illum ordinaverant, hoc factum ſuum rectè defendere potuiſſent, tam ipſos à dignitatibus ſuis, quàm & præfatum Rudolphum à Regno *deponere. Enim verò interim quis hanc noſtram diſpoſitionem interturbaverit, & multi veſtrum ſciunt, & noſtram ſcientiam fugere nequaquam poteſt. Si enim* Henricus, Rex *dictus, & pars ejus obedientiam, quam promiſerat, nobis, immo Beato Petro, ſervaſſet, confidenter dico, Deo juvante, non tot mala, videlicet homicidia, perjuria, ſacrilegia, ſimoniacæ hæreſis peſtilentia, ac proditiones eveniſſent. Vos itaque, quos aut tantæ calamitates movent, aut Divini timoris reſpectus ad Deo dignam pacem & concordiam animat, nitimini & ſummoperè laborate, ut Synodus, qualem ſuprà memoravimus, fieri poſſit: Quatenus ſanctæ Eccleſiæ caput, totumque corpus, quod impiorum procelloſis fraudibus & machinationibus fluctuat nimiùm & titubat, communi cum bonorum conſenſu & robore quieſcat de cætero, & ſtabiliter conſolidetur.* Hæc Epiſtola altiſſimè clamat omnia Gregorii vota, nervos, & ſtudia ſeriò cucurriſſe ad Henricum omninò reparandum.

Et ille quidem Romam venit, aſt Germaniæ Proceres & variarum gentium Epiſcopos, Abbates, Clericos, & Monachos prohibuit ab acceſſu Synodi, ipſorum multos cepit captivos, & conjecit in vincula. Præſertim prohibuit Hugonem Lugdunenſem, Sanctum Anſelmum Lucenſem, & Reginaldum Epiſcopum Comenſem: Gregorio maximè neceſſarios. Quin & Othonem Hoſtienſem Epiſcopum, Legatum Gregorii ad ſe Henricum, qui poſteà fuit Urbanus ſecundus Pontifex, conjecit in carcerem. Hinc ipſum nec ad Synodum, nec ad ſuum conſpectum admittere Gregorius voluit, cum ſolis Campaniæ, Apuliæ, & Calabriæ Epiſcopis fecit Synodum, cujus præcipua Acta refert Bertholdus Conſtantienſis: *Dominus Papa, ne Henricum iterùm ſpecialiter anathematizaret, vix à Synodo exoratus, omnes tamen excommunicavit, quicumque aliquem ad Sanctum Petrum & Papam venientem impedirent quoquo modo.* At qualem obedientiam huic Decreto exhibuerit Henriciana & Guibertina factio, docet idem Bertholdus: *Morabatur Henricus in Lateranenſi Palatio cum* Ravennate *ſuo, nec à fidelibus Papæ ad Sanctum Petrum tranſire permittebatur, ſed in ipſa Paſchali hebdomada fideles aggreditur.* Agit de ſequenti anno, dum Gregorius ſeſe abdiderat in Caſtrum Sancti Angeli. Et in variis litteris Goffredus Abbas Vindocinenſis affirmat Urbanum ſecundum latuiſſe pauperem in domo Joannis Frangipani, ſe tanquam Nicodemum acceſſiſſe ad illum de nocte, ter fuiſſe captum, & omnem Catholicum Romipetam fuiſſe periclitatum non de tunica, ſed de vita.

Et hinc calumniam continent hæc Abbatis Uſpergenſis verba: *Henricus diem ſtatuens Kalendas Novembris, ipſe ad montana conſcendit intrante Julio, ibique commoratus uſque ad ſtatutum tempus,* Romam *rediit, ſed Papa in præſentiam ejus non venit.* Etiam hæc verba Venerici Vercellenſis Epiſcopi: *Henricus* Rex *non ut diſpergeret oves Chriſti, ſed ut congregaret eas in unum, profectus eſt* Romam, *præcipuè ſtudens aut cum Hildebrando redire in gratiam, aut ſi id fieri non poſſet, ſubſtituere alium Papam, qui amaret & evangelizaret pacem, cùm jam per plures annos bellum undique vaſtaverit* Romanum *orbem. Sed ille noluit* Regem *recipere, immò reſpuit eum alloqui vel videre, niſi offerret ſibi* Regale *ſceptrum, & in ſuas manus redderet* Regiam *poteſtatem, & honorem &* Regnum. Et poſt quædam: *Ergò* Rex *cùm obſtinatum Papæ animum non poſſet inclinare ad ſtudium pacis alia pactionis conditione, niſi cederet* Regno, *quod Deo ordinante obvenerat ſibi avita pariter & paterna ſucceſſione, tunc demum uſus eſt belli neceſſitate. Cùm etiam idem Hildebrandus introitum* Romanæ *civitatis obſtruxiſſet, &* Romanos *ad repugnandum animaſſet, qui deindè converſi ad ſtudium pacis, vel quòd bello undique urgerentur, vel quòd contra Patricium ſuum repugnare arbitrarentur fore impium, legationem miſerunt, rogantes ea quæ pacis ſunt, perſiſtente Hildebrando Papa in obſtinatæ mentis intentione, qua* Regem *Henricum judicaverat dignum eſſe odio omnium, atque excommunicatum à ſe, ideoque eſſe indignum aliquorum, qui rectè colerent Deum, viſu & allocutione.* Uterque Scriptor præſentis Synodi convocationem Regi Henrico, & ejuſdem fruſtraneum ſucceſſum adſcribit Papæ Gregorio, per manifeſtam calumniam. Etenim ejus convocatio per Gregorium, fruſtratio palàm facta eſt per Henricum, qui non ſolos venientes ad hanc Synodum Epiſcopos, ſed etiam Othonem Papalem ad ſe Legatum conjecit in vincula, atque ita & ſua juramenta & commune omnium gentium jus fuit prævaricatus. Hinc illi à ſe inflictam cum anathemate degradationem valere Gregorius meritò voluit.

Hac in Synodo Gregorius item videtur firmaſſe hoc ſuum Reſcriptum ad Altmannum Paſſavienſem Epiſcopum: *Quod de Sacerdotibus interrogaſtis, placet nobis ut in præſentiarum, tum propter populorum turbationes, tum etiam propter*

pter bonorum inopiam, ſcilicet quia pauciſſimi ſunt qui fidelibus Chriſtianis officia Religionis perſolvent, pro tempore rigorem Canonum temperando, debeatis ſufferre. De his namque pacis & tranquillitatis tempore, quod Domino miſerante cito futurum credimus, convenientiùs tractari, pleniùſque poterit Canonicus ordo ſervari. Nec tantùm in Germania, ſed etiam in ipſa alma Urbe Gregorius quibuſdam videtur hanc diſpenſationem toleraſſe. Probant ex verbis Guilielmi Bibliothecarii: *Erant cives Romani, uxorati, ſive concubinarii, barba raſi, & mitrati, peregrinis oratoribus, precipuè verò ruſticanæ Longobardorum multitudini mentientes, aſſerentes ſe Cardinales presbyteros eſſe, quique oblationibus receptis indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum uſu nefario impadenter præſtabant. Hi & occaſione cuſtodiendæ Eccleſiæ conſurgentes intempeſtæ noctis ſilentio, intra & citra eandem Eccleſiam impunè homicidia, rapinas, varia ſtupra, & diverſa latrocinia exercebant, quos Beatus Pontifex ab eadem Eccleſia non ſine multa difficultate removit, & cuſtodiæ curam honeſtis Sacerdotibus & Clericis commiſit & tradidit.* Dominus Cardinalis Cæſar Baronius exiſtimat eos fuiſſe intruſos in Vaticanam Baſilicam Guiberti Pſeudo-Cardinales. Sed ipſum labi evincunt verba: *Ruſticanæ Longobardorum multitudini mentientes.* Etenim uti Parmenſis Anti-Papa, ita ejus Pſeudo-Cardinales non poterant Longobardis eſſe ignoti. Et uſque tunc Guibertus necdum erat Clemens tertius, ideoque necdum creaverat Cardinales. Iſta igitur fæx erant ob ſacrilega conjugia & duram in ipſis pertinaciam degradati à Gregorio Cardinales. In iſta urbis confuſione hi reſumebant amiſſum gradum, & non Romanis civibus, ſed peregrinis oratoribus, ac præſertim Guibertum ſequentibus Longobardis ſuadebant ſe eſſe legitimos Cardinales. Spondebant adhærere Guiberto, & ab ipſo ſperabant recipere dignitatem, nec non cum ipſa retinere uxores. His enim ſacrilegis conjugiis favebant cum Guiberto plures Longobardorum Epiſcopi. Proinde tales Eccleſiæ ſordes Gregorius in urbe nunquam toleravit.

Notanda ſunt Guilielmi verba: *Barba raſi, & mitrati.* Demonſtrant tunc omnem Latinum Clerum fuiſſe barba raſum, & Dominis Cardinalibus fuiſſe uſum mitræ. Haud dubiè & aliorum Pontificalium ornamentorum. Cujus rei primam originem ignoro. Notanda ſunt & hæc verba; *Receptis oblationibus.* Docent nos plura. Primo, quòd plenariæ indulgentiæ conſuetudo eſſet tunc Romanæ Eccleſiæ familiaris. Secundo, quòd daretur accedentibus Vaticanam Sancti Petri Baſilicam. Tertio, quòd daretur facientibus ibidem oblationes. Quarto, quòd Domini Cardinales nequirent iſtas oblationes ſibi ipſis adſcribere. Quinto, quòd iſta avaritia ſit impudens atque nefaria. Ab hac Synodo emanarunt alia inſuper Decreta. Lucidè hoc affirmant Acta Synodalia. Verùm illa uſque huc non inveni. Et quidem poſt hanc Synodum Gregorius ſibi ab Henrico Rege, & ab Apoſtatis ad illum Romanis, & à turbata urbe timuit, ideoque ſeſe recepit & abdidit in Caſtrum Sancti Angeli.

S. GREGORII VII.

DECIMUM ET UNDECIMUM ROMANUM CONCILIUM.

DEcimi Concilii originem exponit Bertholdus Conſtantienſis : *Sed jam advenit terminus , ad quem Romani , neſciente Papa , hæc Henrico ſe effecturos juraverunt , ut aut Gregorius Papa eum incoronaret , aut alius , quem ipſi Gregorio expulſo eligerent . Quod juramentum , licet in præterita æſtate factum fuerit, omnes tamen intimos Papæ uſque ad terminum penè latuit . Adveniente ergo termino Romani Papæ de juramento manifeſtaverunt , dicentes ſe hoc juraſſe , non ut Papa ſolemniter Regali unctione incoronaret , ſed ut tantùm ſimpliciter coronam ei daret .* Henricus uſque tunc fuerat dumtaxat Germaniæ Rex ac Romanorum Patricius , Auguſtam coronationem ſemper ambiverat , ſed meruerat excommunicationem ac degradationem . Hinc jam Romanæ urbis victor voluit à Gregorio coronari . Et quia coronatio nequit excommunicato impendi ob rationes varias , poſtulavit rem impoſſibilem . Hinc pergit Bertholdus : *Annuit ergo Papa Romanorum votis , ut eos à juramento abſolveret , videlicet Henrico , ſi vellet , cum juſtitia , ſin autem , cum maledictione coronam daret . Unde Romani mandaverunt , ut veniret ad accipiendam coronam cum juſtitia , ſi vellet ; ſin autem , de caſtello Sancti Angeli per virgam ſibi demiſſam à Papa reciperet . Sed Henrico utrumque recuſante , alium Legatum illi direxere , qui eos bello defenderet , ſi neceſſe eſſet . Se bene attendiſſe quid juraverint , nec ſe amplius eo juramento teneri obnoxios . Igitur Domino Papæ multò firmiùs , quàm pridem , conſilio & auxilio adhæſere . Henricus autem multò inſtantiùs pro eis ſuæ parti applicandis , nunc minando , nunc promittendo laboravit . Multumque tempus circa Romam moratus , huic negotio invigilavit .*

Interim Gregorii Clerus adhuc tenebat Lateranenſe Palatium , Guibertus verò Vaticanam Baſilicam . Erat miſeranda rerum facies . Nec enim ſola Italia , ſed etiam Alma urbs erat in duos Dominos & duas factiones lacerata . Hinc pergit Bertholdus : *Sed jam ſeptennio totum Romanum Imperium civili bello & nimio ſchiſmatis diſſidio laboravit , aliis quidem Domino Apoſtolico , aliis autem Henrico faventibus , & ob hoc utrimque totum Regnum præda , ferro , & igne miſerabiliter devaſtantibus . Pauciſſimi Catholici Epiſcopi ex parte Apoſtolici remanſerunt , qui à propriis ſedibus expulſi ſuis gradibus providere non permittebantur . Quapropter omnes penè religioſi Clerici ſive Laici in aliqua Monaſteriorum latibula fugientes , hujuſmodi mala declinaverunt , ne videlicet devaſtationem ſanctæ Eccleſiæ cernerent , cui in nullo adminiculari poſſent . Satiùs illis videbatur , ut ſaltem ſeipſos deliteſcendo ſalvarent , quàm pro aliis in caſſum laborando , cum eiſdem perirent .* Hoc item tempore è latebris eruperunt uxorati , ac per Gregorium degradati Pſeudo-Cardinales : Et haſce turbas ſtrenuè adjuverunt .

Interim Henricus , licet in Brixinenſi Conventiculo degradaſſet Gregorium , non ceſſavit Auguſtam Coronationem ab ipſo ſperare . Norat ipſum eſſe legitimum Pontificem . Hinc ad Farfenſe Monaſterium evocavit Deſiderium Caſſinenſem Abbatem , Cardinalem Presbyterum Romanæ Eccleſiæ , amicum Gregorio . Verùm ille cum Rege , Proceribus , ac Epiſcopis excommunicatis , & cum ipſo præſertim Hæreſiarcha Guiberto communicare dudum detrectavit , tandemque advenit in civitatem Albanenſem . Et illic cum iſtis omnibus , etiam cum ipſo Guiberto amplè diſputavit de Nicolai ſecundi Pontificis circa Papalem electionem Decreto , de intruſione Guiberti , de cunctis hiſce motibus . Diſputationem latè deſcribit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus , (Lib. 3. cap. 51.) atque adjungit : *Henricus Deſiderio mandabat , ut ſibi fidelitatem faceret , & homo ipſius per manus deveniret , & Abbatiam de ſua manu acciperet . Quæ Deſiderius omnia forti animo contemnebat , dicens ſe non modò pro Abbatia , ſed nec pro honore totius mundi id eſſe facturum . Cumque tam rigidum & inflexibilem Imperator cerneret , iratus eſt valdè , & præcepit Capuano Principi , quatenus nuncios ſuos acciperet , & cum eis ad Monaſterium veniret , illiſque ipſum aſſignaret .* Hoc eſt , Caſſinenſem Abbatiam , ac omnes ejus poſſeſſiones redigeret in fiſcum . *Sed cum Princeps multa illi bona de Deſiderio frequenter locutus eſſet , & eum ad illum duxiſſet , ita flexit ſe , ut ipſe coram Principe amicitiam ei promitteret , ut de corona Imperiali acquirenda illum pro ſuo poſſe adjuvaret , ſalvo tamen ordine ſuo .*

ſuo. Utique apud Papam Gregorium. *Quæ quoniam ad comparationem ſuperiorum Deſiderio levia viſa ſunt, quia aliter nequivit, conſenſit, & coram Principe hoc ei promiſit. Cumque adhuc exigeret ut Abbatiæ virgam ab illo reciperet, reſpondit, quia cum Romani Imperii coronam habere eum vidiſſet, tunc ſi ſibi videretur, Abbatiam ab ipſo reciperet, ſi verò nollet, dimitteret.* Et hocce colloquium graviter damnat in litteris ad Comitiſſam Mathildim Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis: *Quis Deſiderium, niſi ex ipſius ore audiſſet, unquàm crederet Henrico dicto Regi fidem dediſſe, ut de obtinenda Romani Imperii corona fideliter eum adjuvaret? Aut cujus accuſatio contra talem virum reciperetur, niſi ipſe quaſi ad cumulum gloriæ ſuæ adſcribendo nobis narraſſet prædictum Regem ad invadendas terras Beati Petri nunquam, niſi ſuo conſilio & perſuaſione animaretur, Romam tranſiiſſe?* Et infrà: *Decreta Domini ſui Papæ Gregorii, aliorumque ſanctorum Patrum, non ſolùm verbo apertè improbavit, verùm etiam manifeſtis operibus poſteà deſtruxit.* Hugo ex rationibus fuit ulcerato animo in Deſiderium, ideoque viri ira poſſit non ſcripſiſſe veritatem. Quidquid ſit, Deſiderius ab Henrico, ubi coronam accepiſſet, non potuerat accipere Abbatiæ Inveſtituram; ideoque nec potuit promittere. Gregorianis, quæ ipſe Deſiderius condi adjuverat, Decretis id hoſtiliter adverſabatur.

Interim Henricus videns nullam coronæ ſpem ſupereſſe à Gregorio, anno poſt milleſimum octogeſimo quarto fecit quod ſcribit Bertholdus Conſtantienſis: *His temporibus Conſtantinopolitanus Imperator Alexius Comnenus maximam pecuniam Henrico quondam Regi tranſmiſit, ut Robertum Guiſcardum Ducem Calabriæ & Apuliæ, conjuratum militem Domini Papæ in ultionem ejuſdem Regis, bello appeteret. Nam Robertus jam dudum fines Conſtantinopolitanorum invaſit, iterumque illuc expeditionem movere diſpoſuit. Sed Henricus acceptam pecuniam non in procinctum contra Robertum, quod juramento promiſit, ſed ad conciliandum ſibi vulgus Romanum expendit, cujus adjutorio Lateranenſe Palatium feria quinta ante Palmas cum ſuo Guiberto Ravennate intravit. Nobiles autem Romani præter admodum paucos eum Domino Papa tenuerunt, qui & quadraginta obſides ei dederunt. Papa autem in Caſtellum Sancti Angeli ſe recepit, omneſque Tyberinos pontes & firmiores Romanorum munitiones in ſua obtinuit poteſtate.* Videtur Pontifex dudum anteà fuiſſe in Caſtro Sancti Angeli. Pergit Bertholdus: *In die Reſurrectionis Dominicæ Henricus ab Hæreſiarcha ſuo Ravennate coronam non gloriæ, ſed confuſionis accepit. Nam hujuſmodi Coronator, juxta atteſtationem ſanctorum Patrum, non benedictionem, quam perdidit, ſed damnationem, quam habuit, ſuo Coronato impoſuit.* Conſonat Sigebertus Gemblacenſis: *Romani Imperatorem Henricum recipiunt in urbe, & eorum judicio Hildebrandus Papatu abdicatur, & Guibuertus Ravennæ Archiepiſcopus in Sedem Apoſtolicam inthronizatus, Clemens nominatur. Henricus* Rex *conſtituitur Patritius* Romanorum, *& à Clemente Papa in Imperatorem benedicitur.* Labitur in duobus. Primò, quòd Guiberti in Clementem promotio fuerit facta ante coronationem Henrici. Facta enim priùs eſt poſt fugam Gregorii. Secundò errat, quòd Henricus fuerit tunc creatus Romanorum Patritius. Creatus enim fuit ante promotionem Alexandri ſecundi. Pergit Bertholdus: *Morabatur Henricus in Lateranenſi Palatio cum Ravennate ſuo, nec à fidelibus Papæ per civitatem ad Sanctum Petrum tranſire permittebatur, ſed in ipſa Paſchali hebdomada fideles aggreditur. In qua congreſſione quadraginta penè inter mortuos & vulneratos perdidit: Nam reliqui fugerunt. Ex parte autem Domini Papæ nec unus cecidit.*

Bertholdus non ſine cauſa notat Henricum, quod in ipſa Paſchali hebdomada belligerarit. Etenim omnis illa hebdomada erat tunc Romæ adhuc feſtiva, & antiqua Patrum diſciplina ſanxit feſtivos dies etiam à bello feriari. Hinc etiam Magnus Henrici defenſor Venericus Vercellenſis Epiſcopus in libro de unitate Eccleſiæ ſcribit Saxones anno poſt milleſimum octogeſimo octavo pugnaſſe contra Henricum in vigilia Dominicæ Nativitatis, addit hanc iſto anno incidiſſe in diem Dominicam, atque proſequitur: *Ecce quid faciunt hæreſes & ſchiſmata, ut dicat in corde ſuo cognatio eorum ſimul, Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.* Iſtud crimen multis inſectatur. Pietatis originem edicit in Alexandrinæ Eccleſiæ Chronico Eutychius ibidem Patriarcha: L. 1. fol. 451. *Conſtantinus Magnus decrevit, ut die Dominicæ Paſſionis & ipſum ſequente die Veneris, ab omni opere abſtinerent homines, neve in eiſdem prælium ullum committerent.* Exponit in Conſtantini vita Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, Affirmat diem Dominicam & ſextam feriam lata per Conſtantinum lege coli & feriari juſſa & à populo & ab exercitu, etiam à cunctis adhuc paganis militibus, & adjungit legis cauſam: Lib. 4. c. 18. 19. *Non enim oportere aiebat Conſtantinus haſtis tunc uti, & rerum ſuarum ſpem in armis aut corporum viribus ponere, ſed univerſitatis Deum, rerum omnium bonarum, & ipſius victoriæ authorem agnoſcere.* Et hinc ad Valentiniani primi Imperium ſcribit Ammianus Marcellinus: *Alemannorum Regalis,* Lib. 27. cap. 21. *Rando nomine præſtruens diu quod cogitabat, Moguntiacum præſidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepſit. Et quoniam caſu Chriſtiani ritus invenit celebrari ſolemnitatem, inpræpeditè cujuſque modi fortunæ virilem & muliebrem ſexum cum ſupellectile non parva indefenſum abduxit.* Quia nempè Chriſtiani in ſuis feſtivitatibus etiam ad defenſivum bellum erant imparati. Et in ſuo Chronico habet Idatius Lemicenſis in Gallicia Epiſcopus: *Per Suevos Luco habitantes in diebus Paſchæ* Romani *aliquanti cum Rectore ſuo, honeſto natu, repentino ſecuri de reverentia dierum occiduntur incurſu.* Nempè Suevi, licèt Chriſtiani, inductam à Conſtantino pietatem necdum admiſerant. Et de Perſarum Duce Cardariga, die Sabbati omnia ad conflictum neceſſaria parante, ſcribit Theophylactus Simocata: *Quod ubi Romani reſciverunt, ſuſpicio Ducem inceſſit hoſtes die craſtina ipſis invadendis fortunam experturos. Romanis nempè propter diei Dominici venerationem, & numinis eo colendi reveren-*

rentiam ferias acturis. Etiam Chaganum Abarorum Ducem laudat, quod per Dominicæ Paſſionis ac Reſurrectionis feſta cum Romanis, licèt ipſos fame laborantes haberet in manu, inducias fecerit. Quò nempè illi ſua feſta ſecuri peragerent. Et inter articulos, ob quos Gallicani Epiſcopi Imperatorem Ludovicum pium degradarunt, fuit & hic: *Quia contra Chriſtianam religionem, & contra votum ſuum, ſine ulla utilitate publica, aut certa neceſſitate, pravorum conſilio deluſus, in diebus Quadrageſimæ expeditionem generalem fieri juſſit.* Media enim ſæcula iſtam pietatem exhibuerunt etiam Quadrageſimæ. Pagani adhuc Bulgari ſolebant quoſdam dies ſibi cenſere infauſtos, ideoque illis non præliari. Hinc quæſtionem hanc retulerunt Nicolao primo Pontifici. Et hic reſpondit dierum obſervationem eſſe damnatam ab Evangelica lege ſuperſtitionem, addens Dominicos noſtros & alios feſtivos dies eſſe præliorum abſtinentia honorandos, niſi cogat inevitabilis neceſſitas. Utique ad bellum defenſivum. Quod ipſum reſpondit de Quadrageſima. Et Ovoni Hungarorum Regi, quòd Quadrageſimam cædibus polluiſſet, Regni amiſſionem prædixit Sanctus Gerardus Chanodenſis Epiſcopus. Et Prophetia evenit. Ita habes in hujus vita apud Laurentium Surium. Quòd etiam dominantes in Italia Nortmanni per Quadrageſimam non bellarent, teſtatur in litteris ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem noſter ſeptimus Gregorius, rogans illos ſuaviter induci, Lib. 9. Epiſt. 4. ut adverſùs Henricianam ac Guibertinam factionem velint diſpenſatoriè hanc pietatem nunc interpolare. Ob extremam Romanæ Eccleſiæ neceſſitatem. Iſtam illi pietatem ſecum ex Gallia detulerunt. Et de ſui temporis ac gentis calamitate ſcribit in generali hiſtoria Otto Friſingenſis Epiſcopus: *Apud nos tam tetra jam videtur confuſio, ut non ſolùm reliquo anni circulo milites præda & incendio cuncta permiſceant, ſed & in* Lib. 7. Cap. 34. *ipſo Quadrageſimali ac Pœnitentiali tempore contra humanas ac Divinas leges deſævire non pertimeſcant.* Et de Frederico primo Imperatore, rebellem Terdonam obſidente, ſcribit in opere de ejus Geſtis: *Appropinquabat Paſchale feſtum, & Princeps Religionis intuitu quatuor diebus, id eſt, à quinta Cœnæ Domini feria, uſque ad proximæ Paſchalis hebdomadæ ſecundam feriam, ab arcis impugnatione ceſſandum ſtatuit.* Et de Stephano Anglorum Rege ſcribit Rogerus Hovedenſis: *Stephanus in Vigilia Natalis Domini, & in toto Natali* F. 482. *obſedit Bedefordiam. Quod etiam multis diſplicuiſſe Deo viſum eſt, quia ſolemnitates ſolemnitatum parvi vel nihili pendebat.* Reynoldum Colonienſem Archiepiſcopum, A. 1164. hominem ſchiſmaticum & plenè Martialem, quòd tamen in Pentecoſtes feſto noluerit committere prelium, laudat Godefridus Monachus Sancti Pantaleonis. Et Imperatorem Fredericum ſecundum, quod in feſtivis diebus offenſiva prælia egerit, graviter arguit Monachus Paduanus. Et de Erfurtenſibus contra Fredericum ſuum Lantgravium bellantibus ſcribit antiqua Lantgraviorum hiſtoria: *Nec feſtivis diebus pepercerunt.* Princeps noſter Carolus Audax in feſto Pentecoſtes invaſit civitatem Leodienſem: Et intercepit. Leodienſes tunc ob feſtivitatis reverentiam non timuiſſe affirmat Philippus Cominæus. Plurima ſunt hujuſmodi exempla. Avita pietas eſt nobis reſumenda.

De facta, & per Abbatem Uſpergenſem ac Bertholdum Conſtantienſem laudata Imperatoris Alexii Comneni ad Henricum Regem Legatione addit in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Hoſtienſis Epiſcopus: *Hoc audito*, utique plena Romanæ civitatis captivitate & Guiberti intruſione, *omnes ferè iſtarum partium homines uno animo, unaque voluntate contra Nortmannos conſpirarunt, ut cùm Imperator* Romam *tranſiiſſet, omnes in illos unanimiter conſurgerent. Quod illi cognoſcentes, & malum timentes, acceperunt conſilium inter ſe, ut ſi quo modo poſſent, fœdus cum* Henrico *Imperatore componerent, dicentes, Quia poſtquam Imperator* Romam *habuerit, nullam ulteriùs ab eo ſpem habebimus, ſed junctus* Romanis *& cæteris circa manentibus, omnes nos de partibus illis expellet. Quod poſtquam tractatum inter eos & poſitum eſt, & nuntii eorum ob hoc ad Imperatorem ierant & redierant, demum vocaverunt Patrem Deſiderium, & quia neminem alium in his partibus invenire poterant, in quo confidere potuiſſent, & de eo ſatis fideliter præſumebant, omnia ei, quæ conſiliati fuerant, crediderunt, ſecumque ad Imperatorem ire hortati ſunt. Et licèt propter ſecuritatem ſuam finem cum Imperatore componerent, eo tamen animo veniebant, ut cauſa fidelitatis Romanæ Eccleſiæ de pace inter Pontificem ac Imperatorem ſatagerent. Hoc ubi Gregorio Papæ nuntiatum eſt, ſupra dictum Imperatorem cum omnibus ſuis ſequacibus à liminibus Eccleſiæ ſeparavit. Hoc ubi Nortmanni perſenſerunt, omnes qui ſupradictum Pontificem antea ſinceriter ac fideliter diligebant, ab eo ex tunc corpore & animo receſſerunt.* De utraque Sicilia dudum contenderunt Græci, Saraceni, Romanus Pontifex, & Latinus Imperator: Et ſinguli illic habuerunt aliquid. Robertus Guiſcardus expulit omnes: Et poſt longa bella accepit iſtas ditiones de manu Nicolai ſecundi Pontificis in beneficium, & fecit illi ligiam profeſſionem. Et ſic manſit ſub aliorum trium odio. Bellabat tunc in Græcorum Imperio, omnem ferè Epirum ſubjugarat ac Macedoniam, & imminebat urbi Conſtantinopolitanæ. Hinc Henrici adversùs ſeptimum Gregorium progreſſus audiens Alexius Comnenus, cum illo pacta inire per Legatos ſtuduit, Nortmannos ejicere ex Italia, ipſorum ditiones dividere inter utrumque Imperium, & præſertim ſuas Provincias liberare ab ipſorum armis. Et Nortmanni timuerunt. Hinc cogitarunt ligiam profeſſionem ſuam poſthabere, Gregorium aut cum Henrico conciliare aut deſerere, & tunc ipſi cum iſto Principe ac Germanico Imperio redire in gratiam.

Et ad hæc omnia diſſipanda Gregorius celebravit ſuam decimam Synodum, cujus Acta jam nobis breviter edixit Leo Hoſtienſis Epiſcopus, & parumper largiùs deſcribit Bertholdus Conſtantienſis: *Dominus Papa, collecta Synodo iterum Sententiam anathematis in Guibertum Hæreſiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit, quod & in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ præte-*

rito jam dudum Romæ fecit, cùm Henricus adhuc ibidem moraretur. Hanc ſententiam Legati Sedis *Apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis Epiſcopus*, cognomento Igneus, *in Francia, Otho Hoſtienſis Epiſcopus in terra Theutonicorum uſquequaque divulgarunt*. Laudat duas Gregorii Synodos: Decimam & undecimam. Et hæc fuit ultima.
Lib. 3. cap. 53. Ejus tempus edicit præfatus Leo: *Alio prætereà anno* Henricus *Imperator Romam cum exercitu venit, & Papam Gregorium, qui in arce Sancti Angeli ſe contra eum muniverat, cum diverſis bellorum machinis oppugnare modis omnibus cœpit*. Hoc *ubi Roberto Duci, qui eo tempore Conſtantinopolitanum Imperatorem expugnabat, relatum eſt, Boadmondum filium ſuum in ipſa expeditione relinquens, Italiam citiſſimè rediit, ac immenſum valde exercitum congregans, ad Papæ liberationem contra Imperatorem ire diſponit. Quod ubi Deſiderio nuntiatum eſt, nuntium Romæ illicò deſtinavit, qui & Papæ liberationem & Ducis adventum Imperatori nuntiaret. Tunc Imperator Urbe egrediens, ob id ſcilicet quia ſine militum præſidio erat, civitatem Caſtellanam ingreſſus eſt. Robertus autem Dux cum exercitu ad Eccleſiam quatuor Coronatorum intempeſtæ noctis ſilentio dum adveniſſet, ex conſilio Cencii Romanorum Conſulis ignem in Urbem immiſit: Romani igitur re inopinata perculſi, ac in igne exſtinguendo dum eſſent intenti, Dux confeſtim cum exercitu ad arcem Sancti Angeli properans, Pontificem inde abſtrahens, Roma ſine mora egreſſus, Papam Gregorium ad hoc Monaſterium uſque deduxit, quem Apoſtolicum noſter Abbas uſque ad ipſius exitum, cum Epiſcopis & Cardinalibus, qui eum ſecuti fuerant, ſuſtentavit*. Decima igitur ante Roberti adventum, undecima Gregorii Synodus fuit celebrata poſt Henrici egreſſum.

Porro Normanni illi, quos ob priorem Henrici excommunicationem receſſiſſe à Gregorio aſſirmat Leo Hoſtienſis, non fuit ipſe Dux Robertus. Hic enim tunc bellabat in Macedonia, & Conſtantinopolitanam civitatem habebat in ſua manu. Et audita Gregorii, cui ligiam profeſſionem fecerat, captivitate, ſtatim reliquit omnia, Boadmondo filio credidit ibi ſuas fortunas, armatus venit Romam, & Papam liberavit. Proinde à ſolis, qui domi remanſerant, timidis Proceribus fuit deſertus Gregorius. Nec mireris has contra Henricum ſententias fuiſſe ab Othone Hoſtienſi Epiſcopo divulgatas in Germania. Hæc enim ob Rudolphi Regis mortem non defecit à Gregorio. Fecit quod habet Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Anno milleſimo octogeſimo ſecundo* Hermannus *quidam, vir præpotens ac nobilis ex Germania, à Saxonibus & Allemannis Rex conſtituitur*. Et hic ſtrenuè pro Gregorio certavit contra Henricum. Porrò Gregorius, licet rectà Caſſinum montem adjerit, ibi tamen non manſit, ſed perrexit Salernum. Salerni Princeps erat ipſi amiciſſimus. Et ibi manſit uſque ad mortem, vivens impenſa Caſſinenſis Monaſterii. Hinc poſt ejus è Romana civitate deceſſum Guibertus iſtic egit omnia, de novo inthronizatus eſt in Sancti Petri Cathedram, & tandem appellatus Clemens tertius. Ita cum variis hucuſque adductis Scriptoribus lucidè teſtatur Venericus Vercellenſis Epiſcopus. Tunc primùm Gregorius à Schiſmaticis habitus eſt fugitivus mercenarius, ideoque plenè degradatus. At ejus fugam fuiſſe legitimam, eſt omnibus manifeſtum.

Romanum Conciliabulum.

HOc Conciliabulum refert Marianus Scotus: *Papa audiens multos Romanos favere ſchiſmaticis, deſperans recepit ſe in domum Theodorici, vel Creſcentii, ut quidam dicunt. Sed nec ibi ſe tutè ſciens, cum paucis noctu Salernum abiit: Ubi uſque ad obitum ſuum habitavit. Videns autem* Henricus *Papam aufugiſſe, congregatis triginta Epiſcopis fautoribus ſuis, in ipſa Romanæ Urbis obſidione juſſit haberi Synodum, in qua Gregorius Papa falſis & inauditis criminationibus, per* Henrici *fautores falsè compoſitis, abſens accuſatur. Denique dicebant eum prophanum, ſceleſtum, amatorem diſcordiæ, virum ſanguinum, Sedem Apoſtolicam occupaſſe per Necromantiam. Conſpirantes ergo qui convenerant in unum adverſus Dominum, & adverſus Vicarium ejus Papam Gregorium, damnaverunt eum, & facta damnationis ejus Epiſtola comminando mandaverunt ei, ne ampliùs Apoſtolicam Sedem pro tantis criminibus condemnatus intraret. Et quia in proximo erat ſacratiſſima Paſchæ ſolemnitas, inebriati profunda diabolici furoris inſania Guibertum Ravennæ civitatis Archiepiſcopum rapuerunt, ac Papam conſecrarunt, quem Clementem nominaverunt: A quò ipſe Henricus in ſancto die Paſchæ unà cum uxore ſua Berta, Cæſaris impoſita appellatione coronatus eſt. Dominus itaque Apoſtolicus Gregorius, audiens ab inſanientibus Guibertum hæreticum & invaſorem ſibi in Romana ſede ſuperpoſitum, poteſtate ſancti Spiritus & authoritate Sancti Petri Apoſtoli, anathematis mucrone eum mulctavit. Deinde* Henricum *cum omnibus fautoribus ſuis, Epiſcopis & Abbatibus, Monachis & Clericis, Laicis quoque potentibus cum infimis quibuſque perſonis, ſub interminatione terribili generaliter communione privavit.*

Commiſcet varia. Etiam vera falſis. Hic enim conventus non poſt Gregorii fugam ex urbe, ſed poſt fugam in Sancti Angeli caſtrum debet eſſe factus. Poſt Gregorii ex urbe fugam Henricus non erat in urbe, ſed in civitatem Caſtellanam abierat, & inde rectà in Germaniam. Facta igitur fuit hæc Synodus anno iſtius ſæculi octogeſimo tertio, ſtatim poſt captam urbem Leonianam. Tunc enim Henricus fuit à Guiberto coronatus. Verùm Guibertus tunc necdum profecit in Clementem. Neque tunc in in ſua Synodo Gregorius excommunicavit Henri-

Henricum. Iſta enim fuit nona ejus Synodus. Et hinc lucet ejus nonam, decimam, ac undecimam Synodos fuiſſe celebratas in caſtro Sancti Angeli. Olim enim fuit illic inſignis Eccleſia, dicta Baſilica Sancti Archangeli Michaelis in Cœlo. Otho Friſingenſis Epiſcopus in pimo libro de Geſtis Frederici Imperatoris etiam expo-
Cap. 2. nit Henrici coronationem, ac pergit: *Venerabilis autem Sacerdos Gregorius perſecutionem fugiens, ad tutiora montana Thuſciæ in terram Comitiſſæ Mathildis, quæ Imperatoris conſanguinea fuit, ſe contulit, ibique per aliquot dies manens, ſententiamque anathematis renovans, Epiſtolis, quæ multis in locis habentur, Principes regni adversùs Imperatorem ſuum concitavit.* Quæ unde hauſerit, ignoro. Alii omnes affirmant Gregorium Roma ad Caſſinenſe Monaſterium, & inde abiiſſe Salernum. Alexii Comneni cum Henrico Tractatum multis exponit iſtius filia Anna: Et quia ob Gregorii amorem Robertus Guiſcardus diſſipavit omnia iſta conſilia, loquax mulier imputat omnia Gregorio, & in ſanctiſſimum Pontificem evomit plena plauſtra convitiorum. Quaſdam ejus ſchiſmaticas nugas ſupra diſcuſſi.

Moguntinum Conciliabulum.

HAnc Pſeudo-Synodum exponit in Mariani Scoti ſupplemento Dodechinus Abbas Sancti Dyſibodi: *Synodus Moguntiæ apud Sanctum Albanum juſſu Henrici habetur, cui ipſe cum Legatis Guiberti, qui & Clemens, interfuit, cui omnes obedire contra Gregorium potentialiter compulit. Wicelo ipſius civitatis Epiſcopus hanc Synodum rege-
A. 1085 bat.* Et Sigebertus Gemblacenſis: *Henricus Imperator Moguntiæ Regali & Synodali conventu coacto, exegit ab omnibus, ut Hildebrandi depoſitionem & Guiberti ordinationem ſub Scripto approbent, cui aliqui manu & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant. Herimannus Metenſis Epiſcopus ſibi abſenti abjudicato Epiſcopatu item urbe pellitur. Imperator in Epiſcopatu Metenſium alterum mercenarium ſuppoſuit, ſed oves Chriſti non audierunt voces alienorum.* Et Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Anno Domini milleſimo octogeſimo quinto Synodus Moguntiæ habetur, cui interfuit Imperator, ubi præſentibus Legatis Romanorum omnes Epiſcopi rebelles Imperatori deponendi judicantur, cæteri verò anathemate, ut videbatur, condemnantur. Ibi etiam communi conſenſu atque conſilio conſtituta eſt pax Dei.* Adversùm bella privata. *Non multò poſt ſubſtitutis ab Imperatore per Parochias abdicatorum Præſulibus, in locum Adelberonis Meginhardus, converſatione probabilis, litteris etiam & ingenio atque facundia nulli penè ſecundus, Wirziburgenſi Eccleſiæ Præſul ordinatur, dignus qui alius temporis eſſet Epiſcopus.*

Per hanc latrocinalem Synodum incœpit perſecutio, quàm deſcribit Leo Hoſtienſis Epiſco-
Lib. 3. pus. *Henricus tàm non faventibus quàm non commu-*
cap. 70. *nicantibus ſibi, & Romæ & in omni Romano Imperio ſæviſſimam & diuturnam intulit perſecutionem. Hujus rei cauſa & Eccleſiæ penè totius Romani Imperii deſolatæ, & Chriſtiana Religio propemodum diſſipata, & viginti millia hominum, & eo ampliùs in diverſis regionibus, Cato-Papa Guiberto cooperante, cæſa ſunt. Qui etiam pulſis Catholicis Epiſcopis & Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Præpoſitis, ſcientia pariter & religione pollentibus, ſceleratos & idiotas ſingulis civitatibus, & Cœnobiis, vel Eccleſiis, ſingulos, interdum autem binos, vel annuos Prælatos, damnabili prioris ſui Magiſtri Simonis mercimonio ſubſtituens, in deprædationibus ſanctorum locorum, & Chriſtianorum ſibi non faventium, immò faventium, dum non eſſet qui armato reſiſteret, longè latèque, voluntate quidem Neronis & Decii, ſed minùs poſſibilitate graſſatus eſt.* Et inter degradatos ab hoc latrocinio Epiſcopos fuerunt duo ſanctiſſimi ac doctiſſimi, Adelbero Herbipolenſis, ac Herimannus Metenſis. Etiam Sanctus Geberardus Archiepiſcopus Saliſburgenſis. Porrò Henricus perrexit non tantùm nominare ac inveſtire Antiſtites, ſed etiam Epiſcopatus ac Abbatias vendere.

Hujus latrocinalis Synodi meminit in ſui Monaſterii Chronico etiam Rudolphus Abbas Trudonipolitanus: *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius ſeptimus eſt appellatus, & Henricus quartus* Lib. 4.
Romanorum Imperator, qui Leodii obiit ſui filii perſecutionem fugiens, graviſſimis diſſidiis Regnum & Sacerdotium hac illacque miſerabiliter diſtrahebant. Quare Imperator, faventium ſibi Epiſcoporum Moguntiæ habito Concilio, ſuique Papæ Clementis appellati, Ravennenſium ſcilicet Archiepiſcopi, authoritate, ut ſibi videbatur, roborato, Herimannum Metenſem Epiſcopum adjudicari fecit hoſtem Imperii publicum in eodem Concilio, totoque alienari Metenſium dominio, Abbate quoque Sancti Arnulphi Metis, Gualone dicto, Epiſcopo pro eo ſuppoſito. Et infrà: *Abjudicatum Herimanno Epiſcopatum Imperator cum omnibus appendiciis ejus, ſimul etiam & Abbatiam noſtram eadem lege habebat in manu ſua.* Sancti Trudonis Abbatia tunc quoad quædam dependebat à Metenſi Epiſcopatu. Rudolphus demonſtrat etiam ſuum iſtud Monaſterium fuiſſe ab hoc latrocinio præcipitatum in multas calamitates. Cauſas, ex quibus damnatus fuit Herimannus, largiùs exponit in libro de unitate Eccleſiæ Venericus Vercellenſis Epiſcopus: *Anno milleſimo nonageſimo obiit Herimannus, dictus quondam Metenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui & ipſe cùm receſſiſſet fugiens ab Eccleſia ſua, damnatus eſt in Moguntina Synodo atque depoſitus, quoniam ſæpè vocatus per Imperatorem, ſæpè etiam vocatus per oves paſcuæ ſuæ, noluit reverti ad Paſtoralem curam Eccleſiæ ſuæ, non aliam prætendens excuſationis occaſionem, niſi quòd nollet videre vel alloqui excommunicatum Imperatorem.* Hoc ex fonte natas iſtius etiam Eccleſiæ turbas & calamitates amplè deſcribit.

Venericus fuit peſſimus hujus ſchiſmatis fautor, ideoque operosè laudat hoc latrocinium, & accuratè exponit: *Hac de cauſa & Clemens Papa, cui more Apoſtolico, præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, quotidiana eſt ſollicitudo omnium Eccleſiarum, decrevit deſertis Eccleſiis Paſtores conſtituere, ſi ipſi deſertores Epiſcopi vel admoniti nollent redire ad ſocietatem unitatis Eccleſiæ. De ſeditioſorum quoque Epiſcoporum cauſa & damnatione præcepit Germaniæ Epiſcopis in generali Synodo agere, qui proprio, ut ait Apoſtolus, judicio condemnati eſſent, utpotè exercentes prælia & ſeditiones, & dominationem ſpernentes, Majeſtatem autem blaſphemantes, qui extuliſſent ſe ſuper altitudinem Regiæ poteſtatis, & reſtitiſſent ordinationi Divinæ diſpoſitionis, transferentes* Regna, *& negligentes Sacerdotia. Qui etiam peſſimo ſuo exemplo, quo eſſent perjuri, docuiſſent obedientes ſibi eſſe infideles atque fallaces. Qui etiam, utpotè tranſgreſſores Divinarum humanarumque legum, inſtituiſſent ſuos quoque ſectatores Divinis humaniſque legibus eſſe inobedientes. Qui etiam, utpotè violatores Eccleſiaſticorum privilegiorum, permiſiſſent fautores partium ſuarum rapere & diripere bona & res Eccleſiarum: Ut ejuſmodi homines eſſent ſibi promptiores ad omne nefas audendum, quibus ex conſuetudine jam quaſi in naturam verſa eſt dulcedo conjurationum, rapinarum, atque homicidiorum. Quales ſcilicet Epiſcopi non eſſent Paſtores Eccleſiarum, ſed ductores bellorum; non cuſtodes Dominicarum ovium, ſed ut graves lupi & perſecutores earum, interfectores animarum pariter & corporum, cùm ipſi ad tuendas partes ſuas diu multumque uſi fuiſſent manibus impiorum ad occiſionem multorum hominum.*

Priora verba tangere videntur non hocce latrocinium, ſed ſolos Italiæ Epiſcopos, de quibus ſuprà dixerat idem Venericus: *Sacerdotes* Hildebrandi, *æſtimantes ſuo more Eccleſiam Dei aut immitem eſſe, aut non poſſe ea quæ ligata ſunt abſolvere, diſceſſerunt ab univerſali Eccleſia, & reliquerunt proprias quoque Eccleſias abſque Paſtorali cura, ne ex occaſione ſuæ in Eccleſia perſeverantiæ contingeret ſe videre vel alloqui Imperatorem* Henricum, *quem jam audiſſent à ſuo Papa* Hildebrando *eſſe perpetuò damnatum, quaſi tam ſacroſancti anathematis vinculum Eccleſia Dei deinceps non poſſet ſolvere.* Ubi poſt Gregorii fugam Henricus Romam & Guibertus Apoſtolicam Sedem quaſi pacificè detinebant, multi Epiſcopi Catholici aufugerunt: Nec Guiberto nec Henrico voluerunt communicare, timentes ſceleratæ communionis contagium. Hos omnes per terribile Edictum Guibertus revocavit ad ſuas Eccleſias ac ſuam communionem, & in redire nolentium Cathedras intruſit alios. Hanc violentiam Venericus titulat ſollicitudinem omnium Eccleſiarum.

Edicit & rationes, ob quas præſens latrocinium damnavit varios Germaniæ Epiſcopos. Primò, quòd adhuc propriis manibus in bello pugnarent, nec obedirent Decretis Sancti Leonis noni. Secundò, quòd Epiſcopale officium exindè negligerent. Tertiò, quòd Majeſtatem Henrici Regis ſpernerent. Hoc eſt, quòd à Gregorio in Henricum fulminatæ degradationi obedirent. Quartò, quòd eſſent perjuri. Hoc eſt, quòd Sacramentorum, quæ Henrico olim fuerant profeſſi, factam à Gregorio ſolutionem ducerent ratam & obſervandam. Quintò, quòd hos errores docerent etiam ſuos populos. Sextò, quòd ſuis militibus permitterent omnem rapiendi licentiam, etiam in bona Eccleſiarum. Præcipuum fundamentum fuit in tertio & quarto articulo. Etenim Imperatorem degradari, & facta illi Sacramenta non poſſe ſolvi per Papam, Henriciana ac Guibertina factio pertinaciſſimè credidit & prædicavit.

Venericus etiam edicit cauſam, ex qua Adelbero Herbipolenſis Epiſcopus fuit hic ſingulariter damnatus. Inter Henricum & Saxones commiſſa prælia enumerat, & adjungit: *Juncto Saxonum & Thuringorum, atque Suevorum agmine pugnatum eſt in Orientali Francia contra Imperatorem Henricum quinta jam vice, de qua pugna dicere decernimus in ſequentibus, quando de Adelberone Wirziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo, quæ ad ipſum quoque pertinent, enarrabimus. Cujus præcipuè cauſa tunc effuſus eſt ſanguis multorum in circuitu illius civitatis: Qui ſcilicet ſanguis occiſorum clamat quodammodo ad Dominum pro vindicta tanti ſceleris. Superiore etiam tempore tentaverat idem Adelbero expugnare Epiſcopatum ſuum, quem ſub* Rege *ſuo* Rudolpho *recipere cupiebat contra* Regem Henricum, *ideoque ſecundum jam prælium, atrox nimis & cudele, pugnaverunt Saxones contra eundem* Regem Henricum *in Orientali Francia, anno ſcilicet milleſimo ſeptuageſimo octavo ab Incarnatione Domini, die ſeptima menſis Auguſti, ubi* Rudolphus *Rex fugatus eſt, & Sigefridus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus in fuga captus, & vix de ſuſpendio liberatus atque dimiſſus eſt.*

Eodem in opere Venericus edicit hujus latrocinii multa ſingularia: *Indicta eſt Synodus apud Moguntiam ſecundâ hebdomadâ poſt Paſcha ſecundùm conſtitutionem Sedis Apoſtolicæ. Ubi convenerunt cum Imperatore Legati ipſius Sacroſanctæ & Apoſtolicæ Sedis, Petrus ſcilicet Epiſcopus Portuenſis Eccleſiæ, & duo Cardinales* Romanæ *Eccleſiæ. Aderat etiam omnium Epiſcoporum conſenſus, ſive de Italia, ſive de Gallia, in quorum alternis cordibus vivit amor & gratia. Præſidebant quoque huic Synodo Wezelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Gilbertus Trevirenſis Archiepiſcopus, atque Seguinus Colonienſis Archiepiſcopus. Liemarus autem Bremenſis Archiepiſcopus, quia non poterat adeſſe, miſerat illuc Legatos ſuos ſua vice, promittens ſe ad omnia conſenſurum, quæ pertineant ad fidem Catholicam, & ad pacem atque unitatem Eccleſiæ. Reliqui verò Epiſcopi qui illic tum fuerunt, hi ſunt, quorum nomina ſubſcripta ſunt: Theodoricus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Henricus Epiſcopus Leodiæ, Conrardus Epiſcopus Trajectenſis Eccleſiæ, Udalricus Eiſtetenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Meginhardus Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Otho Epiſcopus Ratiſbonæ, Robertus Epiſcopus Bambergenſis Eccleſiæ, Hermannus Spirenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Otho Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burchardus Epiſcopus de Loſanna, Sigefridus Epiſcopus ex Auguſta, Geberardus Epiſcopus Behemenſis de Praga, Udo Hildesbemenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Henricus Paderbornenſis Epiſcopus,*

pus, Erpo Epiſcopus Monaſterii, Folmarus Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Poppo Tullenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quia per ſe ipſum adeſſe non potuit, per Legatos ſuos, qui vice ſua intererant, huic Synodo conſenſit & ſubſcripſit. Burchardus quoque Baſileenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Otho Stratzburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus per Legatos ſuos conſenſerunt & ſubſcripſerunt: Qui propter hoſtes Eccleſiis ſuis crudeliter nimis imminentes, domum dimiſſi ſunt. Et multi ſimul Presbyteri atque Diacones interfuerunt huic Synodo congregata in civitate Moguntia. Ubi & omnium Epiſcoporum aderat conſenſus, ſive de Italia, ſive Gallia, immò de omni Catholica Eccleſia, in quorum alternis cordibus vivit ſpiritalis amor & gratia, ut ſicut unitatem tenere firmiter & vindicare debent, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſident, ita Epiſcopatum quoque unum atque indiviſum probent. Sed aliqui Epiſcoporum exierunt ab illorum communione, quorum conventus ſive conſenſus ibi fuerat pro recuperanda pace vel Eccleſiæ vel Reipublicæ, qui etiam ex multo tempore noluerunt uſque adhuc communicare Sedi Apoſtolicæ, ſine cujus authoritate nec ipſi quidem poſſunt alicujus Epiſcopalis officii miniſterium habere. Ideò ipſorum hæreſes & ſchiſmata ab omnibus Catholicis reprobata ſunt atque damnata cum ipſis authoribus, pariter & conſortibus externæ communionis atque perfidiæ. Hi autem ſunt, qui aut fugiendo Epiſcopatus ſuos dimiſerunt, aut eos per bella maxima ſibi vindicando uſurpaverunt, ne communicarent eis qui communicant Catholico Imperatori, vel Sedi Apoſtolicæ. Geberardus Salzburgenſis Eccleſiæ Arcpiepiſcopus, Hartuicus Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Adelbero Wirtziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Altmannus Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Adelbertus Wormattenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burchardus Halberſtadienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Wernerus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Guntherus Citizenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Benno Miſnenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Hartuicus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Herimannus Metenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Leginhardus Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus per ſtudia partium ſubintroductus, Wigoldus Auguſtæ Epiſcopus per ſtudia partium ſubintroductus, Geberardus Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus per ſtudia partium ſubintroductus, Henricus *Paderbornenſis Epiſcopus per ſtudia partium introductus, ſed ne adhuc quidem initiatus. Iſti quindecim præferentes nomen Sacerdotii, ſæpè anteà admoniti, nunc autem regulariter vocati, quia noluerunt ad pacem Chriſti & Eccleſiæ reverti, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſunt dejecti atque damnati.* Poſt varias in ſeptimum Gregorium & communicantem illi Eccleſiam calumnias Venericus denuò proſequitur: *Igitur Clemens Papa cupiens gregem Domini & oves Chriſti ex rapina ac devoratione beſtiarum agri eripere, conſtituit Apoſtolica authoritate ſupradictam Synodum fieri in Regno Teutonico, apud Metropolim civitatem Moguntiæ, ut ageretur ibi de Fide Catholica, & pace Eccleſiarum atque concordia, ideoque aderat ibi omnium conſenſus Epiſcoporum de omni Catholica Eccleſia, in quorum alternis cordibus vivit ſpiritalis amor & gratia. Aderat etiam Imperator* Henricus, *præcipuus author hujus Synodi: Quia nihil tutum neque firmum poterit eſſe in his quæ ſunt ejuſmodi, niſi defendat & probet ea Regalis authoritas pro Majeſtate Imperii.* Epiſcopo Venerico, licet nequiſſimo ſchiſmatis patrono, magnas debemus gratias, quod hujus latrocinii Acta tam accuratè ad nos tranſmiſerit.

Præfatos quindecim Epiſcopos orthodoxos non ſolummodò degradavit hoc latrocinium, ſed inſuper in quorumdam ſedes poſteà intruſit alios. Etenim in Hartuici Magdeburgenſis Archiepiſcopi Sedem intruſit Hartuicum Herosfeldienſis Monaſterii Abbatem. Audiamus rem ab eodem Venerico: *Igitur fugitivo illi & hæretico* Hartuico *ſucceſſit Catholicus* Hartuicus *in Epiſcopatum Magdeburgenſis Eccleſiæ, quem poſt electionem Cleri & populi ordinavit Suffraganeus ejus Dedo Epiſcopus, anno milleſimo octogeſimo quinto, tertio idus Julii. Ad ejus ordinationem præſens erat Imperator* Henricus. *Ibi & præſens erat Wizelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Seguinus Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, atque alii plures Epiſcopi.* Hartuicus ille Abbas fuit vir doctiſſimus ac nequiſſimus, cui eruditio erant arma in manu furioſi. De illo enim addit congerro Venericus: *Quod Imperator non potuit perficere totis viribus Regni, hoc* Hartuicus *perfecit ex induſtria ſapientis ingenii, ſcilicet ut divideretur unitas perverſorum, cùm non poſſet per diſciplinam rei militaris emolliri duritia Saxonum, vel reſcindi ſocietas Thuringorum.* Hartuicus inter iſtos optimos Eccleſiæ filios ſuſcitavit ſchiſma, atque indè horrenda facinora. Duo hi Hartuici, eodem tempore ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, ſunt ſicut Jacob & Eſau diſcernendi. Iſtorum quindecim Epiſcoporum crimina etiam edicit Venericus. Eſt calumnia: Attamen ſcitu digna, ideoque legenda. Et ille addit: *Hermannus* Fol. 84.
Saxonum Rex, utpotè reus Majeſtatis, atque hoſtis Eccleſiaſticæ pacis, damnatus eſt in Moguntiacenſi Synodo.

Conventus Berchacenſis.

CONventum hunc exponit Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Eodem anno, condicto tam ab inimicis quàm amicis Imperatoris colloquio, in Thuringiæ loco qui Berchach dicitur, conveniebant ex utraque parte quicumque ſapientiſſimi de Optimatibus judicabantur, Canonum authoritate probaturi, cui parti juſtitia faveret, Imperatore tamen abſente. Sic enim ipſe conſenſit. Electis igitur ſatis litteratis & eloquentibus viris, hinc Wecilone Moguntino, illinc Geberardo Salisburgenſi Archiepiſcopis, diſputatio cœpta eſt. Affirmat Geberardus, proponente hoc priùs Wecilone, Imperatorem non injuſto judi-*

judicio tam Regno quàm communione, Apoſtolici ſententia privatum, contra Wecilo Dominum ſuum præjudicium non minùs à Papa quam à Principibus paſſum contendit, dum ipſo apud Canuſium in ſatisfactione poſito, immò jam à Papa in communionem recepto, alterum ſuper ſe Regem elevarunt. Adjecit *etiam idem Moguntinus, quòd Imperator diu jam à Saxonia depulſus, & regnandi copia etiam ab illa diſſenſione, quæ ante Rudolphum facta præſcribitur, ſpoliatus, nec vocari, nec judicari, nec damnari Canonicè debuiſſet. Hoc Geberardus improbare nitens aſſeruit neminem per hoc Divinis abſolutum legibus, ſi forte ſua qualibet re familiari fuerit ſpoliatus, quantò minùs Rex; qui Saxonia, quæ non ſuum duntaxat prædium, ſed Domini ſit Regnum, qui Daniele, vel ipſo Nabuchodonoſor teſte, cuicumque voluerit dat illud, cum etiam ante amiſſam Saxoniam priùs ab Alexandro, de hinc ab Hildebrando vocatus ſatisfacere contempſiſſet. Sic itaque utrimque parte ſua favente atque acclamante diſceſſum eſt. Notum tamen eſt, quòd eandem ſententiam Adverſarii Imperatoris tanto inſequebantur zelo, ut habito poſtmodum in Quintilingoburgh Concilio, ubi Otho Epiſcopus Hoſtienſis interfuit, Legatus Hildebrandi Papæ, ipſam nimiùm ventilantibus, hæreſim Wecilonis, ipſumque Hæreſiarcham appellarent, contra fidem ſcilicet illum dogmatizaſſe culpantes, quod quàmdiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, Divinis non ſubjaceat legibus.* Latas in Henricum à Gregorio ſententias Petrus Igneus in Francia, Otho Hoſtienſis Epiſcopus publicavit in Germania. Sic ſuprà audivimus à Bertholdo Conſtantienſi. Et Henrico fidelis Germania ſe Othoni oppoſuit: Et excommunicationem & degradationem dixit nullam. Et pro ratione adduxit leges & Canones, quæ ſpoliatum mandant ante omnem judicii ingreſſum reſtitui, atque ita ante factam reſtitutionem vetant judicari ac damnari. Et omne iſtiuſmodi judicium damnant atque exſufflant uti Attentatum. Hinc Henriciani fideles poſtularunt retractari Papales ſententias. Et Gregorio fideles Saxones dudum obſtiterunt. Affirmarunt iſtam retractationem attentari non poſſe ſine venia Sedis Apoſtolicæ. Ita juberi per Leges & Canones. Ita ſcribit Bertholdus Conſtantienſis. Pacandi tamen Imperii cauſa tandem fuit admiſſus hic qualiſcumque conventus & Tractatus. Et habuit iſtum exitum, nullum fructum.

Hunc Conventum etiam memorat & exponit Venericus Vercellenſis Epiſcopus. Poſt expoſita Moguntini Latrocinii Acta, & damnatorum iſtic Epiſcoporum crimina proſequitur: *Sed cum tales certè fuerint Epiſcopi Saxoniæ & defenſores* Hilde*brandi, ſui ſcilicet Papæ, præſumebant tamen frequentibus Conciliis ſe ſuoſque ſectatores juſtificare, &* Henricum *Regem, quem ipſi potiſſimùm de Regno Saxoniæ expulerant, damnare, ejuſdemque damnationis notam imponere Epiſcopis atque Principibus, & omnibus qui communicarent ei, & qui ei eſſent ſubjecti. Ideò tandem aliquando conſtitutum eſt, conſentientibus utrimque Epiſcopis, ut cauſa longæ concertationis, quæ non poſſet confici gladiis, terminaretur libris, lætantibus admodum Laicis, quorum ſanguis effuſus eſt tot præliis, quod ad hoc perventum ſit, ut per ipſos belli authores contra Regem* Henricum *decerni debeat, quòd ibi juſtitia ſit, unde victoria fuerit, cum tale judicium veritatis, quod facillimè ex libris cognoſcitur, non poſſit vel falli vel fallere. Fit conventus in loco, qui dicitur Gerſtongon, decimo tertio Kalendas Februarias, anno ſcilicet milleſimo octogeſimo quinto ab Incarnatione Domini. Tum primò Conrardus Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopus inquit: Ecce venimus ut probemus ex teſtimonio Sanctorum Canonum non damnatum eſſe vel excommunicatum Regem noſtrum Henricum, cui ſi non poterunt prodeſſe apud vos ea quæ legitimè ordinata ſunt à Deo circa honorem Regium, ſaltem hoc concedite, ut eo utatur jure, quo ex regulis Eccleſiaſticis conceſſum eſt uti vel infimæ in Eccleſia perſonæ. Et dixit ad VVezelinum Moguntinæ Eccleſiæ Epiſcopum, ut ſurgeret & legeret Capitulum quoddam ex Decretis Romanorum Pontificum, & legit, Quomodo rebus ſuis aliquis expoliatus, aut à Sede propria vi aut terrore pulſus non poteſt accuſari, vocari, judicari, aut damnari, antequam omnia ei ablata ex integro reſtituantur, & cum omni privilegio ſuo jus proprium reformetur, & ipſe pacificè diu ſuis fruatur honoribus, propriæ ſedi regulariter reſtitutus. Ad hæc cum obmutuiſſet Geberardus Salisburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui cauſam adverſæ partis erat acturus, utpote apud ſuos maximè vel ſenectute ſua, vel ſcientia ſcripturarum, ſive eloquentia reverendus, tum quidem intulit VVernerus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ubi in Canonibus ſcriptum eſſet aliquid ejuſmodi de mulieribus? Et Wizelinus Archiepiſcopus porrigens ei librum, inquit: Ecce ipſi legite conſequens hujus rei teſtimonium, quomodo huic quoque ſexui oporteat juſtum judicium fieri, & quomodo ne mulier quidem debeat objectis reſpondere, donec permittatur ei rem familiarem liberè diutiùs ordinare. Tum omnes adverſę partis Epiſcopi ita ſunt confuſi, & ita devicti, ut non haberent quid ad hæc reſpondere poſſent, manente apud Eccleſiam Dei victoria, quoniam obſtructum eſt os loquentium iniqua. Sed hinc reſonabant laudes Deo, illinc autem erat murmur multum in turba de ſermone illo. Quidam enim dicebant, Quia bonus eſt, alii autem dicebant, Non, ſed ſeducit turbas.*

Celebrato, ſicut dictum eſt, conventu Epiſcoporum atque Principum, citiùs abierunt Catholici à Concilio malignantium, ne fortè inciderent in manus inimicorum ſuorum. Quibus enim parcerent, qui de ſuorum cæde quidem ſociorum ſeſe non abſtinuiſſent? Sed his ità geſtis, deinde indicta eſt Synodus apud Moguntiam ſecunda hebdomada poſt Paſcha. Videtur palàm aſſerere Moguntinum latrocinium fuiſſe hoc Conventu poſterius. Ejus tamen ſuperiora verba planè innuunt fuiſſe anterius. Et ità diſertè affirmat Conrardus Abbas Uſpergenſis. Etiam alii harum rerum antiqui Scriptores. Quidquid ſit, de iſto VVecilone Moguntino Archiepiſcopo ſcribit idem Abbas Conrardus: *Defuncto Sigefrido Archiepiſcopo Moguntino VVecilo ſucceſſit.* Quod ipſum A. 1084.
ſcribunt appendix Lamberti Schafnaburgenſis, & in Mariani Scoti ſupplemento Abbas Dodechinus. Et Bertholdus Conſtantienſis: *Henricus congregata multitudine ſchiſmaticorum, VVecilonem Clericum Halberſtadienſis Epiſcopi fugitivum Moguntinenſi Epiſcopàtu remuneravit, eò quòd illi in omni pertinacia contra Dominum Papam & Sanctum Petrum indefeſſus cooperator adfuit. Qui ipſe jam dudum anathematizatus, & ab anathematizatis electus, nihilominus etiam ab anathema-*

tizatis juxta Pelagium Papam, non conſecratus, ſed execratus eſt. Fuerat Apoſtata Clericus Burchardi Halberſtadienſis Epiſcopi, Sancto Petro Apoſtolo & Romanæ Eccleſiæ fideliſſimi. Intruſus fuit per nominationem Regiam, ac per Simoniam muneris à ſacrilego & facinoroſo obſequio. Eum adeò deteſtata fuit Romana Eccleſia, ut Urbanus ſecundus datos per ipſum ordines exſufflarit, & Daimbertum, qui poſteà Piſanus Archiepiſcopus ac tandem Latinus Hieroſolymæ Patriarcha fuit, ab illo ordinatum Diaconum reordinarit. Ita teſtatur apud Gratianum ipſe Urbanus in litteris ad Petrum Piſtorienſem Epiſcopum, & Ruſticum Umbroſæ Vallis Abbatem. Etenim circa Simoniacè datorum Ordinum exſufflationem ac repetitionem Romana tunc Eccleſia permittebat unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Hic igitur facinoroſus homo præſedit & huic Bercbacenſi colloquio & præfato Moguntino latrocinio. Abbates Dodechinus & Conrardus errant ipſum ſucceſſiſſe Sigefrido. Quod inter ipſos Erkenbaldus mediarit, affirmat in Chronico Albericus. Quòd poſteà Romanæ Eccleſiæ reconciliatus, ac piè defunctus fuerit, malè affirmant Fratres Sammarthani. In Henriciana & Guibertina adversùs Romanam Eccleſiam perduellione fuiſſe defunctum palàm affirmat Venericus Vercellenſis. Quæſt. 7. cap. 24.

QUINTILINOBURGENSE CONCILIUM.

Hujus Concilii originem & occaſionem edicit idem Venericus. Moguntini latrocinii Acta exponit, & proſequitur: *Sed adverſæ partis Epiſcopi cupientes hanc indictam Synodum præoccupare aut prævertere, convenerunt infra hebdomadam Paſchæ in Caſtello quodam Saxoniæ, Quintilinoburch nomine, ubi locus eſt congregationis fœminarum Deo ſervientium ſub Canonica inſtitutione. Et ut conſpiratio eorum plus valeret, & deciperet columbæ ſimplicitatem, quam ſerpentis aſtutia non temeraſſet, adduxerunt quendam ſub ſpecie Legati Sedis Apoſtolicæ, qui dictus eſt Otho Epiſcopus Oſtienſis Eccleſiæ, cùm jam Clemens Papa Romanæ præſideret Eccleſiæ. Intererat etiam huic Conventui Herimannus, cui ne apud ſuos quidem attribuebatur honor Regius, à quo nunc & illius Synodi cœpit Tractatus*. Et intrà: *Hæc quoque ſententia cùm non placuiſſet Epiſcopis, tunc rogabant ipſi, rogabant & alii Principes Saxoniæ, ut his atque hujuſmodi omiſſis, Otho conſentiret cum eis ad ea quæ cœpiſſent agere. Se quidem conveniſſe, ut tractarent, quomodo defendere poſſent partes ac ſtudia ſui Gregorii Papæ, ejuſque anathema circa Henricum Regem renovare, ac populo indicare, quòd excommunicatus ſit omnis, & ſalvus eſſe non poſſit, quiſquis Henrico Regi in aliquo communicaverit. Tunc ille Otho flexus eſt ad voluntatem eorum, & conſenſit. Quia vento agitata arundo exſtitit. Damnaverunt iterùm omnes, qui aderant, Epiſcopi Henricum Regem, & juſtificaverunt multis modis ſui Gregorii partem, agentes ipſi omnia contra Regulas & Inſtituta Eccleſiæ, utpotè qui non conveniſſent ad Synodum in loco celebri, in civitate ſcilicet Epiſcopali, qui conveniſſent in feſtis diebus Paſchæ, in diebus ſcilicet gaudii & lætitiæ: Ut miſerias miſerorum augerent, ut ſeditiones ac prælia renovarent, ut etiam fidem deſtruerent*. Quæ omnia ſunt plena calumniis: Præſertim in Othonem Gregorii Legatum. De ipſo addit Venericus: *Otho præcipitanter ambivit ac invaſit Sedem Apoſtolicam, uſus manu, & auxilio peſſimorum, apud quos nec humanarum nec Divinarum valet aliquid conſtitutio legum*. Ita hujus Synodi authoritatem conatur circumſcribere. Dum hæc ſcribebantur, Otho ex Oſtienſi Epiſcopo erat poſt Victorem tertium Urbanus ſecundus.

Legitima ac veracia Synodi Acta audiamus à Bertholdo Conſtantienſi: *Hermannus Rex in Quintilinoburch Paſcha celebravit, ubi & Legatus Domini Apoſtolici in ipſa Paſchali hebdomada generalem Synodum cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, Sancto Petro fidelibus, ſolemniter celebravit. Interfuit autem huic Synodo Geberhardus Reverendiſſimus Javanenſis Archiepiſcopus. Item venerabilis Hartuicus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum Suffraganeis ſuis. Item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia: Nam Wirtzeburgenſis, & Wormatienſis, Auguſtenſis quoque, & Conſtantienſis de Allemannia, quique ipſi Canonica neceſſitate impediti venire non potuerunt, per legationem ſuam ſe ſancto Concilio repræſentaverunt, ſeque per omnia ejuſdem Synodi Statutis aſſenſuros mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit*. Ex his vides huic Synodo adfuiſſe etiam Bennonem Miſnenſem Epiſcopum. Hic enim eſt Magdeburgenſis Eccleſiæ ſuffraganeus. Et ille erat unus ex Epiſcopis damnatis in Moguntino latrocinio. Verùm poſteà lapſus. Ejus lapſum deſcribit præfatus Venericus: *Ex his omnibus Epiſcopis, qui vel damnati fuerunt vel depoſiti, unus tantùm, ſcilicet Benno Miſnenſis Epiſcopus, venit ad Sedem Apoſtolicam, pro ſuo errore petiturus veniam, quàm & promeruit accipere, juxtà quod ipſa mater omnium Eccleſiarum Romana Eccleſia ſoleat appellantibus quidquid pietatis eſt ſemper offerre. Ergo Clemens Papa pœnitentem benignè ſuſcepit, & confeſſum pro errore ſuo honorificè tractavit, abeuntemque cum litteris Apoſtolicæ Sedis ad Henricum Imperatorem miſit, & ipſe libenter accipiens correctum, dimiſit liberè abire in Epiſcopatum ſuum*.

CA-

CANON I.

CUm omnes juxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium Decreta ſanctorum Patrum de Primatu Sedis Apoſtolicæ, quòd nulli unquam liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare. Quod de totius Synodi publica profeſſione laudatum & confirmatum eſt. Et hoc utique contra Henricianos, qui fideles Sancti Petri conſtringere voluerunt, ut excommunicationem Domini Papæ Gregorii ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent. Quidam autem Bambergenſis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens Romanos Pontifices hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non aliundè conceſſum hæreditaſſe, videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio ſubjaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam laico convictus eſt per illud Evangelicum: Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Cùm enim hoc generaliter in omnibus Eccleſiaſticis ordinibus obſervandum deputetur, ne major à minore judicetur, quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magiſtro venerantur?

SCHOLION.

CAnon demonſtrat Bercbacenſem Conventum non fuiſſe judicialem Apoſtolicarum ſententiarum retractationem, ſed dumtaxat familiare de ipſis colloquium. Item demonſtrat ſententiam, quæ Romani Pontificis perſonam ac judicia cenſet à nulla Synodo poſſe judicari, fuiſſe tunc in omni Germanica Eccleſia adeò certam, ut meruerit ſynodaliter confirmari. Oppoſitus error eſt novellum commentum Joannis Gerſonis, ipſam ob cauſam peſſimè meriti. Porrò Bambergenſis Cunibertus cenſuit Romanum Primatum eſſe humanam uſurpationem, non Inſtitutum Divinum. Quod ipſum cenſent Schiſmatici Græci. Alia enim via neſciunt ſuum ſchiſma fucare. Ita docet in libris de Romano Primatu Nilus Cabaſilas Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. An Sanctus Petrus fuerit Apoſtolorum Primas, non vult diſcutere, atque proſequitur: *Sit Petri jus tantum, quantum quis voluerit, illud tamen non dico, quod Papa id juris à Petro acceperit, ut aliorum Epiſcoporum Primas eſſet. Cum enim duo circa Papam conſideranda ſint, quod & Romæ Epiſcopus ſit, & prætereà quod ſit primus aliorum Epiſcoporum, prius illud à Petro accepit, quod ſcilicet ſit Romæ Epiſcopus, alterum verò à ſanctis Patribus & piis Regibus, multo pòſt tempore, quod æquum eſſet in Eccleſiaſticis quoque rebus, & multò magis quàm in politicis, ordinem ſtatui.* Et ſua ſenſa probat ex vigeſimo octavo Chalcedonenſi Canone: *Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti, centum quinquaginta Deiamantiſſimi Epiſcopi ſanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt.* Pergit Nilus: *Quid ex his diſcimus? Quidnam aliud, quàm non ab Apoſtolis, ſed à Patribus datum eſſe Papæ Primatum aliarum Eccleſiarum? Et quidem idcirco, quod ſcilicet urbs Roma reliquis urbibus imperaret. Si verò, quia caput Imperii urbs illa erat, Primatum obtinet Papa, certè non eo nomine ipſum eſt conſecutus, quod ſit ſucceſſor Petri. Si autem à Patribus hoc habet, non ergo ab Apoſtolis.* Hoc ipſum probat ex centeſima novella lege Imperatoris Juſtiniani: *Sancimus, juxta ſanctarum Synodorum Decreta, ſanctiſſimum veteris Romæ Epiſcopum eſſe primum omnium Sacerdotum.* Urget verba, *Juxta ſanctarum Synodorum Decreta*, & proſequitur: *Si Decretum eſt ſanctarum Synodorum, quo pacto Papa Primatum Sacerdotum à Petro accepit?* Pertinaciter aſſerit Papam Petro non ſuccedere, niſi in Romanæ urbis Epiſcopatum. Quod ipſum ex iiſdem principiis tradit in opuſculo de Papæ Principatu Barlaamus Monachus adhuc errans in iſto ſchiſmate. Affirmat omnes Apoſtolos in univerſali Doctoratu & Paſtoratu fuiſſe pares, Petro nullum Præfecturæ, ſed ſolùm priori loco ſedendi & loquendi fuiſſe Primatum, proximos ipſorum ſucceſſores Epiſcopos fuiſſe cunctos pares per omnia, omnes alligatos ad ſuæ Parochiæ terminos, etiam Clementem Petri ſucceſſorem, atque proſequitur: *Verùm poſteà, cùm Dei providentia jus Imperii ad noſtros perveniſſet, piiſſimorum Regum & ſanctorum Patrum Decretis, ut Romana Sedes eſſet prima ideò ſancitum eſt, quòd urbs illa rerum potiretur, Eccleſiaſque*

cleſiaſque alias terrarum unius imperio ſubjici videretur conſentaneum, cùm anteà Romanus Epiſcopus, ut nec cæterorum quiſquam, nec primus eſſet, nec poſtremus. In laudata Imperatoris Juſtiniani lege urget verbum, *Decernimus*, & concludit: *Si Romanus Epiſcopus anteà primus fuiſſet, orbiſque terrarum Paſtor à Petro conſtitutus, numquam procul dubio Diviniſſimi Imperatores Conſtantinus & Juſtinianus ut de re ſui juris ſic promulgaſſent ſanctionem*; *Decernimus ut* Romanus *Epiſcopus ſit primus omnium Sacerdotum. Idque ideò primùm, quia nulla opus fuiſſet lege. Deindè, impietate ſe obſtringere videri poſſent, ſi Petri poteſtatem ac juriſdictionem ſibi arrogarent, quodque tot ille anteà ſæculis ſanxerat, id ipſi decernere præſumerent ſuperciliosè*. Quod ipſum docet Macarius Ancyræ Metropolita: *Senioris Romæ Epiſcopus privilegia honoris reliquarum Sedium non habuit per Petrum, ſed cauſa hæc eſt, quòd ea urbs tunc imperaret*. Nilus Doxopatrius laudat adductum Chalcedonenſem Canonem, atque pergit: *Vides quomodo ex hoc Canone manifeſte tanquam delirantes refellantur, qui dicunt propter Divinum Petrum Romanum Primatum habuiſſe. Ecce enim palàm hic ſanctæ Synodi Canon dicit, quòd Roma Regina eſſet, habere Primatum honoris*. Hinc addit eundem Primatum per Gothicam captivitatem fuiſſe amiſſum. Gabriel Severus Metropolita Philadelphienſis cenſet Primatum hunc eſſe Magno Conſtantino poſteriorem: *Privilegia & Primatum thronus veteris Romæ non accepit ab Apoſtolis per Petrum, ut Romani dicunt, ſed centum quinquaginta Epiſcopi in ſecunda Synodo congregati illa tribuerunt*. Schiſmatici Græci paſſim ita ſentiunt. Repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus hæc habet de Romana Eccleſia: *Suam poteſtatem aut habuit à Deo, mediante Petro, aut à Principibus ſæcularibus, aut à Conciliis generalibus, aut ſimul ab iſtis tribus, aut nullo iſtorum, ſed uſurpato ſibi honore utitur Romana Eccleſia violenter & indignè*. Et iſtam ultimam partem concedunt quidam Græci. Et dicunt quod Apoſtolorum nullus fuit major altero, ſed fuerint æquales & fratres. Verùm hæc inſania & cœcitas paucorum. Eundem errorem ferè ſequuntur Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, & noviſſimè Marcus Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis. Omnes garriunt Romanum Primatum non eſſe Divinum Inſtitutum.

Errorem abundè revincere ſtudui in ſuperioribus. Libet hìc eundem ex Sancto Cypriano, qui ante datam Eccleſiis à Magno Conſtantino pacem vixit & docuit, revincere. Adversùm ſuos quinque rebelles Presbyteros, qui in neſcio quo prope Carthaginem monte novum altare erexerant, & Para-Synagogam, ſcribit ad ſuum populum laudatus Cyprianus: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus eſt, & una Eccleſia, & Cathedra una ſupra Petrum Domini voce fundata*; *Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum altare & unum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit*; *adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcumque humano furore conſtituitur, ut diſpoſitio Divina violetur*. Eccleſiæ unitatem affirmat fundari in unica Sancti Petri Cathedra, & hanc eſſe fundationem Dominicæ vocis, ac Divinam diſpoſitionem. In litteris ad Sanctum Papam Cornelium damnat ſchiſmaticum Novatiani Papatum, & adjungit: *Hoc vel maximè & laboramus & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus*. Ep.42. Eccleſiæ unitatem aſſerit fundari in Romano Epiſcopatu, & hanc eſſe nobis à Domino traditam per Apoſtolos. Eadem de re ſcribit ad Maximum Presbyterum ac Nicoſtratum Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum: *Gravat me atque contriſtat, cùm vos illic comperiſſem contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra legem Evangelicam, contra Inſtitutionis Catholicæ unitatem, alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec fieri licet, Eccleſiam alteram inſtitui, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus unum diſciſſa æmulatione lacerari*. Per Eccleſiam non ſolùm urbicam intelligit, ſed omninò univerſalem. Affirmat per Romanæ Sedis ſchiſma lacerari omnem Eccleſiam. Quòd nempè ejus Epiſcopatus ſit plenè univerſalis. Hinc ejus ſchiſma affirmat eſſe contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra Evangelicam legem, contra Catholicam unitatem. Certè qui aliam Eccleſiam per diſcordem electionem lacerant, dummodo utraque pars in Romana obedientia perſiſtat, peccant quidem contra Apoſtolicos Canones, non tamen contra legem Evangelicam: Nulla Evangelica lex vetat in eadem, præterquam in Romana, Eccleſia eſſe ſimul duos Epiſcopos. Hinc ad Novatianum lapſi Romani quidam Presbyteri, dum pœnitentes redirent ad Cornelium, fecerunt hanc profeſſionem: *Etſi videbamur quandam communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus unum eſſe Deum, unum Chriſtum eſſe Dominum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere*. Utique in Eccleſia univerſali. Certè qui ſingularis Eccleſiæ ſchiſma ſectatur, non eſt extra Catholicam Eccleſiam. Exſtat iſta pro- Ep.46. feſſio in litteris Sancti Cornelii ad Sanctum Cyprianum. Sanctus Cyprianus ſcribit item ad Antonianum Epiſcopum: *Scripſiſti ut exemplar litterarum tuarum ad Cornelium tranſmitterem, ut ſciret te ſecum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia communicare*. Poteſt quis cum ſuperordinato communicare Epiſcopo, & eſſe in Eccleſia Catholica. In hac autem eſſe non poteſt, qui communicat Anti-Papæ. Quæ cauſa? Nulla alia, niſi quia Romanus Epiſcopatus eſt plenè univerſalis. Pergit eadem epiſtola adversùs Anti-Papam Novatianum: *Cùm ſit à Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille poſt Dei traditionem connexam & ubique conjunctam Catholicæ Eccleſiæ unitatem conetur humanam Eccleſiam facere, & per plurimas civitates novos Apoſtolos ſuos mittat, ut quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque jam pridem per omnes Provincias, & per urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi, ille ſuper eos*

creare

creare alios Pſeudo Epiſcopos audeat. Et Catholicæ Eccleſiæ, & Chriſtiani Epiſcopatus unitatem profitetur eſſe non ſimplicitatis, ſed compoſitionis ex multis Eccleſiis ac multis Epiſcopatibus, concordi numeroſitate ſibi mutuò cohærentibus. Nempè concordia unius ſupremi principii, ex quo unus ſit Pontifex Maximus ac Epiſcopus Epiſcoporum. Ita loquitur etiam in ſua devia Synodo Sanctus Cyprianus, ac Tertullianus in libro de pudicitia. Hinc item Novatiano per ironiam ſuadet hæc Epiſtola, ut per omnem mundum ſuos mittat Apoſtolos, ac omnium Romanarum Provinciarum civitatibus ordinet novos Epiſcopos, atque ita ſe demonſtret verum Pontificem. Nempè tunc iſta omnia poterat Romanus Epiſcopus, atque ita erat plenè univerſalis. De Fortunato per Feliciſſimi Diaconi factionem ſibi in Carthaginenſem Cathedram ſuperintruſo ſcribit Cyprianus etiam ad Sanctum
Ep. 55. Cornelium: *Navigare audent ad Petri Cathedram atque Eccleſiam principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Romam affirmat eſſe non tantummodò Petri Cathedram, ſed inſuper principalem Eccleſiam, ad quam provocarent cuncti undequaque Epiſcopi, & quæ eſſet origo Sacerdotalis unitatis. Origo, non propaginis, hoc enim competit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ; ſed Præfecturæ & Superioritatis. Et in litteris ad Januarium Numidiæ Primatem, ac ejus Sy-
Ep. 70. nodum: *Baptiſma unum eſt, & Spiritus Sanctus unus, & una Eccleſia à Chriſto Domino ſuper Petrum origine unitatis & ratione fundata.* Et in in litteris ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum:
Ep. 71. *Petrum Dominus primum elegit, & ſuper eum ædificavit Eccleſiam ſuam.* Et in litteris ad Jubajanum Epiſcopum: *Dominus ſuper Petrum ædificavit Eccleſiam, & indè unitatis originem inſtituit.* Et infrà: *Eccleſia una eſt, & ſuper unum qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata.* Et in libro de unitate Eccleſiæ: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Palàm profitetur Catholicam Eccleſiam non dumtaxat ſuper Sancti Petri perſonam, ſed inſuper ſuper ejus Romanam Cathedram eſſe fundatam Dominica voce: Hanc eſſe Divinam diſpoſitionem ac legem Evangelicam. Hinc etiam in epiſtola ad Ep. 76.
Magnum aſſerit Eccleſiam eſſe unum ſub uno Paſtore gregem: Et Novatianum, qui Cornelio ſuperintruſus ſit, non poſſe eſſe iſtum Paſtorem. Lucidè profitetur Romanorum Epiſcopum eſſe Paſtorem totius gregis. Et hoc ex jure Prophetico atque Evangelico. Fundamentalem rationem adducit in litteris ad Florentium Pupianum, Eccleſiam hoc modo definiens. *Eccle-* Ep. 69.
ſia eſt plebs Sacerdoti adunata. Quam definitionem habes item apud Sanctum Martyrem Ignatium. Proindè ut omnes ſub cœlo diffuſæ Eccleſiæ ſint unica Eccleſia Catholica, debent habere unicum univerſalem Epiſcopum, quem Sanctus Cyprianus conſtanter affirmat eſſe Romanum. Quod ipſum in litteris ad Sanctum Cyprianum profitetur Firmilianus Cæſarienſis in Cappadocia Archiepiſcopus, ſcribens de Sancto Stephano Pontifice: *Stephanus de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ conſtituta ſunt.* Hoc Firmilianus omninò profitetur: Errans dumtaxat queritur Stephanum iſtis fundamentis & illo ſuo loco abuti. Quæ omnia ſunt alibi pluribus demonſtrata.

CANON II.

IN eadem Synodo ordinatio VVecilonis Moguntini invaſoris, & Sigefridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis, immò omnes ordinationes & conſecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ ſunt, juxtà Decreta ſanctorum Patrum Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus Succeſſoris Gregorii primi.

SCHOLION.

AN Wecilonis, & aliorum hic expreſſorum, Simoniaca Henrici Regis nominatione intruſorum, Epiſcoporum ordinationes quoad ſubſtantiam, an verò quoad ſolam executionem irritet & exſufflet hæc Synodus, quidam ambigunt. Ego exiſtimo irritari quoad ſubſtantiam. Lucet ex litteris, apud Gratiani Decretum exſtantibus, Urbani ſecundi ad Petrum Piſtorienſem Epiſcopum, & Ruſticum Umbroſæ vallis Abbatem: *Daimbertum à VVecilone, licet Simoniaco, non Simoniacè ejuſdem confeſſione reperimus in Diaconum ordinatum. Et beati Papæ Innocentii ſententia conſtat declaratum, quòd VVecilo, quem conſtat ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontificis authoritate firmati, & Damaſi Papæ teſtimonio roborati, qui ait,* Reiterari opor-

tet,

tet, quod malè actum eſt, *Daimbertum ab hæreticis corpore & ſpiritu digreſſum, atque utilitatibus Eccleſiæ pro viribus inſudantem, ex integro, Eccleſiæ neceſſitate ingruente Diaconum conſtituimus. Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantùm integram Diaconii dationem. Quoniam, ut antè prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* Per Auguſtinum Caravitam correctus & expurgatus Gratianus legit, *Necilone*. At omninò eſt legendum, *VVecilone*. Et idem Auguſtinus addit hoc Scholion: *Marianus Scotus in vita Gregorii ſeptimi mentionem facit Archiepiſcopi Magdeburgenſis, hoc nomine appellati*. Verùm hic Wecilo fuit vir inſigniter Catholicus, de quo ad iſtius ſæculi annum ſeptuageſimum octavum ſcribit Conrardus Abbas Uſpergenſis: *Henricus Rex properanti contra ſe cum multo exercitu Rudolpho juxta Stronui occurrit. Initoque prælio, non pauci ex his atque illis proſternuntur, ac incerta fit victoria, utriuſque certatim fugientibus ad propria, ubi à vulgaribus hominibus VVecilo Magdeburgenſis Archiepiſcopus in fuga occiditur, ſive ut quidam dicunt, ſuſpenditur.* Idem prælium memorat Venericus Vercellenſis Epiſcopus, affirmat Wecilonem adhæſiſſe Rudolpho Regi, adeoque etiam Gregorio ſeptimo, & adjungit: *VVezilinus Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus in fuga occiſus eſt.* Fol. 62. Proindè Urbanus ſecundus manifeſtè agit de Wecilone Moguntino. Hic fuit & Schiſmaticus & Simoniacus, datos per ipſum ordines exſufflavit Otho Hoſtienſis Epiſcopus, atque ita ejus Diaconum Daimbertum reordinavit. Synodale Nicolai ſecundi Decretum habet de tertia Simoniacæ ordinationis ſpecie: *Eos qui uſque modò gratis ſunt à Simoniacis conſecrati, non tam cenſura juſtitiæ, quam miſericordiæ intuitu in acceptis ordinibus manere permittimus. De cætero autem ſi quis in poſterum ab eo, quem Simoniacum eſſe non dubitat, ſe conſecrari permiſerit, & Conſecrator & Conſecratus non diſparem damnationis ſententiam ſubeat, ſed uterque depoſitus pœnitentiam agat, & privatus à propria dignitate perſiſtat.* Daimbertus Moguntinæ Eccleſiæ Diaconus de hujuſmodi ordinatione dolebat, dereliquit Pſeudo-Epiſcopum Wecilonem, ſtrenuè agebat pro Catholica Eccleſia, & hæc laborabat inopia bonorum miniſtrorum: Hinc Nicolai Canonem diſpenſandum, & Daimbertum gratioſè reparandum duxit Otho Legatus, ac reordinavit. An ante vel poſt hanc Synodum, adeoque an ex hujus Synodi Canone egerit, vel an ejus factum hæc Synodus confirmarit, ignoro. Omninò fuit alterutrum. Quidquid ſit, Petrus Piſtorienſis Epiſcopus & Ruſticus Umbroſæ Vallis Abbas iſtud improbarunt, Othonis factum videntur retuliſſe ad Urbanum ſecundum, ac etiam Urbanus non mutaſſe mentem, ſed ipſum confirmaſſe. Iſto enim tempore circa ſimiles ordinationes quiſque in ſuo ſenſu liberè abundabat. Errorem plenè tandem extinxit Doctor Angelicus. Quòd Sancti & antiqui Pontifices, Damaſus, Innocentius, Leo, Pelagius, ac Gregorius errori faverint, & Urbanus ſecundus & hæc Synodus errarunt. Ex hujus præſenti Canone palàm ille reſcripſit ad Petrum Epiſcopum & Ruſticum Abbatem.

Quòd hic Canon datos per Simoniacum Epiſcopum ordines cenſeat ſubſtantialiter nullos, lucet etiam ex illis, quæ in Apologetica pro ſeptimo Gregorio Epiſtola ſcribit apud Venericum Vercellenſem Epiſcopum Hirgauzienſis Monaſterii incognitus Monachus: *Sciendum, quòd Guibertus arguat Catholicos aſſerere illa, quæ extra Eccleſiam fiunt, Sacramenta non eſſe, nec aliud quàm damnationem cuiquam conferre, adſtruens tam extra quam intra Catholicam Eccleſiam hæc omnia rata & vera exiſtere. Aſſumitque in teſtimonium aſſertionis ſuæ ſententiam Auguſtini in quodam* Fol. 41. *Tractatu in Evangelium Joannis contra rebaptizatos editam. Ita ergo Auguſtinus inquit:* Nec foris, ſicut nec intus, quiſquam qui ex parte diaboli eſt, poteſt vel in ſe, vel in quoquam maculare Sacramentum, quod Chriſti eſt. *Quam & nos ſententiam fideliter amplectentes reſpondemus, hoc Auguſtinum de ſolo, unde tunc agebatur Baptiſmi dixiſſe Sacramento.* Eadem hujus Monachi verba adducit in ſui operis fine Venericus, & de ipſorum Authoie non dicit, *Inquit*, ſed *Inquiunt*. Quod nempe plurimi tunc Catholici ita ſentirent. Plura, quæ Sacramenta etiam extra Eccleſiam valere affirmant, Sancti Auguſtini teſtimonia adducit, & concludit: *Proindè Clemens Papa arguit eos, qui aliter credunt de ipſis Sacramentis Chriſti & Eccleſiæ, aſſerentes ea extra Eccleſiam Sacramenta non eſſe. Qui etiam cum fidem Catholicam non habeant, ſeſe Catholicos appellant, cæteros autem, qui multò meliùs, quàm ipſi credunt, hæreticos atque ſchiſmaticos eſſe dijudicant.* Quòd extra Eccleſiam datum Baptiſma eſſet verum & ratum, omnes tunc profitebantur, verùm de aliis Sacramentis erat ſumma concertatio. Et quidem multi Catholici aſſerebant & ipſa valere. Lucet ex libro gratiſſimo Sancti Petri Damiani. Plures tamen cenſebant irrita & nulla. Et hi cunctos in Guibertino ſchiſmate conſecratos Epiſcopos & Clericos omninò reſacrabant. Horum ſententiam toti Eccleſiæ impoſuit Guibertus, dixit adverſari avito, per Sanctum Auguſtinum & omnem Eccleſiam olim probato Dogmati, ideoque apud ſe, non apud Gregorii communionem eſſe veram fidem ac veram Eccleſiam. Porrò iſte error præſertim vigebat in Germania. Lucet ex illis quæ Conſtantienſis Bertholdus ſcribit de Magiſtro Bernardo, Rectore Scholarum Conſtantienſium. Proindè iſtam ſententiam præſent Canon omninò videtur confirmaſſe.

CANON

CANON III.

SEcta VVecilonis Moguntini invaſoris, ejuſque Sociorum, ſub anathemate damnata eſt, quæ aſſerit ſæculares ſuis rebus exſpoliatos Eccleſiaſtico non ſubjacere judicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus. Quique excommunicatos abſque Reconciliatione recipi poſſe contendit.

SCHOLION.

IN quinta ſua Synodo dixit Symmachus Pontifex: *Nullos Epiſcopos ſuis rebus exſpoliatos, vel à ſedibus ſuis vi aut dolo, aut quocumque ingenio pulſos, ſicut & vos de nobis judicaſtis, aut ad Synodum tam Provincialem quam Generalem poſſe convocari, aut in aliquo judicari, antequam cuncta, quæ eis ablata ſunt, legibus poteſtati eorum pacificè per omnia redintegrentur, decernimus. Priùs ergo oportet illis omnia legibus redintegrari, & Eccleſias, quæ eis ſublatæ ſunt, cum omni privilegio ſuo reſtitui, & poſtmodum non ſub anguſto temporis ſpatio, ſed tantum temporis ſpatium eis indulgeatur, quantum exſpoliati vel expulſi eſſe videntur, antequam ad Synodum convocentur. Nam nec convocari ad cauſam, nec dijudicari poteſt exſpoliatus vel expulſus.* Et demonſtrat iſtud eſſe antiquum Eccleſiæ Decretum. Notanda ſunt verba: *Sicut vos de nobis judicaſtis.* Italiæ Epiſcopi Theodorico Gothorum Regi, qui ſpoliatum Symmachum judicari juſſerat, conſtanter ſe oppoſuerunt, & illum ante omnem judicii ingreſſum voluerunt plenè reveſtiri. Hoc ipſorum judicium laudat Pontifex, confirmat, atque demonſtrat eſſe antiquum Eccleſiæ Canonem. Eadem de re ad Carolum Calvum Francorum Regem ſcripſit Nicolaus primus Pontifex: *Ne quæſumus dicatur de nobis procedente tempore, quod nunc Scripto de Theodorico profertur. Qui ante patrimonii vel Eccleſiarum, quas amiſerat, receptionem Papam Symmachum, utpotè Arianus & ſceleratiſſimus Rex, cum impugnatoribus ſuis in diſceptationem confligere juſſit, cum poteſtati ejus omnia, quæ per ſuggeſtionem inimicorum ſuorum amiſerat, reddenda ab honorabilium Italorum Epiſcoporum concilio juſſa fuiſſent, ut legaliter ſtatui priſtino redditus, tunc veniret ad cauſam, & ſi ita rectè videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet.* Agit de Rothaldo Sueſſionenſi Epiſcopo, quem à degradationis ſententia appellantem ad Romanam Eccleſiam Hincmarus Metropolita Rhemenſis omnibus ſuis rebus ſpoliarat contra Sardicenſes Canones: Ipſum ante retractatorii judicii ingreſſum mandat plenè reſtitui. Etiam in libello, quo ad eundem Pontificem appellavit, habet Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Poſtulavimus ut Epiſtolæ legerentur, quæ Canonicas Innocenii Papæ pro Sancto Chryſoſtomo ſanctiones continebant, Joanni concilium Judicum non priùs eſſe ſubeundum, quàm in loco & throno ſuo eſſet reſtitutus.* Et Joannis de hac re querimonias, & Innocentii pro ipſo ſanctiones habes apud Palladium Helenopolitanum Epiſcopum in Dialogo cum Theodoro Diacono Romanæ Eccleſiæ. Et Joannes non poſtulavit rem novam, ſed provocavit ad antiquas Eccleſiæ regulas: Proteſtatus eſt ipſas à Theophilo Alexandriæ Patriarcha fuiſſe in ſua cauſa violatas. Proindè antiquiſſimus eſt iſte Canon. Et poſteriora ſæcula ipſum non neglexerunt. Lucet ex litteris Goffredi Vindocinenſis Abbatis ad Goffredum Carnutenſem Epiſcopum: *Novimus, qui præſentes eramus, Dominum Papam Urbanum in Arvernenſi Concilio ſuper hoc diffinitivam, & ab omnibus, qui aderant, Epiſcopis & Abbatibus laudatam dediſſe ſententiam, ut quicumque ſine vocatione & judicio exſpoliarentur, etiam ſine vocatione & judicio inveſtirentur.* Et hinc oritur quæſtio, Quomodo ſpoliatum Henricum Regem judicaverit ſeptimus Gregorius? Quomodo VVecilonis, qui illum dixit ante omnia reveſtiendum, ſententiam præſens Synodus dicat eſſe Sectam & hæreſim? Reſpondeo antiquum Eccleſiæ Canonem ſancire pro ſolis iniquè, ſine vocatione & judicio, aut contra quemvis Juris ordinem ſpoliatis: Henricus autem Rex fuerat ſpoliatus juxta iſtum ordinem. Porrò aſſertio, quæ cenſet legitimè ſpoliatum non poſſe ante reſtitutionem puniri per Eccleſiaſticas cenſuras, eſt palàm Sectaria atque hæretica.

Ep. 45. — Lib. 2. ep. 39.

Altera VVecilonis hæreſis fuit, quòd tales Henrici Regis, ac ipſi adhærentium excommunicationes ſperneret, doceretque ipſis citra Eccleſiaſticam conciliationem poſſe communicari. Iſta in Eccleſiaſticas cenſuras irreverentia atque ſub nullitatis fuco violentia eſt vera hæreſis, graſſata etiam antiquitùs, & à Patribus damnata. Etenim ſuam ab Euſebiana factione ejectionem refert in litteris ad ſuos Monachos Sanctus Athanaſius, & proſequitur: *Mox ab iſtis inſidiis Arianos in ſuam communionem recepere, ſine omni cura reſpectuque tot judiciorum, quibus illi damnati erant, iterumque Imperatoris mandatum cauſificati ſunt. Nec eos puduit in Epiſtolis ſubſcribere, poſt Athanaſium adflictum odia deſiiſſe, & jam inde ſe Arianos ſuſcipere, & ad terrorem audientium, ita ſibi ab Imperatore mandatum eſſe jactitant. Quin & illud auſi ſunt ſine omni fronte adjicere, Arianos rectè ſentire.* Eodem modo poſt ejectum noſtrum Gregorium Rex Henricus dixit jam ceſſare odia, Guibertinam factionem eſſe veram Eccleſiam, ideoque cunctos juſſit illi communicare. Et hæc omnia VVecilo probavit atque adjuvit. Paulinum Trevirenſem, Luciferum Calaritanum, Dionyſium Mediolanenſem, ac Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, quòd iſtis Con-

Conſtantii Edictis parere conſtanter recuſarint, infrà laudat Athanaſius, ac pergit: *His ad ſe vocatis juſſit Imperator ut contra Athanaſium ſubſcriberent, & cum Hæreticis communionem inirent. Quibus admirantibus novum ejus ſtudium, dicentibuſque id non eſſe Eccleſiaſtici Canonis, ſtatim ſubjecit: At quod ego volo ſit pro Canone. Ita enim me loquentem Syriæ Epiſcopi ſuſtinent. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules abite. Id cum audiſſent Epiſcopi, magnopere admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate ſuas illi rationes propoſuerunt, docentes Regnum non ipſius eſſe, ſed Dei, à quo acceperat, eumque metuendum, ne illud, quod dederat, repentè adimeret. Denunciabant illi diem judicii, ſuadebantque ne Eccleſiaſtica corrumperet, neve Romanum Imperium Eccleſiaſticis Conſtitutionibus immiſceret, neve Arianam hæreſim induceret in Eccleſiam. Verùm nec ille audiit, nec eos plura dicere permiſit*. Cunctos proſcripſit in varia exilia. Et huc reſpicit in Euſebiani Chronici ſupplemento Sanctus Hieronymus: *Omnes toto orbe* A. 369. *penè Eccleſiæ, ſub nomine pacis & Regis, Arianorum conſortio polluuntur*. Muta Conſtantium in Henricum, Athanaſium in Gregorium, Syriæ Epiſcopos in VVecilonem, Arium in Guibertum: Erit eadem facti ſpecies. Nam & hoc Guibertino tempore omnes fermè Germanorum ac Italorum Eccleſiæ fuerunt per contagioſam communionem pollutæ. Et uti Conſtantius, ita & Henricus ob ſimiles violentias amiſit Imperium. Nam & ipſum Arium fuiſſe à Nicæna Synodo iniquè damnatum cenſuit, ideoque ſine pœnitentia & reconciliatione ad communionem ſuſcipi ab Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo juſſit Conſtantius. Excommunicatis Ithacianæ conſpirationis Epiſcopis etiam Sanctum Martinum communicare juſſit Imperator Maximus. Et quòd Martinus ab Angelo correptus fuerit, ac exinde miraculorum gratiam ſenſerit ſibi ſuſpendi, teſtatur in ejus vita Sulpitius Severus. Et litteris, per quas Imperatorem Arcadium excommunicavit, Innocentius primus addidit: *Si vim, quod equidem abominor, aliquibus inferre auſi fueritis ad abrogandam hanc Apoſtolicam ſanctionem, eritis in poſterum univerſo cætui orthodoxo tanquam Publicani & Pagani*. Timuit cenſuræ contemptum ac violentiam. Exſtat Epiſtola in nono libro juris Græco-Romani. Et excommunicationem, F. 559. quàm Hæreſiarchæ Neſtorio per Apoſtolicas vices inflixit Sanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, licet non exſufflarit, tamen uſque ad Epheſini Concilii examen ſuſpendit Imperator Theodoſius. Hinc impurus ille Judæus fuit ad Synodi exordium invitatus uti religioſiſſimus Epiſcopus. Auguſtus item Zeno Petro Mogo, excommunicato Alexandrinæ Sedis invaſori, omnes iſtic orthodoxos juſſit communicare. Ita habes in Sancti Gelaſii tomo de ſententia anathematis: *Manifeſtè approbatur Alexandrinum Petrum per Imperialem tantummodò ſententiam nullo prorſùs modo potuiſſe abſolvi. Ubi ſi Pontificum quoque ſociatur adſenſus, quærimus utrùm præceſſerit, an fuerit ſubſecutus? Si ſubſecutus eſt, nihilominùs ad id reditur, ut abſolutio ſæculari poteſtate præcepta, & principaliter inchoata valere non poſſit, Pontificumque ſecutus adſenſus adulationis potiùs fuerit, quàm legitimæ ſanctionis. Si præceſſit, doceatur à quibus & ubi ille ſit geſtus*. Quæ verba in ſuis ad omnes Conſtantinopolitanæ Diœceſios Antiſtites & Clericos litteris adducit Nicolaus primus, & ex ipſis oſtendit Gregorium Asbeſtam, Syracuſæ Archiepiſcopum, cujus vincula Imperator Michael tertius caſſarat, fuiſſe magis innodatum ac maculatum. Et iſtas litteras probavit, ac ſuæ ſeptimæ Actioni inſeruit octavum Concilium. Etiam Theodora Auguſta, Juſtiniani imperioſa mulier, Sylverio ac Vigilio Pontificibus juſſit, ut Anthymo Trapezuntino Epiſcopo, hæretico ac damnato, ſine pœnitentia ac abſolutione communicarent. Et hinc proceſſit horrenda illa perſecutio in utrumque Pontificem.

Eandem violentiam à ſuis Regibus frequenter paſſa eſt item Latina Eccleſia. Etenim Othonem primum Imperatorem, quòd ſibi à proprio filio Frederico Moguntino Epiſcopo inflictum ob pravas nuptias anathema ſperneret ac exſufflaret, fuiſſe infelici morte à Deo percuſſum ſcribit ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem Sanctus Petrus Damiani. Et de Philippo Fran- Lib. 2. corum Rege, ob ſimiles nuptias damnato per ep. 15. Pictavienſe Concilium, habet Hugo Abbas Fla- F. 260. viniacenſis: *Jezabelis furor, uſus novitate profana, manus impias in Deum extendens, miſſis Apparitoribus Eccleſiam fregit, & in ea ſibi Miſſam à ſui ſimilibus dici coegit*. Et in litteris ad omnes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, exſtantes apud Cardinalem Cæſarem Baronium, Sanctus Thomas Cantuarienſis Regem ſuum Henricum A. 1168. ſecundum accuſavit etiam de hoc articulo: *Rex mandat Clericos ſe non habere excommunicatos, cùm ritè fuerint excommunicati*. Et inter articulos, de quibus Anglicani Epiſcopi pugnarunt cum Rege Henrico tertio, fuit & hic: *Rex mandat ſuis litteris, quod non vitentur excommunicati, licèt per Ordinarios publicè denuncientur excommunicati*. Et fuerunt ibi plures ſimilis farinæ articuli. Eos habes in Additamentis Matthæi Pariſienſis. Hujus Regiæ violentiæ habemus plurima exempla. Et ipſa etiamnum hodie viget in qui- F. 200. buſdam ſupremis Senatibus, auſis non tantummodò Epiſcopales, ſed etiam Papales anathematis ſententias examinare, judicare, caſſare, abſolvere. Joannis Patriarchæ Antiocheni factio etiam poſt Epheſinum Concilium non ceſſavit favere Neſtorio, & Sancti Cyrilli damnare Capitula. Hinc ejus apud Conſtantinopolim Legatos Maximianus Epiſcopus excluſit ab omni Baſilica, privavit omni facultate ſynaxeos. Et iſtius vinculi caſſationem flagitantes Imperator Theodoſius remiſit ad Epiſcopum, & adjunxit: *Equidem Epiſcopo imperare non poſſum*. Ita teſtatur Legatorum unus Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, in Relatione ad Alexandrum Hierapolios Epiſcopum, ſuum Euphrateſiæ Provinciæ Metropolitam. Nempè varii Adſeſſores Con. E- fecerunt mobilem Principem ira variare. Oran- pheſ. f. dus eſt Deus, ut etiam hodie Regibus adſideant 466.

viri integri, ſuæ Catholicæ Matris cultores, qui prophanas Theodoreti preces non audiant. Etenim Divinam Eccleſiæ poteſtatem Reges non ſolent lædere, niſi ad ſacrilegas damnatorum Epiſcoporum aut Clericorum preces, qui ſub Regiæ protectionis ſuco diligunt ſordere in ſuis cupiditatibus, atque anathemate, & quandoque etiam mori. Eſt ſacrilega VVecilonis Moguntini audacia, per præſentem Canonem meritò damnata de hæreſi.

CANON IV.

STatutum eſt, ut quicumque ab Epiſcopo ſuo, nec officio, nec communione privato, excommunicatus eſſet, etſi injuſtè, nullatenus tamen reciperetur ad communionem, niſi abſolutus Eccleſiaſtico more.

SCHOLION.

EXcommunicationem de injuſtitia accuſare, ac ſub iſto fuco contemnere, eſt antiqua quorundam audacia, adversùs quam in litteris ad Hermogenem Epiſcopum graviter declamat Iſidorus Peluſiotes. Et in populo & præſertim in Clero graſſantia Chriſtianæ Diſciplinæ vulnera deplorat, addit adversùm illa Epiſcopis vix ullam eſſe poteſtatem niſi ſolum excommunicationis gladium, atque proſequitur: *Id quidem*, utique ex Eccleſia proſcribere, *eſt promptum ac facile, ſed emendationem non habet. Nam ſi ei, qui optimo jure ab aliquo condemnatus eſt, ad omnes etiam alias Eccleſias aditus clauderetur, cunctique unà cum eo, qui ſententiam tuliſſet, indignationem conciperent, fortaſſe ille caſtigatus meliorem mentem indueret. Nunc autem ſimul atque quiſquam ab aliquo condemnatus eſt, ab alio perſæpè colitur & obſervatur, aliaque ei Eccleſia patet, & ſatellitium, & munera: Eique qui ejectus eſt, in quæſtum cedit loci commutatio. Ac deinde quòd criminis convictus ſit ejectus, non commemorat; quòd autem ſponte ſua diſceſſerit, hoc effingit. Ac ſi quis cauſam percunctetur, multa & gravia narrat, quæque Eccleſiæ, à qua ſuſceptus eſt, allubeſcant.* Affirmat hinc omnem Epiſcopalem authoritatem ſperni, jacere omnem diſciplinam. Et quidem excommunicatio tunc ſpernebatur apud alienas dumtaxat Eccleſias: Non ità ob injuſtitiæ fucum, quàm quòd eſſet aut fingeretur ignota. Noſtri Gregorii tempore ſpernebatur etiam in propriis Eccleſiis, ante oculos proprii Epiſcopi. Ob allegatum iniquitatis fucum. Et malum adeò crevit, ut in prima ſua Lateranenſi Synodo Paſchalis ſecundus ediderit hanc à cunctis fidelibus faciendam profeſſionem: *Anathematizo omnem hæreſim, & præcipuè eam, quæ ſtatum præſentis Eccleſiæ perturbat, quæ docet & aſtruit anathema contemnendum, & Eccleſiæ ligamenta eſſe ſpernenda.*

Lib. 3. ep. 259.

Porrò præſentem Canonem firmat vigeſimus ſeptimus Arabicæ Eccleſiæ Canon: *Quicumque fuerit à Sacerdote ligatus, quamvis calumniam paſſus ſit, non eſt ab eo accipienda oblatio, nec ulla alia res, quam ad Eccleſiam adferat, nec ullus fidelium debet cum eo prandere, nec in ejus domum ingredi, nec eum in domum ſuam recipere, priuſquam ſit ab excommunicatione abſolutus. Et qui hoc non ſervaverit, parvi faciens excommunicationem, & fidem contemnens, oportet eum quoque excommunicare, quia fuit particeps & conſentiens.* Quod verum eſt etiam de excommunicatione nulla ob manifeſtam injuſtitiam. Quæ enim poterat eſſe manifeſtior injuſtitia, quàm Joannis Patriarchæ Antiocheni, & illi in Epheſino Concilio conſpirantium Epiſcoporum audacia in Sanctum Cyrillum, Alexandriæ Patriarcham, & Apoſtolicum Concilii Præſidem? Eruditus Melitinæ Epiſcopus ac ſecundæ Armeniæ Metropolita Acacius conſtanter affirmabat iſtiuſmodi excommunicationem non eſſe Eccleſiaſticum judicium, ſed impotentis animi convitium, ideoque ab omnibus ſpernendum. Nihilominus Sanctus Cyrillus ipſum nullo pacto audiit: Geſſit ſe excommunicatum, iniquum vinculum fuit plenè reveritus, nec communicare præſumpſit, niſi per novam Sancti Cæleſtini Pontificis legationem canonicè abſolutus. Etiam Domno Patriarchæ Antiocheno, Euſebio Dorylenſi, Ibæ Edeſſeno, Theodoreto Cyrenſi, Athanaſio Parenſi, ac aliis Epiſcopis per Epheſinum latrocinium inflicta damnatio fuit penitus ac manifeſtè iniqua: Non minùs quàm damnatio Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem Eccleſia ob innocentiam paſſim titulat ſecundum Abel. Et tamen iſtorum nemo ante obtentam à Sancto Leone Pontifice abſolutionem fuit auſus ſpernere vinculum, aut Epiſcopalem communionem ſibi retinere. Quin & laudatus Pontifex Domno Patriarchæ, quòd in alia cauſa deliquiſſet, injectum vinculum fecit ratum, & confirmavit. Vinculum item, quod Sancto Joanni Chryſoſtomo injecit Synodus ad Quercum, fuit per omnia iniquum: Et tamen ille ſe geſſit ex eadem regula. Quid fuit iniquius, quàm à neſcio quo monacho in Theodoſium Imperatorem eructata excommunicatio? Et tamen ille ad prandium conſidere noluit, niſi abſolutus. Etiam in nobilem virum Claſſicianum lata per Auxilium Epiſcopum excommunicatio erat injuſta. Lata erat per iram, quæ juſtitiam Dei non operatur. Ita in ſcriptis ad Auxilium litteris ſupponit Sanctus Auguſtinus. Et tamen adjunxit: *Aufer Geſta* Ep. 75.

Eccle-

Eccleſiaſtica, quæ perturbatior fortaſſe feciſti. Mandat injuſtum vinculum non ſperni, ſed canonicè abſolvi. Circa Jonathæ, qui contrà Regium Patris Saul anathema comederat agreſte mel, quærit in quæſtionibus ad Regum libros
Lib. 1. qu. 30. etiam Theodoretus: *Si Saul ſtultè ſubjecit anathemati, cur Deus confirmavit anathematiſmum?* Et reſpondet: *Primò quidem eum arguit, quòd præter rationem eſſet execratus. Deinde docet, ne ejuſmodi quidem anathemata eſſe contemnenda.* Famoſa eſt Magni Gregorii in vigeſima ſexta homilia ſuper Sancti Joannis Evangelium ſententia: *Sub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant vel ligare. Id autem, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel juſtè vel injuſtè. Nec Paſtoris ſui judicium temerè reprehendat. Ne etſi injuſtè ligatus eſt, ex ipſius tumidæ reprehenſionis ſuperbia culpa, quæ non erat, fiat.* Quam ſententiam laudat in libris de Laica inſtitutione Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, queſtus excommunicationis vinculum ſuo etiam tempore fuiſſe contemptum. Et adversùs Gregorium Asbeſtam Syracuſæ Archiepiſcopum, qui à Sancto Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano inflictam ſibi damnationem ſpernebat uti injuſtam & nullam, ad omnes Conſtantinopolitani Patriarchatus Epiſcopos & Clericos ſcripſit Nicolaus primus: *Quod*, utique communicare Eccleſiæ, *Gregorius agere omninò non debuit, etiamſi nulla Commiſſa exiſterent pro quibus damnari potuiſſet. Quoniam Prælati judicium ſemper inferioribus formidandum eſt, ne ſi ei non obedierint, licet ab eo fortaſſis injuſtè ligentur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa, id eſt, ex inobedientia mereantur.* Palam loquitur ex Magno Gregorio. Et iſtam Epiſtolam probavit, ac ſeptimæ ſuæ Actioni inſeruit octava Synodus.

Eandem Magni Gregorii ſententiam Leodienſi Clero, qui Henricum Regem affirmabat iniquè excommunicatum, & pertinaciter ei dem communicabat, objecit Paſchalis ſecundus Pontifex. Et Clerus repoſuit: *Dicimus & nos cum Gregorio, Ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privat, qui ſubjectos pro ſuo velle, & non pro eorum merito ligat & ſolvit. Dicitis quoque: Excommunicatus, ſi morte prævenitur, damnatur. Hic nobis ſuccurrit Romanæ Eccleſiæ authoritas. Gregorius enim verbo & Scripto authorizavit, quod poteſt Romanus Præſul abſolvere excommunicatum injuſtè ab aliquo. Si hoc poteſt Romanus Præſul, quis neget etiam Deum poſſe abſolvere, ſi quem Romanus Præſul injuſtè excommunicaverit? Nemo enim lędi poteſt ab alio, niſi priùs lædatur à ſemetipſo.* Clerus dogmatizat iniquam excommunicationem eſſe nullam, ſolvi immediatè à Deo, ideoque non indigere abſolutione humana. Quocircà & ipſe eſt ex illis, adversùm quos proceſſerunt & præſens Canon, & laudatum Decretum ſecundi Paſchalis. Idem error graſſatus olim fuit in Orientali Eccleſia, & ejus fundamentum exponit Theodorus Balſamon in Scholio ad trigeſimum ſecundum Carthaginenſem Canonem: *Si datum fuerit Epiſcopo, ſeu rectè ſeu perperam Clericos & Laicos ſegregare, & neceſſe habere eos, qui ſegregantur, ſegregationem ſervare, tyrannidem exercebunt Epiſcopi, & in omni re dominium exercebunt. Et nemo erit qui eis reſiſtet, propter metum ſegregationis. Et ipſi etiam pietati inſultabunt. Et Divini Canones erunt multorum malorum authores. Quod eſt abſurdum.* Utriuſque partis rationes adducit, & concludit: *Ego autem non habeo quemnam eorum ſequar. Nam & à pietate trahor, ſed ab eo quod ſit contra Canones, retrahor. Cupio ergo diſcere quid agendum: Ut qui tota vita cupiam eſſe puer & diſcipulus.* Canonum Doctor fatetur iſtam opinionem adverſari Canonibus, & hæſitat an ſit ſequenda. Parùm Doctoraliter. Eundem errorem ſequi videtur Imperator Joannes Cantacuzenus: *Divinum Numen non ſequi Epiſcoporum à recta ratione alienas affectiones, præclarè dictum eſt à Magno Dionyſio.* Addit tamen etiam iſtiuſmodi ſententias *eſſe terribiles, & meritò.*

Porrò noſter Canon rectè addit: *Ab Epiſcopo ſuo.* Etenim extra territorium jus dicenti non paretur impunè. Et hinc Joannis Antiocheni excommunicationem Sanctus Cyrillus potuiſſet omninò contemnere. Verùm quòd ille Synodi authoritatem ſibi adſcriberet, hic cenſuit parendum. Et hinc vides, quòd exempti & Apoſtolicæ Sedi immediatè ac plenè ſubjecti Clerici & Monachi Diœceſanorum Epiſcoporum ſententias rectè contemnant. Diœceſanus enim Epiſcopus non eſt eis Epiſcopus: Nullus eis eſt Epiſcopus niſi Romanus. Canon item rectè addit: *Nec officio nec communione privato.* Etenim in Decreto, quo Joannem Antiochię Patriarcham, & illi in patrato adversùs Sanctum Cyrillum facinore cooperatos Epiſcopos ab officio Epiſcopali ſuſpendit, addidit Epheſina Synodus: *Ab Eccleſiaſtica communione alieni ſint, nullam habentes facultatem, tanquam ex authoritate Sacerdotali, qua aliquibus vel detrimentum vel adjumentum adferre queant.* Et in relatione ad Imperatorem Theodoſium: *Decrevimus eos tantiſper excommunicationi ſubjacere, abſurdam eorum temeritatem coercentes.* Proindè Epiſcopo injecta ab officio aut communione ſuſpenſio eſt capiſtrum, quo ille Eccleſiaſticas cenſuras nulli poſſit auferre vel inferre. Utramque hanc clauſulam exiſtimo additam ab hujus Synodi Epiſcopis ad ſui defenſionem adversùm Moguntinum latrocinium. Omnes fermè illic fuerant degradati. Præterea Hartuicum Magdeburgi Metropolitam, quòd ex ſeptimi Gregorii delegatione conſecraſſet Reginhardum Mindenſem Epiſcopum, degradarat in ſua etiam Synodo Seguinus Metropolita Colonienſis. Verùm neutra Synodus reſpectu damnatorum Epiſcoporum erat ſua Synodus. Deindè, neutra erat Synodus, ſed ſchiſmatica excommunicatorum conjuratio: Conjuratio Henriciana & Guibertina. Hinc utraque iſta clauſula abſolvit hujus Synodi Epiſcopos, & data in ipſos judicia demonſtravit fuiſſe attentata convicia.

Hunc eſſe utriuſque clauſulæ ſcopum & ſenſum profitetur Venericus Vercellenſis Epiſcopus: *Cæterùm prævaricatores Eccleſiaſticæ legis Epiſcopi, qui in Moguntina Synodo ſunt depoſiti, & omni Eccleſiaſtica dignitate privati, ſententiam depoſitionis ſuæ à Sede Apoſtolica prolatam parvipendunt,*

& ſuperbiæ ſpiritu inflati, non ſolùm vetitum ſibi officium auſu temerario uſurpant, ſed etiam ſecundùm Canones conceſſam Sedi Apoſtolicæ poteſtatem conantur eripere, & ſibimet eam contra Canones contendunt uſurpare. Ideò frequentibus conventibus pariter & Scriptis firmaverunt ſibi hunc ſermonem nequam, ut non poſſit Romana Eccleſia alium habere Papam, niſi ex parte ſui Gregorii, qui velit reſiſtere Henrico Regi, immò Divinæ ordinationi, qui etiam velit Sedem Apoſtolicam invadere contra Guibertum Pontificem ipſius Romanæ Eccleſiæ. Nequam ſermones Venericus vocat Synodalia Decreta, quæ tunc aſſerebant Guiberti factionem non eſſe veram Eccleſiam, & Moguntinum conventum non fuiſſe legitimum Concilium, ſed latrocinale Conciliabulum, ideoque inflictam ab ipſo damnationem non eſſe timendam. Et iſtos inter ſermones eſt omninò præſens Canon.

CANON V.

SImiliter & pro ſacrilegio excommunicatos decrevit ſancta Synodus non recipiendos abſque ſolita reconciliatione, & niſi dudum, quæ ſacrilegè ſibi vendicaverant, reddidiſſent.

SCHOLION.

INter calumnias, quas Catholicis Gregorium ſeptimum obſervantibus Epiſcopis impoſuit Moguntinum latrocinium, Venericus Vercellenſis Epiſcopus ponit & hanc: *Seditioſi Epiſcopi, utpote violatores Eccleſiaſticorum privilegiorum, permiſerunt ſuarum partium fautores rapere & diripere bona & res Eccleſiarum, ut ejuſmodi homines eſſent ſibi promptiores ad omne nefas audendum, quibus ex conſuetudine jam quaſi in naturam verſa eſt dulcedo conjurationum, rapinarum, homicidiorum.* Henricianæ & Guibertinæ factionis facinora Venericus transſcribit in noſtros Epiſcopos & milites. Quòd enim & Henricus & Guibertus in diripiendis Eccleſiarum bonis fuerint promptiſſimi, eſt omnibus notum. Quòd & noſtri milites eandem artem tunc exercuerint, non eſt inficiandum. Verùm quòd noſtri Epiſcopi iſta permiſerint, eſt dura calumnia. Hanc ut illi à ſe avertant, omnes iſtiuſmodi raptores excommunicant, & ipſorum nullum ante factam reſtitutionem præſens Canon permittit abſolvi. Hinc calumniam denuò continent hæc Venerici verba: *Otho Oſtienſis Epiſcopus*, hac utique in Synodo, *intulit ſe judicare bonum & juſtum eſſe, ut res Eccleſiarum, quas Saxones atque Thuringi uſurpaſſent in proprios uſus, reſtituerentur ſpoliatis Eccleſiis atque Monaſteriis, quibus fuiſſent oblatæ & conſecratæ. Hæc ſententia cum non placuiſſet Epiſcopis, utpotè timentibus offendere præſentiam noxiorum, qui pariter convenerant ad roborandas partes conjurationis ſuæ, tunc rogabant ipſi, rogabant & alii Principes Saxoniæ, ut his atque ejuſmodi omiſſis, conſentiret cum eis ad ea quæ cœpiſſent agere. Se quidem conveniſſe, ut tractarent, quomodo defendere poſſent partes & ſtudia ſui Gregorii Papæ, ejuſque anathema circa Regem Henricum renovare, ac populo indicare, quòd excommunicatus ſit omnis, & ſalvus eſſe non poſſit, quiſquis Henrico Regi in aliquo communicarit. Tunc ille Otho flexus eſt ad voluntatem eorum, & conſenſit. Quia vento agitata arundo exſtitit.* Eſt manifeſta in Othonem & omnem hanc Synodum calumnia. Fol. 71.

CANON VI.

IN eadem Synodo Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus perpetua, juxta Decreta ſanctorum Patrum, indicta eſt continentia.

SCHOLION.

DIſpenſatorias, quibus ſua adversùm conjugatos Clericos Decreta ſuſpendi ad tempus juſſit per Altmannum Paſſavienſem Epiſcopum ac ſuum in Germania Legatum Gregorius ſeptimus, litteras ſuprà audivimus. Hanc diſpenſationem non eſſe ulteriùs tolerandam Legatus Otho ex cauſis cenſuit, ideoque edidit præſentem Canonem. Et ipſum exindè Germania cuſtodivit. Etiam de Geberardo Conſtantienſi Epiſcopo, uno ex hujus Synodi Patribus, quem in Urbanum ſecundum promotus Otho ſibi dedit in Germanica Legatione ſucceſſorem, ſcribit Bertholdus Conſtantienſis Eccleſiæ Presbyter; *Geberardus Conſtantienſis Eccleſię Epiſcopus magnam Synodum Conſtantię in hebdomada majori ante Paſcha cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus, & cum Ducibus & reliquis Alemannię Principibus canonicè celebravit. Ibique multa, quę corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam Presbytero-* A. 1094.

byterorum & violentiam Simoniacorum adeò prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio ſub banno prohibuerit, ſi in ipſo tali facinore poſiti contr a fas & jus miniſtrare præſumpſiſſent.

CANON VII.

ITem ſtatutum eſt, ne Laici pallas Altaris, & ſacra vaſa contingant.

SCHOLION.

CAnon innovat antiquam diſciplinam, de qua Laodicenſe Concilium: *Non oportet Miniſtros locum habere in Diaconico, & Dominica vaſa contingere.* Per Miniſtros lucidè intelliguntur Subdiaconi. Nam quomodò Diaconi poſſint non habere locum in Diaconico? Et ad ipſos ex univerſali Canone tunc ſpectabat populo miniſtrare ſacro-ſanctum Calicem: Quomodò igitur queant Dominica vaſa non tetigiſſe? Subdiaconi officium apud Græcos non eſt tantæ dignitatis, quantæ apud Latinos. Græci paſſim nec Oſtiarios, nec Acolythos, nec Exorciſtas, ſed ſolos Lectores habent; Minorum Ordinum miniſteria ſibi paſſim exhibent per Subdiaconos. Hinc de ipſis pergit Laodicenſis Synodus: *Non oportet Miniſtros oſtia relinquere.* Et ex Canone priori lucet, quòd ſacra apud Græcos vaſa longè minùs potuerint tangi per Laicos. De ipſis ſtatuit Trullana Synodus: *Nulli omninò liceat, qui ſit in Laicorum numero, intra ſacri Altaris ſepta ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita Poteſtate & Authoritate Imperiali, quando quidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquiſſima conſuetudine.* Extra hunc oblationis caſum ipſe etiam Imperator nequibat ſacros Ciborii cancellos ingredi. Et hinc à Nicolao Myſtico Patriarcha Conſtantinopolitano poſtularunt olim quidam Monachi: *An oporteat Monachum ad ſacrum Altare ingredi?* Et ille reſpondit: *Sine manuum quidem impoſitione fungi Monachum Lectoris officio, perindè ac ſi eſſet Lector, eſt prohibitum; ad Altare autem accedere pro accendendis cereis vel candelis Monachum, qui nulli eſt affinis crimini, non exiſtimo prohiberi oportere, propter Monachalis habitûs honeſtatem.* Agit de Angelico ſeu majori profeſſorum Monachorum habitu, ideoque Novitiis non permittit iſtum ingreſſum. Ita hoc Reſponſum rectè interpretatur Theodorus Balſamon. Proindè Altaris candelas longè minùs poſſit apud Græcos Laicus accendere. Longè minùs tangere ſacra vaſa. Apud nos Latinos Subdiaconi officium eſt ſublimius, ideoquè ille ſemper potuit ſacra vaſa tangere: Verùm vacua à Dominico Corpore & Sanguine. Porrò de Laicis ſtatuit in ſuo Capitulari Herardus Archiepiſcopus Turonenſis: *De mulieribus & Laicis ut ad Altaria non accedant, & ut Sacramenta & panes Sanctorum, exceptis quæ offerunt, non tangant.* Plures ſunt hujuſmodi Canones præſertim de mulieribus. Et tamen etiam his Euchariſtia olim dabatur in manus. Quædam tamen Eccleſiæ juſſerunt illam ab iſtis accipi per Dominicale linteum. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus etiam à viris accipi voluit per cochlear. A quibus ſacra vaſa non poterant tangi, tangi noluit ipſum Sacro-Sanctum.

Cap. 21. Cap. 69. Cap. 24.

Quod etiam Græcorum Laici ſacra vaſa tangere olim non potuerint, lucidè tradit in Oratione adverſùm Arianos Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Quæ vaſa miniſterio ſacro deſtinata, nec vulgi manibus attrectanda, iniquorum manibus dedidi, nempè vel Nabuzardæ Coquorum Principi, vel Balthazaro, qui malè in ſanctis poculis perbacchatus eſt, atque ideò dignas amentiâ ſua pœnas perſolvit?* De iſto crimine arguit Arianos.

CANON VIII.

ITem ne Laici decimas ſibi vendicent in proprietatem, nec etiam in Beneficium, ſine conceſſione legitimorum Poſſeſſorum.

SCHOLION.

DEcimale onus inducere apud quoſdam Germaniæ populos fuit admodum difficile. Etenim anno poſt milleſimum vigeſimo ſecundo novellam fidem apud Polonos graviter ceſpitaſſe ſcribit Longinus Cracovienſis Eccleſiæ Canonicus, & edicit cauſam: *Nonnulli Poloniæ Nobiles, Sathana ſuggerente, ob oneroſam Decimarum manipularium ſolutionem oneroſos Chriſtianos ritus dicentes, hi præſertim qui in ſpurcitiis genitalibus enutriti jugum Orthodoxum non facilè tolerabant, ad ritus redire profanos, & vetuſtam ſacrilegamque reſumere vitam, & Decimas non reddere tempore inſtituto, nec Eccleſias frequentare, Miniſtroſque & Sacerdotes de eorum Eccleſiis pellere, frequenti conſpiratione diſponebant. Id cùm ad Boleslai Poloniæ*

Regis aures perductum eſſet, non tulit fideliſſimus Catholicæ fidei propugnator gliſcentem conſpirationem conſurgere, ſed in ipſo ſuo ortu illam mox exſtinxit. Authores enim illius miſſis militibus comprehendit, & capita conſpirationis partim capitali ſupplicio exſtinxit, partim verberibus mulctavit, cæteris minùs reis, & ſola contagione fœdatis, aliorumque ſuaſionem ſecutis, parcendum decrevit. Fuit is Boleslaus primus. Quòd item Dani, Sclavi, Norvvegi, ac alii Boreales populi Decimas admittere noluerint, ac illam ob rem Adebertus Hamburgenſis Archiepiſcopus ſummos ſuſtinuerit labores, ſcribunt Adam Bremenſis, Hemboldus Presbyter, ac Arnoldus Abbas Lubecenſis. Epiſcopi cum illis inire debuerunt varia pacta & moderamina, quæ latè exponit idem Arnoldus. De Sancto Canuto Danorum Rege ſcribit etiam Saxo Grammaticus. *Canutus populares adhuc Sacrorum rudes Decimarum Religioni aſſuefacere conabatur, ſed irrita ſuaſio fuit. Quippè maturitatem rerum capere novella cultus rudimenta nequibant.* Et Demetrius Dalmatiæ Rex coram Gregorii ſeptimi Legatis fecit hanc Synodalem profeſſionem: A. 1076.
Primitiæ, Decimæ, omniumque ad Eccleſiam pertinentium procurator exiſtam. Quòd nempè populus iſti oneri refragaretur. Et quid dicam de his novellis Chriſtianis? Antiqui Chriſtiani Thuringi quantas cum Sigefrido Moguntinenſi Archiepiſcopo lites de hac re habuerunt? Parum abfuerunt à cruentiſſimo bello. Rei ſeriem largè habes apud Lambertum Scafnaburgenſem. *Iſto tempore adhuc etiam vivebat ſacrilega Caroli Martelli violentia: Quidam Laici adhuc poſſidebant Decimas, eaſque aliis vel in proprietatem, vel in Beneficium vendebant aut donabant.* Hæc omnia præſens Canon ſtudet corrigere.

CANON IX.

ITem ut vernum Jejunium in prima hebdomada Quadrageſimæ, æſtivum in Pentecoſte ſemper celebretur.

SCHOLION.

HAc de re in ſua Conſtantienſi Synodo ſtatuit etiam Geberardus Conſtantienſis Epiſcopus, unus ex hujus Synodi Patribus, ac Urbani ſecundi in Germania Legatus: *Juxta Statuta ſanctorum Patrum, jejunium Martii in prima hebdomada Quadrageſimæ, & jejunium Junii in hebdomada Pentecoſtes ſemper celebretur.* Habes iſtam Synodum apud Bertholdum Presbyterum Conſtantienſis Eccleſiæ. Hujus noſtræ Synodi præſens Canon necdum erat tunc admiſſus in mores. Hinc Geberardus ſtuduit illum adjuvare. Quòd ſolemne per quatuor anni tempora jejunium ſit Latina pietas, Græcis ignota, eſt ſuprà demonſtratum. Edixi & ejus apud nos originem. Apud Iſidorum Mercatorem Sanctus Papa Calixtus hæc ſcribit ad neſcio quem Benedictum Epiſcopum: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientiùs nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic etiam nos quaternum ſolemne agamus jejunium per anni quatuor tempora.* Verùm parvi ponderis ſunt iſtæ Epiſtolæ. Verius eſt omnium quatuor temporum religionem ſimul cœpiſſe. Porrò Romana Eccleſia vernum jejunium in prima Quadrageſimæ hebdomada, æſtivale in hebdomada Pentecoſtes, autumnale in terria ſeptimana Septembris, hyemale olim celebravit in ſeptimana, cujus Sabbatum præcedebat Vigiliam Dominicæ Nativitatis. Lucet ex octavo Sancti Leonis Magni ſermone de jejunio: *Jejunia ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Si quidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivale in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale autem in decimo celebramus.* Quod æſtivale celebretur in Pentecoſte, ſcribit etiam in primo ſermone. At verò Caroli Magni Capitularia habent: *Conſtituimus ut quatuor anni tempora ab omnibus cum jejunio obſerventur. Id eſt, in menſe Martio hebdomada prima. Et feria quarta, & ſexta, & Sabbato veniant omnes ad Eccleſiam, hora nona cum Litania ad Miſſarum ſolemnia. Similiter in menſe Junio, hebdomada ſecunda, feria quarta & ſexta, & Sabbato jejunetur uſque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abſtineatur. Similiter in menſe Septembri hebdomada tertia. Et in menſe Decembri, hebdomada quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini. Sicut eſt in Romana Eccleſia traditum.* Eſt trigeſimus quartus Canon Moguntinæ Synodi, celebratæ per Riculphum Archiepiſcopum. Et hinc intelliges Abbatialem in Aquiſgranenſi Conventu ſub Ludovico Pio Canonem. *In hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, niſi ſtatuti fuerint jejunii dies.* Hoc eſt, niſi tunc occurrerit ſecunda ſeptimana menſis Junii, Clauſulam, *Sicut in Romana Eccleſia traditum eſt,* quidam intelligunt de ſolo Septembris jejunio, alii cenſent de omnium quatuor temporum jejunio intelligendum. Cenſent Romanam Eccleſiam neſcio quo tempore diſceſſiſſe à laudato per Leonem Magnum more, & acceſſiſſe ad laudatam à Moguntina Synodo conſuetudinem. Augienſis Monaſterii venerandus Abbas Berno in libello de quibuſdam ad Miſſam ſpectantibus ſcribit in cunctis quatuor temporibus eſſe cum quarta & ſexta feria jejunandum & Sabbatum, de dictis feriis dat cauſam, & pergit de Sabbato: *Sabbato ex authoritate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ concluditur jejunium, propter triſtitiam Apoſtolorum, quàm de* Cap. 7.
morte noſtri Redemptoris habuerunt, ſicut Innocen-

nocentius Papa in ſuis Decretalibus mandat. Aſfirmat iſtam clauſulam, non ad aliquod è quatuor temporibus, ſed ad ſolum omnium quatuor temporum Sabbatum eſſe referendam. Vult ab illa ſanciri, ut illæ Eccleſiæ, quæ Sabbatis paſſim non jejunant, jejunent Sabbata quatuor temporum. Berno verba illa mutuatus eſt ab Amalario Fortunato, cujus temporibus Romana Eccleſia adhuc omninò ſervabat antiquum morem.

Romana certè Eccleſia avitum ſuum morem ante iſtam Synodum non mutavit. Inſigniter hoc demonſtrat Guido Abbas Micrologus: *Gregorius Papa ſeptimus, cum Apoſtolicæ Sedi præſideret, conſtituit ut jejunium, quod dicitur Martii, in prima hebdomada Quadrageſimæ omnino celebretur, ſicut & Sancti Patres illud inſtituiſſe leguntur. Nam Sanctus Gregorius Papa primus, tam in Sacramentario quàm in Graduali libro, ſive Antiphonario, officia ejuſdem jejunii adſcripſit primæ Quadrageſimali hebdomadæ. Item in libro Comitis Sanctus Hieronymus Lectiones & Evangelia de eodem jejunio injunxit eidem hebdomadæ. Ipſa enim vacans Dominica, quam Sanctus Gregorius in Quadrageſima ſecundam eſſe voluit, evidentiſſimè inſinuat, quod jejunium Martii nihilominus omni anno ipſam in prima hebdomada præcedere debeat. Non enim eadem Dominica propriè vacans diceretur, ſi non Sabbatum duodecim Lectionum è veſtigio ſubſequeretur, quod proprium eſt omnium Dominicarum vacantium, quæ cùm proprio careant officio, ex præcedenti hebdomada inofficiantur. Unde & hæc Dominica, de qua agimus, ex quarta feria præcedenti jejunii Officium mutuavit. Neceſſe eſt ergò, ut illud illam præcedat, cum non aliundè, niſi ex ejus pręceſſione eadem Dominica nomen & officium obtineat. Sed & junior Papa Gregorius, ſcribens de ordinatione Sancti Bonifacii Archiepiſcopi ad Moguntiacenſes, pręcepit ut ordinatio, quæ jejunio Martii adſcribitur, in ingreſſu Quadrageſimæ cum eodem jejunio ſemper celebretur. Beatiſſimus quoque Papa Leo primus in ſermone de jejunio ſeptimi menſis, vernum in quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in ſeptimo menſe celebrandum eſſe denuntiavit. Item Beatus Gelaſius Papa in Decretalibus ſuis conſtituit, ut ordinationes Presbyterorum & Diaconorum non niſi certis temporibus fiant, quippe in jejunio quarti, & ſeptimi, & decimi menſis, id eſt Junii, Septembris, atque Decembris, nec non Quadrageſimalis jejunii initio, quod procul dubio Martii intelligitur. Videſne ergo, cum apertè idem jejunium cum ordinatione ſua primę Quadrageſimali hebdomadæ adſcribatur, cur tam ſignanter Quadrageſimalis initii jejunium cognominetur? Hoc autem initium Quadrageſimæ non à capite jejunii, ſed à ſubſequenti Dominica eſt computandum. Nullum autem commoveat, quòd tempore Henrici ſecundi Imperatoris, duodecim Epiſcopi Moguntiæ congregati aliter de hoc jejunio ſtatuiſſe leguntur. Cum enim apud ipſos non modica varietas de hujuſmodi jejuniis accideret, eò quòd antiquam ſanctorum Patrum traditionem in hac re minùs attenderent, pro hujuſmodi confuſione corrigenda hanc ſibi regulam propoſuerunt, ut deinceps in prima quarta feria Martii, & in ſecunda Junii, & in tertia Septembris, omni anno jejunarent. Sed hæc regula Apoſtolicæ authoritati præjudicare nec poteſt nec debet. Præſertim cum evidentiſſimè Statutis ſanctorum Patrum videatur repugnare. Si enim prædictam regulam annuatim obſervamus, multoties non ſolùm in Quadrageſima, ſed etiam ante Quadrageſimam jejunabimus. Cum & Statuta Apoſtolicorum virorum, & officiorum inſtitutio illud infra Quadrageſimam, immò in prima Quadrageſimæ ſeptimana ſemper celebrare decernant. Indubitanter ergo refutare debemus quidquid tam evidenter Apoſtolicæ authoritati contraire videmus, unde totius Chriſtianæ Religionis & ordinis exordium & formam accepimus.* Et Guido hæc pluribus confirmat.

Quòd longo item tempore Romana Eccleſia ſecundum quatuor temporum jejunium celebraverit in Pentecoſtes hebdomada, idem ſcriptor demonſtrat: *Beatiſſimus Leo Papa in libro ſermonum quarti menſis jejunium non niſi hebdomada Pentecoſtes* Cap. 15. *celebrandum eſſe denunciavit. Nec hoc tantum in uno ſermone; ſed in pluribus, quos de Pentecoſte in diverſis annis feciſſe legitur. Ibi enim evidentiſſimè docetur ex Apoſtolica traditione hujus jejunii obſervantiam deſcendere, nec diviſam, ſed continuam poſt diem Pentecoſtes celebrari debere. Sed ne aliquis eum hoc de Quadrageſimali jejunio, quod poſt Pentecoſten agitur, non de jejunio quarti menſis præcepiſſe putaret, ſubſequenter decernendo admonet, ut infra eandem hebdomadam quarta & ſexta feria jejunetur, & in Sabbatho apud Sanctum Petrum vigiliæ celebrentur. Quem denuntiationis modum penè in omnibus ſuis ſermonibus obtinuit, cum jejunia quatuor temporum denuntiaret. Nam illa Quadrageſima poſt Pentecoſten non omnibus, ut hoc jejunium, ſed ſolis pœnitentibus imponitur. Nec hoc tantùm triduo infra Pentecoſten, ſed in omnibus triduis, vel etiam diebus ſex hebdomadarum cuſtodiri jubetur. Prætereà idem vir Apoſtolicus in ſermone de jejunio ſeptimi menſis inquit: Jejunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in ſeptimo menſe celebremus. Ubi evidentiſſimè judicavit jejunium quarti menſis nonniſi in hebdomada Pentecoſtes eſſe celebrandum. Si enim iſtud in Junio menſe, ſicut aut autumnale in Septembri, ſemper jejunandum decerneretur, non minùs Junium quàm Septembrem nominare poſſet. Ergò juxta ſententiam hujus Apoſtolici, ſicut autumnale ſemper in Septembri, ita æſtivum in Pentecoſte ſemper celebrare debemus.* Et hunc morem etiam poſteriorum Pontificum authoritate confirmat, atque ita oſtendit dudum, etiam poſt Riculphi Synodum, viguiſſe in Romana Eccleſia.

Quæſtio prima eſt, An Romana Eccleſia iſtum morem nunquam mutarit ac intermiſerit? Partem affirmativam ſuadent adducta Guidonis verba: *Gregorius Papa ſeptimus, cum Apoſtolicæ Sedi præſideret, conſtituit ut jejunium, quod dicitur Martii, in prima hebdomada Quadrageſimæ omni anno celebretur, ſicut & Sancti Patres illud inſtituiſſe leguntur.* Et infra ſcribit idem Guido: *Gregorius Papa ſeptimus conſtituit ut æſtivale jejunium infra octavam Pentecoſtes annuatim celebraretur.* Certè Gregorius non tantùm pro Germanica aut Gallicana, ſed etiam pro Italica, ac ipſa Romana Eccleſia videtur ſanxiſſe. Et de hujus præſertim moribus Guido ſcripſit. Et ultimum, quod pro Romanæ Eccleſiæ antiquo more adduxit, teſtimonium eſt Reſcriptum Gregorii ſecundi, qui per ſuum apud Germanos Apoſtolum Sanctum Bonifacium juſſit ſacros Ordines dari in prima ſeptimana Quadra-

geſi-

geſimæ. Poſteà igitur Romana Eccleſia videtur deſeruiſſe iſtum morem, & admiſiſſe Francorum Canonem, editum à Riculpho Archiepiſcopo in Synodo Moguntina. Nam & aliis Francorum moribus ſe accommodavit. Partem tamen negativam ſuadent hæc ejuſdem Guidonis verba: *Denique jejunium Martii & ante Statutum noſtri Papæ Gregorii, cum aliquando ante Quadrageſimam juxta Moguntiacenſe Concilium eveniret, propter Quadrageſimale tamen officium uſque ad Quadrageſimam differebatur. Incongruum enim eſſet, ut ejuſdem jejunii lectiones, ſpecialiter Quadrageſimam intimantes, & orationes ſuper populum, extra Quadrageſimam dicerentur.*

Hæc debent elucidari. Per Moguntinum Concilium Guido non intelligit ſub Caroli Magni Imperio celebratam à Riculpho Archiepiſcopo Synodum, ſed ſub Conrardi primi Imperio celebratum ab Aribone Archiepiſcopo Concilium, [Lib. 3. cap. 51.] de quo ſcribit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Triburiæ ſecus Moguntiam Imperator Conrardus de diverſis partibus Epiſcopos convocavit, ut quæ utilitatis & Religionis ſunt, ad invicem conferrent. Qui poſt aliqua Dictorum ſuorum habuerunt hoc Capitulum, ut ſi quando jejunium primi menſis in hebdomada, qua conſtat caput jejunii, ſicut ſolet, eveniret, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc moderatiſſimus Paſtor Sanctus Gerardus Cameracenſis Epiſcopus antiquam Patrum conſuetudinem ſervari monebat, & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum pro conſuetudine antiqua cenſebat, cujus oblata ſententia viſa eſt congrua, & ab eis decreta eſt tenenda.* Conſonat Sigebertus Gemblacenſis: *Hoc tempore juſſu Conrardi Imperatoris Regali &* [A. 1030.] *Synodali conventu apud Triburias inter cætera Epiſcopi hoc Capitulum decernere voluerunt, ut ſi quando jejunium primi menſis eveniret infra hebdomadam, qua caput jejunii in quarta feria conſtat, amborum jejuniorum celebritas unius officii expletione compleretur. Sed Gerardus Cameracenſis & pauci cum eo huic multorum Decreto contradicentes obtinuerunt, ut jejunium primi menſis in altera hebdomada, in qua habetur officium, celebretur ſecundùm antiquam conſuetudinem.* Quod ipſum ſcribit Magnum Belgii Chronicon. Prima Quadrageſimæ hebdomada quandoque incidit in Februarium. Antiqui Franci tunc noluerunt celebrare vernum jejunium, ſed diſtulerunt in ſeptimanam, in qua occurrebat prima quarta feria Martii. At verò hæc feria eſt quandoque feria quarta Cinerum. Et tunc antiqui etiam Franci non egerunt iſtud jejunium, ſed diſtulerunt in ſequentem hebdomadam, primam Quadrageſimæ. Quia nempè quatuor temporum officium iſti ſeptimanæ non quadrabat. Mutare hoc voluit Triburienſis Synodus, & deinceps ſimul cum capite jejunii celebrare quatuor tempora. Verùm Sanctus Gerardus interceſſit, provocavit ad reverentiam antiquæ conſuetudinis, & obtinuit cauſam. Hujus authoritate Guido oſtendit primam Quadrageſimæ ſeptimanam ab antiquis etiam Francis fuiſſe judicatam aptiſſimam quatuor temporibus, atque ita ſeptimi Gregorii ſanctionem conatur defendere. Verùm indè non ſequitur quòd Romana Eccleſia ab avito ſuo more non receſſerit. Dumtaxat ſequitur, quòd defenſam à Sancto Gerardo conſuetudinem ſemper tenuerit cum aliis Francorum Eccleſiis.

Secunda quæſtio eſt, Quo tempore & quibus de cauſis Franci induxerint iſtam mutationem? Reſpondeo mutationem inductam à Riculpho Moguntino Archiepiſcopo in ſua adducta Synodo, cujus Canonem confirmavit Magnus Carolus, & inſeruit ſuis Capitularibus. Ego neſcio anterius exordium. Hanc eſſe primam originem ſuadet vox Canonis: *Conſtituimus.* Et certè avitum ſuum morem tunc tenebat Romana Eccleſia. Quomodo Apoſtolus Bonifacius, Romanos mores in Francia plantare ac firmare ſolemniſſimè profeſſus Romæ ad corpus Sancti Petri, præſumpſiſſet prævaricari? Porrò Imperatorem Carolum, Archiepiſcopum Riculphum, ac alios Francorum Epiſcopos & Proceres moverunt variæ rationes. Primam edicit in libello de quibuſdam ad Miſſam ſpectantibus Venerabilis Augienſium Abbas Berno: *Quæſtio tua talis erat, ut ſcire optares, utrumne ſtatim in primo Sabbato* [Cap. 7.] *Martii ſit jejunandum, etiamſi idem menſis quinta, ſexta, aut ſeptima feria incipiat; an ad aliud Sabbatum propter quartam feriam ſit differendum? Ad quod tibi ex conſuetudine Sanctæ Eccleſiæ, quæ pro maxima authoritate tenenda eſt, reſpondeo quòd abſque ulla refragatione ſemper ejuſdem menſis quarta feria debeat exſpectari, quoniam idem jejunium, quod quarta feria incipitur, Sabbato finitur, nequaquam Februario, ſed totum Martio deputetur, ea videlicet ratione, ut in eo menſe primum noſtrum jejunium Domino conſecretur, in quo principium anni, ac ipſa creatio mundi cœpit. Undè iſte terminus firmiter eſt obſervandus, ut nec ante quartum nonas Martii, nec poſt ſextum idus ejuſdem menſis aliquis ſtatuat jejunandum, ſed in his ſeptem diebus ubicumque primùm evenerit, jejunare licitè valebit.* Hoc primum tempus Sanctus Leo, & cum illo omnis Romana Eccleſia paſſim appellat primi menſis jejunium. Hinc Franci cenſuerunt non poſſe celebrari in Februario. Verùm hæc ratio eſt frivola. Ipſam inſigniter refutat Guido Abbas: *Nec mireris hoc jejunium potiùs Martio quàm Februario adſcribi, quamvis in Februario cùm ipſa Quadrageſima nonnumquam occurrat. Semper enim idem jejunium aut Kalendaria aliquando, aut lunationem Martii, aut utrumque ſimul incurrit; Februarii Kalendarium aliquando, lunationem verò nunquam attingit. Ergò multò congruentiùs adſcribitur Martio, quem nunquam relinquit, quàm Februario, quem multoties penitus non attingit. Obſervatur ſanè hoc jejunium cum ipſa Quadrageſima ſecundùm lunationem, ſicut & Paſcha. Undè non incongruè ipſum Martio propter lunationem adſcribitur, quamvis in Februario occurrat. Sicut & Paſcha Aprili ſemper adſcribitur, quamvis in Martio ſæpè contingat.* Notanda ſunt Bernonis verba: *Ex conſuetudine Sanctæ Eccleſiæ, quæ pro maxima authoritate tenenda eſt.*

Alia-

Aliarum, quibus Romana adverſatur, Eccleſiarum conſuetudo eſt parvi ponderis. Proindè Berno Romanam hìc omninò comprehendit. Et aſſerit Francorum conſuetudinem etiam ab ipſa fuiſſe admiſſam.

Pergit Guido, & edicit ac ſolvit ſecundam Francorum rationem: *Nec hoc utique probabili exemplo carebit, ſi ſacrorum Ordinum diſpenſatio nonnumquam fiat in Februario, dum hoc exegerit Quadrageſimalis jejunii permutatio. Nam Reverendiſſimi Patres noſtri, ſanctitate & Apoſtolica autoritate præcipui, videlicet Simplicius, Gelaſius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes feciſſe leguntur. Cùm jam Sancta Romana Eccleſia jejunia quatuor temporum in ordinatione obſervare decreverit, & hoc aliis quoque Eccleſiis ita obſervandum promulgaverit, ergò abſque omni dubio obſervare debemus, undè tam certa Præcepta & exempla Sanctorum Patrum, Apoſtolica authoritate præditorum, ſufficienter habemus, præſertim cùm & faciliùs obſervetur, quod provida antiquitas & authoritas inſtituit, quàm quod inconſiderata novitas & infirmitas adinvenit. Nulli enim dubium eſt, quin faciliùs ſit omni anno idem Martii jejunium in eadem hebdomada cum eiſdem officiis inconfusè celebrare, quàm de hebdomada in hebdomadam non ſine confuſione officiorum, ut multi ſolent, illud annuatim mutare.* Et hæc eſt una rationum, quæ ſeptimum Gregorium permoverunt ad inductam à Francis conſuetudinem circumducendam. Et ut ſacri Ordines non dentur in Februario, nullus antiquus Canon interdixit Latinis Epiſcopis.

Tertiam rationem adducit Amalarius Fortunatus, & eandem ſtabilire ſtudet Abbas Berno. Chriſti Domini ex Patriarcha Abraham origo apud Sanctum Matthæum conſtat tribus claſſibus quatuordecim generationum: Et in tertia claſſe non exprimuntur niſi generationes tredecim. Eſt Sacramentum. Et ipſum in Clericorum conſecrationibus Francorum Epiſcopi cenſuerunt repræſentandum. Audiamus Amalarium: *Per tres Teſſeradecades annuales fiunt hebdomadæ* Lib. 2 cap. 1. *quadraginta duæ. Tot generationes ſecundùm Matthæum Chriſti ſunt cum ipſo. Tot etiam hebdomadæ inveniuntur à primo Sabbatho primi menſis uſque ad quartum Sabbathum decimi menſis.* Et hæ ſeptimanæ ſunt exordium & finis ſacrarum ordinationum. A primo Sabbatho Martii uſque ad ſecundum Junii, & ab hoc uſque ad tertium Septembris ſunt ſeptimanæ quatuordecim, & à tertio iſto Sabbatho uſque ad quartum Sabbathum Decembris ſunt quandoque quatuordecim hebdomadæ, quandoque dumtaxat tredecim. Hæc Amalarius & Berno applicant Chriſti Domini ex Abraham generationibus repræſentandis. Applicatio nequit exponi uno verbo: Apud ipſos videatur. Et ad ipſam rectè reſpondet Guido Abbas: *In hac cauſa Amalarius non adeò notandus eſt, qui non tam aliquam conſuetudinem inſtituere, quàm de inſtituta competentem aliquam figuram elicere cenſuerit.* Affirmat hanc rationem non fuiſſe attentam à Moguntina Riculphi Archiepiſcopi Synodo, ſed poſtea ab Amalario adinventam. Et addit ipſam non eſſe firmam. Quoniam ſingulis annis inter primum Martii ac ſecundum Junii, item inter ſecundum Junii & tertium Septembris Sabbathum non ſunt ſemper quatuordecim ſeptimanæ. Lib. 10. cap. 27. Abbas Rupertus rectè aſſerit eſſe novam & parvi ponderis allegoriam.

Quæſtio tertia eſt, An Romanorum antiquus & Francorum novus circa hæc jejunia mos differant quoad ſolum primum menſem? Reſpondeo diſtuliſſe etiam circa menſem Junium. Etenim Romana olim Eccleſia ſemper in Pentecoſtes hebdomada, Franci autem quandoque ante, quandoque poſt Pentecoſten celebrarunt iſtud jejunium. Et in ſua novitate non fuere conſtantes. Scribit enim Abbas Berno: *Sicut præveniendo iſtud*, quartum Decembris Sabbathum, *anticipamus, ita ſecundum ſabbathum menſis Junii,* Cap. 7. *cùm Vigilia Pentecoſtes ſic provenerit, prolongando in proximum differimus, licet noſtri Anteceſſores, utrumque in ipſa Vigilia ſancta ſimul celebrarent, ſicut à prætitulatione librorum evidens habemus teſtimonium. Quid adeò opus eſt nunc inquiri, quod tam longo tempore cœpit dediſci? Attamen ne hujuſmodi ſcientia frauderis, talis inſcriptio ſuper hac re habetur in libris.* Ex antiquis Ritualibus demonſtrat Junii jejunium, dum ita anni revolutio juberet, ab antiquis Francis fuiſſe ſervatum in ſeptimana ante Pentecoſten, atque ita Pentecoſtes vigiliam & iſtius jejunii Sabbathum concurriſſe. Et adjungit: *Qui mos uſque hodie, ut compertum habemus, in ſancta ſervatur Romana Eccleſia.* Ex quibus verbis lucet, quòd Romana Eccleſia avitum ſuum morem deſeruerit, & ſit amplexa morem Francorum. Nam & in decantando ad Miſſarum ſolemnia Symbolo, & tandem etiam in admittendo ipſius additamento Francicum, cui dudum fortiſſimè reſtiterat, eſt morem amplexa. Ex amore unanimitatis in ritibus Eccleſiaſticis.

De decimi menſis jejunio hæc ex Amalario habet Berno: *Clericorum conſecratio habet finem in Nativitate Chriſti, ſicut quorundam Italorum, neſcio an omnium, adhuc mos eſt agere, ut ego ipſe ibidem poſitus cognovi. Sed uſus in noſtris Eccleſiis excrevit, ut in anteriori hebdomada anticipetur. Quia illa duo officia jejunii & Natalis Domini non conveniunt ſimul celebrari.* Et infrà: *Quòd ſi vigilia Natalis Domini in Sabbatho venerit, in hebdomada priori iſtud jejunium decet anticipari.* Agit de iſtis annis qui Dominicæ Nativitatis feſtum habent in Dominica aut in ſecunda feria. Et hinc plura addiſcimus. Primò, quòd iſtius feſtivitatis vigilia olim non fuerit celebrata in die Dominico. Etiam apud Romanos. Secundò, quòd iſtius tunc menſis jejunium fieret in ſecunda hebdomada menſis. Quoties nempè feſtum caderet in ſecundam feriam. Tertiò, quòd Bernonis etiam tempore ſic fieret. Et erat res incongrua. Quartò diſcimus, quòd ad iſtud incommodum evitandum Romana Eccleſia illam vigiliam cœperit celebrare in Dominica. Exiſtimo hoc inductum etiam à ſeptimo Gregorio.

Et hæc ferè omnia Aribo Archiepiſcopus Moguntinus & Sanctus Imperator Henricus confirmarunt in Salegunſtadienſi Synodo: *De incerto jejunio quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus,*

mus, ut ſi Kalendæ Martii in quarta feria ſive anteà evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam aut ſextam, aut Sabbathum diſtenduntur, in ſequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo ſi Kalendæ Junii in quartam feriam aut antea evenerint, in ſubſequente hebdomada jejunium *celebretur. Et ſi in quintam aut ſextam, aut Sabbathum contigerit,* jejunium *in tertiam hebdomadam reſervetur. Et hoc ſciendum eſt, quòd ſi quando* jejunium *menſis Junii in vigilia Pentecoſtes ſecundùm prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolemni Pentecoſtes. Et tunc propter ſolemnitatem Spiritus Sancti Diacones Dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur, & Flectamus genua non dicatur. Eodem modo de Septembris* jejunio *conſtitutum eſt, ut ſi Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint aut antea,* jejunium *in tertia hebdomada celebretur. Et ſi in quinta aut ſexta, aut Sabbatho contigerit, in quarta hebdomada erit* jejunandum*. In Decembri illud obſervandum erit, ut proximo Sabbatho ante vigiliam Natalis Domini celebretur* jejunium*. Quia ſi vigilia in Sabbatho evenerit, ſimul vigiliam &* jejunium *celebrare non convenit.* Notandæ ſunt voces: *De incerto* jejunio. Edicunt multam circa hæc jejunia varietatem, & nata inde incommoda quibuſdam tunc Epiſcopis diſplicuiſſe. Iſta interim Synodus cenſuit nihil eſſe immutandum. Et hinc de ipſa ſcribit Guido Abbas: *Nullum commoveat, quòd tempore ſecundi Henrici Imperatoris duodecim Epiſcopi Moguntiæ congregati aliter de hoc* jejunio *ſtatuiſſe leguntur. Cum enim apud ipſos non modica varietas de hujuſmodi* jejuniis *accideret, eò quòd antiquam Sanctorum Patrum traditionem de hac re minùs attenderent, pro hujuſmodi confuſione corrigenda hanc ſibi regulam propoſuerunt.* Uti Triburia, ita & Salegunſtadium ſunt loca ſuburbana Moguntiæ: Hinc celebratas ibi Synodos Guido appellat Moguntinas. Salegunſtadienſis videtur apud multos fuiſſe magnæ authoritatis.

Ex iſtis itaque circa hæc jejunia varietatibus nata incommoda conſiderans ſeptimus Gregorius reduxit avitum Romanæ Eccleſiæ morem, inductam à Moguntina Riculphi Archiepiſcopi Synodo novitatem ſuppreſſit, & ſanxit iſta jejunia juxta antiquum morem ab omni Latina Eccleſia celebrari. Et Guido addit: *Quod Conſtitutum ſapientioribus reverentia Sedis Apoſtolicæ facilè perſua-* Cap. 25. *ſit, ſimplicioribus autem nonnulla dubitatio ſuper hujus Statuti promulgatione remanſit. Nam non parum à conſuetudine eorum diſcrepat, quam à quibuſdam Scriptis non adeo Authenticis mutuaverunt, id eſt, à Moguntiacenſi Concilio, tempore Henrici ſecundi Imperatoris facto.* Præcipua igitur oppoſitio provenit à Germaniæ Epiſcopis & Clericis. Hi Salegunſtadienſis Concilii authoritatem noluerunt circumſcribi aut aboleri. Et hinc in præſenti Syno Otho Hoſtienſis Epiſcopus, & in ſua Synodo Geberardus Conſtantienſis Antiſtes, Apoſtolicæ Sedis per Germaniam Legati, Gregorii Decretum innovarunt. Et de Northuenſi, quam ſub Henrici quinti Imperio idem Geberardus cum Ruthardo Moguntino Archiepiſcopo, & ſuo in Paſchalis ſecundi legatione Collega celebravit, Synodo habet Conrardus Abbas Uſpergenſis: A. 1051. *Jejunium menſis Martii in hebdomada Quadrageſimæ,* jejunium *verò menſis Junii in ipſa Pentecoſtes hebdomada celebrandum more Romano, Apoſtolica authoritate indicitur.* Eodem tempore in Germania vixit & ſcripſit Rupertus Abbas: Et inſinuat Gregorii, quod eximiè laudat, Decretum tunc necdum à cunctis fuiſſe admiſſum. Et notanda ſunt hæc ejus verba de Junii intra Pentecoſtes Octavam celebrando jejunio: *Nec contriſtat, aut obſcurat, ſed magis illuſtrat* jejuniorum *obſervantia illam de adventu Spiritus Sancti ſolemnitatem.* Edicunt quoſdam cenſuiſſe Pentecoſtale feſtum eſſe Quinquageſimæ complementum, ideoque illius etiam Octavæ adverſari jejunium. At ſine fundamento. Etenim in ipſo Pentecoſtes feſto completur Quinquageſima. Et hinc apud Græcos Pentecoſtes eſt feſtum mæroris ac pœnitentiæ. Sapientiſſimum Gregorii Decretum tandem admiſit omnis Eccleſia. Nam circa Ruperti tempus in Gallia floruit Honorius Auguſtodunenſis: Et hic in animæ Gemma lucidè ſupponit ipſum ſuo tempore per omnem Galliam viguiſſe. Nempe ipſum in omni Gallia plantarat Synodus Claromontana. Lib. 3. cap. 155.

Quarta quæſtio eſt, Qua in Synodo Gregorius hoc Decretum emiſerit? Reſpondeo emiſiſſe in ſua ſexta Synodo. Etenim ad annum iſtius ſæculi ſeptuageſimum nonum, in quo habita fuit iſta Synodus, ſcribit Auguſtenſis Eccleſiæ Chronicon: *De quatuor temporum* jejunio *ſchiſma novum contra Decreta Pontificum, & contra Eccleſiaſticam conſuetudinem exoritur, ſed à prudentibus refellitur.* Voces, *Contra Decreta Pontificum*, oſtendunt Francicum morem etiam à Romana Eccleſia fuiſſe admiſſum. Porrò prudentes illud adeò non perrexerunt refellere, ut ipſum magna Claromontana Synodus admiſerit & firmarit. Nempe Canonem, quem Otho adhuc Cardinalis fecerat in præſenti Synodo, jam in ſecundum Urbanum exaltatus in iſta generali Synodo innovavit & ſtabilivit. Poſt Northuſienſem Synodum à nemine, etiam in ipſa Germania, ſcio illum fuiſſe impugnatum aut refutatum. De ſex Lectionibus, quæ in quatuor temporum Sabbathis leguntur ad Miſſam, nolim omittere verba Bernonis Abbatis: *Sex lectiones ab antiquis Romanis Græcè & Latinè legebantur. Qui mos apud Con-* Cap. 7. *ſtantinopolim hodie quoque ſervatur propter duas cauſas. Unam, quia aderant Græci, quibus ignota erat Latina lingua, aderantque Latini, quibus Græca erat ignota. Alteram quoque propter unanimitatem utriuſque populi.* Berno floruit ac ſcripſit ſub undecimi ſæculi exordium, paucis annis ante Michaelem Cerularium. Et hinc ex iſtis ejus verbis lucet, quod uſque ad iſtum Michaelem plena pax inter Latinam & Græcam Eccleſias viguerit.

CANON X.

ITem ne quis caſeum & ova comedat in Quadrageſima.

SCHOLION.

INter calumnias, quas Romanæ & omni Latinæ Eccleſiæ improperavit, & quarum cauſa blateravit eſſe à nobis amiſſam Chriſtianitatem Photius Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitanus, fuit & hæc: *Reprehendere nos moliuntur Græci, eò quòd ſeptem ante Paſcha hebdomadibus à caſei & ovorum eſu, more ſuo, non ceſſemus.* Ita ad Hincmarum Rhemenſem, & alios Gallicanos Epiſcopos ſcripſit Nicolaus primus Pontifex.
Ep. 70. Et reſpondit ad calumniam: *Aut falſa ſunt quæ nobis impingere moliuntur, aut certè jam à priſco tempore ſine cujuſpiam contradictione in Eccleſia Romana, immo in tota Occidentali parte hactenus cuſtodita.* Affirmat diverſarum regionum eſſe diverſas conſuetudines: Et harum unamquamque eſſe rationabilem, ideoque irreprehenſibilem. Quod præſertim de Quadrageſimæ cibis & aliis ejuſdem obſervantiis eſſe verum tam apud Græcos quàm apud Latinos, inſigniter demonſtrat in opere adversùm Græcos Ratramnus Monachus Corbejenſis. Et ſanè quòd omnis Latina Eccleſia per Quadrageſimam non abſtineat ab ovis & caſeo, eſt manifeſta impoſtura. Latina Eccleſia habet vaſtiſſimas ac diverſiſſimè temperatas regiones: Hinc illæ etiam habent varios cibos. Hic interim Canon docet, quòd olim Germania per Quadrageſimam non tantum ab ovis abſtinuerit, ſed etiam à caſeo. Quòd tamen iſte non ſit mos antiquiſſimus, in opere adversùs Græcorum calumnias docet Æneas Epiſcopus Pariſienſis: *Germania etiam à lactis, butyri, caſei, & ovorum eſu per totam Quadrageſimam generaliter non abſtinet.* F. 85. Germania eſt populoſiſſima, remota à mari, & ejus flumina ſufficientes piſces non poſſunt ſubminiſtrare.

CANON XI.

ITem Synodali judicio confirmata & laudata eſt ordinatio Domini Geberardi Conſtantienſis Epiſcopi. Immò omnia, quæ præfatus Apoſtolicæ Sedis Legatus, cum eſſet Conſtantiæ, ordinavit.

SCHOLION.

OTho Conſtantienſis Epiſcopus ſucceſſit Carolo ob Simoniam degradato, & de ipſo ſcribit iſtius Eccleſiæ Chronicon: *Otho è Gozlar civitate Saxoniæ, anno Domini milleſimo ſeptuageſimo primo fit Antiſtes. Ad quod Henricus Imperator hujus nominis quartus, dum id perciperet, dixit: Collegium Conſtantienſe noluit Præſulem idoneum, ſupradictum Carolum denotando, habere, capiat igitur hunc ſtultum Othonem in Epiſcopum. Hic denique Epiſcopus contra Summi Pontificis Gregorii ſeptimi mandatum dicti Henrici partes fovit. Quapropter excommunicatus eſt in exilium miſſus, & anno Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto propter Henrici excommunicationem honore Epiſcopali deſtitutus, & indè poſt duos annos in excommunicatione mortuus, & Baſileæ ſepultus. Præſedit annis fortè tribus, reliquos in exilio contrivit.* Conſonat Lambertus Schafnaburgenſis: *Epiſcopatum Conſtantienſem Rex Othoni Canonico Gozlarienſi dedit, recentiſque calumniæ exemplo conterritus, confeſtim eum conſecrari fecit. Ne quis ſcilicet adversùs eum ſcrupulus denuò per dilationem orìretur.* Recens exemplum erat Anteceſſor Carolus, quem ab eodem Rege nominatum Conſtantienſis Clerus apud Papam Gregorium accuſaverat & convicerat de Simonia, atque ita impetrarat excuti & damnari. Lambertus palàm inſinuat etiam Othonem fuiſſe Simoniacè intruſum.

Adductum Chronicon errat ipſum ſeptuageſimo quarto iſtius ſæculi anno fuiſſe degradatum. Etenim iſto anno ſcripta eſt epiſtola, qua Gregorius Sigefridum Metropolitam Moguntinum, ejus Suffraganeos, ac nominatim Othonem Conſtantienſem invitat ad Romanam Synodum, celebrandam in prima ſeptimana proximæ Quadrageſimæ. Epiſtola ſcripta eſt ſecundo nonas Decembris, ideoque iſta Synodus fuit celebrata anno ſeptuageſimo quinto. Lib. 2. epiſt. 29. Ejuſdem anni menſe Martio ſcripta eſt alia epiſtola, qua Othonem Gregorius hortatur, ut ſuas cum Augienſi Abbate quæſtiones pacificè componat, & adjungit; *Quod ſi peccatis facientibus id fieri nequeat, commonitos vos eſſe volumus, ut circa feſtivitatem omnium Sanctorum ambo Apoſtolorum limina veniatis, quatenus cauſam veſtram diſcutiamus, & diuturnam diſcordiam juſto fine decidamus.* Ep. 60. Quocirca toto illo anno Otho fuit integer Epiſcopus. Anno ſeptuageſimo octavo quintam ſuam Synodum celebravit Gregorius, & omnem illic Epiſcopum, qui ſui majoris Cleri ſacrilega conjugia permitteret aut diſſimularet, ſuſpendit ab Epiſcopali officio. Et ad iſtum

annum

annum ſcribit Hugo Abbas Flaviniacenſis de Henricianis in Germania Epiſcopis : *Præcepta Sedis Apoſtolicæ parvi pendere non timuerunt, & ſe non Paſtores ovium, ſed mercenarios evidenti judicio probaverunt. Conſtantienſis hic unus eorum Otho dicebatur Epiſcopus, quem de hujuſmodi auſu temerario Romani Pontificis corripuit authoritas, mittens ei & Archiepiſcopo Moguntino litteras, quas cùm Otho parvi pendiſſet, obſtinatam ejus animoſitatem Papa corripuit ſecundò, miſſis litteris in hæc verba.* Hæc eſt litterarum epigraphe : *Gregorius ſervus ſervorum Dei Othoni Conſtantienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Et concluſio habet : *Quapropter tibi Apoſtolica authoritate præcipimus, ut ad proximam Synodum noſtram prima hebdomada Quadrageſimæ te præſentem exhibeas, tam de hac inobedientia & Apoſtolicæ Sedis contemptu, quàm de omnibus, quæ tibi objiciuntur, Canonicè reſponſurus.* Proindè iſto tempore Otho necdum erat degradatus. Anno ſeptuageſimo nono Pontifex Hirgauzienſi Monaſterio dedit ampla privilegia, & in datis ad Guilielmum Abbatem litteris adjunxit : *Adjicimus ut ſi aliquo tempore Conſtantienſi Eccleſiæ Præſidens ab Apoſtolica Sede diſcordarit, atque inobediens fuerit, liceat Abbati, ſibi ſuiſque à quocumque Religioſo Antiſtite placuerit, Ordinationes expetere atque ſuſcipere.* Hæc clauſula omninò notat Othonem, atque ita ille videtur tunc quidem fuiſſe contumax in Apoſtolicam Sedem, attamen Conſtantienſi Eccleſiæ adhuc præſediſſe. Degradationis ejus annum & diem ignoro.

Hæc poſſunt lucem accipere à Lamberto Schafnaburgenſi. Ad annum iſtius ſæculi ſeptuageſimum ſextum exponit tertiam Gregorii Synodum, oſtendit Henricum Regem cum quibuſdam Epiſcopis ac Proceribus fuiſſe iſtic excommunicatum, atque adjungit : *Porrò Othonem Ratisbonenſem Epiſcopum, & Othonem Conſtantienſem Epiſcopum, & Burchardum Loſannenſem Epiſcopum, quibus Rex potiſſimùm Conſiliariis utebatur, Pontifex jam pridem excommunicaverat.* Exiſtimo quòd Conſtantienſe Chronicon hanc excommunicationem appellet Othonis deſtitutionem ab Epiſcopali officio. Quidquid ſit, hæc poſtmodò fuit ablata. Haud dubiè apud Canuſium, ubi & Henricum abſolvit Gregorius. Et non niſi poſt annos Otho fuit degradatus. Nec tantummodo ob præſtitum impio Regi favorem, ſed etiam ob pertinacem adversùs ſanctiſſima Gregorii in Simoniacos & conjugatos Clericos Decreta contumaciam fuit ita percuſſus. Lucet ex laudatis per Hugonem Flaviniacenſem Papalibus ad ipſum litteris : *Tibi, cui eſt plurimus Conſtantienſis Eccleſiæ Clerus & populus ampliſſimè dilatatus, ſpeciales litteras credere bulla noſtra impreſſas collibuit, quali fultus authoritate tutiùs animoſiuſque Præceptis noſtris obtemperares, & de Sanctuario Domini hæreſim Simoniacam & fœdam libidinoſæ contagionis pollutionem expelleres.* Hìc laudatam epiſtolam habes apud Anonymum ac eruditum noſtri Gregorii Apologum. Sua Decreta eſſe ex Apoſtolicis ac avitis Canonibus hauſta demonſtrat Gregorius, ac pergit : *Cùm hæc omnia Paſtorali providentia obſervanda tranſmitteremus, tu non ſurſum cor, ſed deorſum in terra ponens, prædictis Ordinibus,* utique ſacrorum Clericorum, *ſicut accepimus, libidinis frœna laxaſti, ut qui mulierculis ſe junxerant, in flagitio perſiſterent, & qui necdum duxerant, tua Interdicta non timerent. O impudentiam, o audaciam ſingularem! Videlicet Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Decreta convellere, Præcepta ſanctorum Patrum contemnere, immò verò Præceptis contraria, & fidei Chriſtianæ repugnantia de ſuperiori loco, & de Cathedra Pontificali ſubjectis ingerere.* Quæ omnia Gregorius itidem exaggerat in litteris ad Clerum & populum Conſtantienſis Eccleſiæ. Ob hæc igitur crimina Otho fuit tandem degradatus.

Pergit Conſtantienſis Eccleſiæ Chronicon : *Circa dicti Othonis Epiſcopi tempora magnum in Imperio ſchiſma erat. Henrici demeritis exigentibus, certi Principes Imperii, Gregorii ſummi Pontificis conſenſu, contra Henricum elegerunt Rudolphum de nobiliſſimo Principum Habſpurch genere, Ducem Sueviæ. Erat etiam ſchiſma in Eccleſia, quia dictus Henricus, contra præfatum Gregorium intruſit alium, videlicet Guibertum, quem Gregorius maledictionis & excommunicationis ſententia condemnavit.* Mutilus textus ſic eſt ſupplendus. *Et pro hujuſmodi ſententiæ executione duo Legati, videlicet Udalricus Albanenſis Epiſcopus, & Otho Oſtienſis Epiſcopus, qui undique ſententiam hanc publicarent, miſſi ſunt. Et circa illa tempora duo etiam Conſtantienſes Epiſcopi eliguntur. Primus nomine Rupertus, ſecundus Bertholdus, Canonicus in Boncham : Quorum neuter permanet. Quare vera & legitima electio Geberardum Ducem de Zuringhen, Monachum in Hirzgau, attigit, ut ſequitur. Geberardus Dux de Zuringhen, Conventualis in Hirzgau, trigeſimus ſextus anno Domini milleſimo octogeſimo quinto Epiſcopus creatur. Nam cùm ante dictus Otho Oſtienſis Epiſcopus Conſtantiam veniens intelligeret Diœceſim hujuſmodi propter Othonis quondam demerita viduatam, & maximo in mœrore ſtatutam eſſe, ipſe cum nonnullis maturis viris atque Patribus conſilio inito, de alio Eccleſiæ ſponſo tractare cœpit. Aderat tunc & religioſus Pater Guilielmus Abbas in Hirzgau, vir ſiquidem doctrina, moribus, & religione præſtans : & cum eo dictus Geberardus, vir multùm devotus. Itaque dum inter eligendum Reverendi Patres, quilibet juxta ſuæ conſcientiæ exigentiam, de utili Paſtore, ſeu Eccleſiæ ſponſo eligendo conſulerent, tandem ſancti Spiritus inſtinctu dictus Geberardus eſt unanimi voto electus. Quod cum ei apud altare Beatæ Virginis Mariæ oranti inſinuaretur, ipſe in tantùm ſtupefactus eſt, ut in terram cadens tanquam mortuus ampliùs penitùs neſciret loqui. Sed Divina aſſiſtente gratia reſuſcitatus, decima tertia menſis Decembris Sacerdos, & immediatè ſubſequenti die Epiſcopus ordinatur. Et præſedit annis ſeptemdecim.* Itaque Cardinalis Otho diſcordem de Ruperto & Bertholdo electionem caſſavit, indixit novam electionem, & electum Geberardum Apoſtolica authoritate conſecravit. Porrò iſtud Chronicon rursùs miſcet vera falſis. Primus error eſt, quòd Rudolphus Dux fuerit de Gregorii conſilio electus in Regem. Gregorius enim frequenter & ſanctè proteſtatus eſt ſe iſtius electionis fuiſſe penitùs ignarum. Alter error eſt quòd

Otho

Otho habuerit Collegam Udalricum Albanenſem Epiſcopum. Etenim Petrus Igneus erat tunc Albanenſis Epiſcopus. Quòd ad iſtius ſæculi annum octogeſimum octavum vixerit, diſertè ſcribit Conrardus Abbas Uſpergenſis. Et quòd hoc tempore non in Germania, ſed in Gallia egerit Gregorii Legatum, ſuprà nobis dixit Bertholdus Conſtantienſis. Et quòd ſolus Otho præſederit huic Synodo, habent Acta Synodalia.

Audiamus quid hac de re ſcribat in libro de unitate Eccleſiæ Venericus Vercellenſis Epiſcopus. Hildebrandum Papam accuſat de multis Apoſtolicæ poteſtatis exceſſibus, addit ipſum
Fol. 73. exinde Papatu exutum, & proſequitur: *Ecce Hildebrandus Colonienſem Eccleſiam ſuis privilegiis ſpoliavit, qui Hartuico Magdeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo hoc conceſſit, & hoc juſſit, ut terminos Patrum tranſgrediendo invaderet Parochiam alterius Metropolitani Epiſcopi, & ordinaret Epiſcopum quendam Reginhardum in Mindenſi Eccleſia, ad contemptum & injuriam Seguini Colonienſis Archiepiſcopi. Hoc etiam exemplo Otho Epiſcopus Oſtiæ Moguntinam Eccleſiam ſuis privilegiis ſpoliavit, atque ipſe tranſgrediendo ſimul terminos Patrum, Parochiam Metropolitani Epiſcopi invaſit, & ad contemptum atque injuriam VVizelini Moguntini Archiepiſcopi Geberardum quendam in Conſtantienſi Eccleſia Epiſcopum ordinavit, cum adhuc etiam vixiſſet Otho Epiſcopus ipſius Conſtantienſis Eccleſiæ. Sed jam pridem ab ea expulſus eſt, quia noluit in parte Hildebrandi eſſe, & eſſe communionis externæ. Sic verò ſanctorum Canonum regulæ cuſtodiuntur, & obſervari mandantur, vel ab Hildebrando, vel ab Othone.* Utique Oſtienſi Epiſcopo. Quòd nullus Metropolita aut Primas alienæ Provinciæ Epiſcopales conſecrationes poſſit invadere, oſtendit etiam infrà ex Sancti Papæ Calixti Iſidorianis Decretis, affirmat ut exceſſum damnari ab omni Eccleſia, atque proſequitur:
Fol. 77. *Quod & factum eſt de Hartuico Magdeburgenſi Epiſcopo. Quia Seguinus Colonienſis Epiſcopus damnavit eum, conſentiente in idipſum Comprovincialium Epiſcoporum judicio, poſtquam nullo modo potuit adduci ut ſatisfacere vellet Eccleſiæ pro injuſta ordinatione cujuſdam Reginardi in Epiſcopatu Mindenſi. Prætendebat autem ille Hartuicus poteſtatem ſui Gregorii Papæ, quæ talem ſibi poſſet concedere ordinationem juxta authoritatem Sedis Apoſtolicæ, ideoque ſibi curæ non eſſe ſuper aliquorum vel vocatione vel damnatione. Ecce apponit peccatum ſuper peccatum, & juſtæ damnationi addit pariter Eccleſiaſticæ vocationis & regularis diſciplinæ contemptum. Igitur præter illam damnationem damnatus eſt cum cæteris Gregorii communionem retinentibus Epiſcopis in Moguntiacenſi Synodo, jubente id fieri Apoſtolica Sede, cùm nollet reverti ad pacem & concordiam Catholicæ Eccleſiæ.* Per Apoſtolicam Sedem intelligit Guibertum. Et ex iſtis verbis item diſcimus aliquid ſpectans ad Moguntinum latrocinium. Cardinalis Otho poſteà evectus fuit in Urbanum ſecundum, ſub ejus Papatu virulentum hunc librum ſcripſit Venericus, blateravit illum eſſe ſacrilegum, & edixit cauſam: *Furatus eſt Eccleſiarum privilegia, ordinationes faciens in alienis Parochiis contra ſanctorum Canonum Decreta, ut ejuſmodi ſacrilegii exemplo aditus januaque pandatur omnibus hæreticis, ſi talis fuerit non Paſtor, ſed invaſor Sedis Apoſtolicæ, qualis certè fur fuit & Hildebrandus, qui & præcipiens aut conſentiens illicitas atque furtivas ordinationes fieri in Metropolitanorum Epiſcoporum Parochiis, ſpoliavit Eccleſias ſuis privilegiis.* Hinc denuò affirmat Gregorium fuiſſe Papatu juſtè ejectum.

Affirmat varia. Primò, quòd Romanus Pontifex, ad morem cujuſque alterius Metropolitæ, alienæ Provinciæ Epiſcopales conſecrationes non poſſit invadere, peragere, aut delegare. Secundò, quòd eas nec ſuis Legatis delegare poſſit. Tertiò, quòd tales conſecrationes ſint illegitimæ atque furtivæ, quoniam hoc ipſum ſenſerunt & Guibertus Anti-Papa & ejus Moguntinum latrocinium. Hoc enim ex illius Præcepto ob ſimilem exceſſum damnavit Hartuicum Archiepiſcopum Magdeburgenſem: Damnatum anteà à Synodo Seguini Archiepiſcopi Colonienſis. Et certè Anti-Papæ, ut ſuis factioſis placeant, & ipſos in ſua factione firment, conſueverunt Apoſtolicæ Sedis non tantùm Decreta, ſed & privilegia prævaricari. Quartò, Venericus Othonem Legatum damnat ob eundem exceſſum. Quintò, addit & alium ejus exceſſum. Quòd nempè vivo, & ob juſtam cauſam exuli Othoni Conſtantienſi Epiſcopo ſuperordinaſſet. Et hæc omnia, quòd aliqui etiam Catholici de ipſis ceſpitarent, diſcuſſit præſens Synodus, ac tandem cuncta Cardinalis Othonis apud Conſtantienſem Eccleſiam Geſta probavit, rata habuit, confirmavit. Etiam caſſationem electionis factæ de Ruperto ac Berrholdo. Etiam publicata Gregorii adverſùm Simoniacos & conjugatos Clericos Decreta. Quin Cardinalis Otho eadem publicarit ac in executionem miſerit, non eſt dubitandum. Porrò Reginardus vel Raymundus, quem ex Gregorii juſſu conſecravit Hartuicus Magdeburgenſis, fuit decimus octavus Mindenſis Epiſcopus, ac de ipſo ſcribit Mindenſis Eccleſiæ Chronicon: *Sub iſto Epiſcopo ſucceſſor Folmarus Sedem Epiſcopalem frivolè invaſit.* Nempè intruſus per Seguini Colonienſis Archiepiſcopi Pſeudo-Synodum, auſam degradare Hartuicum Magdeburgenſem. Interim dicto Reginardo ad iſtius ſæculi annum octogeſimum octavum ſucceſſit Folmarus, & Chronicon pergit: *Iſte Epiſcopus propter frivolam invaſionem Epiſcopalis Sedis, ut aſſeritur, à Sancto Gorgonio Martyre & Patrono hujus Eccleſiæ eſt occiſus circa annum milleſimum nonageſimum quartum. Et ideò memoria illius fieri non conſuevit. Accidit enim, ut eadem nocte, qua Folmarus occiſus eſt, beatus Gorgonius cuſtodibus majoris Eccleſiæ appareret, imperans ut ſignum pro mortuo Epiſcopo facerent. Illis autem credere nolentibus, oſtendit eis pro inſigni pallam altaris cruentatam & ſanguinolentam, in qua gladium occiſionis abſterſerat. Quæ multis annis poſteà pro miraculo ſervabatur. Qui ſtatim ſurgentes omnia eis imperata fideliter & cum timore perfecerunt.* Ita Divina Majeſtas noſtrii Gregorii Acta confirmavit etiam miraculis. Et ejus rebelles horrendè caſtigavit.

DISSERTATIO

An Romanus Pontifex poſſit omnibus ſub cœlo Eccleſiis conſecrare, aut conſecrandos jubere Epiſcopos?

CAPUT I.

Exponitur ſtatus quæſtionis.

QUòd Romanus Epiſcopus ex quavis, ac in quavis, etiam ad alium Patriarchatum ſpectante, Eccleſia poſſit ordinare Clericos, ſupra demonſtratum eſt in Scholiis ad noſtri Gregorii Dictatum. Quæſtio nunc eſt de conſecrandis Epiſcopis. Et quidem quòd audacia,qua alii Metropolitæ aut Patriarchæ invadunt mutuas conſecrationes, repugnat Apoſtolico Canoni, & olim plurimis litibus vexaverit Eccleſias, eſt cunctis Eccleſiaſticam Hierarchiam callentibus manifeſtum. Porrò Romanum Epiſcopum contingere videtur ſextus Canon Nicænus: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* Adversùm Meletii Lycopolitani Metropolitæ invaſiones mandat cunctos totius Ægyptiacæ Diœceſis non tantùm Metropolitanos, ſed etiam Provinciales Epiſcopos deinceps conſecrari per Alexandriæ Patriarcham. Sanxit Metropolitis nullam comſecrationem competere. Addit hanc eſſe avitam conſuetudinem. Eſt ſingularis conſuetudo. Aliis enim in Diœceſibus Metropolita paſſim conſecrat ſuos ſuffraganeos. Et quidam cenſent etiam iſtud fieri ex Apoſtolico Canone. Ægyptiacæ ſingularitatis originem & fundamentum aperit in ſuæ Eccleſiæ Chronico Eutychius Patriarcha Alexandrinus: *Ab Anania, quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque ad tempora Demetrii, undecimi ibidem Patriarchæ nullus in Ægypti Provinciis fuit Epiſcopus, nec ante eum Patriarchæ crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos. Et primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuò Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.* Et Demetrius & Heraclas hos Epiſcopatus erexerunt ſalvis ſuæ Eccleſiæ juribus: Salvis ſibi omnibus conſecrationibus. Porrò hæc adducti Canonis verba, *Quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*, Presbyter Ruffinus affirmat intelligenda de ſolis Apoſtolicæ Cathedræ ſuburbicariis Eccleſiis. Affirmat iſtud conſecrandi jus per totam Ægyptum à Canone adſcribi Alexandrino Patriarchæ, quod Romanus Papa habet per ſuas ſuburbicarias Eccleſias. Quid hæ ſint, non eſt operosè diſputandum, nec inquirendum ex ſuburbicariis Romani Imperii Provinciis: Sunt Romanæ Eccleſiæ Metropolitica Provincia, omnes civitates ſpectantes ad Metropoliticam Romani Epiſcopi poteſtatem. Canon affirmat eandem in omnes Ægypti Epiſcopos poteſtatem Alexandrino Epiſcopo deberi per antiquam conſuetudinem, quæ eſt Romano Pontifici in ſuos ſuburbicarios Epiſcopos. Hinc ſimul affirmat hoſce ſolos ſpectare ad conſecrationem Pontificis. Hanc eſſe vetuſtam conſuetudinem. Et hinc aliqui cenſent aliorum in Romano etiam Patriarchatu Epiſcoporum conſecrationem non poſſe attentari à Pontifice.

Ita ſenſiſſe videtur Sanctus Hilarius Arelatenſis Archiepiſcopus in ſua famoſa lite cum Magno Papa Leone. Quin & ipſe Papa Leo videtur non diſſenſiſſe. Scripſit enim ad Viennenſis Provinciæ Epiſcopos: *Non nobis ordinationes veſtrarum Provinciarum defendimus, quod poteſt forſitan* Ep. 89. cap. 8. *ad depravandos veſtræ Sanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri, ſed vobis per noſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præſumptioni locus ultra jam pateat Privile-*

gia

gia veſtra caſſandi. Noſtræ enim gratulationi hoc ſolum creſcere profitemur, ſi Apoſtolicæ Sedis diligentia apud vos illibata ſervatur, & per Sacerdotalis diſciplinæ concordiam honori veſtro perire, quod ſuum eſt, improbis uſurpationibus non ſinamus. Apoſtolicas vices, quas Patroclo Arelatenſi Metropolitæ per Viennenſem, ac primam & ſecundam Narbonenſem Provincias detulerat Zozimus Pontifex, ab hujus Succeſſore Bonifacio excuſſas iſtius Succeſſor Hilarius proprii arbitrii auſu reſumpſit, ac demutare tentavit in Primatum, atque ita tanquam Primas Epiſcopales iſtarum Provinciarum ordinationes per Apoſtolicam Sedem ſibi interdictas reſumpſit. Nec ſolummodo Metropolitarum ordinationes, ſed etiam Epiſcoporum Provincialium. Potenter interceſſit Magnus Leo, & Divali impetrata lege cohibuit Hilarium. Hinc ille, quo iſtarum Provinciarum Epiſcopos incenderet contra Pontificem, ſparſit hæc omnia agi arte & dolo, ut cunctæ iſtæ conſecrationes invadantur à Sede Apoſtolica. Et atroci calumnia permotus Sanctus Leo reſcripſit mentiri Hilarium, aliud à ſe non intendi, quàm ut iſtæ conſecrationes ſuis Metropolitis reſtituantur & permaneant. Earum jus profitetur eſſe ipſorum honorem ac privilegium. Proinde non ſolus Hilarius, ſed ipſe etiam tantus Pontifex cenſuit alienarum Provinciarum conſecrationes invadi non poſſe à Romana Eccleſia. Leo uſus eſt hac per Magnum Gregorium uſitata regula: *Mihi ipſi injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbo.* Et hæc quidem pro Epiſcoporum conſecrationibus fuit prima lis Gallicanæ Eccleſiæ adverſùs Romanam.

Duriorem litem habemus in Regeſto Joannis octavi Pontificis. Ottramus Viennenſium Metropolita ſequebatur partes Boſonis Regis Burgundiæ, ideoque Genevenſis Eccleſiæ Electum Optandum conſecrari per ipſum noluit Imperator Carolus Craſſus, miſit Romam ad Joannem Pontificem, illum hic conſecravit, remiſit Genevam, juſſit inthronizari, & ſuis litteris adjunxit: *Salvo deinceps privilegio antiquo propriæ Metropolis.* Verùm his non contentus Ottramus ejecit Optandum, & Genevenſi Eccleſiæ conſecravit alium Epiſcopum. Circa idem tempus Lugdunenſium Metropolita Aurelianus neſcio quem Monachum Lingonenſi Eccleſiæ conſecravit & intruſit Epiſcopum, ejuſdem autem civitatis Clerus & populus ipſum abjecit, Canonicè elegit Theutboldum Diaconum, & conſecrandum miſit Romam ad Stephanum ſextum Pontificem. Et de hac lite ſcribit in Rhemenſis Eccleſiæ hiſtoria Presbyter Flodoardus: *Sed ille,* Papa Stephanus, *uniuſcujuſque Eccleſiæ privilegium inconcuſſum ſervare volens, id agere,* Theutboldum conſecrare, *diſtulit, eumque Aureliano direxit, ſcribens ad eum, ut ſi Cleri populique vota in eum concordarent, & ſacri Canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri ſi ratio prohiberet, idipſum ſibi reſcriberet: Interim tamen alterum inibi ordinare, ſe inconſulto, nullo modo præſumeret. Simul & Girannum Senogallienſem Epiſcopum à ſuo latere direxit executorem. Quem deludens* Aurelianus *ad Lingonenſem præmiſit urbem, pollicitus ſe citiſſimè ſubſecuturum. Quò, cùm diu exſpectaretur, nec ipſe advenit, nec moræ ſuæ cauſam innotuit, nec Papæ remandare providit. Quocirca iteratò Clerus & populus cum Decreto omnium manu roborato præfatum Electum Romam remiſerunt, obnixè rogantes ſibimet illum conſecrari, ſed nec tunc id agere acquievit, volens Lugdunenſi Eccleſiæ collatum privilegium conſiſtere immutilatum, ideoque Aureliano iteratò reſcribens mandavit, ut quia concordi voto Clerus & populus jam dictum Diaconum expetebat, aut ipſum conſecraret, aut quid in eo reprehenſibile judicaret, reſcribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non ſolùm oblatum conſecrare, vel quid in eo reprehenſibile judicaret reſcribere contempſit, verùm etiam contra Interdicta, & ſacrorum Canonum Inſtituta quemdam extraneum, & eidem Eccleſiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere niti præſumpſit. At hi potiùs laborem ſubire, quàm ſubjici ignoto eligentes, ad illum redierunt, implorantes ne pateretur Eccleſiaſtica jura violari.* Quare Stephanus tandem conſecravit Theutboldum, & ejus inthronizationem Sancto Fulconi Rhemenſium Metropolitæ delegavit per haſce litteras: *Nos qui omnium Eccleſiarum in Beato Petro Apoſtolorum Principe curam ſuſcepimus, ſcientes inter Epiſcopos non haberi eum, qui neque à Clero electus, neque à populo eſt expetitus, dictum Theutboldum, venerabilem Diaconum, ipſorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonenſi Eccleſiæ Epiſcopum conſecravimus, condigna ſententia prævaricatoribus illata, licet & aliis prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus Sanctimoniæ, ut his noſtris Apoſtolicis litteris ſuſceptis, poſtpoſita dilatione, ad Lingonenſem accedas Eccleſiam, & eundem Theutboldum, à nobis ſolemniter conſecratum Epiſcopum, exindè reveſtias, omnibuſque Archiepiſcopis & Epiſcopis innoteſcas, pro tantæ contumaciæ ultione nos ejuſdem Eccleſiæ ſpecialem ſollicitudinem ſuſcepiſſe, pro tanti laboris maceratione, & illatæ oppreſſionis relevatione. Quidquid autem Venerabilis Epiſcopus Theutboldus vobis ex noſtra parte retulerit, credite & effectui mancipare nullo modo ambigite. Utpotè tuam Reverentiam circa nos devotam conſentire credimus.* Pergit Flodoardus: *Ad hæc Præſul Fulco reſcribens gratias egit pro conſolatione litterarum ipſius, aſſerens ſe paratum fuiſſe & eſſe, quæcumque ſibi ab ipſius Papæ Celſitudine injuncta fuerint adimplere; præfatam verò præceptionem de Theutboldo Epiſcopo explere ſine mora voluiſſe, ſed Odonis Regis ſui conſultu interim intermiſſurum, dum Rex idem ſuos Legatos ad eundem Papam dirigeret, ac per eos juſſionem ipſius certiſſimè cognoſceret. Super his autem, quæ litteræ ipſius Papæ proſecutæ, velle ſcilicet ſe omnibus Eccleſiis ſua Inſtituta & privilegia inconfuſo ordine intemerata ſervare, valde gaviſos univerſos Epiſcopos, in quorum præſentia hæc recitari fecerat.* Stephanus ſextus fuit doctus, ſanctus, ac Apoſtolicæ authoritatis zeloſus Pontifex, & tamen Theutboldum, licèt inſtantiſſimè rogatus à Lingonenſi Eccleſia, bis remiſit ad ſuum Metropolitam, & nonniſi in tertia inſtantia conſecravit. Quod nem-

Ep. 281. 292.

nempè nonniſi in extrema Eccleſiarum neceſſitate Pontifex valeat uti ſuo Primatu.

Similem rei ſeriem olim vidit Cameracenſis Eccleſia. Arnulphus & Gerbertus dudum litigarunt pro Archiepiſcopatu Rhemenſi. Ille à Synodo degradatus, verùm Romæ in appellatorio judicio reſtitutus, hic autem ibidem damnatus erat de intruſione, ac interim Regiæ violentiæ auxilio retentabat Eccleſiam. Hinc Cameracenſium Electus Herluinus ab Arnulpho non potuit, à Gerberto conſecrari noluit, ideoque acceſſit Romam, petens conſecrari à Gregorio quinto. Ob diuturnam vacationem laicis rapinis laniabatur Cameracenſis Eccleſia; hinc illum conſecravit Pontifex, & ad Sedem remiſit cum hiſce litteris: *Quoniam, ſicut omnibus penè notum eſt, interveniente hac re, quæ inter Arnulphum Rhemenſis Eccleſiæ Archipræſulem, & Gerbertum ejus invaſorem excrevit, Herluinus Præſul, illorum odiis Rhemis conſecrari Canonico more nequivit, ejus conſecratio ad Apoſtolicam Sedem uſque ad nos haud injuſtè pervenit.* Profitetur Herluinum nonniſi ob devolutum jus potuiſſe à ſe conſecrari. Habes hæc apud Baldricum Tornacenſem Epiſcopum in Chronico Cameracenſis Eccleſiæ. Herluino proximè ſucceſſit Sanctus Gerardus. Electum Sanctus Imperator Henricus ad ſe evocavit Neomagum, & coram ſe fecit conſecrari in Presbyterum. Inſtabat tunc Bambergenſis, per dictum Principem fundati, Epiſcopatus dedicatio, & pergit Baldricus: *Poſt hæc monuit Gerardum Imperator, ut ſecum ad novum Epiſcopum dedicandum unà proficiſceretur, ibique in ſua præſentia à Miſſis Apoſtolicis, multiſque Coepiſcopis ſive Abbatibus, qui illuc ad encænia templi convenire deberent, ordinaretur Epiſcopus. Qui etſi honorabiliùs & diſciplinatiùs coram Regia pompa & Lotharienſi ſolertia ſciret ſe ordinandum, tamen loci amore, quo nutritus erat, captus, à nullo quidem niſi à Metropolitano Rhemenſium Archiepiſcopo ſe ordinatum iri velle reſpondit. Quippè ſatis providè & providenter cauſam conſiderans, ne fortè videlicet eo etiam ipſe conſuetudini Sedis Metropolitanæ contraire videretur, quod Dominus Herluinus Epiſcopus ob ſupra dictam contentionem Romæ ordinationem ſuſceperat. Quo audito Imperator, altioris conſilii illum advertens, libenter acquievit.* Sanctus Gerardus cenſuit ſe nonniſi ob extremam neceſſitatem poſſe à Romano Pontifice conſecrari.

Lib. 1. c. 111. — Lib. 2. cap. 2.

Etiam poſt ſeptimi Gregorii tempora habemus plurima ſimilia exempla. Gaufredum Carnutenſem Epiſcopum degradavit ille Gregorius, mandavit à Richerio Senonenſium Metropolita permitti novam electionem, Electum conſecrari, & minitatus eſt ipſum alioquin à ſe conſecrandum. Verùm nulla fuit facta executio. Hinc Gregorii mandata firmavit ac innovavit Urbanus ſecundus: Et tunc electus fuit Sanctus Ivo. Verùm Gaufredo favere perrexit Richerius, ideoque cum ſuæ electionis Decreto Romam Ivo adiit, & conſecratus eſt à dicto Urbano. Et ecce hinc majores motus. Reducem Ivonem Richerius noluit agnoſcere Epiſcopum, ipſum dixit *diſmembratorem Metropolitanæ Sedis*, & datam à Papa conſecrationem *non ſimpliciter benedictionem, ſed hoſtili irriſione appellavit qualemcumque benedictionem.* Addit Ivo in litteris ad Urbanum Pontificem: *Notum facio Beatitudini veſtræ, quòd Senonenſis Archiepiſcopus, conſilio Pariſienſis Epiſcopi infatuatus, adhibito ſibi eodem Pariſienſi Epiſcopo, & duobus aliis non diſſimilis vecordiæ, Meldenſi & Tricaſſino, hoc anno Stampis de Ordinatione, quam à vobis acceperam, me inordinatè ſatis accuſavit, dicens me in Majeſtatem Regiam offendiſſe, qui à Sede Apoſtolica conſecrationem præſumpſeram accepiſſe. Cùm itaque conarentur in me depoſitionis ſententiam proferre, Sedem Apoſtolicam appellavi.* Galliarum Rex eſt Eccleſiarum ac Eccleſiaſticorum privilegiorum protector: Hinc Richerius aſſeruit Ivonem non ſolummodo in ſuæ Sedis privilegia exceſſiſſe, ſed inſuper in Regiam Majeſtatem. Et de Huberto Sylvanectenſi Epiſcopo, Romæ per Paſchalem ſecundum conſecrato, ſcribit idem Ivo ad eundem Pontificem: *Filius veſter, & confrater noſter Sylvanectenſis Epiſcopus pro Romana Eccleſia contra Romanam Eccleſiam abſque audientia & judicio de propria Sede pulſus, rerumque ſuarum damna perpeſſus, quamvis hoc anno redierit à Sede Apoſtolica munitus litteris Apoſtolicis, tamen nec apud Regem tribulationis ſuæ aliquod invenit remedium, nec apud Metropolitanum ſuum paternum ſuffragium, nec apud Comprovinciales ſuos fraternum ſolatium.* Rex miſit violentas manus in cunctas Epiſcopales poſſeſſiones, ac inſuper Præbenda, quam ante habuerat in Pariſienſi Eccleſia, illum juſſit ſpoliari. Hinc miſerandum exulem Sanctus Ivo aluit, juxta Canones Sardicenſes. Et edicit hujus perſecutionis cauſam: *Filius veſter, creatio veſtra.* Etiam in alia Epiſtola ſcribit ad eundem Pontificem: *Hubertus Sylvanectenſis Epiſcopus, creatio veſtra.* Affirmat hujus perſecutionis cauſam fuiſſe Romanam conſecrationem. Ex iiſdem verbis licet labi in novis ad Sancti Ivonis Epiſtolas Notis Joannem Baptiſtam Souchetum, qui cenſet iſtum Sylvanectenſem Epiſcopum fuiſſe Hugonem aut Letholdum. Non hos, ſed Hubertum fuiſſe Paſchali coævum, oſtendunt in Gallia Chriſtiana fratres Sammarthani. Qua de cauſa Hubertus fuerit Romæ conſecratus, diſcere poſſis ex alia Sancti Ivonis ad eundem Pontificem Epiſtola: *Ego & Dominus Theobaldus, Beati Martini Monaſterii Pariſienſis Prior, audientes miſerabilem & mirabilem Remenſis Eccleſiæ deſolationem, auſu familiaritatis Regem Francorum opportunè & importunè interpellavimus, quatenus prædictæ Eccleſiæ expulſo invaſore Gervaſio pacem reſtitueret, & Dominum Radulphum, in gratiam ſuam receptum, eidem Eccleſiæ præeſſe concederet.* Profanum Gervaſium in Trecenſi Synodo ad duodecimi ſæculi annum octavum damnaverat, & ejiciendum mandaverat Paſchalis ſecundus, & conſecraverat Radulphum. Factum id fuit ſine Regio aſſenſu. Hinc Ludovicus Rex Radulphum eſt durè perſecutus. Et durante hac lite, Sylvanectenſium Electus Hubertus, quòd Remis conſecrari non poſſet, conſecrandus ivit Romam, ibidem conſecratus eſt, & redux cecidit in eaſdem per-

Ep. 12. 8. — Ep. 244. — Ep. 105. — Ep. 190.

perſecutiones. Etiam in perſecutionem Radulphi. Et ad undecimi ſæculi octogeſimum ſecundum annum ſcribit in Sancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *Kalendis Novembris obiit Waltherus Meldenſis Epiſcopus. Et in ſequenti ſeptimana Hugo Dienſis Epiſcopus, Romanæ Eccleſiæ Legatus, congregavit Concilium in eadem urbe, & ordinavit Epiſcopum Robertum Abbatem Eccleſiæ Resbacenſis. Quod quia ſine præſentia & aſſenſu Richerii Archiepiſcopi Senonenſis & Coepiſcoporum ejus factum eſt, excommunicaverunt eum.* Eccleſiæ Atrebatenſi, quoniam Cameracenſis Henrico quarto Ex-Regi pertinaciter adhærebat, Urbanus ſecundus dedit, aut potiùs reddidit proprium Epiſcopum, illaque ſibi in primum Epiſcopum elegit Lambertum, Abbatem Aquiſcinctini Monaſterii. Et ipſum, quòd Remenſium Metropolita Rainaldus recuſaret, Romæ conſecravit idem Pontifex. At ob læſum jus Metropoliticum tanti hinc ſunt nati motus, ut etiam per Claromontanam, in cujus itinere Lambertus fuit ferè trucidatus, Synodum vix potuerint componi. Varia variorum de hac re litteras habes apud Ferreolum Locrium, & apud Lucam Dacherium.

Avitum Gallicanæ Eccleſiæ ſenſum edicit Glaber Rudolphus. Andegavenſium Comes Fulco, è terra ſancta reverſus, apud Turones prope Caſtrum Lucaſſenſe exſtruxit novum Monaſterium, & Turonenſium Archiepiſcopus Hugo dedicationem rogatus denegavit. Quædam à Fulcone invaſa Eccleſiæ ſuæ prædia voluit antea reſtitui. Ex quo vides, quòd ſuas res ante ſacrum miniſterium repetere non ſit Simonia. Interim Fulco ad Joannem decimum octavum miſit Legatos & munera, Pontifex cum iſtis remiſit Petrum Cardinalem Epiſcopum, & hic Apoſtolica authoritate Monaſterium dedicavit. Scribit verò Lib. 4. cap. 8. dictus Glaber: *Quod audientes Gallicani quique Præſules, præſumptionem ſacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate proceſſiſſe, dum videlicet unus rapiens, alter captum ſuſcipiens, recens in Romana Eccleſia ſchiſma creaviſſent. Univerſi etiam pariter deteſtantes, quoniam nimirùm indecens videbatur, ut is qui Apoſtolicam regebat Sedem, Apoſtolicum primitus & Canonicum tranſgrederetur tenorem. Cùm inſuper multiplici ſit antiquitus authoritate roboratum, ut non quiſquam Epiſcoporum in alterius Diœceſi iſtud præſumat exercere, niſi Præſule, cujus fuerit, compellente ſeu permittente.* Et iterùm: *Licet Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet tranſgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unuſquiſque Orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex, ac ſponſus propriæ Sedis uniformiter ſpeciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare Diœceſi.* Ad hunc locum ſcribit in Lib. 4. cap. 8. opere de Sacerdotii ac Imperii concordia Dominus Petrus de Marca: *Laudatur ſæpè locus Rudolphi Glabri, Monachi Cluniacenſis, qui anno milleſimo quinquageſimo ſcribebat, ut doceatur ea tempeſtate perſuaſum Gallis Epiſcopis fuiſſe, nihil à Romano Pontifice in Galliis contra Canones tentari debere.* Ex eodem principio de Innocentio ſecundo Pontifice, Sancti Medardi apud Sueſſiones Eccleſiam dedicantes, ſcribit in Sancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *Papa ante dedicationem Eccleſiæ Odonem Abbatem nolente, ſed contradicente Epiſcopo Sueſſionenſi Aurelianis benedixit.* A. 1131. Sueſſionenſis ille Epiſcopus fuit Joslenus, celeberrimus antea apud Pariſienſes Magiſter: Cenſuit Pontificem in alienis Parochiis & in alienos ſubditos non poſſe miniſtrare. Et inter varias querelas, quas adversùs Bonifacium octavum & Romanam tunc Eccleſiam adduxit Francorum Rex Philippus Pulcher, fuit & hic articulus: *Conſecrationes Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ademptæ ſunt Epiſcopis Comprovincialibus.*

Idem olim cenſuit Germanica, Anglicana, ac etiam Italica Eccleſia. Poſſit exemplis demonſtrari. Conſonat & Orientalis Eccleſia. Etenim in libris de Primatu Papæ Nilus Cabaſilas Archiepiſcopus Theſſalonicenſis affirmat Papam non eſſe Apoſtolum, ſed Romanæ civitatis dumtaxat Epiſcopum, & ſubjungit: *Et Petrus quidem alium in Antiochia, alium in Alexandria ordinat Epiſcopum, & alium alibi. Romæ autem Epiſcopo hæc non permittuntur.* Et in libro de Principatu Papæ Barlaamus Monachus ex vigeſimo octavo Chalcedonenſi Canone & Imperatoris Juſtiniani legibus profitetur Romanum Papam eſſe primum, Conſtantinopolitanum Patriarcham eſſe dumtaxat ſecundum Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum, & adjungit: *Canon & lex hunc decreverunt eſſe ordine ſecundum, neque tamen ita ſecundum ut ab illo crearetur.* cap. 6. *Quandoquidem nec hic nec alius quiſquam Patriarcharum à Papa ordinabatur. Etenim leges ſanxerunt, ut ordinationis Epiſcoporum ſumma plenaque authoritas penes ſingulos Metropolitas eſſet, iſti autem à Patriarchis conſtituerentur. Patriarchas verò à Papa ordinari nulla lex juſſit.* Affirmat Patriarcharum conſecrationem à nullo Canone permitti Papæ, ac pergit: *Quòd ſi ullum uſpiam Canonem repereris, qui Patriarcharum ordinandorum ſummam authoritatem Papæ tribuat, indica modò nobis illum, & illicò viceris. Sin hæc nunquam reperire poteris, qua tandem neceſſitate cogimur, ut ea, quæ tu è proprio ſenſu depromis, admittamus? Præterea, Hieroſolymitani Epiſcopi qua ratione debent à Papa ordinari? Neque enim aut Dei frater Jacobus à Petro ordinatus eſt; aut hujus ſucceſſorem par fuit neminem fuiſſe, niſi Papa illum creaſſet.* Multis hæc demonſtrare ſtudet, ac tandem concludit: *Nulla lege præcipitur, aut conſuetudine obtinet, ut Patriarchæ à Papa conſtituerentur. Neque verò ita fuit factitatum aliquando.* Ab alieno Metropolita patraras Epiſcoporum conſecrationes hodierni Græci adeò averſantur, ut cenſeant irritas & nullas. Etiam factas à Papa. Quam ſententiam apud ipſos non eſſe novam, eſt ſuo loco demonſtratum. Et hæ quidem ſunt præcipuæ rationes, ex quibus Papa quibuſdam videtur alienarum Provinciarum Epiſcopos non poſſe conſecrare.

CAPUT II.

Romanus Pontifex poteſt ubique conſecrare Epiſcopos, etiam in alienis Patriarchatibus.

Reſpondeo iſtum errorem eſſe manifeſtè Euſebianum atque Schiſmaticum. Eſt Schiſmaticis hodiè Græcis palmare fundamentum, ex quo ſperant Romanum Primatum evertere, atque ſtabilire Euſebianas ineptias Philippo-Politani Conciliabuli. Longè aliud in litteris ad Antonianum Epiſcopum profitetur glorioſus Martyr Cyprianus. Schiſmaticam Novatiani Anti-Papæ intruſionem nervosè exagitat, atque proſequitur:
Ep. 52. *Cùm ſit à Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, Novatianus poſt Dei traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam Catholicæ Eccleſiæ unitatem, humanam conetur facere Eccleſiam, & per plurimas civitates novos Apoſtolos ſuos mittat, ut quædam recentia ſuæ inſtitutionis fundamenta conſtituat. Cumque jam pridem per omnes Provincias & per urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti; ille ſuper eos creare alios Pſeudo-Epiſcopos audeat. Quaſi poſſit aut totum orbem novi conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere.* Quæ verba altè clamant Romanorum Epiſcopo eſſe plenam poteſtatem, qua totum orbem ipſemet peragret, aut quaqua versùm deſtinet Legatos, & aut per hos aut per ſemetipſum conſecret ubique Epiſcopos. Et iſta poteſtate videtur Novatianus ad ſuum Schiſma firmandum voluiſſe uti: Et hanc vanitatem videtur Sanctus Cyprianus in ipſo arguere. Eſt enim vanitas Hæreſiarchis familiaris. Ita de Hieroſolymitanæ Eccleſiæ impio invaſore Theodoſio, quòd novos Epiſcopos ſacrare tentarit atque cœperit per omnem iſtum Patriarchatum, teſtatur in ſuis, poſt Chalcedonenſem Synodum exſtanti-
Ep. 8.15. bus, Edictis Imperator Martianus. Et confirmant Epiphanienſis Evagrius, ac Nicephorus Calixtus. Quod ipſum tentavit & Hæreſiarcha Guibertus.

Et iſta ſua poteſtate Romani olim Pontifices frequenter citra cujuſquam contradictionem fuerunt uſi. Non tantùm in Provinciales aut Metropolitas Antiſtites, ſed etiam in Patriarchas. Etenim in Euſebiani Chronici ſupplemento ſcri-
A. 363. bit Sanctus Hieronymus: *Euſebius & Lucifer de exilio revertuntur. E quibus Lucifer adſcitis aliis duobus Confeſſoribus Paulinum Euſtatii Epiſcopi Presbyterum, qui ſe nunquam hæreticorum communione polluerat, in parte Catholica Antiochiæ Epiſcopum facit.* Sanctum Euſtatium Antiochiæ Patriarcham, quem in Sancti Philogonii apud ſe defuncti locum evexerat Nicæna Synodus, dejecit Euſebiana factio, & iſtam Eccleſiam redegit in ſuam ſervitutem. Verùm hæretici, licèt ejuſdem Sectæ, ſunt paſſim Cadmæi fratres. Iſtiuſmodi etiam fuerunt Ariani. Nam & ipſa Euſebiana factio non fuit niſi fruſtum totius Ariani corporis. Etiam illa in Seleucienſi Synodo ſemetipſam laceravit in alia fruſta, atque ita factum eſt quod in eodem ſupplemento ſcribit idem Hieronymus: *Meletius, Sebaſtiæ Armenio-* A. 36.
rum Epiſcopus, ab Acacio & Georgio, Arianis Epiſcopis, Antiochiam transfertur. Et poſt non grande temporis intervallum, cum Presbyteros, qui ab Eudoxio Anteceſſore ſuo depoſiti fuerant, ſuſcepiſſet, exilii juſtiſſimam cauſam ſubita fidei demutatione deluſit. Acacius Luſcus, Cæſarienſis in Paleſtina Epiſcopus, erat magnus in Antiocheno Patriarchatu Metropolita, Georgius autem Laodicenſis Epiſcopus erat Antiocheni Patriarchæ in primæ Syriæ Provincia nobilis Suffraganeus: Et ad ipſos omninò ſpectabat Patriarchæ promotiò. Hinc in Eudoxii, cujus omnem factionem damnaverant Seleuciæ, locum intruſere Meletium. Acacianæ factionis apud Seleuciam Acta proſecutus eſt Meletius, atque ita ob dogma degradatos ab Eudoxio Presbyteros reparavit uti glorioſos Confeſſores. Eudoxiana factio apud Antiochiam erat potentior. Hinc & ipſa abjecit Meletium, & ipſi ſuperordinavit Euzojum. Erat illic & Euſtatiana communio: Catholica ſub Presbyteris & Clericis ſine Epiſcopo Chriſtianitas, quæ intruſis per Arianos Epiſcopis nunquam voluerat communicare. Hanc ſibi conciliare ſtuduit extruſus Meletius, Catholicam fidem cœpit profiteri, & conatus eſt illi eſſe Epiſcopus. Et plures ipſum ſunt ſecuti. Cum ipſo in ſuburbanis campis, utpote civitate ejecti, ſunt compulſi agere Synaxes: Et hinc dicti Campenſes. Verùm quòd Arianus fuiſſet, & ab Arianis eſſet intruſus, multi ſunt ipſum averſati. Hinc Lucifer Calaritanus Epiſcopus illic conſecravit Paulinum, virum per omnia integrum, Euſtatianæ ſeu Catholicæ communionis immaculatum ſectatorem. Ordinationis, quæ & ipſa multis quæſtionibus anſam præbuit, ſeriem habes apud Socratem, Hermiam Zozomenum, Theodoretum, ac alios authenticos Scriptores.

Quæſtio eſt, Qua authoritate Lucifer id attentaverit? Erat latinus Epiſcopus, proſcriptus & exul, nihil commune habens cum Antiocheno Patriarchatu. Reſpondeo illum egiſſe ex authoritate Apoſtolicæ Legationis. Fateor hanc lucido teſtimonio non poſſe demonſtrari: Attamen firmæ ipſam ſtabiliunt conjecturæ. Etenim totius Orientalis, ac præſertim Antiochenæ Eccleſiæ calamitates exponit in litteris ad Sanctum Athanaſium Magnus Baſilius, & proſequitur:
Viros aliquos Eccleſiæ tuæ, potentes in doctrina ſa- Ep. 42.
na, ad Occidentales Epiſcopos mitte, quibus calamitatibus occupemur & premamur, illis exponant. Inſtrue illos forma narrandi, qua utantur. Eſto Samuel Eccleſiis. Scio quàm langueant epiſtolæ ad conferendam operam tanto negotio. Hinc vult mitti Legatos ab Athanaſio: Quòd is Romanæ Eccleſiæ eſſet notus & gratus. Eaſdem calamitates amplè exponit in litteris ad Occidentales Epiſcopos, & Ep. 71.
pro-

proſequitur: *Cum itaque ad hunc modum ſe habeant res noſtræ, debebant continuò à Dilectione veſtra ex ſinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppreſſos inviſerent, & multò crebriùs amicæ ad nos veſtræ deſtinari litteræ, quibus vel in Propoſito confirmaremur, vel ſi qua in re offendimus, corrigeremur.* Quod ipſum repetit in variis epiſtolis.
Ep. 229. Una ſic habet: *Prorſus nihil intempeſtivum cupimus, ſed quod beatis olim viris in more poſitum fuit, & omnium in primis familiare vobis ipſis. Novimus enim partim beneficio memoriæ per ſucceſſionem rerum à Patribus ad nos deductarum, partim per litteras edocti intelligimus, quæ ſunt etiamnum apud nos cuſtoditæ, Dionyſium illum beatiſſimum Epiſcopum, qui olim apud vos celeberrimus erat, tum ob fidem ſinceram, tum virtutes reliquas egregias, per litteras ſuas Eccleſiam noſtram Cæſareenſem curaſſe, miſiſſeque huc de ſuis, qui fratres liberaret à captivitate.* Hæ omnes litteræ ſcriptæ ſunt ad Damaſum Pontificem, poſt Paulini promotionem, obnatas vel certè auctas ab ipſa turbas. Etenim Paulinus & Damaſus ſunt promoti eodem anno. Et eodem anno Euſebius Vercellenſis Epiſcopus ac ejus Collega Lucifer redierunt in Italiam. Ex exilio, & non ex exilio. Etenim ipſorum proſcriptorConſtantiusAuguſtus obiit iſtius ſæculi anno ſexageſimo primo, & ejus Succeſſor Julianus ſtatim omnia Epiſcopalium exiliorum Conſtantiana Edicta circumduxit. Et anno ſexageſimo quarto regnare cœpit Orthodoxus Jovinianus, & ſtatim poſt hunc Orthodoxus Valentinianus, atque ita Euſebius & Lucifer anno ſexageſimo ſexto, quo redierunt in ſuas Eccleſias, jam dudum erant liberi ab exilio. Cur igitur tamdiu hæſerunt in Oriente, cur ſuas oves tam diu deſeruerunt? Certè alia non fuit cauſa, quàm Apoſtolica ipſis per Liberium impoſita Legatio. Et hinc ſtatim poſt ipſorum reditum & Magnus Baſilius, & Sanctus Athanaſius, & alii Orientalium Epiſcoporum Primates inſtantiſſimè cœperunt novos Legatos poſtulare. Laudatus Baſilius & alii plures per Orientem Magni Epiſcopi pertinaciter contra Paulinum faverunt Meletio, & ejus ordinationem impugnaverunt ex omni latere: Et tamen ipſorum nullus adduxit Luciferum non fuiſſe legitimum Conſecratorem. Quia nempè non ſua, ſed delegata Liberii poteſtate conſecraverat. Et Romanas Legationes apud Orientem fuiſſe ſemper familiares, jam dixit Sanctus Baſilius. Et nota hæc ejus verba: *Si qua in re offendimus, corrigeremur.* Edicunt Romanis Legatis tunc fuiſſe proprium in Oriente Tribunal.

Eadem conſecrandi authoritate uſus fuit Agapetus Pontifex. Quomodo Theodatus Gothorum in Italia Arianus Rex ipſum legarit Conſtantinopolim, & quomodo ipſe illic Anthimum Trapezuntinum Epiſcopum, quem Imperatrix Theodora intruſerat in Regiæ civitatis Cathedram, degradaverit atque ejecerit ob Eutychianam hæreſim, refert in Breviario Liberatus Dia-
Cap. 21. conus, & adjungit: *Tunc Papa Principis favore Mennam pro eo ordinavit Antiſtitem, conſecrans eum manu ſua in Baſilica ſanctæ Mariæ.* In Conſtantinopolitana iſtius Mennæ Synodo exſtat poſt Agapeti mortem exhibitus Imperatori Juſtiniano libellus, quo omnes Orientales Archi-Mandritæ profitentur hæc eſſe facta ad ſuas preces, magnis præconiis ornant Agapetum, ac de ipſo pergunt: *Iſte honorabilis vir, ſciens per libellos plurimorum noſtrorum, ea quæ iniquè contra Eccleſias præſumpta fuerant, neque ad viſum ſuſcipere voluit Anthimum, furentem adversùs Canones, ſed nunc juſtè ejecit de Sede civitatis ſuæ, & coopitulante & coadunato Catholicæ fidei & Divinis Canonibus veſtro Imperio, præfecit ipſi Eccleſiæ ſanctiſſimum Mennam.* Non tantùm Anthimi damnationem, ſed & Papalem novi Patriarchæ conſecrationem profitentur à ſe fuiſſe poſtulatam, & factam ſecundùm Canones. Fuiſſe poſtulatam etiam ab Imperatore Juſtiniano teſtatur liber Pontificalis: *Tunc piiſſimus Auguſtus Juſtinianus rogavit beatiſſimum Papam Agapetum, ut in locum Anthimi conſecraret Epiſcopum Catholicum, nomine Mennam.* Certè contra Canones tantus Canonum executor non poſtulaſſet. Et hinc eandem conſecrationem laudant in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius, ac Martyr Theophanes, ambo Græci, ac eximiè eruditi. Proindè Barlaamus Monachus Canonem, qui Patriarcharum conſecrationem permittit Romano Pontifici, poſſit ab iſtis Archi-Mandritis, ac ipſo etiam Imperatore Juſtiniano petere ac diſcere. Eum edicit ipſe Papa Agapetus in exſtantibus ibidem litteris ad Petrum Hieroſolymæ Patriarcham. Mennę perſonam ac electionem facundè laudat, atque adjungit: *Et hoc ejus dignitati addere credimus, quòd à temporibus Petri Apoſtoli nullum alium Orientalis Eccleſia ſuſcepit Epiſcopum manibus noſtræ Sedis ordinatum. Et forſitan vel ad demonſtrationem laudis ipſius, vel ad deſtructionem inimicorum inſtans res tanta pervenit, ut illis ipſis ſimilis eſſe videatur, quos in his quandoque partibus ipſius Apoſtolorum Primi electio ordinavit. Commune itaque gaudium, Fratres, pia exultatione ſuſcipite, & quantùm vos Apoſtolicæ Sedis noſtræ judicium comprobatis, conſueta reſcriptione ſignificate. Habentes duplicem exultationis cauſam: Et quòd mala ſine mora corrigantur, & pro his optata ſubſecuta fuerint. De cætero præcaventes, ne rursùm Canonicis ſanctionibus quid contrarium per vos fiat, veſtro accedente conſenſu.*

Notanda eſt vox, *Fratres*. Evincit Epiſtolam non ad ſolum Petrum, ſed ſcriptam eſſe ad omnes Orientales Patriarchas atque Epiſcopos. Et hinc rectum eſt ejus marginale Scholion: *Encyclica Epiſtola Agapeti Papæ.* Et ex ipſa diſcimus varia. Primo, quod uti Anthimi translatio fuit adverſa Canonibus, ita Mennæ conſecratio eiſdem fuerit conformis. Secundò, quòd Papalibus manibus data conſecratio ſit magna conſecrati, etiam Patriarchæ, dignitas. Et hinc inter ampla Magdeburgenſis Eccleſiæ privilegia, Lib. 1.
quòd ejus Archiepiſcopus poſſit à ſolo Romano Pontifice conſecrari, numerat Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis. Nam & ex iſta conſecratione plures olim Epiſcopi prætenderunt eſſe exempti ab omni poteſtate Metropolitica. Tertiò diſcimus, quòd Sanctus Petrus Apoſtolus etiam in

Orien-

Orientalibus Eccleſiis conſecraverit plures Epiſcopos, ideoque eandem authoritatem eſſe ejus in Romana Cathedra Succeſſoribus. Quòd enim Apoſtolorum Acta ſint nobis & exempla & Canones, docet in libris de cordis compunctione Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Quartò diſcimus, quòd hanc conſecrationem omnis Orientalis Eccleſia non tantùm ſuo ſuffragio, ſed etiam communi gaudio comprobaverit. Certè Mennam, uti Canonicum per omnia Patriarcham, etiam quinta generalis Synodus admiſit ac honoravit. Ejus conſecrationem nullus unquam legitur fuiſſe calumniatus.

Schiſmaticus Ancyræ Metropolita Macarius blaterat Romano Epiſcopo in Patriarchas nullam eſſe poteſtatem, hanc nullo fulciri Canone, & proſequitur: *Nam quod fortuitò per Vigilium, ſanctiſſimum veteris Romæ Pontificem, tunc Byſantii commorantem, cùm quinta Synodus cogeretur, ordinatus eſt Mennas ſanctiſſimus Patriarcha in Regiæ Civitatis Sedem, non ideò exiſtimandum eſt, quòd vel ſub eo eſſet, vel quòd ita mos obtinebat, nempè à veteris Romæ Pontifice, vel ſuo ipſius conſilio, junioris Romæ Præſulem ordinari, ordinationem illam fuiſſe factam. Etenim ſi id eſſet, ut multa ſilentio involvam, cùm & Theophilus Sanctum Joannem Chryſoſtomum, & Dioſcorus Divinum Anatolium in Sedem Conſtantinopolitana promoverint, qui ambo Alexandrini erant Epiſcopi, & Dioſcoro præterea maxima cum Sancto Leone Romano ſimultas erat, ſequeretur & Alexandrinum ſibi ſubditum habere Conſtantinopolitanum, vel eum in poſterum ordinare, aut ſuo conſilio ordinari. Verumtamen hoc eſſe præter rerum ordinem, ſacroſque Canones, res ipſa clamat.* Reſpondeo Macarium variè hallucinari. Etenim Mennas non in quinto Concilio, ſed diu ante illud, nec à Vigilio conſecratus fuit, ſed ab Agapeto. Malè item Anatolium titulat Divinum. Longè enim aliud de ipſo cenſuit Magnus Papa Leo. Rectè tamen Macarius aſſerit Dioſcorum ob attentatam Anatolii conſecrationem fuiſſe ab eodem Leone increpatum. Addo & à Chalcedonenſi Synodo fuiſſe damnatum. Attamen non per Alexandrini Patriarchæ authoritatem Dioſcorus illud attentavit. Hic eſt alius Macarii error. Dioſcorus à ſecundi Epheſini Concilii Præſidentia excluſit Legatos laudati Pontificis, per Hæreſiarchæ Eutychetis appellationem garrivit hunc è Judice demutatum in reum aut accuſatorem, & præſidendi jus ad ſe, utpotè ſecundum Eccleſiæ Epiſcopum, eſſe devolutum. Hujus devolutæ authoritatis fuco celebravit generalem Synodum, omnia hujus privilegia uſurpavit, degradavit Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, atque ita in ejus locum conſecravit Anatolium, ſuum Archidiaconum, & nuperrimum in Regia civitate Apocriſarium. Etenim Œcumenica Synodus in degradatorum à ſe Epiſcoporum Sedes poteſt per ſuum Præſidem conſecrare alios. Immò & in Cathedras apud ſe morientium. Nam Nicæna Synodus in Sancti Philogonii Patriarchæ Antiocheni, apud ſe defuncti, locum promovit Sanctum Euſtatium. Adeò antiquis fundamentis nititur hodierna Romanæ Eccleſiæ regula de Beneficiatis morientibus in Curia. Iſto igitur jure uſus fuit Dioſcorus. Et ob iſtud Attentatum meritò damnatus eſt à Chalcedonenſi Concilio.

Sanctum Joannem Chryſoſtomum fateor fuiſſe ſacratum à Theophilo, Patriarcha item Alexandrino. Et hac de re ſcribit in iſtius vita Alexandrinus Patriarcha Georgius: *Joannem ordinat invitus Theophilus Alexandriæ Præſul. Timendi enim ei erant accuſationum libelli, niſi ordinationi annuiſſet.* Nempè Joannis promotionem impedire omnibus nervis ſtuduit Theophilus, ideoque ejus conſecrationem non invaſit, ſed fuit ad ipſam compulſus. Cauſam addiſcere poſſumus ex Socrate: *Quò Joannis ordinatio plus haberet authoritatis, aderant de Imperatoris mandato cùm alii complures Epiſcopi, tum Theophilus Alexandrinus.* Et de Synodo ad Quercum habet idem Scriptor: *Theophilus callidè molitus eſt, ut de Heraclidis ordinatione primùm quæreretur, quò anſam arriperet ad Joannem denuò abdicandum.* Et infrà: *Joannes Serapionem, cujus cauſa odium in ipſum fuerat ante incenſum, Epiſcopum Heracleæ, urbis Thracicæ, deſignavit.* Iſti Synodo præſedit Paulus Heracleæ Epiſcopus. Diſertè id habes in Synodalibus Actis apud Bibliothecam Photii. Nempè Heraclides, quem ſtatim in ſui Epiſcopatus exordio Joannes conſecrarat, fuerat in primo iſtius Pſeudo-Synodi judicio degradatus, ac in ejus Sedem intruſus Paulus. Proindè electi Joannis tempore Heracleenſis, per cujus Antiſtitem debet Conſtantinopolitanus conſecrari, Eccleſia vacabat, atque ita Theophilus, utpotè dignior inter præſentes Epiſcopos, fuit compulſus ad Joannem conſecrandum & honorandum. Quotieſcumque Heracleenſis Metropolita fuit defunctus, abſens, aut impeditus, quivis Epiſcopus ex Principis aut Synodi arbitrio fuit aſſumptus ad iſtam conſecrationem. Proindè Sanctum Joannem Theophilus ordinavit eo jure, quo Theodoretus Cyrenſis in Euſrateſia Provincia Epiſcopus ſcribit à ſe ordinatum Irenæum Tyri Metropolitam: *Adductus Phœniciæ Epiſcoporum Decreto, Epiſcopum Irenæum ordinavit.* Alioquin Theophilus ſi invaſiſſet, omninò fuiſſet ab ipſo Joanne, vel ab Innocentio Papa, vel à Palladio Helenopolitano Epiſcopo, vel alio ſimili Scriptore, tanquam Attentator redargutus. Certè ejus Anteceſſorem Petrum, quòd ibidem ordinaſſet Maximum Cynicum, graviſſimè arguit Conſtantinopolitana Synodus. Et præfatum Anatolium, quòd Maximum Antiochiæ Patriarcham conſecrare præſumpſiſſet, duriſſimè increpavit Sanctus Papa Leo. Etiam iſtius Succeſſorem Acacium, quòd Calendionem Antiochiæ item Patriarcham conſecraſſet, damnavit Felix tertius. Ita habent antiqua Acta de nomine Acacii. Nempè unum Patriarcham ab alio conſecrari vetant Nicæna Synodus & perpetua conſuetudo. Repugnat eorum Autocephaliæ. At verò Mennæ conſecrationem non ob Heracleenſis mortem vel abſentiam, ſed ex Sancti Petri privilegio fecit Agapetus. Et ipſam comprobavit omnis Oriens. Nam & Rituales ejus libri habent ad vigeſimum quintum diem Auguſti: *Beatus Mennas,*

Lib. 6. cap. 6.

Cap. 15.

Ep. 110.

Ep. 53. cap. 2.

nas, ætate Juſtiniani Imperatoris, Conſtantinopolitanæ ſanctæ Eccleſiæ Presbyter, promotus eſt ad Archiepiſcopatum ab Agapeto Papa Romano, qui Conſtantinopolim advenerat. Hic Anthimum Hæreticum Trapezuntinum, in Conſtantinopolitanam Sedem ab hæreticis tranſlatum, depoſuit, & Beatum Mennam ordinavit, Ordinationem manifeſtè laudant & probant. Notanda ſunt Macarii Ancyrani verba: *Vel eum ordinare, vel ſuo conſilio ordinari*. Profitentur quòd ille, qui alicujus ordinationem ſuo conſilio regere ſeu confirmare debet, eundem etiam poſſit ordinare. At verò omnium Patriarcharum conſecrationem Papa confirmare debet. Res eſt lucida apud peritos Eccleſiaſticæ Hierarchiæ & perpetuæ conſuetudinis. Ergò poteſt & ipſos conſecrare. Porrò Barlaamus Monachus, dum Sanctum Jacobum Hieroſolymæ Epiſcopum negat à Sancto Petro conſecratum, audacter loquitur. Etenim fuiſſe conſecratum disertè affirmat famoſa epiſtola Papæ Anacleti. Ejus author loquitur ad ſenſum ſui temporis.

CAPUT III.

Eadem Romani Pontificis poteſtas demonſtratur ex Actis Sancti Martini Papæ & Martyris.

EOdem jure per omnem Orientem uſus eſt Sanctus Papa & Martyr Martinus. Graſſante hæreſi Monothelitica, & Imperatore Heraclio potiùs ad ejus quàm ad Reipublicæ tutelam attendente, Saracenorum Princeps Homar invaſit Antiochiam, Hieroſolymam, Damaſcum, omnem ferè Syriam: Et devaſtavit omnes Eccleſias. Rei compendium audiamus à Sancto Theophane: *Hoc anno*, utique Chriſti Domini ſexcenteſimo vigeſimo, vel potiùs trigeſimo, ſeptimo, *Homarus in Paleſtinam ſuſcepit expeditionem, & obſidione per annos duos ad ſanctam Civitatem continuata, tandem fide data eam in poteſtatem accepit. Sophronius autem Hieroſolymorum Antiſtes fidem ab eo pro totius Paleſtinæ incolumitate ceperat. In ea rerum calamitate Sophronius præclaris verbis & Geſtis Hieroſolymorum Eccleſiam olim amplificans, de Heraclio & Monothelitarum ipſi addictorum pravitatibus & Commentis, deque Sergio & Pyrro confutatis, clariſſima trophæa referens, defunctus eſt. Eodem anno Homarus Jaſdum in Syriam miſit, qui totam illam Provinciam in Saracenorum poteſtatem redegit.* Et ad ejuſdem ſæculi annum trigeſimum nonum ſcribit: *Hoc anno Arabes Antiochiam armis expugnarunt*. Sequenti anno invaſerunt Meſopotamiam, ac tandem univerſam Syriam. Et ad hæc tempora rectè ſcribit in Eccleſiaſtico Chronico Onuphrius Panuinus: *Hieroſolymorum Epiſcoporum ſucceſſio obſcura*. Etiam Antiochenorum. Aliud enim non ſcimus, niſi quòd Georgio, ad decimum Heracliani Imperii annum legitimo Antiochenſium Patriarchæ, poſt Saracenicam captivitatem ſucceſſerint Macedonius, Jaribus, & Macarius, intruſi per Patriarchas ac Imperatores Conſtantinopolitanos. Ita & per Monothelitas hæreticos, & per paganos Saracenos Chriſtianitas illic fuit miſerrimè lacerata. Interim non ceſſavit ambitio. Etenim ad Joannem Philadelphiæ Epiſcopum, Arabiæ Metropolitam, ac ſuum iſtic Vicarium ſcripſit Sanctus Papa ac Martyr Martinus primus: *Ejus qui falsò ſibi Epiſcopatùs nomen adfinxit*, Ep. 5. *Macedonii dico, importunas litterarum minas ſive proteſtationem fortiter deſpuito, ut rabidi & temerarii canis latratum. Hunc enim Epiſcopum Catholica Eccleſia nullo modo novit. Non ſolùm quòd is præter Canones in externa regione ſine conſenſu & abſque ullo certo Decreto hanc ſibi appellationem uſurparit, ſed & quòd conſentiat hæreticis, qui hæreſeos ſuæ appendicem, ejus electionem per contemptum tumultuariè fecerunt. Quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus eſt & aſſimilatus Epiſcopus Alexandriæ, ut per plures & adſcriptitias perſonas hæreſim ſuam munitiorem reddant.* De iiſdem Macedonio & Petro ſcribit idem Pontifex ad omnem Antiochenæ & Hieroſolymitanæ Diœceſeos Clerum ac populum: *Hortamur Dilectionem veſtram*, Ep. 11. *ut nobiſcum ſemper credatis & teneatis, devitantes omnem hæreſim, inſanoſque hæreſium Authores, una cum vetere & novum, qui temporibus noſtris à vera doctrina aberravit, Macedonium hæreticum, quem contra Canones ſibi finxerunt falſum Antiochiæ Epiſcopum prædicti hæretici. Quemadmodum & Petrum Alexandriæ tumultuariè creaverunt. Hos enim ſibi conſentientes nacti, concurrenteſque in propriæ hæreſeos exitum, & ſimiliter ipſis expoſitionem novæ doctrinæ, formulamque ſuper inductitiam accipientes mercedem injuſtam hujuſmodi eorum impiæ conſenſionis & vanitatis, fictam Sacerdotii ipſis impoſuerunt appellationem, non ab ullo legitimo ſuffragio aut Eccleſiaſtica ſucceſſione ad hoc inducti, ſed à prava & hæretica excogitatione, ut per plures & adſcriptitias perſonas, ut quidem putant, conſtituant inconſiſtentem ſuam & damnatam hæreſim, Dei verò Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam vaſtent.*

Deſtructis aut deſolatis per Saracenos, Turcas, aut alios infideles Eccleſiis titulares Epiſcopos hodie dant & Conſtantinopolitana Eccleſia & Romana. Eſt mos antiquus. Ipſum enim laudant ac probant, atque iſtiuſmodi Epiſcopos privilegiis augent Trullani Canones. Quapropter omninò cœpit ad Saracenorum in Eccleſiam primas graſſationes. Et forſan hæc Macedonii ac Petri promotio fuit prima iſtiuſmodi proviſio. Quidquid ſit, per hæc tempora Antiochenæ & Alexandrinæ vacantibus Eccleſiis Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus aut nominavit aut cum ſuo Clero elegit Epiſcopos Macedonium ac Petrum, & Conſtantinopoli conſecravit. Monothelita Monothelitas. Alexandrino Patriarchæ, qui Monotheliticam peſtem plantavit apud Ægyptios, Cyro ſucceſſit Petrus, quem in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius ac Martyr Theophanes, & in ſuo Chronico laudat Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, adſerens ſediſſe decem annis. Et in

hujus

hujus Petri locum memoratus Paulus intruſit alium Petrum. Nominis unitas neminem fallat. Et hanc intruſionem Martinus Pontifex meritò damnavit. Primò, quòd eſſet facta de hæreticis per hæreticos, & in hæreſis adjutorium: Ut per plures adſcriptitias perſonas poſſent ſuis erroribus auctoritatis pondus addere. Secundò, quòd facta eſſet in externa regione. Quis enim Canon Antiocheni aut Alexandrini Patriarchæ electionem aut conſecrationem permittat fieri Conſtantinopoli? Tertiò, quòd facta eſſet ſine legitimo electionis Decreto. Iſtæ enim adflictæ Eccleſiæ, quamdiu fidelem Clerum ac populum habent, ſpoliari non poſſint jure Electionis. Defuncto Macedonio ſucceſſit Jaribus, Jaribo Macarius, eadem via intruſi.

Eumdem Joannem Philadelphiæ Epiſcopum Sanctus Papa monet, ut cum magna dilectione hortetur eos, *qui depoſiti ſunt, converti ad Dominum*. Et de ipſis adjungit: *Si virtuti gratiæ mentem obſequentem habebunt, confirma unumquemque eorum in proprio gradu, ſcriptos libellos ipſis dantibus de orthodoxa fide*. Et iterum: *Hortamur Canonem obſervari in eis, qui præter mentem & ſcientiam ſeipſos elegerunt, vel delecti ſunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui ſive ante ipſius Patriarchiam, vel poſt deceſſum in Domino, à quibuſdam non convenienter electi ſunt, propter anguſtiam temporis, vel quòd ejus copia non adeſſet qui judicio adhibito, ſive juxta Canones eligere deberet, vel permittere. Tales datis libellis confirmari mandamus, nullatenus inde Canoni præjudicio facto. Novit enim Canon adflictorum temporum perſecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præceſſit*. Eadem de re ſcribit ad neſcio quem Pantaleonem: *De iis, qui non Canonicè illic electi ſunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii, eum canonem inviolabiliter decernimus cuſtodiri, qui à Sanctis Apoſtolis & Patribus noſtris conſtitutus eſt de iis, qui in alia civitate præter ſententiam ſcientiamque Pontificis, qui ei civitati præeſt, vel elegerint vel eliguntur, vel conſentiunt, vel connivent. Canones enim Eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes Canonum ſumus, non tranſgreſſores. Tametſi utramque Sedem illi violarint. Hanc quidem Apoſtolicam Sedem, quòd creationum Præcepta non dederit; Sedem verò Sancti Jacobi, quòd Sophronium celare ſtuduerint, ut cæteri liberè, ſicut ipſi volunt, non ſicut ſanctus Spiritus jubet, electiones ſibi arrogent. Tales proptereà Eccleſiæ Canon caſtigat. Non enim confuſionis & turbationis Deus eſt, ſed ordinis & pacis. Qui verò ante ipſius Patriarchiam, aut poſt ipſius dormitionem creati ſunt, de iis ſcripſimus: Propter temporis anguſtiam, quæ ſic creatis defenſionis locum præbet, eum inde Ecoleſiaſtico Canoni non præjudicetur, ut cùm libellum ſinceræ pœnitentiæ ſivæ orthodoxæ fidei dederint, qui nuper ad id iſtuc à nobis directus eſt*, utique Joannes Philadelphiæ Epiſcopus, *eos in proprio ordine confirmet, modò hi ex aliis peccatis non prohibeantur confirmari*.

Agit in duplicis generis Epiſcopos: In legitimo, & in illegitimo modo promotos. Et cunctos Monothelitas, aut certè de iſta lepra ſuſpectos. Et inter illegitimè promotos aliqui ante, aliqui poſt Sophronii Epiſcopatum, aliqui poſt ejus mortem fuere intruſi. Et iſti omnes intruſi ac intrudentes peccarunt in Apoſtolicum à ſexto Nicæno innovatum & confirmatum Canonem, qui ſine Metropolitani, id eſt, Patriarchæ aut Autocephali Exarchi ſententia & prævia confirmatione vetat conſecrari Epiſcopum, & omnem ſine ipſa conſecratum abjici atque exſufflari. Præterea omnes ſub Sophronii Epiſcopatu intrudentes ac intruſi deliquerunt non tantummodò in iſtum Canonem & Sancti Jacobi Cathedram, ſed etiam in Sancti Petri Romanam, quæ talium creationum non dedit Præcepta. Quæ ſunt hæc ænigmata? Quis in viventis & videntis Sophronii Patriarchatum fuit auſus ſine ejus prævio adſenſu conſecrare Epiſcopos? Cur & conſecrantes & conſecratos Sophronius non caſtigavit? Reſpondeo Saracenos ante Sophronii Epiſcopatum fuiſſe graſſatos in Palæſtina, & hujus quaſdam civitates fuiſſe ab ipſis ſubjugatas. Et harum etiam poſt Sophronii promotionem Cathedris Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſtatim dedit Epiſcopos, Et ita Sanctus Sophronius nec intrudentem nec intruſum potuit caſtigare. Et iſtos tam intrudentes quàm intruſos Pontifex adſerit deliquiſſe etiam in Cathedram Sancti Petri: Eò quòd hæc ipſis non dederit creationum Præcepta. Ex quo diſcimus duo. Primò, quòd deſtructis per Paganos Eccleſiis nullus providere poſſit, niſi proprius Patriarcha, aut Romanus Pontifex. Quoniam in iſtas alieni Patriarchatus Eccleſias Conſtantinopolitanus Patriarcha nihil habet vel devoluti juris, ideoque nec olim potuit, nec hodie poteſt nominare Epiſcopos, vel conſecrare. Alieno enim territorio nullus ſe poteſt miſcere. Secundò diſcimus, quòd ad talium Eccleſiarum proviſionem Romanus Pontifex poſſit concurrere cum Patriarcha aut Exarcho, & ſit locus præventioni. Præſertim in caſu negligentiæ. Et hinc omnes in Sancti Sophronii Patriarchatu ita intruſos Epiſcopos Sanctus Martinus dejecit. Et dejectos diſpenſatoriè permiſit reparari, dummodò orthodoxæ fidei libellos conſcriberent, & ipſos ſolemniter in Apoſtolici Vicarii manibus profiterentur.

Poſt Sancti Sophronii mortem, & omnem à Saracenis occupatam Syriam Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus cœpit in attentandis iſtis conſecrationibus eſſe longè audacior. Hinc illi potenter obviavit Sanctus Pontifex, & Apoſtolicas per Antiochiæ & Hieroſolymæ Patriarchatum vices delegavit Stephano, quem ſcripta ad Pantaleonem Epiſtola appellat Epiſcopum Dorylenſem. Eſt manifeſtum mendum. Etenim Dorylenſis Eccleſia eſt in Phrygia ſalutari, Aſiaticæ Diœceſios Provincia, libera tunc à Saracenis. Ejus proindè Epiſcopus tunc apud Syros non poterat explere vices Apoſtolicas. Reſpondeo Stephanum fuiſſe Dorenſem Epiſcopum: Olim Sancti Sophronii Legatum ad Honorium Pontificem. Lucèt ex litteris, quas hic Stephanus per Gregorium Sancti Theodoſii Abbatem miſit ad Lateranenſem Sancti Martini Synodum:

dum: *Sophronius quondam Patriarcha, ſub cujus Diœceſi fungebar Sacerdotale officium, ſtuduit meam Humilitatem ad hanc Apoſtolicam dirigere Sedem.* Et hæc epiſtolæ ſubſcriptio: *Stephanus per Dei miſericordiam Epiſcopus Dorenſis, & primus ſanctæ Synodi ſub Hieroſolymitani Patriarchæ Sede conſtitutus.* Ad epiſtolæ caput ſe titulat *Primum ſub Sacerdotali Sede Hieroſolymitanæ Diœceſios*; Iſtius Patriarchatus Proto-Thronum. Exiſtimo illum fuiſſe ſeniorem Provinciæ Suffraganeum. Nam & hi in Latinis Provinciis paſſim fuerunt Proto-Throni, ſeu Primates. Ut ut ſit, iſta Legatio Stephani virtutes fecerat notas Romanæ Eccleſiæ. Ei Martinus injunxit, ut ſua in iſtos intruſos ac titulares Epiſcopos Decreta exſequeretur, ac inſuper in cunctis utriuſque Patriarchatus Eccleſiis conſecraret novos, atque Cardinales Epiſcopos & Clericos. Hac de re ſcribit ad Joannem Philadelphiæ Epiſcopum: *Hanc,* utique novorum & realium Epiſcoporum & Clericorum conſecrationem, *& priùs Apoſtolica Sedes hæc fieri per Stephanum dilectum Coepiſcopum juſſit, ſed hoc ſalutare Propoſitum ad effectum venire probibuerunt, qui talia probibere dignos ſeipſos perhibuerunt. Qui pro arbitratu ſuo ea, quæ ædificationis ſunt, nota ei omninò non fecerunt. Nempè Præcepta demandatæ vicis Apoſtolicæ hujus Cathedræ, quibus juſſus eſt electiones ibi facere eorum, qui ad curam Chriſtianiſſimi populi eligendi ſunt. Solummodò autem ei ſignificaverunt de depoſitione, timorem Domini minimè cogitantes. Quoniam igitur, ut noſti dilecte Frater, in ædificationem magis quàm in deſtructionem à Domino poteſtatem accepimus, ſtudio tibi ſit ea, quæ ædificationis ſunt, operari, dato tibi per nos ejus Diſcipulos Apoſtolico Præcepto & poteſtate, & gratia dignos promovere nequaquam dubites, ad incolumitatem & ſecuritatem Eccleſiæ Catholicæ.* Et in epiſtola ad Pantaleonem: *Charitas tua non debuit ita ſe gerere adversùs eum, qui ab Apoſtolica Sede miſſus eſſet, Stephanum Deo amabilem Epiſcopum Dorylenſium civitatis, aut ejuſmodi de eo ad nos per propriam relationem tranſmittere, cum Salvatoris noſtri mandatum id non facere jubeat, ſed præcipiat invicem ſincerè diligere. Etenim illa diligenter expendentes, vana prorsùs invenimus, nec ullis argumentis demonſtrata, atque idcircò eum meritò ex Apoſtolica juſtificavimus auctoritate, iis autem qui contra eum ſcripſerunt, crimen dimiſimus, Canonis rigorem temperantes, & ad reſipiſcentiam ipſis ſufficere exiſtimantes fabulæ revelationem. Univerſam, quæ iſtic eſt, Catholicam Eccleſiam clauſerunt, ne memorato Epiſcopo redderentur miſſa ad eum ab Apoſtolica Sede Præcepta, quibus ejus Vicarius conſtitutus eſt, ac juſſus propter temporis anguſtias, id eſt, propter preſſuram irruentium in nos gentium, ea novè inſtituere, ad ſupplementum Eccleſiaſtici Ordinis, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, quoad poteſtas nobis defuit ad promovendum Patriarcham Hieroſolymorum. Ea fecerunt, quæ nec Hæretici unquam ſunt auſi facere: Abſcindentes ea quæ ad creationem & inſtitutionem pertinebat, ea verò tradentes quæ ad deſtitutionem.* Neſcio qui Syrorum Epiſcopi aut Clerici patrarunt duo facinora. Primò, Papale factæ in Stephanum delegationis Diploma mutilarunt: Eam partem, quæ creandorum Epiſcoporum poteſtatem ac mandatum dabat, abſtulerunt ac raſerunt; reliquerunt ſola in intruſos ac depoſitos Epiſcopos Decreta. Hæc ſola Stephano tradiderunt. Secundò, exceperunt adversùs Stephani perſonam, & ipſum de magnis ac fabuloſis criminibus apud Pontificem ſunt calumniati. Et horum unus fuit iſte neſcio quis Pantaleon.

Quæ omnia, & ex ipſis natam deſolationem conſiderans Theodorus Sancti Theodoſii Abbas, cum Joanne, Stephano, ac Leontio, ſuis Monachis, acceſſit Romam, & cuncta retulit Martino Pontifici. Hic eos ſuæ adversùm Monothelitas Lateranenſi Synodo adhibuit, purgavit Stephanum Epiſcopum, & tamen ex cauſis illi abſtulit Apoſtolicas vices, eas tranſtulit in Joannem Archiepiſcopum Philadelphiæ, munivit encyclicis ad omnem Antiochiæ ac Hieroſolymæ Patriarchatum litteris, has miſit per dictum Theodorum, & inſuper ſcripſit ad laudatum Joannem: *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ. Sic proſpicimus in Domino, ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnium civitatum Eccleſias, quæ Sedi tam Hieroſolymitanæ, quàm Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos. Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex auctoritate Apoſtolica, quæ data eſt nobis à Domino per Petrum ſanctiſſimum, & Principem Apoſtolorum. Propter anguſtias temporis noſtri & preſſuram gentium, Ne uſque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis decoris eximius Ordo, ac indè de cætero noſtræ Religionis magnum & venerandum myſterium ignoretur.* Encyclica Pontificis epiſtola laudat celebratam adversùs Monothelitas Lateranenſem Synodum, reverendam ac obſervandam commendat, ejus exſecutionem adfirmat commiſſam Joanni Epiſcopo ac Apoſtolico Vicario, atque adjungit: *Ad majorem fidei ſtabilitatem ſtuduimus præcipere, ſecundùm poteſtatem nobis à Domino in gratia datam per Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem, Joanni dilecto fratri noſtro, ut locum noſtrum in omnibus Eccleſiaſticis articulis in partibus Orientis ſuppleat, & creet in omnibus civitatibus, quæ Antiochenæ Sedi, quæque Hieroſolymitanæ Sacerdotaliter ſubſunt, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ne, ſicut dicit Propheta, deficiant à comeſtione oves, eò quòd non ſint boves in præſepibus, id eſt, fideles & orthodoxi populi, quòd Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos non habeant, qui ſpiritualem ipſis cibum excitent & præbeant.* Omnes ſeriò hortatur, ut dicto Vicario in cunctis obtemperent. Quod ipſum per ſingulares litteras commendat Theodoro Esbuntiorum epiſcopo, Antonio epiſcopo Bacathorum, & Gregorio Abbati Sancti Theodoſii. Erant plura iſtius Sancti Monaſteria.

His obſtare videtur laudati Stephani Dorenſis epiſcopi ad Lateranenſem Sancti Martini Synodum, lecta & probata in hujus ſecundo Secretario, epiſtola: *Sed & hoc doceo Sanctitatem veſtram, quia temporis attendentes perturbationem*, utique Epiſcopi Monothelitæ, *multos in Oriente per ambitionem decepiſſe noſcuntur. Sergius namque quondam Joppenſis Epiſcopus, poſt receſſum gentis Perſarum,*

ſarum, Loci-Servaturam Sedis Hieroſolymitanæ, ſeu Viſitatoris in ipſa officium, *arripiens, non quidem per Eccleſiaſticam auctoritatem, ſed per ſæcularem Poteſtatem contra Canones, ibidem ſub Sede Hieroſolymitana pertinentes aliquos Epiſcopos ordinavit, & cùm ipſe minimè fuerit confirmatus, alios ordinare præſumpſit. Hi autem propterea ſcientes inanem eſſe ordinationem eorum, per propria ſcripta conſentientes, applicuerunt ſe adfectatæ novitati, quæ à Paulo Conſtantinopolitano Epiſcopo defenditur, quaſi ex hoc ſperantes enormiter, quod impoſſibile eſt, confirmari. De quibus & anteà Apoſtolicæ Sedi innotui, id eſt, beatæ memoriæ Deceſſori veſtro Theodoro. Juſſitque mihi indigno per ſacram ſuam præceptionem, ordinans me Loci-Servatorem per Apoſtolica ejus ſcripta, quatenus tum ea, quæque fuiſſent, Eccleſiaſtica Capitula peragere debuiſſem, & Canonicè, ſi nullatenus emendarentur, qui ſub denominato prætextu ordinati ſunt Epiſcopi, deponerem eos. Quod & feciſſe me certum eſt. Et præcipuè quoniam in errorem à veritate recedentes, ſpontè delapſi ſunt. Et tantùm illos recepi ſecundùm juſſionem ejus, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, & profeſſi ſunt in ſcripto, conſervare indeſinenter & amplecti prædicare ſanctorum Patrum & Synodorum doctrinas, quorum libellos nuper deferens obtuli ſacratiſſimæ præſidenti Sanctitati veſtræ, Martino ter beatiſſimo Papæ, ab eo, quod aliqui eorum meritò recepti, & confirmati ſunt, aliqui verò pro tuitione Catholicæ Eccleſiæ condemnati.* Hæc epiſtola diſertè ac lucidè adfirmat ipſos Epiſcopos non à Paulo Patriarcha Conſtantinopolitano, ſed à Sergio Joppenſi Epiſcopo fuiſſe conſecratos.

Reſpondeo notanda eſſe Stephani verba de Hieroſolymitanæ Eccleſiæ per Sergium invaſa viſitatione: *Per ſæcularem Poteſtatem contra Canones*. Non per Homarum Saracenorum, ſed per Heraclium Romanorum Principem. Hæc enim eſt una ex quorumdam Imperatorum in Eccleſiaſticam libertatem violentiis. Etenim de Imperatore Conſtantio, quòd neſcio quem Felicem juſſerit in Palatio conſecrari Epiſcopum, atque ita tamquam Anti-Chriſti Præcurſor ex Palatio Eccleſiam fecerit, lamentatur in epiſtola ad ſuos Monachos Sanctus Athanaſius. Et de Valente Auguſto, quòd Lucium Pſeudo-Patriarcham Alexandrinum à ſimilis fæcis Antiocheno Patriarcha Euzoio juſſerit conſecrari, ſcribit Hermias Zozomenus. (Lib. 6. cap. 19.) Quòd Calendionem Antiochenum Imperator Zeno juſſerit Conſtantinopoli conſecrari contra Canones, affirmat in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius. Quòd Imperator Juſtinianus Mediolanenſem Electum, quia Gothi adhuc graſſabantur per Italiam, juſſerit apud Ravennam conſecrari, teſtatur in litteris ad Narſetem Comitem Pelagius primus Pontifex. (Epiſt. 3.) Eadem de re Imperatorem Arcadium, qui Sanctum Joannem Chryſoſtomum juſſerat conſecrari per Theophilum Alexandrinum, quidam arguunt.. Eadem violentia Theodoricus Italiæ Rex Petrum Altinum Epiſcopum intruſit Romanæ Eccleſiæ Viſitatorem. Ita ergo plenam & viſitandi, & conſecrandi poteſtatem in Hieroſolymitano Patriarchatu Heraclius Imperator dedit Sergio Joppenſi Epiſcopo. Nec ipſi defuit delegatio Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani. Quomodo non delegarit conſecrandos Epiſcopos, qui ipſe Patriarchas conſecravit? Etenim in Alexandrinæ ſuæ Eccleſiæ Chronico Eutychius Patriarcha ſcribit Homarum fuiſſe tertium Mahometicæ Sectæ Calypham, atque adjungit: (Lib. 2. f. 271.) *Anno Calyphatus ejus quinto conſtitutus eſt Macedonius Patriarcha Antiochenus in urbe Conſtantinopolitana, qui Maronita fuit. Conſtantinopoli ſex annis ſubſtitit, deinde è vivis exceſſit, antequam Antiochiam vel ingreſſus eſſet, vel vidiſſet.* Et pergit de proximo Homari Succeſſore Ottomanno: *Anno Calyphatus ejus tertio conſtitutus eſt Jaribus Patriarcha Antiochenus, qui Maronita fuit. Ei autem muneri præfectus eſt Conſtantinopoli, ubi quinque annos ſubſtitit, neque Antiochiam pervenit. Mortuus eſt autem Conſtantinopoli, ac ibi ſepultus. Anno Calyphatus ejuſdem decimo Macarius eſt factus Patriarcha Antiochenus, qui & Maronita fuit. Hic etiam Conſtantinopoli creatus, cum ibi octo annos permanſiſſet, neque Antiochiam acceſſiſſet, mortuus eſt, & ibi ſepultus. Anno Calyphatus ejuſdem quarto Petrus eſt factus Patriarcha Alexandrinus. Maronita fuit. Cum annos novem ſediſſet, mortuus eſt.*

Affirmat non ſolum Macedonium, ſed etiam Jaribum ac Macarium fuiſſe Conſtantinopoli electos, conſecratos, habitaſſe ſemper, ac eſſe defunctos. Et hinc diſcimus varia. Primò, quòd non ſolùm Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed etiam ejus Succeſſores perrexerint deſtructis per Saracenos Eccleſiis nominare & conſecrare Epiſcopos, præſertim Patriarchas. Secundò, quòd iſta electio atque conſecratio ſtatim cœperit cum ipſis Saracenorum in Eccleſias irruptionibus. Theodorus Balſamon in Meditato de Patriarcharum juribus affirmat ſine quinque Patriarchis non conſtare Eccleſiæ corpus, atque adjungit: *Ob hanc ipſam cauſam, uti credi par eſt, jam dudum ſancitum eſt, ut haud dubiè per electionem inſtituantur etiam ii Patriarchæ, qui ceteròquin ſacros ſibi deſtinatos thronos ob Paganorum hoſtiles incurſus non poſſident.* An etiam ſub Heraclii Imperio fuerint electi, an autem nominati, & qualiter iſta electio fuerit celebrata, eſt longa quæſtio. Quidquid ſit, iſtas electiones, uti fucos & figmenta, Romana Eccleſia ſprevit, & ejuſmodi Patriarchas dudum noluit agnoſcere. Probavit Sancti Martini judicium de iſta electione Macedonii. Et hinc tertiò diſcimus intellectum ſexti Concilii. Poſt degradatum in duodecima Actione Macarium Patriarcham Antiochenum *Epiſcopi ac Venerabiles Clerici, qui ſub Sede ſunt Antiochiæ civitatis*, accedunt ad glorioſiſſimos judices, & dicunt: *Petimus veſtram Gloriam ſuggerere piiſſimo noſtro Domino & magno Imperatori, alterum pro Macario, qui fuerat Archiepiſcopus noſter, ad Pontificalem Sedem Antiochiæ provenire, ut non ſit vidua hujuſmodi Sedes.* Et glorioſiſſimi judices reſpondent: *Secundùm ea, quæ conſiderata ſunt à ſancto & univerſali veſtro Concilio, & juxta petitionem Reverendiſſimorum Epiſcoporum ac Religioſorum Clericorum, qui ſunt ſub jure Sedis Antiochiæ civitatis, agemus.* Et ab iſtis Epiſcopis & Clericis fuit electus

& conſecratus Theophanes, Monachus Cœnobii ad Baias. Et hic eſt primus poſt Saracenicam captivitatem legitimus Patriarcha Antiochiæ. Apoſtolici Legati, licet Macarium titulari Patriarcham, & uti talem ſibi adſidere permiſerint cauſa pacis, ejus tamen electionem habuerunt pro fuco: Et hinc Theophanem voluerunt eligi ſecundùm Canones. Et univerſa Synodus permiſit. Et quòd illic ſimiles ordinationes fuerint damnatæ atque proſcriptæ, non eſt dubitandum. Verùm poſt Romanæ Legationis abitum Græci manſerunt Græci: Iſtas ordinationes pertinaciter continuarunt. Et ipſas confirmarunt, ac privilegiis honorarunt in Trullana Synodo. Quia nempe ipſorum quidam meliores & prudentiores cenſebant non recedendum à ſextæ Synodi & Romanæ Eccleſiæ judicio. Adversùm hos ſenſerunt plures, atque ita iſte Canon prodiit. Et hinc quartò diſcimus iſtum Canonem eſſe ex illis, quos Romana Eccleſia noluit admittere. An etiam Petrus Alexandriæ Patriarcha fuerit electus Conſtantinopoli, Euthychius non exprimit. Exiſtimo illic electum. Ejus enim electionem cum Macedonii electione comparat Sanctus Martinus: Et ambas eodem tenore damnat. Exiſtimo ipſum abiiſſe Conſtantinopoli Alexandriam, & illic ſediſſe.

Cap. 37.

Pergit Euthychius: *Porrò mortuus eſt Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus poſtquam illo munere quatuor annis functus eſſet. Poſt mortem autem ipſius manſerunt Hieroſolymæ abſque Patriarcha annis viginti novem.* Et infrà: *Anno Calyphatus Moaviæ ſeptimo conſtitutus eſt Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus, qui annis quadraginta ſedit. Manſerat autem Sedes Hieroſolymitana poſt mortem Sophronii, uſque dum ſufficeretur Joannes, ſine Patriarcha per annos viginti novem.* Hinc ſexti Concilii tempore Viſitator Hieroſolymitanæ Eccleſiæ fuit Theodorus Presbyter, & ipſe ſuo loco ad Synodum legavit Georgium Monachum, ac Presbyterum in Eccleſia Dominicæ Reſurrectionis. Quæ Chronologia an ſubſiſtat, eſt alio loco diſcutiendum. Interim cur poſt Sophronii mortem Patriarchalis Eccleſia tot annis vacaverit, ignoro. Ex hac porro vacatione vides cauſam, ob quam Sergius Joppenſis Epiſcopus in ſolo Hieroſolymæ, non autem in Antiochiæ Patriarchatu ordinaverit Epiſcopos. Quia nempè Antiochia habebat Conſtantinopoli Patriarcham Macedonium: Et hic ſuas conſecrandi vices alicui iſtic Epiſcopo delegarat. Hinc Imperator Heraclius Sergio detulit Viſitationem ſolius Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Porrò Sergius dumtaxat conſecravit poſt mortem Sophronii. At verò Sanctus Martinus lucidè affirmat tales conſecrationes non ſolùm poſt Sophronii mortem, ſed etiam in ipſius vita, ac item ante ejus Patriarchatum fuiſſe graſſatas. Etenim inter Modeſti Patriarchæ mortem & Succeſſoris Sophronii promotionem, ſi quidem dicto Euthychio credimus, interceſſerunt ſex vacationis anni: Et tunc fuit graſſata etiam iſta audacia. Ejus non fuit alia origo, quàm Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui partim ſua, partim Auguſta Auctoritate talia in iſtas Eccleſias attentarunt. Exiſtimo hac de re nec dubitandum. Et iſta audacia Sergius, Paulus, ac alii Monothelitæ Patriarchæ fuerunt abuſi ad ſuæ hæreſis ſtabilimentum. Hinc ad ipſam eliminandam Theodorus Pontifex Stephano Dorenſi Epiſcopo dedit Viſitationem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, Sanctus Martinus addidit Viſitationem Antiochenæ Sedis, & inſuper per utrumque Patriarchatum Apoſtolicas ordinandi vices. Et has tandem ex cauſis transtulit in Joannem Archiepiſcopum Philadelphienſem. Et hæc omnia affirmat eſſe ſecundùm Canones, & ſpectare ad Sancti Petri privilegium. Et ſcripſit ad Joannem: *Ejus, qui falsò ſibi nomen Epiſcopatus affinxit, Macedonii dico, importunas litterarum minas, ſive proteſtationem fortiter deſpuito, ut rabidi & temerarii canis latratum.* Nempe ut nunc cum ſuis Symmyſtis Venericus Vercellenſis Epiſcopus adversùm ſeptimi Gregorii, ita tunc Pſeudo-Patriarcha Macedonius adversùm Sancti Martini delegationem proteſtabatur, atque inſaniebat. Et quidem Sanctus Martinus iſta omnia ſanxit & ſcripſit ex judicio ſui Lateranenſis Concilii. Etiam de Conſtantino Papa, Conſtantinopolim profecto ad Imperatorem Juſtinianum ſecundum, ſcribit in libro Pontificali Anaſtaſius Bibliothecharius: *Hic fecit ordinationes Epiſcoporum in eundo & redeundo, per diverſa loca Epiſcopos duodecim.* Et nemo contradixit.

Lib. 2. fol. 292.

CAPUT IV.

Papa oſtenditur eamdem poteſtatem habuiſſe in omni Occidentis Patriarchatu, nominatim in Illyriciana Diœceſi.

EOdem conſecrandi jure Romanus Pontifex ſemper fuit uſus per omnes Diœceſes ac Provincias ſui Occidentalis Patriarchatus. Immò longè majori. Utpotè inducto palàm per Apoſtolicum, & ſtabilito per ſextum Nicænum Canonem. Illyriciana Diœceſis inter Romanum & Conſtantinopolitanum Patriarchatum frequenter ceſpitavit, ideoque illum eſt quandoque minùs venerata, & tamen ad Sanctum Anyſium Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, ſuum iſtic Vicarium, in publicatis per Dominum Lucam Holſtenium litteris ſcripſit Siricius Pontifex: *Etiam dudum, Frater chariſſime, per Candidianum Epiſcopum, qui nos præceſſit ad Dominum, hujuſmodi litteras dederamus, ut nulla licentia eſſet ſine conſenſu tuo in Illyrico Epiſcopos ordinare præſumere. Quæ utrùm ad te pervenerint, ſcire non potui. Multa enim geſta ſunt illic per contentionem ab Epiſcopis in ordinationibus faciendis: Quod tua meliùs Charitas novit. Et ideò ſollicitè agere te oportet, ne, ut factum eſt, certatim in una Eccleſia, dum ordinare præſumunt indignos, veluti tres Epi-* Epiſt. 3.

ſcopos feciſſe videantur. Ad omnem hujuſmodi audaciam comprimendam vigilare debet conſtantia tua, Spiritu in te ſancto fervente, ut vel ipſe ordines, ſi potes, vel quos judicaveris Epiſcopos idoneos cum litteris dirigas dato conſenſu, qui poſſint in ejus locum, qui defunctus vel depoſitus fuerit, Catholicum Epiſcopum, & vita & moribus probatum, ſecundùm Nicænæ Synodi Statuta, vel Eccleſiæ Romanæ Clericum, de Clero meritum ordinare. Ex quo Byzantium, Heracleenſis in Europæ Provincia Metropoleos ſuffraganea Parochia, profecit in Regiam Conſtantinopolim & novam Romam; ejus Epiſcopi ſtatim cœperunt non dumtaxat Metropoliticam, ſed & Patriarchalem dignitatem ambire, ideoque non ſolùm Thraciçæ Diœceſeos, ſed etiam Orientalis Illyrici Provincias ſollicitare, rodere, invadere. Hinc enim Sanctus Anyſius, Metropolita Theſſalonicenſis, invitatus adſuit utrique, ex qua ſecunda Œcumenicam conſlamus, Conſtantinopolitanæ Synodo. Hinc item eadem civitas quandoque accepit tres ſimul Epiſcopos. Nempè duos à duobus de eadem ſuffraganea civitate litigantibus Metropolitis, tertium à Conſtantinopolitano Epiſcopo. Quis enim credat tres quandoque Metropolitas de eadem civitate concertaſſe? Etiam poſſint certaſſe duo Electi, & à diverſis Metropolitis fuiſſe conſecrati. Poſſit item occurriſſe caſus, ex quo Sanctus Ambroſius Illyrici caput Syrmium accedere debuit, & ibidem Epiſcopum ordinare. Quidquid ſit, adversùm ſimiles exceſſus ac rapinas Sanctus Damaſus Pontifex iſtic erexit novum Apoſtolicæ delegationis Magiſtratum: Archiepiſcopo Theſſalonicenſi dedit Apoſtolicas vices per omnem Illyrici Diœceſim. Dedit perſonæ, non Sedi. Hinc novus ſemper Epiſcopus debuit novum ſemper Diploma accipere. Etiam idem Epiſcopus à novo ſemper Pontifice.

Et uſque tunc quiſque illic Metropolita conſecrabat ſuos Suffraganeos, & ab ipſis conſecrabatur, more aliarum Occidentalium Provinciarum, gratioſè inducto atque indulto per ipſos Apoſtolos. Etenim Tito, Cretenſis ad Illyrici Diœceſim ſpectantis Provinciæ primo Metropolitæ, mandavit Sanctus Paulus Apoſtolus, ut per omnes civitates conſtitueret Presbyteros, id eſt, Epiſcopos conſecraret. Hunc morem mutavit Damaſus. Omnes totius Diœceſis etiam Provinciales Epiſcopos voluit conſecrari per ſuum Vicarium. Omnium iſtic Epiſcoporum conſecrationes reddidit Sedi Apoſtolicæ. Et ejus Decretum Siricius in jam adductis litteris innovavit & confirmavit. Et ita videtur fuiſſe uſque ad Sancti ac Magni Leonis Pontificatum. Durum quippe id viſum eſt Metropolitis, ideoque non minùs quàm Hilarius Arelatenſis illi adversùs Sedem Apoſtolicam murmurarunt. Queſti ſunt ſe eſſe ſolo nomine Metropolitas, omnem ejus ſibi ablatam rem tranſiiſſe ad Pontificem.
Ep. 24. Hinc ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum iſtic Vicarium, ſcripſit laudatus Leo: *Nullus te inconſulto per illas Eccleſias ordinetur Antiſtes. Ita enim fiet, ut ſint de eligendis matura judicia, dum tuæ Dilectionis examen formidatur. Quiſquis verò de Metropolitanis Epiſcopis contra noſtram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam ſibi apud nos ſtatus ſui eſſe noverit firmitatem, eoſque uſurpationis ſuæ, qui hoc præſumpſerint, rationem reddituros. Singulis autem Metropolitanis, ſicut poteſtas illa committitur, ut in ſuis Provinciis jus habeant ordinandi, ita ejus Metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio. Quamvis enim omnes Antiſtites probatos & Deo placitos deceat conſecrari, hos autem præcellere volumus, quos præfuturos his, qui ad ſe pertinent, Conſacerdotibus noverimus*. Et ad cunctos iſtius Diœceſis Metropolitas ſcripſit: *Ita vos ad illum*, Epiſcopum ac Vicarium Theſſalonicenſem, *pertinere volumus, ut ad vos Provinciarum veſtrarum pertinent Sacerdotes. Qui ergò jure ſibi debito uti cupiunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate conceſſa per ſuam contumaciam imminuere non nitantur. Ut verò Dilectioni veſtræ Provinciæ ordinatio permittitur Sacerdotum, ita Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Anaſtaſium de ordinando Antiſtite volumus conſulatis, cui Metropolitani Epiſcopi conſecrationem ſtatuimus reſervari, ut eo inquiſitore atque cuſtode, cum certæ licentiæ modus imponitur, Eccleſiaſticæ diſciplinæ in omnibus ordo ſervetur*. Sancit varia. Primò, ut Provincialium Epiſcoporum electio per Vicarium examinetur & confirmetur. Secundò permittit, ut iſti Electi & Confirmati per ſuos Metropolitas conſecrentur. Tertiò, Metropolitarum electionem vult longè ſtrictiùs per Vicarium examinari, & ante conſecrationem confirmari. Quartò ipſorum conſecrationem Vicario privativè reſervat. Quintò permittit Vicario, ut ipſorum conſecrationem poſſit Comprovincialibus delegare. Ea ſubjectione, qua Provinciales Epiſcopi Metropolitæ ſubſunt, vult Metropolitas ſubeſſe Vicario. Exſtant iſtæ epiſtolæ in Bonifacii ſecundi Romana Synodo, publicata per Dominum Lucam Holſtenium. Ep. 25.

Et hæc omnia Sanctus Leo confirmat in alia ad eundem Anaſtaſium epiſtola. Decernit primò. *Secundùm Sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum Provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra Fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquæ dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione decedant*. Per iſtos Divinos Patrum Canones intelligit ſexti Nicæni Canonis clauſulam: *Suis privilegia ſerventur Eccleſiis*. Affirmat per Apoſtolicas in Illyrico vices nec exſufflari, nec caſtrari jus Metropoliticum: Metropolitas manere Metropolitas, non ſolo nomine, ſed & re. Palàm obviat illorum querimoniis. Et adjungit: *A præſtitutis regulis non decedant*. Utique à præſtitutis regulis circa Apoſtolici Vicarii auctoritatem. Secundò decernit: *Cùm de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri populique conſenſus concorditer poſtularit. Ita ut ſi in aliam fortè perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur & meritis. Tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Epiſcopum non optatum aut con-*

contemnat aut oderit, & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuit habere quem voluit. Theſſalonicenſes Vicarii exceſſerant mandati limites. Quomodo enim Atticum Nicopolitanum Epiſcopum, veteris Epiri Metropolitam, tractaverit hic ipſe Anaſtaſius, docet hæc ipſa epiſtola. Etiam aut ipſe, aut quis ejus Anteceſſor ceciderat in violentias, quas in ſuo per Gallias Vicario ac Arelatenſium Metropolita Hilario damnavit etiam Sanctus Leo: Quia Provinciales Epiſcopos conſecrare ſolus poterat, præſumpſit ſolus eligere, ac nominare, atque ita invitis populis obtrudere. Hunc exceſſum Pontifex damnat, & omninò vult omnem Epiſcopum Canonicè eligi. Et natam in electione diſcordiam decidi non per Vicarium, ſed per Metropolitam. Et hos exceſſus planè opinor fuiſſe cauſam, ex qua Sanctus Leo Provincialium Epiſcoporum conſecrationem reddiderit Metropolitis. Tertiò decernit: *De perſona conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad tuam Fraternitatem referat, quodque in Provincia benè placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diu deſit cura Paſtorum.* Provincialium Epiſcoporum electiones vult primùm à Metropolita, deindè à Vicario diſcuti & confirmari. Hanc enim auctoritatem Metropolitæ quartus, Patriarchæ autem dat ſextus Canon Nicænus. Et Anaſtaſio, ne legitimas electiones vexet, Papa meritò mandat: Hæ enim fuerunt artes quorumdam Vicariorum. Hos frœnat & limitat Pontifex, Metropolitas autem reparat & ampliat. Et pergit: *Metropolitano defuncto, cùm in ejus locum alius fuerit ſubrogandus, Provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debent, & omnium Clericorum atque civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cujus nomine ad tuam notitiam Provinciales referant Epiſcopi, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognoverint. Sicut enim juſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.* Rigidè vetat electos Metropolitas ſine prævia Vicarii confirmatione conſecrari.

Notanda ſunt verba: *Impleturi vota poſcentium.* Omninò videntur electi Metropolitæ conſecrationem permittere Provincialibus Epiſcopis. Non poſſim negare. Quapropter hæc Epiſtola videtur eſſe anterior jam adductis duabus aliis. Quòd ſi verum ſit, Siricii Decretum Illyriciani Metropolitæ penitus excuſſerant, ſuos conſecrabant Suffraganeos, ab ipſis conſecrabantur, & antiquum morem plenè reparaverant. Et ſic Provincialium Epiſcoporum conſecrationem ipſis non reddidit, ſed dumtaxat reliquit Magnus Leo. Et eorum Metropolitarum conſecrationem denuò eripuit ipſorum Synodo, ac ſibi reſervavit. Reſpondeo tamen hanc epiſtolam iſtis duabus eſſe potius poſteriorem. Exiſtimo quòd Metropolitarum ac Provincialium item Epiſcoporum querimoniis tandem fractus Leo permiſerit etiam iſtos à ſuis Synodis conſecrari. Perſuadeor à Sixti tertii, Apoſtolicas Anaſtaſio vices innovantis, ad Theſſalonicenſem Synodum litteris: *Nos fratri & Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum Deceſſoribus ipſius à Deceſſoribus noſtris eſt attributum. Priorum judicium ſequimur. Habeant honorem ſuum Metropolitani ſingularum Provinciarum, ſalvo hujus privilegio, quem honorare debeant magis honorati. In Provincia ſua jus habeant ordinandi. Sed hoc inſcio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem majores cauſæ referantur Antiſtitem. Ipſum major cura reſpectet eos, qui ad Epiſcopatum vocantur, diſcutiendi ſollicitiùs & probandi.* Loquitur generatim de cunctis Epiſcopis: Etiam Metropolitas vult per Vicarium dumtaxat confirmari. Et hinc in litteris, quas Bonifacio ſecundo Pontifici ac ejus Romanæ Synodo miſit, ac per Theodoſium Echinienſem Epiſcopum obtulit Stephanus Lariſſæ Epiſcopus ac Theſſaliæ Metropolita, oſtendit ſe fuiſſe Canonicè electum, & adjungit: *Et quia ordinationem ſecundùm priſcam conſuetudinem non alibi, ſed in eadem civitate fieri oportebat, convenit Sancta Provinciæ Synodus, & totius civitatis Poſſeſſores, omneque corpus Eccleſiæ, & communi omnium teſtimonio nihil conſuetudini detrahente, in Eccleſia ſum ordinatus Epiſcopus.* Et Joannes Nicopolitanus Epiſcopus, veteris Epiri Metropolita ſcripſit ad Hormiſdam Pontificem: (Relat. 3. poſt ep. 61) *Patre noſtro atque Archiepiſcopo Alciſone ad ſupernas manſiones evocato, in me Sancta Synodus bonorum actuum, & Clerus Paſtorum tranſtulit ſortem.* Affirmat ſe conſecratum à ſua Synodo, conſecrationem ſuam refert Pontifici, & affirmat hanc eſſe antiquam conſuetudinem. Antiqua conſuetudo mandabat ejus conſecrationem præviè per Provinciales Epiſcopos referri ad Vicarium Theſſalonicenſem, & illius faciendæ ab hoc poſtulari facultatem, ac factæ electionis confirmationem. Verùm Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus tunc fovebat Acacianum ſchiſma Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, atque ita Catholicus Joannes fuit conſecratus ſine ejus venia. Hinc ſuam conſecrationem retulit ad Pontificem. Et hæc omnia Hormiſdas probavit. (Epiſt. 7. Epiſt. 9.) Et profitetur iſtius Provinciæ Suffraganeos à Joanne legitimè etiam conſecrari. Quòd item Salonitanus Epiſcopus, Dalmatiæ Metropolita fuerit olim conſecratus à ſua Synodo, lucet ex variis Magni Gregorii epiſtolis, ſcriptis in cauſa Maximi iſtic Archiepiſcopi. Hæc omnia evincunt, quòd Magnus Leo omnes Illyrici Epiſcopos à ſuis Metropolitis, & Metropolitas à ſuis Synodis permiſerit conſecrari.

Verùm his obſtare videtur undecima ad Catellianum primæ Juſtinianæ Epiſcopum ſcripta Imperatoris Juſtiniani novella lex, quæ Acridenſem civitatem exaltat in primam Juſtinianam, ei dat Primatum ac Patriarchale jus in aliquot Illyrici Provincias, atque adjungit: *Et ideò tua Beatitudo, & omnes primæ Juſtinianæ ſacroſancti Antiſtites, Archiepiſcopi,* id eſt, Primatis atque Exarchi, *habeant Prærogativam, & omnem licentiam, auctoritatem ſuam eis,* iſtarum Provinciarum

rum Epiſcopis, *impartiri, & eos ordinare, & in omnibus illis Provinciis primam habere dignitatem, ſummum Sacerdotium, ſummum faſtigium; à tua Sede creentur, & te ſolum Archiepiſcopum habeant, nulla communione ad eum Theſſalonicenſi Epiſcopo ſervanda*. Acridenſem Epiſcopum ab Apoſtolicis Theſſalonicenſis Epiſcopi vicibus eximit, illique adſcribit omnem in quaſdam Provincias poteſtatem, quam in ipſas anteà habuerat Theſſalonicenſis. Ei adſcribit auctoritatem ordinandi iſtic omnes Epiſcopos, & Metropolitas & Provinciales. Ergò eandem uſque tunc Lib. 4. epiſt. 10. habuerat Theſſalonicenſis. Et ex hac lege ſuas ad Felicem Sardicenſem Metropolitam litteras formavit Magnus Gregorius. Affirmat primæ Juſtinianæ Epiſcopum eſſe ejus Ordinatorem. Ipſius contra illum frangit contumaciam, & jubet in omnibus obedire. Nempè Juſtiniani legem Vigilius Pontifex confirmaverat, & donaverat auctoritate Canonis. Reſpondeo Juſtinianum, vel potiùs ad ejus preces Vigilium Acridenſi Eccleſiæ dediſſe plura, quàm tunc haberet Theſſalonicenſis Vicarius: Ei enim dedit Autocephaliam, & ſupra quaſdam Provincias jus Patriarchicum, ad quod palàm ſpectat conſecratio Epiſcoporum omnium, & Metropolitarum & Provincialium. Patriarchale illic jus anteà omninò pertinebat ad Romanum Pontificem: Ejus partem alienavit Vigilius, & dedit Acridenſi Epiſcopo. Et hinc etiam lucet quòd per omnes Illyricianæ Diœceſis Provincias Romanus Pontifex potuerit omnes Epiſcopos conſecrare.

Quòd Ariani, ne de ſancti Spiritus conſubſtantiali Divinitate convincerentur, hæc Dominica verba, *Deus ſpiritus eſt*, raſerint de Sancti Joannis Evangelio, teſtatur in libris de Spiritu Sancto Sanctus Ambroſius, atque adjungit: *Eo tempore, quo à Valente & Urſacio, nutantibus Sacerdotibus ſuis, incurſabatur Eccleſia Syrmienſis, falſum hoc & ſacrilegum in Eccleſiaſticis codicibus deprehenſum eſt*. Lib. 3. c. 11. Syrmienſis Eccleſiæ incurſationem exponit in Sancti Ambroſii vita Paulinus Presbyter: *Syrmium cùm ad ordinandum Anemium Epiſcopum perrexiſſet Ambroſius, ibique Juſtinæ tunc temporis Reginæ potentia & multitudine coadunata de Eccleſia pelleretur, ut non ab ipſo, ſed ab hæreticis Arianis Epiſcopus ordinaretur in eadem Eccleſia, eſſetque conſtitutus in Tribunali, nihil curans eorum, quæ à muliere excitabantur, una de Virginibus Arianorum, impudentior cæteris Tribunal conſcendens, apprehenſo veſtimento Sacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipſis cæſus de Eccleſia pelleretur, ait ei; Etſi ego indignus tanto Sacerdotio ſim, tamen te non convenit vel profeſſionem tuam, in qualemcumque Sacerdotem manus injicere, undè debes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid mali eveniat. Quod dictum exitus confirmavit. Nam alio die mortuam ad ſepulchrum deduxit, reddens gratiam pro contumelia. Et hoc factum non levem adverſarii incuſſit metum, pacemque magnam Eccleſiæ Catholicæ in ordinando Epiſcopo tribuit. Ordinato itaque Catholico Sacerdote, Mediolanum revertitur*. Syrmium erat tunc caput Illyrici, Sedes Præfecti Prætorio ac prima Metropolis. Hinc quæſtio eſt, Qua auctoritate Sanctus Ambroſius conſecraverit illius Epiſcopum? Reſpondeo ordinaſſe ex delegata auctoritate Sancti Damaſi Pontificis. Factum namque id fuit ante illic erectas vices Apoſtolicas. Et ſimiles Arianorum auſus forſan fuerunt una cauſarum, ob quas Romana Eccleſia iſtum novum Magiſtratum ibi induxit. Quidquid ſit, lucet iſtum Metropolitam etiam tunc ex cauſis potuiſſe conſecrari à Romano Pontifice, ac item ab ipſius Legato.

Poſtquam Imperator Leo Iſaurus Illyricianam Diœceſim violenter ſubſtraxit Romano Patriarchatui, & tranſcripſit in Patriarchatum Conſtantinopolitanum, etiam Salonitana Eccleſia, Dalmatiæ Metropolitana, reſpicere cœpit Regiæ civitatis Cathedram, ac ipſius Epiſcopus, juxta vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem, illic conſecrari. Hinc etiam, licet tunc Sclavis pareret quoad temporalia, ſecuta fuit ſchiſma Photii. At tandem meliora didicit, redire voluit non tantummodo ad communionem & obedientiam, ſed etiam ad Patriarchalem curam Romanæ Eccleſiæ, & ſuum Electum conſecrandum non Conſtantinopolim mittere, ſed Romam. Obſtabat timor violentiæ à Græcis & Sclavis. Hinc ad ejus Clerum & Comprovinciales Epiſcopos ſcripſit Joannes Octavus: *Monemus atque hortamur, ut ad gremium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ redire ovanter attendatis, & Electus à vobis Canonicè Archiepiſcopus ad nos veniens, gratiam Epiſcopalis conſecrationis, ſacrumque Pallium à nobis, more priſtino, incunctanter percipiat*. Et infrà: Ep. 190. *Porrò ſi aliquid de parte Græcorum vel Sclavorum ſuper veſtra ad nos reverſione, vel conſecratione, aut de Pallii perceptione dubitatis, ſcitote pro certo, quoniam nos, ſecundùm ſanctorum Patrum & Deceſſorum noſtrorum Pontificum Statuta, vos adjuvare auctoritate conabimur*. Et iterùm: *Quòd ſi fortè ad Sedem Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ redire, & indè, ſecundùm antiquam normam, Epiſcopalem conſecrationem, ſacrumque Pallium recipere contempſeritis, omni Eccleſiaſtica vos communione ſcitote penitus excommunicandos*. Lucidè affirmat Salonitanos Metropolitas debere Romam ad Papales manus accedere. Et hunc eſſe antiquum Canonem. Et hinc oritur ſecunda quæſtio, Quis ſit ille antiquus Canon? Etenim nullus unquam Salonæ Epiſcopus legitur fuiſſe olim Romæ conſecratus. Nam & Maximus, quem prævaricatorem titulat Magnus Gregorius, fuit conſecratus Salonæ à ſuis Suffraganeis. Et hoc laudatus Gregorius nunquam arguit.

Reſpondeo iſtum Canonem eſſe Canonem Apoſtolicum, ex quo ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham ſcribit primus Papa Innocentius: *Revolventes auctoritatem Nicænæ Synodi,* cap. 1. Ep. 18. *quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia, cunctis fidelibus eſſe neceſſarium cuſtodire, quam ſuper Diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam Provinciam recognoſcimus conſtitutam. Itaque arbitramur, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum rectè ſervabis, ut longè poſitos litteris datis ordinare cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantùm arbitratu ordinant,*

nant, vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire. Quorum enim te maxima exſpectat cura, præcipuè tuum debent mereri judicium. Euſtatianum ſchiſma Antiochenam Eccleſiam longo tempore laceraverat in plures Epiſcopos: Et hi, dum ſuam quiſque partem ſibi advincire ſtudet, Patriarchalia iſtius eminentis Cathedræ jura decurtari, ac à Metropolitis invadi permiſerant. Conſecraverant ſolos ſibi adhærentes Metropolitas, Provinciales Epiſcopos permiſerant, & quidem ſine ſuo prævio examine & confirmatione, ab iſtis conſecrari. Et ita fuit uſque ad exſtinctum ſchiſma, & Patriarchatum Alexandri. Hic de ſuis juribus conſuluit Romanam Eccleſiam. Et Papa Innocentius reſcripſit non ſolos Metropolitas, ſed etiam Provinciales Epiſcopos debere ab ipſo confirmari, conſecrari, ad ejus manus accedere. Hoc eſſe jus Patriarchicum. Addit ejus executionem eſſe difficilem: Præſertim quoad remotiores Epiſcopos. Hinc ſuadet ſolos viciniores ad Patriarchalem manum cogi, remotiores permitti Metropolitarum manibus, ſalvo tamen Patriarchali examine, & prævia confirmatione. Hoc ſuadet de ſolis Provincialibus Epiſcopis, Metropolitas omninò vult antiquo more ad Patriarchæ manus accedere. Eodem Patriarchali jure per omnes ſuas Diœceſes omninò gaudet Romanus Epiſcopus. Verùm ob iſtarum vaſtitatem fuit in ſuos Metropolitas liberalior. Eis indulſit, non tantùm ut conſecrarent ſuos Suffraganeos, ſed etiam ut ab ipſis conſecrarentur. Ne diſtantem Urbem cogerentur accedere. Et ne per aſſiduas conſecrationes Apoſtolica omnium Eccleſiarum ſollicitudo nimiùm diſtraheretur. Hinc ſibi non retinuit niſi conſecrationem ſuorum Suburbicariorum ſeu Comprovincialium Antiſtitum. Attamen ſolam precariam functionem abdicavit, non ipſum jus. Nec potuit abdicare. Quocirca hæc Joannis octavi verba, *Secundùm ſanctorum Patrum Statuta, More priſtino, Secundùm antiquam normam*, jus important, & Apoſtolicum atque Nicænum Canonem, non uſum & executionem. Affirmant Salonitani Archiepiſcopi conſecrationem ex Apoſtolico atque Nicæno Canone ſpectare ad Pontificem. Hinc & Papa Syricius, dum cunctos & Metropolitas, & Provinciales Illyrici Epiſcopos juſſit conſecrari per Vicarium Theſſalonicenſem, alta voce dixit ſe ſancire ex Nicænis Canonibus. Quia nempe ſextus, Apoſtolicum innovans, Nicænus Canon omnes iſtas conſecrationes adſcribit Patriarchæ. Hinc infert Syricius iſtud ſuum jus à ſe poſſe derivari in ſuum Vicarium.

Quæſtio tertia eſt, Qua de cauſa Joannes octavus mutet antiquam praxim, quare jubeat Salonitanum Metropolitam conſecrationis cauſa deinceps Romam accedere? Reſpondeo ita ſanxiſſe ob vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem, & ob rapinam Imperatoris Leonis Iſauri. Leo Iſaurus, dum omnes Illyrici atque Italiæ Eccleſias tranſcripſit in Patriarchicum jus Conſtantinopolitani Epiſcopi, ab omnibus iſtarum Metropolitis voluit ſervari dictum Chalcedonenſem Canonem: Eos omnes accedere Regiam civitatem, & per Patriarcham conſecrari. Hinc in Sicilia, Calabria, Apulia, Campania, aliiſque Provinciis, eo uſque ad Romani Epiſcopi Metropoliticam poteſtatem immediatè ſpectantibus erexit varias Eccleſiaſticas Metropoles. Et iſtum Canonem tunc omnino ſervare cœpit etiam Salonitana Eccleſia, ſervarunt eum omnes Illiricianæ Metropoles, exceptis paucis, quæ aut tunc habebant, aut poſteà acceperunt Autocephaliam. Joannes ergo octavus iſtam reverentiam, quam Salonitana Eccleſia per multos annorum circulos exhibuerat Conſtantinopolitanæ Sedi, ab eadem deinceps voluit impendi Cathedræ Romanæ. Nec ſine rationibus. Etenim norat moleſtias, quas pro recuperanda Bulgaria non tantùm à turbulento Photio, ſed etiam à Sancto Patriarcha Ignatio fuerat paſſa, & tunc adhuc patiebatur Romana Eccleſia. Ad has præcidendas voluit Salonitanum Epiſcopum deinceps non dumtaxat præviè confirmari per Pontificem, ſed etiam conſecrari.

Vigeſimus octavus Chalcedonenſis, & vigeſimus octavus Canon Trullanus Patriarchæ Conſtantinopolitano aſſignant conſecrandos Thracicæ, Ponticæ, ac Aſianæ, nequaquam verò Illyricianæ Diœceſis Metropolitas. Nempe tunc necdum apparuerat violentia Leonis Iſauri. Et ad priorem Canonem ſcribit Theodorus Balſamon: *Et ſi nonnulli Thraciam ad Macedoniæ uſque terminos in anguſtum redegerint, & dixerint Macedoniæ Metropolitanos, Theſſalos, Helladicos, porro & Peloponneſios, ab urbe Roma quandoque fuiſſe ordinatos, & hoc utique ex eo probari, quòd non conceſſum ſit Conſtantinopolitano Patriarchæ eos ordinare.* Quòd conceſſum non ſit per jam dictos Canones. *Sed tu his fidem ne adhibueris. Thraciæ enim nomine comprehenduntur Metropoles uſque ad Dyrrachium. Quidam autem malè dicunt Papam aliquando ordinaſſe Theſſalonicenſes, & alios occidentales Metropolitanos. Hos enim habuit Legatos.* Lucidiùs ſe exponit in Commentario ad præfationem Trullanæ Synodi: *Quod Papa Romanus jus ordinationis in noſtris regionibus non habet, ut nonnulli hallucinantur, dicentes Theſſalonicenſes & alios ab eo ordinari; ſed eos quidem habuit Legatos à facie, qui Synodis intereſſe, quando opùs erat, debebant, probatur quidem certè & ex aliis Synodis, & quod aliquando quidem ut Papæ Legati adeſſent Athenarum & Corinthi Epiſcopi, aliquando verò Cretæ, Patrarum, Ravennæ, & cæteri, nonnunquam verò & alii, ut manifeſtum ſit eos eſſe Papæ Legatos, quos ſigillatim elegit, non tamen eum ſub ſe habere tot Epiſcopos extra ſuam Diœceſim. Ut autem Papa ex noſtris etiam regionibus Legatos haberet, excogitatum eſt propter viæ longitudinem.* Hinc oritur quarta quæſtio, An Theſſalonicenſis Vicarius debuerit olim conſecrandus Romam accedere? Ejus quippe conſecratio nulli alteri Illyriciano Metropolitæ legitur unquam fuiſſe delegata.

Reſpondeo Theodorum in paucis verbis multa errare. Quod Illyricianæ Diœceſis Adminiſtratio, & cunctorum ibi Metropolitarum conſe-

conſecratio olim pleno jure ſpectaverit ad Patriarchicum jus Romani Epiſcopi, eſt meridiana luce clarius. Ita fuit uſque ad rapinam Leonis Iſauri. Et iſtud lucidè clamant etiam duo adducti Canones. Et iſtud lumen coegit ſchiſmaticum Theodorum fugere in tenebras, & ibi delirare. Quis enim unquam vel ſomniarit Dyrrachium, novæ Epiri Metropolim, & cunctas Achaiæ ac Macedoniæ Provincias olim ſpectaſſe ad Thracicam Diœceſim, atque ita Metropolitarum illic conſecrationes fuiſſe ab adductis Canonibus adſcriptas Epiſcopo Conſtantinopolitano? Quis unquam audivit Theſſalonicenſem Epiſcopum dumtaxat ad Synodos fuiſſe Romani Pontificis Vicarium? Fuit Vicarius Patriarchicæ adminiſtrationis per omnem Diœceſim. Ex erroneis tamen nugis videmus iſto tempore fuiſſe etiam Græcos, qui docerent omnes iſtius Diœceſeos Metropolitas, præſertim Theſſalonicenſem, ſpectaſſe ad conſecrationem Romanam. Non dixerunt cunctos fuiſſe Romæ conſecratos, ſed ad Romanam conſecrationem ſpectaſſe. Quòd nempe in Papæ arbitrio eſſet aut ipſos evocare ad ſuas manus, aut ipſorum conſecrationem Suffraganeis permittere, vel alicui delegare. Utique ex ſexto Nicæno, atque ex Apoſtolico Canone, qui à Patriarchis omnes Epiſcopos non tantùm præviè confirmati volunt, ſed & conſecrari. Et hoc ſenſu Joannes octavus dixit Salonitani Metropolitæ conſecrationem ſemper ſpectaſſe ad ſuam Sedem. Ex iſto jure voluit illum deinceps Romam venire. Porrò Theſſalonicenſis Vicarius nunquam legitur eo veniſſe. Ejus conſecratio ob viæ longitudinem fuit permiſſa Epiſcopis Comprovincialibus.

CAPUT V.

Romanus Pontifex oſtenditur eadem poteſtate fuiſſe uſus in Diœceſi Gallicana.

EAdem poteſtate Romani olim Pontifices per Apoſtolicam vicem quam Patroclo Arelatenſi Archiepiſcopo detulit Papa Zozimus, fuerunt uſi in Gallicana Eccleſia. Ad Domini annum trecenteſimum nonageſimum ſeptimum Proculus Maſſilienſis & Cidonius Aquenſis de ſecundæ Narbonenſis, Simplicius Viennenſis, & Conſtantius Arelatenſis Epiſcopus de Viennenſis Provinciæ Metropolitica poteſtate litigarunt, & Proculus omnia à ſe prætenſa obtinuit, Conſtantius partem ſuæ Provinciæ: Viennenſis Provincia fuit diviſa in duas. De Conſtantii Succeſſore Patroclo ſcribit in Chronico Sanctus Proſper: *Heros vir Sanctus, & Beati Martini diſcipulus, cùm Arelatenſi Oppido Epiſcopus* An. 412. *præſideret, à populo ejuſdem civitatis inſons & nullis inſimulationibus noxius pulſus eſt, inque ejus locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantii Magiſtri militum, cujus per ipſum gratia quærebatur.* Proinde Patroclus erat ambitioſus ac Simoniacus Palatii ſorex, intruſus per munus à lingua. Hinc adversùm Taurinenſis Synodi Acta interceſſit apud Zozimum Pontificem, aſſeruit omnes per Viennenſem ac utramque Narbonenſem Provinciam Epiſcopales conſecrationes ac Apoſtolicas in adminiſtrando vices, ex dato per ipſum Sanctum Petrum Apoſtolum privilegio, ſpectare ad Arelatenſem Epiſcopum, iſtud privilegium repetiit, atque obtinuit. In datis ad Viennenſis ac ſecundæ Narbonenſis Provinciæ Epiſcopos litteris Proculum de vario in conſecrandis Epiſcopis Attentato accuſat Zozimus, & adjungit de Simplicio Viennenſi: *Non diſſimili impudentia poſtulavit Simplicius, ut* Epiſt. 3. *ſibi in Viennenſium Provincia creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas Concilium agitantibus extorquere, quod contra Statuta Patrum & Sancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis civitatis ex hac ſede directus eſt, concedere vel mutare, ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas.* Adversùs Zozimi Statutum Hilarius primæ Narbonenſis Provinciæ Metropolita generosè interceſſit, aſſeruit nullum Metropolitam poſſe conſecrari in aliena Provincia, addidit ſuæ Provinciæ circa hæc eſſe antiquum ab Apoſtolica Sede privilegium, & tamen obtinuit hoc Reſcriptum: *Debebas non quid rectum tibi videatur, ſed quid habuerit antiqua conſuetudo, ſuggerere. Ideoque vacuato eo, quod à Sede Apoſtolica ſubreptitiè obtinuiſſe comprobaris, quia ſatis conſtitit Arelatenſis Eccleſiæ Sacerdoti priſca id inſtitutione conceſſum, ut non ſolùm in Provincia Viennenſi, ſed etiam per duas Narbonenſes faciat Epiſcopos. Nam ſanctæ memoriæ Trophimus, Sacerdos quondam Arelatenſi urbi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus, ad illas regiones tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò ea quæ acceperat auctoritate transfudit. Atque hanc ordinandi conſuetudinem, & Pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus & juſſus, cuſtoditum uſque in proximum tempus, Geſtis apud nos habitis, multorum Conſacerdotum teſtimonio approbatur.*

Habemus hinc varia. Primò quòd Sanctus Trophimus fuerit primus Arelatenſium Epiſcopus. Trophimus Aſiaticus Gentilis cum Sancto Paulo Apoſtolo ivit Mileto Hieroſolymam, accuſatus ibi à Judæis fuit de ingreſſu in templum, rediit Melitam cum vincto Apoſtolo, & ibi eſt infirmus relictus. De illo habet ſecunda ad Timotheum Epiſtola: *Trophimum reliqui infirmum Mileti.* Omninò legendum eſt, *Melitæ.* Ita inſigniter demonſtrat Dominus Cardinalis Cæſar Baronius. An ille Trophimus fuerit primus Arelatenſium Epiſcopus, eſt longa quæſtio. Secundò habemus, quòd Trophimus fuerit Epiſcopus Metropolitanus. Tertiò, quòd fuerit conſecratus & in Galliam miſſus à Sancto Petro. Et hoc confirmat in litteris ad Decen-

Decentium Eugubinum Epiſcopum Sanctus Innocentius Pontifex : *Manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes*. Quartò habemus, quòd Apoſtolicas vices in tribus Provinciis, & omnium iſtic Epiſcoporum conſecrandorum poteſtatem Trophimus acceperit à Sancto Petro Apoſtolo. Quintò, quòd ipſe Sanctus Petrus cœperit privilegia dare etiam adversùm invitos Epiſcopos. Sextò, quòd tunc Gallicana Eccleſia hanc Apoſtolicam auctoritatem fuerit venerata in Petri Succeſſoribus. Septimò, quòd neſcio qui aliud hodiè cantantes palam devient ab antiquo ſenſu ſuæ Eccleſiæ. Octavò, quòd etiam Narbonenſis Hilarius ſuam Metropoliticam conſecrandorum Epiſcoporum auctoritatem ſit profeſſus eſſe Romanum privilegium. Quòd nempe hæc omnis poteſtas ex Apoſtolico atque Nicæno Canone ſpectet ad Patriarcham, ideoque à Metropolitis non niſi per privilegium poſſit obtineri.

Epiſt. 1.

Horum quædam deviant à vero. Primò, Quòd Sanctus Trophimus fuerit Metropolitanus. Etenim Sanctus Petrus Eccleſiaſticam Hierarchiam conquadravit Românæ Reipublicæ, ideoque Metropolitas non poſuit niſi in Romanarum Provinciarum Metropolibus. At verò Arelatenſis civitas tunc necdum erat Metropolis. Etenim vigebat tunc per Julium Cæſarem facta Galliæ diviſio: Et hanc fuiſſe in quatuor Provincias ſeu Juriſdictiones, nempè in Galliam Narbonenſem, Aquitaniam, Germaniam, & Belgium, teſtatur Ammianus Marcellinus. Et Narbonenſis Juriſdictio continebat Provinciam Viennenſem ac Lugdunenſem. Quam formam laudat etiam Cornelius Tacitus. Etenim in primo hiſtoriarum libro ſcribit inter Lugdunenſes & Viennenſes eſſe antiquam uſque ad arma & bella contentionem, utique de jure Metropolitico. Dicti Ammiani tempore Gallia erat diviſa in plures Provincias. Harum una erat Viennenſis: Et inter ejus ſuffraganeas civitates ille ponit Arelaten. Quod ipſum facit antiqua notitia Romani Imperii. Proinde lex, quam in libris de Catholica Concordantia adducit Nicolaus Cardinalis Cuſanus, & quæ Arelatenſem civitatem ſancit eſſe Metropolim ſeptem Provinciarum, non poteſt eſſe Magni Conſtantini. Dominus Petrus de Marca rectè aſſerit eſſe legem Imperatoris Honorii. Tunc enim, quòd *omnium Galliarum mater* civitas Trevirenſis eſſet exciſa à Barbaris, Gallicani Prætorii Præfectus migravit Arelaten, atque ita hæc magno iſto titulo cœpit honorari. Habes hæc in ſupplicibus Epiſcoporum, illam Metropolim diligentium, litteris ad Sanctum Papam Leonem. Et tunc ejus Epiſcopi primò cœperunt cum Viennenſi contendere de jure Metropolitico.

Lib. 15. cap. 17.

cap. 65. 66.

Lib. 3. c. 35.

Etiam falſum eſt, quòd Sanctus Petrus Trophymo dederit privilegium tot Epiſcopalium conſecrationum. Nullo id poſſit oſtendi authentico teſtimonio. Et hinc Zozimi Pontificis Succeſſor Bonifacius datum ab illo privilegium ſtatim circumduxit. Etenim Hilarium Narbonæ Metropolitam, qui Lutubenſem ſuæ Provinciæ Epiſcopum queſtus eſt ordinatum à Patroclo, potenter exaudivit, & addidit vetari à Nicænis Canonibus, ut unus Metropolita habeat duas Provincias. Inſuper Patrocli Ordinatum juſſit extrudi, & alium Epiſcopum ibidem conſecrari. Nempè Hilarius ad Apoſtolicum ſuæ Eccleſiæ privilegium denuò provocarat. Notanda ſunt verba, quibus Zozimus ſuprà dixit data à Sancto Petro privilegia nec per ipſam Apoſtolicam Sedem poſſe everti aut mutari. Hinc Patrocli poſt Sanctum Honoratum Succeſſor Hilarius non ſolummodo reſumpſit, ſed etiam extendit circumductum & fictum privilegium, atque cœpit etiam per maritimarum Alpium, & Sequanorum Provincias conſecrare Epiſcopos. Nempè per Julium Cæſarem facta Narbonenſium Provincia iſtas etiam regiones comprehendebat. Interim non in Apoſtolico aut Synodali Canone, ſed in dato per Sanctum Petrum privilegio ſua Acta fundarunt Zozimus, Patroclus, atque Hilarius. Suum quoque conſecrandi jus ex eodem fonte petivit Hilarius Narbonenſis. At quodnam fuit, ubi & quando datum iſtud Narbonenſis Eccleſiæ privilegium? Reſpondeo datum ab inducta per Romanorum Pontificum conniventiam conſuetudine, quæ omnes Gallicanos Epiſcopos à ſuis Metropolitis, & hos ab illis indulſit conſecrari. Pontifices id indulſerunt ob duas cauſas. Primò, ob locorum diſtantiam. Deindè ob Apoſtolicæ Sedi impoſitam omnium Eccleſiarum ſollicitudinem. Uti enim Sanctum Paulum Apoſtolum non baptizare, ſed evangelizare, ita Romanos Epiſcopos Divina Majeſtas non miſit conſecrare tantùm, ſed præſertim omnem Chriſtianitatem regere & gubernare. Et ex hoc principio Arelatenſis Hilarius ad depravandos Gallorum Epiſcoporum animos ſparſit, quod Sanctus Papa Leo iſtarum Provinciarum ordinationes tentaret ſibi defendere, hoc eſt, ad ſuum Patriarchale jus revocare. Et ille ex Apoſtolico ac ſexto Nicæno Canone iſtud omninò poterat, ſemper potuit, ac etiamnum poteſt. Verùm Magnus Leo antiquam, & bonis rationibus nixam conſuetudinem noluit lædere.

Quòd conſuetudinem, qua Metropolitæ ſuos Suffraganeos paſſim conſecrant, in ſuo ob locorum diſtantiam gratioſo Indulto Romani Pontifices paſſim fundent, poteſt demonſtrari multo teſtimonio. Exemptum Sancti Dionyſii prope Pariſios Monaſterium, quoniam ab Epiſcopis, in quorum Parochiis poſſidebat Altaria, multas & graves patiebatur vexationes, ab Apoſtolica Sede accepit proprium Epiſcopum. Et hic, qui nec civitatem nec Metropolitam habebat, lucidè ſpectabat ad Romanam conſecrationem. Et erat plenè exemptus, non minùs quàm ipſum Monaſterium. Et tamen de ipſo ad Maginarium Sancti Dionyſii Abbatem ſcripſit Adrianus primus: *Pro longitudine itineris, à vicinis Epiſcopis, ſicut mos exſtitit, conſecretur*. Exſtat epiſtola apud Jacobum Sirmondum in Conciliis Galliæ. Et Bulgaris de futuro ſuo Archiepiſcopo

po vel Patriarcha, ubi & à quo foret conſecrandus, poſtulantibus reſpondit Nicolaus primus: [Ep. 71. cap. 73.] *Vos ſive Patriarcham, ſive Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum vobis ordinari poſtuletis, à nemine nunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice Sedis Beati Petri, à quo & Epiſcopatus, & Apoſtolatus ſumpſit initium, hunc ordinari voletis. In quo hic eſt ordo ſervandus: Ut videlicet à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſit nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui ſi Chriſti plebs, ipſo præſtante, creſcit, Archiepiſcopatus privilegia per nos accipiat, & ſic demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti Succeſſorem eligant, & propter itineris longitudinem non jam huc qui electus eſt veniat, ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: Sanè interim in throno non ſedentem, & præter corpus Chriſti non conſecrantem, priuſquam Pallium à Sede Romana percipiat, ſicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiſcopi agere comprobantur*. Bulgaricum Regnum erat Illyrici pars, Patriarchica Diœceſis Romani Pontificis. Hinc ejus cum Epiſcopis futurum Archiepiſcopum Nicolaus aſſerit ſpectare ad ſuam conſecrationem: Et tamen propter itineris diſtantiam dat eis iſtud ipſum privilegium, quod habebant Gallicani, Germani, ac aliarum ad Romanum Patriarchatum ſpectantium Diœceſium Metropolitæ ac Epiſcopi, ut à ſeſe mutuò conſecrentur. Proindè omnes etiam Gallicani Epiſcopi id merè habent ex gratia Apoſtolica.

Etiam Metropolita Mediolanenſis ac Aquilejenſis. Lucet ex Pelagii primi Pontificis apud Gratianum exſtantibus litteris: [Diſt. 24. cap. 33.] *Mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apoſtolico illis oneroſum fuerit ordinari, ipſi ſe invicem Mediolanenſis & Aquilejenſis ordinare Epiſcopi debuiſſent*. Eos à ſuis Suffraganeis conſecrari Romana tunc Eccleſia noluit, ne illis eſſet vel umbra Autocephaliæ. Poſteà verò id mutavit, & utrumque juſſit conſecrari à ſuis Suffraganeis. Lucet ex litteris Magni Gregorii ad Joannem ſuum Subdiaconum, ſcriptis in cauſa Conſtantii, Electi Mediolanenſis: [Lib. 2. indictio. 2. Epiſt. 30. Ep. 29.] *Eum à propriis Epiſcopis, ſicut antiquitatis mos exigit, facias conſecrari*. Hunc antiquitatis morem exponit in litteris ad Mediolanenſis Eccleſiæ Clerum & populum: *Joannes Subdiaconus Electum veſtrum ſecundum morem Deceſſoris ejus faciat Epiſcopum conſecrari*. Mutatio facta eſt ob ſchiſma trium Capitulorum, graſſatum maximè in Mediolanenſi ac Aquilejenſi Eccleſia, & præſertim fundatum in utriuſque potentiſſimæ Eccleſiæ conſpiratione. Socrates ſcribit Sanctum Ambroſium fuiſſe conſecratum à præſentibus Epiſcopis. An Aquilejenſis adfuerit, non exprimit. Poteſt adfuiſſe. Quòd enim inter hoſce duos Conſecrator debuerit Conſecrandi civitatem accedere, Papa Pelagius in præfatis literis disertè teſtatur.

Hanc rem tangit in opere de Sacerdotii ac Imperii Concordia Dominus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis: [Lib. 6. cap. 4.] *Ambroſii ſanè Mediolanenſis Epiſcopi Electio & Ordinatio, quæ facta eſt à Synodo totius Italiæ, Decreto Valentiniani Imperatoris coacta, evincit nihil juris per illas tempeſtates Romano Pontifici competiviſſe in Ordinatione Metropolitani Mediolanenſis, à qua manus abſtinuit per multum ævi, ſerò uſurpata ejus ordinatione. Colligi id abundè poteſt ex epiſtola Pelagii primi, anno quingenteſimo quinquageſimo quinto in Petri Sede præſidentis, qui docens Epiſcopos Aquilejenſem & Mediolanenſem conſueviſſe invicem ſibi manus imponere, quando alterutra harum Sedium Paſtore proprio viduata erat, inſinuare tamen nititur hanc conſuetudinem introductam eſſe vitandis ſumptibus, qui Electo incumberent, ſi Romam pro ordinatione accedere cogeretur, cùm vera hujus Inſtituti ratio in eo conſiſtat, quòd cùm Mediolanum eſſet caput Diœceſeos Italiæ, ut conſtat ex Concilio Aquilejenſi, ordinatio Metropolitæ Aquilejenſis ad Epiſcopum Mediolanenſem optimo jure pertinebat. Primatis verò Mediolanenſis ordinatio ad Aquilejenſem Epiſcopum, quòd primus eſſet inter Metropolitanos Synodi generalis Diœceſeos Italicæ. Ex epiſtola tamen quadam Gregorii primi colligitur, jam ejus ævo, id eſt, quinquaginta octo annis poſt Pelagium, invaluiſſe, ut neceſſarius eſſet Summi Pontificis conſenſus ad hoc ut Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis libera eſſet ordinatio Metropolitani. Ejus verba minimè ambigua ſunt ad Italiæ Exarchum de Electione Epiſcopi Mediolanenſis. Ait enim ſe, ut conſuetudinem ſervet, miſſurum eſſe Miniſtrum Romanæ Eccleſię, qui Electum ab Epiſcopis Comprovincialibus, ſicut vetus mos exigit, cum aſſenſu quoque Romani Pontificis faciat conſecrari. Diſtinguit autem illic accuratè jus Canonicum Epiſcoporum Comprovincialium, quod veteri mori adſcribit, ab Eccleſiæ Romanæ poſſeſſione, quam ſimpliciter conſuetudinem appellat abſque ullo epitheto. Quæ conſuetudo haud dubiè introducta erat poſt ſchiſma Eccleſiarum Mediolanenſis & Aquilejenſis.*

Errores varii & magni. Primus eſt in his de Pelagio Pontifice verbis: *Inſinuare tamen nititur*. Etenim Pontifex nec inſinuare nititur, nec inſinuat, ſed conſtanter affirmat utrumque Metropolitanum juxta Canones debere conſecrari Romæ, verùm ob longi itineris moleſtias eſſe permiſſos conſecrari in ſuis Eccleſiis. Et hanc eſſe vetuſtam conſuetudinem. Verba jam adduxi. Et ſunt ipſo ſole lucidiora. Dominus Archiepiſcopus, ut ſuas cogitationes fulciat, aſſerit Pontificem circumſcribere, & falſa fari. Secundus error eſt in his verbis: *Vitandis ſumptibus*. Etenim hæc ſunt verba Pontificis: *Pro longinquitate vel difficultate itineris*. At verò longi itineris difficultas non oritur ex ſolis ſumptibus. Tertius error eſt, quòd Mediolanenſis Epiſcopus reſpectu Aquilejenſis eſſet Primas. Etenim quod antiquum teſtimonium, aut antiqui teſtimonii veſtigium aſſerit hunc Primatum? In Synodis, in Papalibus litteris, ac in aliis Eccleſiæ monumentis aſſiduè videmus nunc hunc, nunc illum Metropolitam priori loco ſcribi aut ſedere. Et ipſe Pontifex Pelagius ſcribit ad Valerianum Patricium: *Poſtulamus ut Paulinum Aquilejenſem Pſeudo-Epiſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſſimum Principem dirigas*. Primo loco ponit Aquilejenſem. Proindè certum eſt utramque iſtam Eccle-

cle-

cleſiam fuiſſe ſorores, ideoque nunc hujus, nunc iſtius Epiſcopum fuiſſe digniorem, juxta majorem ætatem acceptæ Epiſcopalis conſecrationis. Quartus error eſt, quòd iſtius Primatus cauſa Mediolanenſis Epiſcopus deberet conſecrari ab Aquilejenſi. Eſt turbidus error Secundi Tigiſitani Epiſcopi ac per Numidiam tunc Primatis, qui Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum à ſe, utpotè primo ipſius ſubdito Primate, prætendit conſecrandum. Et quid illi Sanctus Auguſtinus repoſuerit, eſt ſuprà oſtenſum. Nullus unquam Patriarcha, Exarchus, aut Primas à ſubdito Metropolita fuit conſecratus, niſi ab Heracleenſi Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus à Cæſarienſi. Et nota eſt ſingularis ratio. Et uti Aquilejenſis Mediolanenſem, ita hic illum debuit conſecraturus accedere. Hoc autem à Primatu eſt alieniſſimum. Eſt lucidus character fraternitatis. Quòd hic mos in Laurentii, qui memoratum Conſtantium immediatè præceſſit, Metropolitæ Mediolanenſis conſecratione mutatus fuerit, jam oſtendi ex Magno Gregorio. Id omninò factum fuit propter ſchiſma trium Capitulorum. Aquilejenſis in ſchiſmate perſtitit duriſſima, Mediolanenſis autem Eccleſia rediit ad Romanæ Matris obedientiam: Hinc iſta conſecrationis germanitas omninò debuit intercidi. Exindè Mediolanenſis Metropolita cœpit conſecrari à ſuis Suffraganeis: Exindè Romanus Pontifex cœpit Mediolanum legare Subdiaconum, qui Electi perſonam & factæ Electionis formam diſcuteret, diſcuſſam infirmaret aut confirmaret nomine Pontificis, & Suffraganeis faceret facultatem conſecrandi. An præviæ confirmationis neceſſitas etiam primùm tunc cœperit, eſt longa quæſtio, nec ſpectat ad præſentem locum.

Quintus error eſt, quòd Magnus Gregorius diſtinguat inter Canonicum Comprovincialium Epiſcoporum jus, ac inter ſimplicem conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ. Etenim de Canonico Epiſcoporum jure nec verbum habet aut apicem. Permiſſam illis conſecrationem ſimpliciter affirmat eſſe morem, qui primùm cœpit in conſecratione nuper defuncti Laurentii. Sextus error eſt, quòd Sanctus Ambroſius fuerit electus & conſecratus à plena totius Italiæ Synodo. Etenim hujus rei nullum eſt antiquum teſtimonium. Paulinus Presbyter inſinuat ſolum Clerum & populum Electioni adfuiſſe. Et ſicut pluribus Provinciis unum Metropolitanum, ita & unam Synodum interdicunt Nicæni Canones. Proindè horrendum errorem continet Domini Archiepiſcopi concluſio: *Nihil juris per illas tempeſtates Romano Pontifici competiit in ordinatione Metropolitani Mediolanenſis*. Etenim illi competiit & præviæ confirmationis, & conſecrationis dandæ jus, quod omni Patriarchæ confirmat ex Apoſtolico Canone ſextus Canon Nicænus.

Joſephus Ripamontius in Mediolanenſis Eccleſiæ hiſtoria ſcribit varia ſpectantia ad noſtrum propoſitum. Primò, quòd à Pelagio Papa notatus Mediolanenſis Epiſcopus fuerit Datiis, quem ob pertinacem trium Capitulorum defenſionem Imperator Juſtinianus multis annis apud Conſtantinopolim detinuit in exilio, proximus Succeſſor Vitalis. Secundò, quòd Vitalem Pelagius *in Datii locum ſuffecerit*. An à Pelagio electum ac nominatum, an verò dumtaxat conſecratum intelligat, ignoro. Ut tantam Eccleſiam à Datianæ pertinaciæ ac adversùs quintum Concilium & Romanam Eccleſiam perduellionis periculo liberaret, potuit Pontifex Mediolanenſis Eccleſiæ Electionem ſibi reſervaſſe, vel etiam Electum vocaſſe Romam, compuliſſe ad variam profeſſionem, & profeſſum conſecraſſe. Neutrum eſt alienum à diſciplina iſtius temporis. Ripamontius aſſerit tertiò, quòd in Macedonici Aquilejenſis Epiſcopi defuncti locum fuerit electus Paulinus, vir nobilis & doctus, atque adjungit: *Cùm dies inſtaret, quo Paulinum à Pontifice maximo, vel ab eo quem ille nominaſſet, oporteret ritè conſecrari*. Videtur aſſerere quòd Pelagius etiam Paulinum non niſi ad ſuam juſſionem voluerit conſecrari. Utique eadem de cauſa. Quartò dicit, Paulinum noluiſſe ſacrari niſi à Vitali, & ab ipſo contra Papale Edictum fuiſſe ſacratum, & adjungit cauſam: *Vetus erat Inſtitutum jam inde à Barnaba & Marco, ut Mediolanenſis Archiepiſcopus Aquilejenſem Patriarcham, atque hunc ille viciſſim initiare poſſet*. Sanctus Barnabas Mediolanenſium, Sanctus Marcus paſſim putatur fuiſſe primus Antiſtes Aquilejenſium. Verùm hic ibi non fuit Patriarcha. Ripamontius quintò dicit commune Vitalis & Paulini Attentatum fuiſſe originem Papalis iracundiæ. Quæ omnia an ſubſiſtant, graviter ambigo. Etenim Ripamontius ſine authenticis teſtimoniis loquitur. Certè hic non ſufficit: *Ipſe dixit*. Poſſit tamen, quia fuit Doctor Ambroſiani Collegii, loqui ex Archivis iſtius Eccleſiæ. Quidquid ſit, certum eſt, quòd Paulini ordinationem Pelagius ſuſpenderit, & ad novam formam voluerit cogere. Item certum eſt Vitalem fuiſſe Paulino ſeniorem Epiſcopum. Et tamen illum Papa in ſuis litteris poſtponit Paulino. Hinc tertio certum eſt, quòd Mediolanenſi Epiſcopo in Aquilejenſem tunc nullus fuerit Primatus.

Romano Epiſcopo per ſextum Canonem Nicænum competens jus exponit in memorato loco Dominus Archiepiſcopus, atque proſequitur: *Poſſet tentari ex iis quæ dicta ſunt, ordinationem omnium Metropolitanorum Occidentis pertinere ad Romanum Pontificem, cùm præſertim Epiſcoporum Alexandriæ & Antiochiæ auctoritatem Nicæna Synodus conſtituat ad exemplum Epiſcopi urbis Romæ. Equidem id neceſſariò conſequitur ex iis quæ dicta ſunt, ſed ita tamen ut auctoritas illa ordinandorum Metropolitarum coerceatur intra limites Synodi Patriarchalis ordinariæ Epiſcopi Romani, id eſt, de Metropolitanis tantùm accipiatur, qui Diœceſeos Urbicariæ finibus continentur. Quapropter Juſtinianus formam præſcribens Synodorum, quæ à Patriarchis convocari debent, ait diſertis verbis ad illas convenire debere Epiſcopos, qui pertinent ad eorum ordinationem. Undè ſequitur idem prorsùs ſignificari, ſi quis dicatur ad Synodum Patriarchæ cujuſpiam, aut ad ejus ordinationem pertinere. In quibuſdam verò cęteri Patriarchę cum Romano*

mano componi poſſint, in quibuſdam diſcrepant. Alexandrinus enim & Antiochenus unicam tantùm Diœceſim Eccleſiaſticam obtinebant, ex decem Metropolitanis conflatam, quamquam poſteà Conſtantinopolitano tributæ ſint tres Diœceſes, in quibus viginti octo Metropolitani numerabantur. At Epiſcopi Romani cura præter Patriarchatum ordinarium, qui ſaltem ex Diœceſi Urbicaria decemque Metropolitanis conſtabat, porrigebatur in reliquas omnes Occidentis Metropoles, quæ ſexagenarium numerum egrediebantur. Majoris itaque Italiæ partis Metropolitani à ſummo Pontifice ordinabantur in ipſa urbe, aut poſtquam Epiſcoporum Conprovincialium conſenſus electionem firmaverat, ii permiſſu ejus ordinationem Metropolitani celebrabant. Sed in Diœceſi Urbicaria receptum erat, ut Epiſcopi aliis Metropolitanis ſubjecti ab eo conſecrarentur. In quo ſimilis erat Epiſcopo Alexandriæ, juxta Concilium Nicænum. Cæterum id à nemine ante me obſervatum.

Utinam à nemine hucuſque ſic fuiſſet erratum. Et hic denuò eſt primus Domini Archiepiſcopi error. Hos enim pleroſque errores jam dudum antea docuit, & propter ipſos ab octava Synodo notari meruit Hincmarus Metropolita Remenſis. Exſtat Imperatoris Caroli Calvi ad Joannem octavum Pontificem famoſa Epiſtola, quæ Epiſcoporum, ac præſertim Clericorum Tranſ-Alpinorum appellationes dogmatizat non poſſe deduci Romam, iſtos omnes ſuorum Metropolitarum, aut certe electorum judicum ſententia oportere eſſe contentos, & adjungit.
Ep. 47 cap. 21. *Poteſt fieri, ut illi qui in vicinis Parochiis ſunt hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quique juxta ſacras regulas ad manus impoſitionem, & ad Synodos huc convenire ſolent, ipſi pro reclamatione contra Presbyterorum ſuorum examinationem conveniant, ſicut ſacri Canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatem uniuſcujuſque Provinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui ſe læſos exiſtimant, quo non ſit difficile teſtes producere, invitentur. Trans-Alpinis autem, & aliis qui ſimiliter in longinquis regionibus commorantur, Apoſtolica Sedes, & Sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis Spiritu Sancto, quæ ſunt unicuique Provinciæ poſſibilia, & authoritati convenientia, atque paci Eccleſiæ congruentia, tenenda & exſequenda diſertiſſimè præfixerunt.* Palàm dogmatizat ſolos almæ Urbi vicinos Epiſcopos ſpectare ad Pontificis Synodum & manus impoſitionem, ideoque ſolas horum Eccleſias eſſe ejus ordinarium Patriarchatum, reliquas tranſmarinas, aut tranſmontanas in Occidente Eccleſias ſpectare quidem ad ejus curam, non tamen ad Patriarchatum, nec ad Synodum, nec ad manus impoſitionem. Eſt omninò Hincmari epiſtola. Verſatilis ingenii homo, quæ proprio nomine non præſumpſit effundere, eructavit ſub nomine
L. 123. 137. obnoxii ſibi Imperatoris. Et hæc fœda principia reſorbet Dominus Archiepiſcopus Petrus de Marca, & gloriatur eſſe ſua inventa. Porrò Imperatoris Juſtiniani novellas leges, quæ ſpectare ad alicujus Patriarchæ Synodum & ſpectare ad alicujus Patriarchæ ordinationem affirmant eſſe eadem aut indivulsè connexa, etiam laudat ac in ipſis ſe fundat iſta epiſtola. Eſt omninò firma regula. Et tam Hincmari quàm Domini Archiepiſcopi cogitationes potentiſſimè deſtruit.

Secundus igitur Domini Archiepiſcopi error eſt in his verbis: *De Metropolitanis tantùm accipiatur, qui Diœceſios Urbicariæ finibus continentur.* Et in his: *Qui ſaltem ex Diœceſi Urbicaria & decem Metropolitanis conſtabat.* Eſt duplex in ipſis error. Primus eſt, quòd ſingulæ in Italia politicæ Provinciæ fuerint etiam Provinciæ Eccleſiaſticæ, habuerintque ſuum Epiſcopum Metropolitam. Etenim Italica Diœceſis olim non habuit niſi quatuor Metropolitas: Romanum, Mediolanenſem, Aquilejenſem, & Calaritanum. Quidquid Italiæ aut adjacentium Inſularum non ſpectabat ad unum è tribus poſterioribus, proximè ſpectabat ad curam Metropoliticam Romani Epiſcopi. Flaminia, Æmilia, Picenum, Thuſcia, Umbria, Campania, Valeria, Sicilia, Calabria, Apulia, Lucania, Brutii, Samnites. Et ita fuit uſque ad Valentiniani tertii Imperium, ob cujus preces Sanctus Leo Pontifex Ravennam erexit in Eccleſiaſticam Metropolim, & ipſum cum aliquot ſuffraganeis Sedibus à ſua Metropolitica poteſtate emancipavit. Reliquæ Provinciæ non habuere Metropolitam Epiſcopum uſque ad rapinas Imperatoris Leonis Iſauri. Res certa eſt, & alibi abundè demonſtrata. Secundus error eſt, quòd iſtæ ſolæ ſine Eccleſiaſticis Metropolitis civiles Provinciæ fuerint proprius & totius Romanæ Eccleſiæ Patriarchatus. O miſerandum & nominalem ſine Metropolitis Patriarcham! Omnia quæ Hincmarus adversùm Anſegiſi Senonenſis Epiſcopi Apoſtolicas in Gallia vices, & adversùm Romanas inferioris præſertim Cleri appellationes pro Metropolitarum jure ſcripſit, eò tendunt ut quiſque Gallicanus Metropolita ſit Autocephalus ſuæ Provinciæ Primas, nulli ſubjectus Patriarchæ aut Exarcho. Eſt Ravennatum Metropolitarum antiqua ſuperbia, damnatiſſima apud omnes Eccleſias. Nec enim illi fuerunt Schiſmatici. Non à Papali, ſed à ſolo Patriarchico Romanæ Eccleſiæ jugo ambierunt eſſe exempti. Ambierunt iſtud ipſum, quod ad Imperatoris Juſtiniani preces Papa Vigilius dedit Eccleſiæ Acridenſi. Hoc ipſum cunctis extra Romanam Provinciam Metropolitis adſcribere tentat Dominus Archiepiſcopus, atque ita Romanum Patriarchatum penitus deplumare. Facere rem ſolius tituli.

At longè aliud altiſſima voce clamat omnis Eccleſiaſtica antiquitas. Audiamus Arelatenſis, quam Sanctus Auguſtinus non ſine cauſa appellat magnam, Synodi vocem ac relationem ad Sanctum Sylveſtrum Pontificem: *Majores Diœceſes tenes.* Utique Patriarchales. Nempè Italicam, Illyricianam, Africanam, Hiſpanicam, Gallicam, Anglicanam. Has omnes intelligit in litteris ad Sanctum Gregorium Nazianzenum etiam Magnus Baſilius: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium faſtu aderit? Volebam ad eorum Anteſignanum ſcribere.* Ep. 10. Palàm profitetur Romanum Epiſcopum eſſe Anteſignanum totius Occidentis. Non utique per Papalem dignitatem: Sic enim eſt Anteſignanus etiam Orientalium.

lium. Sed per jus Patriarchicum. Et quid per Occidentales intelligat Baſilius, edicunt hæc ibidem verba: *Illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt*. Notat Sardicenſem Synodum, quæ Marcellum Ancyræ Metropolitam purgavit ac reparavit. Eam non pro generali, ſed dumtaxat pro Occidentis Patriarchali habet: Et quis neſciat illi adfuiſſe Epiſcopos Italos, Hiſpanos, Afros, Gallos, Illyricianos? Et dogmatica ac ab omnibus Eccleſiis probata, qua ſextam Synodum inſtruxit Sanctus Agathon Pontifex, epiſtola habet hunc titulum: *Agathon Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, cum univerſis Synodis ſubjacentibus Concilio Apoſtolicæ Sedis*. Et inter rationes, quæ poſtulatos ab Imperatore Conſtantino quarto Legatos fuerant moratæ, adducit & has: *Primùm quidem, quòd numeroſa noſtrorum Epiſcoporum multitudo uſque ad Oceani Regiones extenditur, cujus itineris longinquitas in multi temporis curſum protelatur. Sperabamus deindè de Britannia Theodorum Confamulum atque Coepiſcopum noſtrum, magnæ Inſulæ Britanniæ Archiepiſcopum & Philoſophum, cum aliis qui ibidem demorantur, exindè ad noſtram Humilitatem conjungere, atque diverſos hujus Concilii Epiſcopos in diverſis Regionibus conſtitutos, ut à generalitate totius Concilii noſtra ſervilis ſuggeſtio fieret, ne ſi tantùm pars quod agebatur recognoſceret, partem lateret. Et maximè quia in medio gentium, tam Longobardorum, quàm Sclavorum, nec non Francorum, Gallorum, atque Britannorum, plurimi Confamulorum noſtrorum eſſe noſcuntur*. Diſertè profitetur Gal los, Germanos, Francos, Hiſpanos, Britannos, Illyricianos pertinere ad Patriarchale Concilium Romanæ Eccleſiæ. Et quid opus multis? In primo ſui operis libro Dominus Archiepiſcopus habet hanc concluſionem: *Cordatus Lector, ſi curioſiùs rimetur, ſtatim inveniet quod eodem modo, quo quinque Orientis Diœceſes ita ſuis Primatibus erant commiſſæ, ut Ægypto præeſſet Alexandrinus Patriarcha, Orienti Antiochenus, Aſianæ Diœceſi Epheſinus Exarchus, Ponticę verò Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, & Thracicæ Conſtantinopolitanus, ita Diœceſes Occidentis ea ratione Metropolitis ſuis concreditæ fuerint, ut Romano Epiſcopo, tanquam totius Occidentis Patriarcha, ſubeſſent*. Et eruditè probat. Etiam ex laudato jam Magni Baſilii teſtimonio. (Cap. 5.)

Quòd nominatim Mediolanenſis atque Aquilejenſis Metropolitæ Patriarchico Romanæ Eccleſiæ jugo olim ſubfuerint, Dominus Archiepiſcopus etiam in alio ſui operis libro profitetur: *Attamen affirmare licet duas Diœceſes Italicas Sedis Apoſtolicæ Conſtitutis omninò paruiſſe per illas tempeſtates, quòd Synodum ejus Patriarchalem conſtituerent, ut alibi oſtendi. At cæteræ Occidentis Provincię tenebantur ad eam mittere relationes tamquam ad Sedem, in qua reſidebat Principatus Sedis Apoſtolicæ, undè fides manaverat in Provincias Roma ergò erat velut matrix fidei, Eccleſię verò cęterarum Occidentis Provinciarum erant velut coloniæ quędam ab ea urbe pendentes. In quo ſimiles erant Eccleſiis Italicis*. Et infrà: *Subjectio illa Provinciarum Occidentis, quæ ad Synodum Patriarchalem Romanam non pertinebant, non verſabatur tantùm in reverentia quadam & obſequio erga Sedem Apoſtolicam, ſed in eo pręcipuè, quòd illæ tenerentur referre ad Pontifices Romanos de quęſtionibus difficilioribus & ambiguis, quæ incidebant. In quo Romanus Pontifex utebatur jure quodam Imperiali, quod probat ſupremam ejus auctoritatem. Fruſtra enim ſunt qui ea quęrunt in Appellationibus Epiſcoporum, quæ in veteri Eccleſia non recipiebantur*. (Lib. 7. cap. 12.) Quid per duas Italicas Diœceſes intelligat Dominus Archiepiſcopus, edicit in alio ejuſdem operis libro: *Italia in duas Diœceſes erat diviſa; Italicam nempè & Suburbicariam*. (Lib. 1. cap. 6.) Porrò Italica ſeu Tranſpadana comprehendebat Aquilejam & Mediolanum. Et quòd utriuſque civitatis Metropolita ſemper ſpectauerit ad Patriarchalem Romani Epiſcopi Synodum, Dominus Archiepiſcopus nervosè ac eruditè ibidem demonſtrat. Proindè fabula ſibi ipſi non cohæret: Nunc omnem Occidentem, nunc utramque dumtaxat Italicam Diœceſim, nunc ſolam Italiam Urbicariam affirmat ſpectare ad iſtam Synodum. Tendunt hæc omnia, ut in Ravennatibus Epiſcopis frequenter damnata, & tandem potenter evulſa Autocephalia reſurgat in Metropolitas Galliæ. Nam & hic fuit ſcopus Hincmari Remenſis. Certè Dominus Archiepiſcopus palàm prædicat Sedi Apoſtolicæ nihil ab iſtis Metropolitis deberi, niſi ſolam difficilium & ambiguarum cauſarum relationem. Et quis neſciat hunc eſſe propriiſſimum Autocephaliæ characterem? Porrò fabula, quæ Epiſcoporum appellationes affirmat fuiſſe ignotas antiquæ Eccleſiæ, eſt abundè retuſa in ſuperioribus.

Omnium Occidentalium Diœceſium Epiſcopi non tantummodò ſpectarunt ſemper ad Patriarchalem Romani Epiſcopi Synodum, ſed & ipſam conſtanter frequentarunt. Etenim Patriarchali, quam formando ſuo ad ſextam Synodum ſuffragio adhibuit Sanctus Agathon, Synodo adfuerunt non ſoli cum Suffraganeis Manſuetus Mediolanenſis, ac Agathon Aquilejenſis Metropolita, ſed etiam *Adeodatus Epiſcopus ſanctę Eccleſię Leucorum, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum Provincias conſtitutæ. Felix Epiſcopus Arelatenſis Eccleſiæ, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum Provincias conſtitutæ. Taurinus Diaconus venerabilis Synodi per Galliarum Provincias conſtitutę*. Etiam adfuit *Wilfridus Epiſcopus ſanctę Eccleſię Eboracenę, Legatus venerabilis Synodi per Britanniam conſtitutę*. Et quis neſciat primam Arelatenſem, cui adfuerunt omnium Occidentalium Diœceſium Epiſcopi, fuiſſe dumtaxat Patriarchalem? Plurima ſunt ejuſmodi exempla. Et inter multa, quæ Romani Imperii per Barbaros laceratio intulit Eccleſiæ, incommoda Sanctus Avitus Viennenſis Metropolita in litteris ad Fauſtum & Symmachum Romanorum Senatores ponit & hoc: *Primùm fuerat talis rerum ſtatus deſiderandus, ut ipſi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis Divinis humaniſque expeteremus officiis. Sed quia iſtud jam dudum per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit, vellemus vel eo ſecuritatis accedere, ut quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, Amplitudo veſtra congregatorum Gallię Sacerdotum relatione*

ne cognoſceret. Palàm agit de Patriarchalibus Romanæ Eccleſiæ Synodis. Affirmat ipſas olim frequentatas à Gallicanis Epiſcopis, hos ad ipſas obligari, ſed jam per Barbaros impediri. Et hæc eſt cauſa, ob quam etiam Sanctus Leo Magnus, (Ep. 52.) ſuas ad Chalcedonenſem Synodum dogmaticas litteras formaturus, Gallicanos Epiſcopos non evocarit ad ſuam Synodum; ſed fuerit contentus Synodali ipſorum ſuffragio. Quam veritatem altiſſimè prædicant etiam Apoſtolici per Illyricum, Galliam, ac alias Diœceſes Vicarii. Erant Vicarii Patriarchalis poteſtatis, & Vicarias faciebant Synodos, ut ad remotæ urbis acceſſum Epiſcopi quotannis non cogerentur. Quòd Theſſalonicenſis Epiſcopus fuerit Romani Pontificis dumtaxat Patriarchalis Vicarius, Græci omnes, etiam hodierni Schiſmatici, conſtanter profitentur. Hinc enim ſcribit Martyr Theophanes: (A. 508) *Theodorus Hiſtoricus Theſſalonicę Epiſcopum appellat Patriarcham, ſed nulla prorsùs ratione, nec cur iſta ſcripſerit, ipſe ſatis novit.* Theodorus favit Dorotheo Theſſalonicenſi Epiſcopo, qui Acaciano ſchiſmate fretus Apoſtolicas vices tentavit vertere in Autocephaliam ordinarii Primatus. Theophanes aſſerit ſuiſſe dumtaxat Vicarium. Perdo verba & tempus in res claras.

Verùm quæ eſt prima hujus erroris origo? Reſpondeo eſſe Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum. Photiano Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſchiſmate vexatus Sanctus Papa Nicolaus primus ſcripſit ad dictum Metropolitam, & ad (Ep. 70.) reliquos Gallicanos Epiſcopos: *Pro his & ſimilibus cauſis canonicè diſcutiendis, & ritè definiendis, tam veſtram quàm aliorum fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum reverendam ad nos convocare vellemus preſentiam, niſi nos diverſæ mundi calamitates & preſſuræ id gerere vetuiſſent.* Et infrà: *Alioquin veſtram ad nos Fraternitatem convocandi, & pariter de hujuſmodi queſtionibus tractandi nobis erit omninò neceſſitas, ut videlicet juxta priſtinam conſuetudinem nobiſcum in id ipſum apud Sanctum Petrum convenientes, communes Eccleſiæ contumelias reparemus.* Conſtanter aſſerit Gallicanos Epiſcopos ſpectare ad ſuam Patriarchalem Synodum, & ipſorum in ea præſentiam eſſe antiquam conſuetudinem. Et hinc tandem Carolum Regem rogavit, ut ex quavis Provincia unus ad minimum Legatus Epiſcopus veniret. At Metropolitæ reſponderunt: *Epiſcopos Romam ad Synodum mittendi neceſſitas non poſtulat.* Dominus Archiepiſcopus exponit. Superiùs adducta Caroli Regis, ſeu potiùs Hincmari ad Joannem octavum Pontificem verba laudat, atque (Lib. 6. cap. 14.) proſequitur: *Exceptio illa, nimirum Eccleſiam Gallicanam non pertinere ad ſpecialem Diœceſim Romanam, id eſt, neque ad conſecrationem Romani Epiſcopi, neque ad ejus Synodum, tametſi Sedem Apoſtolicam coleret velut particulare Caput Occidentis, & etiam tanquam Caput Eccleſię univerſæ; exceptio, inquam, illa prorſus legitima erat. Prudenter igitur Nicolaus primus efficere conatus eſt, ut Epiſcopi Gallicani ad Concilium Romanum convenirent, ut ea ratione in Gallia & in univerſo Occidente Patriarchalis juriſdictionis amplitudinem conſtitueret, quam Patriarchę Orientis poſſidebant in ſua quiſque Diœceſi. Hi autem Metropolitanos omnes evocabant ad Synodum Patriarchalem.* Ad hanc exceptionem ſtabiliendam multa conſarcinat. Damnatam Ravennatis Eccleſiæ Autocephaliam lucidè conatur traducere in Gallias. Etenim Romanum Epiſcopum, uti totius Occidentis ſingulare Caput, & uti Caput Eccleſiæ univerſæ, venerata ſemper fuit etiam Ravennatum Eccleſia. Eodem modo illum venerata fuit etiam poſt datum à Vigilio Pontifice Primatum Eccleſia primæ Juſtinianæ. Et Antiochenum Epiſcopum, ut totius Orientis ſingulare Caput, venerata ſemper fuit Cypriorum Eccleſia, & tamen duæ poſteriores fuerunt, prior prætendit eſſe Autocephala. Nempe Autocephalia non eſt aliud quam exemptio à jugo Patriarchalis conſecrationis & Synodi. Et Dominus Archiepiſcopus, ut ſuas cogitationes firmet, aſſerit Magnum Papam Nicolaum prudenter conatum efficere, id eſt, aſtutè conatum circumſcribere.

Audiamus quid in Hincmarum ſtatuerit octava Synodus. Innovat ſextum Nicænum Canonem, (Can. 17.) & pergit: *Sed quoniam ſunt quidam Metropolitanorum, qui ne ſecundùm vocationem Apoſtolici Præſulis occurrant, à mundi Principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnimodis eſſe invalidam. Cùm enim Princeps pro ſuis cauſis conventus frequenter agat, impium eſt ut ſummos Præſules ad Synodos pro Eccleſiaſticis negotiis celebrandum impediat, vel quoſdam à Conciliis eorum prohibeat, licet tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum ſuggeſtione diverſis modis fieri didicerimus. Conſueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque, ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere Caput. Sed ſancta hæc & univerſalis Synodus nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa novit rationabiliora eſſe ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali Sede congregantur, & idcirco hæc fieri exigit. A Metropolita quippe unius quidem Provinciæ diſpoſitio efficitur, à Patriarcha verò ſæpe totius cauſa Diœceſeos diſpenſatur. Ac per hoc communis utilitas providetur. Propter quod & ſpeciale lucrum propter generale bonum poſtponi convenit, cum à majoribus ſuper hæc facta fuerit advocatio. Quamvis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & Canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videantur, non currentibus eis ad communem profectum. Quos leges Eccleſiæ ſeverè condemnantes, omni excuſatione remota, ſubjacere vocationibus proprii Patriarchæ, ſive cum communiter, ſive cum ſingulatim factæ fuerint, exigunt. Quiſquis ergò Metropolitanorum proprium Patriarcham contempſerit, & vocationem ejus, quæ ſive ad unum ſolum, ſive ad plures, ſive ad omnes fit, abſque validiſſima ægrotatione, vel Paganorum incurſu non obedierit, & per totos duos menſes poſt notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minimè feſtinaverit, vel ſi quocumque modo latitare, aut non cognoſcere nuntium ab illo miſſum tentaverit, ſegregetur; ſi verò intra unum annum eandem contumaciam & inobedientiam demonſtravit, deponatur omnibus modis, & ab omni Sacerdotali operatio-*

ne

ne decidat, atque à dignitate & honore, qui Metropolitanis convenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit etiam, & anathema ſit. Hæc omnia pro Patriarchalibus Romani Epiſcopi Synodis innovari & ſanciri adversùs Domini Archiepiſcopi dilectum Magiſtrum Hincmarum, eſt ſuo loco demonſtratum. Proindè certum eſt omnes etiam Gallicanos Epiſcopos ſpectare ad Synodum & conſecrationem Romani Patriarchæ. Eorum igitur conſecrationem ad ſe retrahere omnino potuiſſet Magnus Leo: Sed avitam conſuetudinem noluit circumducere. Eſt conſuetudo precaria: Gratioſè indulta ob diſtantiam ab alma Urbe.

CAPUT VI.

Romanus Epiſcopus oſtenditur eandem poteſtatem habere in aliis ſuis Diœceſibus.

HOrum omnium veritas lucet etiam ex litteris Honorii primi Pontificis ad Honorium Cantuarienſem, & Paulinum Epiſcopum Eboracenſem. Londinenſem, cujus Cathedra ex cauſis eſt per Sanctum Auguſtinum fixa Cantuariæ, & Eboracenſem Eccleſias Magnus Gregorius, ad inſtar Mediolanenſis ac Aquilejenſis, voluit eſſe ſorores, ac earum Epiſcopos à ſeſe mutuò conſecrari. Hoc Privilegium poſteà innovavit & firmavit laudatus Pontifex Honorius, & addidit cauſam: *Quia ut hæc vobis concederemus, longa terrarum mariſque intervalla, quæ inter nos & vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt, ut nulla poſſit Eccleſiarum veſtrarum jactura per cujuslibet occaſionis obtentum quoquo modo provenire, ſed potiùs commiſſi vobis populi devotionem poſſitis pleniùs propagare.* Has litteras ſuæ Anglorum Hiſtoriæ inſeruit venerabilis Beda, & commentatur: *Ne ſit neceſſe ad Romanam uſque civitatem per tam prolixa terrarum & maris ſpatia pro ordinando*
Lib. 2. cap. 10. *ſemper Archiepiſcopo fatigari.* Palam profitetur utramque ſedem ſpectare ad ordinationem Romani Pontificis, & ipſarum Electos debere Romam accedere. Honorius edicit ſe privilegium concedere ad preces utriuſque Archiepiſcopi, & Regum. Exſtant plura iſtiuſmodi teſtimonia.

Omitti nequit lucidum Sancti Cypriani teſtimonium, qui adversùs Antipapam Novatianum, novos ubique ſub cœlo aut certè in Romano
Ep. 52. Patriarchatu Epiſcopos ſacrare meditantem, ſcribit Antoniano Epiſcopo: *Quaſi poſſit totum Orbem novi conatus obſtinatione peragrare.* Palam aſſerit omnes ubique Epiſcopos ob loci diſtantiam nec poſſe apud Romam, nec in ſuis Sedibus à Romano Epiſcopo conſecrari. Romani Pontifices ſuis paſſim Metropolitis & horum Provincialibus Epiſcopis indulſerunt, quod ab Antiochenis Patriarchis fuiſſe ſolis Metropolitis indultum ob regionum diſtantiam, audivimus ſupra à primo Papa Innocentio. Neſcio quis Antiochenus Patriarcha in Cypri Eccleſiam fuit liberalior. Imitatus eſt Romanam liberalitatem, non tantùm Provinciales à Metropolitis, ſed etiam hos permiſit conſecrari à Provincialibus. Quòd eſſet Eccleſia tranſmarina. Verùm indulgentia nocuit. Ipſam Cyprii Metropolitæ tandem verterunt in jus: Tandem obtinuerunt plenam Autocephaliam. Hoc ipſum ex eodem principio obtinere Galliæ ac Germaniæ Metropolitis tentavit olim Hincmarus, & hodie tentat Dominus Archiepiſcopus.

Inſignes Pelagii Pontificis ad Walbertum Aquilejæ Patriarcham de hac re litteras in ſuo Decreto cuſtodivit nobis Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Miramur Prudentiam tuam Cumenſi Eccleſiæ denegare conſecrare Paſtorem, cum jam te ad hoc provocatum noveris Apoſtolica exhortatione.* Epiſt. 5. cap. 13. *Si enim in ejus electione quid tibi diſplicuit ſacris Canonibus interdictum, Apologeticis litteris tuis reſpondere nobis debueras. Nunc verò tibi iteratò ſcribimus, nolentes alicujus Eccleſiæ Privilegium infringere, licèt Apoſtolica Prærogativa poſſimus de qualibet Eccleſia Clericum ordinare. Deſine jam cujuſpiam zelo electum à Clero & expetitum à populo Lintvvardum Cumenſi Eccleſiæ Antiſtitem protelare. Quia ſi protelaveris, & eum conſecrare toties monitus non maturaveris, cum ad nos venerit, procul dubio conſecratus abibit. Quia licèt id Apoſtolica authoritate facere valeamus, tuo tamen incitamur exemplo, qui tranſgreſſis terminis tibi commiſſis, in Eccleſia Salonenſi Epiſcopum ordinare ad indecentiam Apoſtolicæ Sedis præſumpſiſti. Quod quantæ prævaricationis ſit, ipſe perpende.* Eſt error in nomine ac titulo Aquilejenſis Epiſcopi. Iſto enim tempore Aquilejenſis Eccleſia nullum habuit Epiſcopum nomine Walbertum. Et Aquilejenſes Epiſcopi tunc nondum ſibi arrogaverant titulum Patriarchæ. Exiſtimant aliqui Epiſtolam ſcriptam ad Paulinum Epiſcopum. Hic enim potenter ſtuduit dilatare novum tunc ſchiſma trium capitulorum, atque ita etiam Salonitani Metropolitæ conſecrationem invadere. Alii cenſent non eſſe credibile, ut Pelagius Orthodoxum Epiſcopum bis remiſerit ad Schiſmaticum Metropolitam, & per ipſum juſſerit conſecrari. Hinc credunt Epiſtolam non eſſe primi aut ſecundi Pelagii, ſed alicujus Pontificis, qui poſt exſtinctum ſchiſma ſederit. Et certè Walbertus & Lintvvardus non ſunt Latina nomina, ſed Longobardica. Quidquid ſit, Epiſtola nos docet plura. Primò, quòd Romanus Pontifex in quavis ac ex quavis Eccleſia poſſit non tantùm Epiſcopos, ſed etiam Clericos conſecrare. Secundò, quòd Occidentalium Metropolitarum in conſecrandis Epiſcopis poteſtas ſit privilegium Apoſtolicum atque Indultum. Tertiò, quòd Pontifex ſine rationibus non conſueverit illi derogare. Et ſane ita convenit. Et Romani olim Pontifices conſtanter obſervarunt. Nam & hic vides Lintvvardum electum à Pontifice ad ſuum Metropolitam fuiſſe bis remiſſum. Quomodo etiam cum Theutboldo Lingonenſium Electo proceſſit Stephanus ſextus. Videtur tunc Papa

alienarum Provinciarum Epiſcopos non niſi in tertia inſtantia conſecraſſe. Rogandus eſt Pontifex, ut Electis non facilè det facultatem accipiendæ conſecrationis à quolibet Catholico Antiſtite, ſed Provinciales à propriis Metropolitis, hos à propriis Suffraganeis aut Primatibus jubeat conſecrari.

Quidquid ſit de iſtarum litterarum authore, omittere nolim quod de primo Pelagio ſcribit ad Conſtantium Metropolitam Mediolanenſem Magnus Gregorius. Conſtantium Electum, niſi priùs de damnandis tribus Capitulis & admittendo quinto Concilio ſolemnem & ſcriptam profeſſionem faceret, confirmare noluit Gregorius, & ad queritantem de hac re eumdem jam conſecratum reſcripſit: *Deceſſor Fraternitatis tuæ Laurentius diſtrictiſſimam cautionem Sedi Apoſtolicæ emiſit, in qua viri nobiliſſimi in legitimo numero ſubſcripſerunt. Inter quos ego quoque, tunc Urbanam Præturam gerens, ſubſcripſi.* Affirmat Laurentium non dumtaxat ad ſolemniſſimam profeſſionem fuiſſe compulſum, ſed & evocatum Romam, ibi profiteri juſſum coram Magiſtratu, & à Pelagio Pontifice conſecratum. Et hæc omnia Gregorius adeò probavit, ut ex ipſis ſuum in Conſtantio factum ſtabiliverit. Pelagium imitatus eſt Joannes octavus. Etenim Aſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum degradavit, procedi juſſit ad novam electionem, Electum vetuit conſecrari à Suffraganeis, juſſit mitti Romam, & adjunxit: *Nos ſecundùm morem priſtinum, & ſecundùm Regiam conceſſionem volumus Archiepiſcopum conſecrare.* Secundùm morem antiquum, quo Romanus Pontifex quorumvis in Occidente Epiſcoporum conſecrationem ex cauſis poteſt ſibi reſervare. Recentiora exempla poſſint adduci plurima. Et quoties Metropolitæ adversùm ſimiles conſecrationes interceſſerunt, Sanctus Petrus Apoſtolus ſemper triumphavit. Porrò Glabri Rudolphi in loquendo & ſcribendo licentia avitæ ac manifeſtæ veritati non poteſt præſcribere. Eſt imperita loquacitas. Etenim Metropolitarum ac Provincialium Epiſcoporum in danda & accipienda à ſeſe invicem conſecratione morem, quem certum eſt eſſe gratuitum beneficium ac privilegium, cenſet eſſe Apoſtolicum & Canonicum tenorem. Eſt ab Hincmaro mutuatus error. Quocirca præſens Canon per omnia rectè definivit.

Lib. 3. Epiſt. 2.

Quòd Epiſcopales etiam per Africanam Diœceſim conſecrationes ſpectent ad Romanam Eccleſiam, & non niſi ob itineris moleſtias ſint Carthaginenſi Archiepiſcopo ac aliarum Provinciarum Primatibus indultæ, abundè lucet ex ſuprà laudatis litteris Sancti Cypriani ad Antonianum Epiſcopum. Etiam ex litteris ad Sanctum Papam Cornelium: *Quòd tibi de Fortunato iſto Pſeudo-Epiſcopo, à paucis & inveteratis hereticis conſtituto, non ſtatim ſcripſi, frater chariſſime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos feſtinatò perferri. Maximè quando & Fortunati nomen jam ſatis noſſes, qui eſt unus ex quinque Presbyteris, jam pridem de Eccleſia profugis & ſententia Coepiſcoporum noſtrorum nuper abſtentis.* Et infrà: *Quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum iſtic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica fratribus præſunt.* Omnium recenter conſecratorum per omnem Africam Epiſcoporum nomina & qualitates Romam feſtinatò referre adeò debebat Carthaginenſis Archiepiſcopus, ut de omiſſo hoc etiam circa Anti-Epiſcopum Fortunatum, à Feliciſſimi Diaconi factione turbulenter intruſum in Carthaginenſem Cathedram, officio Sanctus Cornelius fuerit conqueſtus. Quæ hujus feſtinatæ relationis neceſſitas? Ut ſingulorum in Africa Epiſcoporum qualitates, electionem, & conſecrationem diſcureret Pontifex, atque tunc aut infirmaret aut confirmaret. Apoſtolicus per ſextum Nicænum poſtea confirmatus Canon ei deferebat prævium conſecrationi examen & confirmationem, etiam ipſam conſecrationem; verùm tranſmarini itineris difficultas Romanos Pontifices permovit ad iſtam indulgentiam. Interim factæ poſt conſecrationem relationi noluerunt ullo modo renunciare.

Ep. 55.

Quin & poſt Nicænam Synodum voluerunt præviam confirmationem ſibi reſtitui. Lucet ex Syricii Pontificis Decretali, multam diſciplinam reformante, ad omnes Africæ Antiſtites epiſtola, cujus hic eſt primus reformans articulus; *Nemo extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis audeat ordinare. Integrum enim judicium eſt quod plurimorum ſententia conſequitur.* Sextus Nicænus Canon conſecrandos Provinciales Epiſcopos mandat confirmari non tantùm à Metropolita, ſed etiam à Patriarcha aut Exarcho. Porrò per omnem Africam & Carthaginenſis Exarchus ordinabat Epiſcopos, & quiſque etiam Primas in ſua Provincia. Conſecrandi habebant electionem inter Exarchum & Primates. Dabatur locus præventioni. Interim Primas ſine prævia Exarchi confirmatione nequibat conſecrare. Et omnes antiqua ſua conſuetudine freti cenſebant præviam Primatis & Exarchi confirmationem ſufficere, nec eſſe opus ſimili confirmatione Sedis Apoſtolicæ. Hanc tertiam confirmationem cenſebant non ſolummodò adverſam ſuis antiquis moribus, ſed & ſuperfluam. Nihilominus antiquos mores Syricius voluit corrigi, regi deinceps juxta ſextum Nicænum Canonem, ideoque etiam Apoſtolicæ Sedis judicium ante conſecrationem exſpectari. Et addidit ipſum nullo pacto eſſe ſuperfluum: *Quia integrum judicium eſt, quod plurimorum ſententia conſequitur.*

Notanda ſunt verba: *Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis.* Africani Epiſcopi allegarunt ſibi præter ſingularum Provinciarum Primates ſeu Præfectos eſſe totius Diœceſeos Primatem, ſeu Exarchum: Et horum dumtaxat confirmationem exigi à Nicæno Canone. Allegarunt ſui Exarchi Autocephaliam, ideoque ſe non ſpectare ad Romani Pontificis confirmationem aut conſecrationem, ſed dumtaxat ad relationem obligari. Etenim Africana Eccleſia ſemper dilexit atque ambivit ſui Exarchi Autocephaliam: Et habuit anſas. Etenim apud antiquam Eccleſiam ſolæ quatuor Diœceſes habuerunt Exarchum:

Thra-

Thracica, Aſiatica, Pontica, & Africana. Et trium priorum Exarchi erant omninò Autocephali. Hinc ad idem faſtigium adſpirabat Exarchus Carthaginenſis. Et ex quo tempore Sanctus Cyprianus, & Sanctus Firmilianus, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, Exarchus Ponticæ Diœceſeos, contra Sanctum Pontificem Stephanum, & datum aut acceptum in hæreſi Baptiſmum, conjunxerunt & erexerunt cornua, ambitus inſigniter excrevit. Igitur adversùs illum edixit Syricius: *Apoſtolicæ Sedis, id eſt, Primatis*. Edixit Africanæ Eccleſiæ nullum eſſe Exarchum, ſeu Autocephalum Primatem, niſi ſolum Epiſcopum Romanorum. Proindè Africani Epiſcopi omninò ſpectant ad ordinationem Romanam, ideoque ipſos Pontifex non tantùm prævié confirmare poteſt, ſed & conſecrare. Interim illi antiquum morem non correxerunt. Perrexerunt citra præviam Romani Pontificis confirmationem conſecrare. Lucet ex variis locis Sancti Auguſtini, ac Sancti Poſſidonii, item ex variis Africanis Synodis. Nempè ſuarum conſuetudinum Afri erant pertinaciter tenaces, & Syricii Succeſſores diſſimulare maluerunt, quàm litigare.

Apoſtolicæ Sedis jus inſigniter profitetur Magnus Afrorum Doctor Sanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus. A Romana Sancti Melchiadis Pontificis Synodo factam Donati in Caſis nigris Epiſcopi damnationem exponit, atque
Lib. 1. proſequitur: *Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti ad Carthaginem contingeret. Tunc à Filumnio, ejus Suffragatore, Imperatori ſuggeſtum eſt, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur. Et factum eſt. Tunc duo Epiſcopi ad Africam miſſi ſunt, Eunomius & Olimpius, ut remotis duobus unum ordinarent. Venerunt Carthaginem: Fuerunt per quadraginta dies, ut pronuntiarent ubi eſſet Catholica. Hoc ſeditioſa pars Donati fieri non eſt paſſa*. Quæ verba rectè commentatur Magnus Gallicanæ Eccleſiæ Doctor Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus: *Neceſſe eſt fateri hos duos Epiſcopos, Eunomium ac Olimpium, à ſummo Pontifice fuiſſe miſſos. Alioquin poteſtatem non habuiſſent alium in Africa ordinandi. Sed nota, quemadmodum ordinatio in aliis Provinciis & longè diſſitis poteſt celebrari à ſummo Pontifice*. Quia nempe ex Apoſtolico Canone ſpectat ad Pontificem. Hic eam ob itineris moleſtias gratioſè indulget Provinciarum Epiſcopis, ideoque ex cauſis poteſt ipſam revocare ad ſe, vel aliis delegare. Et quidem Sanctus Optatus loquitur de ipſa Primatiali Carthaginenſi Eccleſia. Etiam nota, quòd laudatæ, quam clarum eſt fuiſſe Patriarchalem, Melchiadis Synodo adfuerint Merocles Mediolanenſis, Maternus Agrippinenſis, Rheticius Auguſtodunenſis, ac Marinus Epiſcopus Arelatenſis. Ex quo vides & Italicam, & omnem Gallicanam Diœceſim tunc ſpectaſſe ad Synodum, ideoque & ad conſecrationem Romani Pontificis.

Iſtud Romanæ Eccleſiæ jus laudat etiam Magnus Gregorius. Dominicum Carthaginenſem Primatem de factis quibuſdam relationibus laudat, atque adjungit: *Scientes præterea, unde in Africanis partibus ſumpſerit Ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quòd Sedem Apoſtolicam diligendo, ad officii veſtri originem prudenti recordatione recurritis*. Quòd Africana Eccleſia ab ipſis Apoſtolis non acceperit Evangelium, ſed ſeriùs crediderit, aliquoties profitetur Sanctus Auguſtinus. Quòd à Romana Eccleſia acceperit primos Doctores atque Epiſcopos, gloriatur in Præſcriptionum libro Tertullianus: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt*. Cap. 36.
Per auctoritatem omninò intelligit originem. Proinde Africana Eccleſia eſt Romanæ tradux & colonia, ac illi fecit neſcio quis antiquus Pontifex quod Bulgarorum Eccleſiæ fecit Nicolaus primus: *Vos ſive Patriarcham, ſive Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum vobis ordinari poſtuletis, à nemine hunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice Sedis Beati Petri, à quo & Epiſcopatus & Apoſtolatus ſumpſit initium, ordinari valetis. In quo hic eſt ordo ſervandus, ut videlicet à Sedis Apoſtolicæ Præſule ſit nunc vobis Epiſcopus conſecrandus, qui, ſi Chriſti Plebs ipſo præſtante creſcit, Archiepiſcopatus privilegia per nos accipiat, & ita demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti Succeſſorem eligant, & propter longitudinem itineris non jam huc conſecrandus, qui electus eſt veniat, ſed hunc Epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant*. Ep. 70. c. 73.
Cunctis, dum admittunt Evangelium, remotis gentibus primum Epiſcopum conſecrare conſuevit Romanus Pontifex, & quivis Patriarcha, ac Succeſſorum conſecrationem Provincialibus ob itineris moleſtias indulgere. Demonſtrari hoc poteſt plurimis exemplis.

Eandem Romanæ Eccleſiæ poteſtatem noſtri ſeptimi Gregorii tempore inſigniter profeſſi ſunt Cyriacus Carthaginenſium Primas, ac Anzir Saracenorum Rex in Sitifenſi Mauritania. Adeò deſolata tunc erat Africana Eccleſia, ut non haberet niſi duos Epiſcopos: Nempè ipſum Cyriacum, & neſcio quem alium conſecratum à Gregorio. Hunc Cyriacus, quia ſolus conſecrare non poterat, Romam miſerat conſecrandum. Interea Anzir etiam ſibi ſubditis Chriſtianis permiſit eligi Epiſcopum, atque electus fuit Servandus Presbyter. Et quia etiam duo Epiſcopi conſecrare non poſſunt, ſimiliter hunc & Cyriacus Archiepiſcopus & Anzir Rex miſerunt Romam, & poſtularunt conſecrari à Gregorio. Sitifenſis Mauritania eſt vicina Hiſpaniæ, remota ab Italis: Et iſto adhuc tempore Saraceni dominabantur Hiſpaniis. Cur ergò Anzir Rex Servandum non miſit ad Hiſpaniarum Epiſcopos? Quia peritus erat Chriſtianorum Canonum, qui cunctas Afrorum Antiſtitum conſecrationes deferunt Epiſcopo Romanorum. Et hinc de obſervatis his Canonibus gratias illi egit Gregorius. Lib. 3. Ep. 19. 20. 21.

CAPUT VII.

Mediolanenſis Eccleſiæ ſupra Aquilejenſem Primatus largiùs refutatur.

MEdiolanenſis Cathedræ ſupra Aquilejenſem Metropolim ac alias Veneticæ Provinciæ Eccleſias Primatum Illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca firmare poſſit ex authentica Epiſtola, qua Sanctus Ambroſius Felicem Comenſem in iſta Provincia Epiſcopum invitat ad novæ, quam ſub Sanctorum Apoſtolorum nomine exſtruxerat Sanctus Baſſianus Laudenſis Epiſcopus, Baſilicæ Dedicationem. Affirmat Felicem eſſe conſecratum ſuis manibus, ipſum ex imperio tractat ut filium, & adeſſe non rogat, ſed jubet. Quo jure poſſit Ambroſius in aliena Provincia conſecraſſe Epiſcopum? Certè non alio quàm Primatus. Nempè id fecerat vacante Metropolitica Aquilejenſis Eccleſiæ Cathedra. Iſto caſu variæ apud Latinos Provinciæ habuerunt varias conſuetudines. Quædam omnes conſecrationes futuro Metropolitæ reſervarunt, quædam detulerunt Provinciæ Protothrono, aut ſeniori, quædam vicinum Metropolitam invitarunt. In Aquilejenſem Provinciam Mediolanenſis Epiſcopus videtur tunc fuiſſe uſus jure ſui Primatus. Quòd enim non ſororio aut fraterno jure uſus fuerit Magnus Ambroſius, demonſtrat epiſtola, quam Francorum Legatis, Conſtantinopolim proficiſcentibus poſt quintum Concilium, dedit Clerus Italiæ. Datium Mediolanenſem Archiepiſcopum, quòd tria Capitula damnare pertinaciſſimè nollet, ad ſedecim ferè annos Imperator Juſtinianus exulem Conſtantinopoli detinuit; ipſum remitti ſupplicat dictus Clerus, & adjungit cauſam: *Quia cùm penè omnes Epiſcopi, quos ordinare ſolet, ſicut benè ſcitis, mortui ſint, immenſa populi multitudo ſine Baptiſmo moritur*. Quòd nempè in Italia quævis Epiſcopalis Parochia olim haberet unicum dumtaxat Baptiſterium, & ſolus Epiſcopus omnem populum baptizaret. Aquilejenſis Metropolita nec ob tantam neceſſitatem potuit in Mediolanenſi Provincia conſecrare novos Epiſcopos: Quòd nempè illius Archiepiſcopo non eſſet frater, ſed ſubditus ac filius.

Lib. 8 Ep. 1.

Reſpondeo hæc omnia non eſſe fundata. In laudata epiſtola id disertè profitetur ipſe Sanctus Ambroſius: *Erit mihi fructus dulciſſimus, quòd meum in te judicium comprobabitur. Ordinatio non reprehendetur, quam accepiſti per impoſitionem manuum mearum, & benedictionem in nomine Domini* JESU. Ad Baſilicarum Dedicationes olim ſolebant invitari plures Epiſcopi, iſta occaſione fieri Synodus, & occurrentes quæſtiones definiri. Ita tunc factum fuit etiam in Laudenſi civitate. Hinc Felix Epiſcopus advenire timuit: Timuit datam ſibi ab alieno Metropolita conſecrationem diſcuti atque damnari. Et ipſam approbandam, quo virum ſiſtat, ei ſpondet Ambroſius. Ipſam ſpondet non admittendam ſine examine, ſed probandam & firmandam. Et haud dubiè fuit ita geſtum. Et hinc oritur quæſtio, qua authoritate iſtam conſecrationem Sanctum Ambroſius attentaverit. An jura aliena invaſerit ac fuerit prævaricatus? Et hoc poſteriùs quibuſdam videtur non incredibile. Etenim Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo, ac ejus Succeſſori Sancto Joanni Chryſoſtomo Ambroſius fuit author, ut in Pontica Diœceſi attentarent non tantùm conſecrationes Epiſcoporum, ſed & degradationes. Suum à ſe damnatum atque Apoſtatam Diaconum Gerontium, quem Helladius Cæſarienſium Primas conſecrarat Nicomedienſem in Bithynia Archiepiſcopum, per laudatos Epiſcopos rogavit ejici. Et tandem ejecit Sanctus Joannes, ac ejus in locum conſecravit Panſophium. Et hic illi in Synodo ad Quercum fuit unus è gravioribus accuſationis articulis. Rei ſeriem habes apud Hermiam Zozomenum. Etiam adducta Ambroſii verba, *Meum in te judicium comprobabitur*, quibuſdam videntur altè clamare, iſtam conſecrationem fuiſſe propriam uſurpationem.

Reſpondeo occultæ rei fundum poſſe penetrari ex conſequentibus Sancti Ambroſii verbis: *Multa meſſis Chriſti, ſed pauci operarii. Et difficilè reperiuntur qui adjuvent. Verùm hoc vetus, ſed potens eſt Dominus, qui mittat operarios in meſſem ſuam. Certè in illo ordine Comenſium jam plerique cœperunt credere Magiſterio tuo, & Doctrina tua verbum Dei receperunt. Sed qui dedit credentes, & adjutores dabit*. Inter ſeductos ab Imperatore Conſtantio, & ejuſdem Principis ſeductores Epiſcopos fuit Aquilejenſis Metropolita Fortunatianus, de quo ſcribit in virorum Illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus: *Fortunatianus in hoc habetur deteſtabilis, quod Liberium Romanæ urbis Epiſcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitavit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſios compulit*. Non fuit Arianus hæreticus, ſed Palatinus ſorex, & omni Palatii vento circumlata ariſta, ideoque egit ſervilem in Catholica fide vertumnum. Et omnes ſuæ Provinciæ Eccleſias aut hæreſi, aut ejus communione fœdavit. Nam & Urſatium ac Valentem, fœdiſſimos Arianæ fœcis Circumcelliones Epiſcopos, liberè permiſit per ipſas graſſari. Porrò ad Chriſti Domini trecenteſimum ſeptuageſimum ſextum, & undecimum Imperatoris Valentiniani annum ſcribit in Chronico laudatus Hieronymus: *Poſt Auxentii ſeram mortem, Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur. Aquilejenſes Clerici, quaſi Chorus Beatorum habentur*. Poſteriora verba laudant proximum Fortunatiani Succeſſorem Sanctum Valerianum, qui factus Epiſcopus non tantùm in dogmate, ſed etiam in diſciplina fecit ſtatim illic nova omnia atque ſanctiſſima. Videtur eodem anno poſt Sanctum Ambroſium factus Epiſcopus. Et vacante adhuc iſta Metropoli defunctus eſt Comenſis è Fortunatiani grege Epiſcopus, ejus in locum electus Felix, eò ivit Ambroſius, electionem probavit, & conſecravit

cravit Electum. Eos qui hoc poſt Valeriani mortem contigiſſe opinantur, exiſtimo non audiendos. Nam quomodo tantus Auguſta orthodoxi Principis authoritate ſtipatus Metropolita ſuas civitates non expurgaſſet? At manet quæſtio, Qua poteſtate Ambroſius iſta patraverit. Ea ipſa, qua Anemium conſecravit in Metropoli Syrmienſium. Apoſtolica delegatione Sancti Damaſi Pontificis. Ejus verba, *Meum in te judicium comprobabitur*, nequaquam important Attentatum, ſed ſolam Electi ac electionis confirmationem. Ambroſius fuit rigidiſſimus Canonum cuſtos, de ulla ipſorum prævaricatione numquam vel notatus. Ex his interim lucet quòd Felicem non ex ſuæ Sedis jure aut privilegio conſecraverit. Si enim Mediolanenſi Cathedræ fuiſſet talis conſuetudo aut Prærogativa, iſta conſecratio non potuerat in quæſtionem devocari ad Synodum.

Quòd Mediolanenſi Cathedræ ſuper Venetiæ Eccleſias nullus umquam Primatus fuerit, demonſtrari poteſt etiam ex aliis principiis. In Aquilejenſi Concilio, unico Domini Archiepiſcopi fundamento, clarè habemus: *Epiſcopi qui huic Concilio interfuerunt, Valerianus Epiſcopus Aquilejenſis, Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis*. Et infrà: *Siagrio & Eucherio, viris clariſſimis Conſulibus, Aquilejæ in Eccleſia conſidentibus cum Epiſcopis, Aquilejenſium civitatis Valeriano, Mediolanenſis Ambroſio*. Et iterùm, *Epiſcopi & Presbyteri, qui Concilio ſubſcripſerunt, Valerianus Epiſcopus Aquilejenſis, Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, Euſebius Epiſcopus Bononienſis*. Valerianus, licet conſecratione junior, in omnibus præfertur Ambroſio, quòd nempè Sororum Eccleſiarum eſſent fratres Epiſcopi, & ille eſſet in propria civitate. Adeò fida ſunt Domini Archiepiſcopi fundamenta. Nec refert quòd Sanctus Ambroſius Aquilejæ egerit quaſi omnia, os & lingua Concilii. Egit enim per Doctrinæ excellentiam, non per Prærogativam Sedis. Et antiqua Romani Imperii notitia inter ſeptendecim Italiæ Provincias primo Venetias, ſecundo Æmiliam, tertio loco ponit Liguriam, atque ita Apoſtolicus Canon non patitur, ut Liguriæ Archiepiſcopus in Venetiarum Cathedras habuerit Primatum. Et quid opus multis? Etiam in laudata, quæ hoſce Metropolitas ab invicem ex more conſecrari affirmat, ad Joannem Patricium epiſtola Pelagius Pontifex diſertè addit: *Ita tamen ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Epiſcopus, alterius Civitatis Pontifex occurrere debuiſſet, ut & ordinandi electio à præſenti Ordinatore ex conſenſu Univerſalis, cui præficiebatur, Eccleſiæ meliùs ac faciliùs potuiſſet agnoſci, & in ſua qui ad Epiſcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori ſuo ſubdendus fuerat, ordinaretur Eccleſia*. Lucida ſunt verba: *Nec tamen Ordinatori ſuo ſubdendus fuerat*. Quòd ut palàm profiteretur antiquus mos, juſſit non Ordinandum ad Ordinatorem, ſed hunc ad iſtum accedere. Accedere ad iſtius civitatem. Quæ omnia Primatui lucidiſſimè adverſantur. Porrò iſtius moris originem denuò fateor à me ignorari.

Obſtare videtur ejuſdem Pelagii ad Valerianum Patricium Epiſtola: *Iſtud eſt quod à vobis iterum poſtulamus, ut Paulinum Aquilejenſem Pſeudo-Epiſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum, utique Vitalem, ad clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis, ut & iſte qui Epiſcopus nullatenùs eſſe poteſt, quia contra omnem Canonicam conſuetudinem factus eſt, alios non perdat, & ille qui contra morem antiquum ordinare eum præſumpſit, debitæ Canonibus vindictæ ſubjaceat*. Prior ad Joannem Patricium Epiſtola affirmat eſſe antiquum morem, ut hi Metropolitæ ſeſe mutuo conſecrent: Hæc verò Epiſtola à Vitali factam Paulini conſecrationem affirmat eſſe contra Canonicam conſuetudinem & antiquum morem. Eam adeò deteſtatur, ut aſſeveret Paulinum eſſe Pſeudo-Epiſcopum, & nullatenùs poſſe Epiſcopum eſſe. Quomodo hæc cohærent? Reſpondeo cohærere. Verùm res eſt altius repetenda. Et notanda ſunt verba poſterioris Epiſtolæ: *Recolere debet Celſitudo veſtra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Hiſtriam & Venetias Tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſeritis, niſi ad clementiſſimum Principem exindè retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet, ejus iterùm Scriptis recognoviſſetis, & inter ubique ferventes hoſtes Ravennam tamen & is qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, providentia Culminis veſtri deducti ſunt*. Antiquum morem, qui duos hos Metropolitas ab invicem conſecrari juſſerat, Pelagius ad diſrumpendas ipſorum contra quintum Concilium conjurationes circumſcripſerat atque aboleverat: Utrumque juſſerat deinceps à propriis Comprovincialibus conſecrari. Verùm Vitalis & Paulinus Papale Decretum ſpreverunt, garrientes eouſque non rendi Apoſtolicam Poteſtatem. Et per ipſos in ceſpitationem adducto Patricio Papa reſpondit in Sancti Petri arbitrio eſſe iſta omnia, demonſtratque lucido ac nupero exemplo. Etenim antiquus mos non tantùm Metropolitam à Metropolita, ſed inſuper utrumque jubebat conſecrari in propria civitate: Et iſtius nuper ad Apoſtolicæ Sedis & Imperatoris Juſtiniani Decretum factam mutationem ipſe Patricius Valerianus fuerat exſecutus, utrumque Metropolitam cogens Ravennam accedere in alienam Provinciam, ac ibi conſecrare & conſecrari. Apoſtolicam poteſtatem etiam ſibi adeſſe aſſeruit Pontifex, atque ita morem, qui illos ab invicem conſecrari voluit, item à ſe poſſe mutari. Et in litteris ad Joannem Patricium edicit intimam hujus ſuæ Poteſtatis radicem: *Videamus utrum vel ipſarum conſuetudinem partium in ſua Ordinatione conſervaverint. Nempè is mos antiquus fuit, ut quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab Apoſtolico oneroſum illis fuerit ordinari, ipſi ſe invicem ordinare debuiſſent*. Affirmat duo. Primò, quòd uterque Metropolita juxta Canones debeat ordinari ab Apoſtolico. Deindè, quòd ob itineris moleſtias factum illis ſit gratioſum mutuæ conſecrationis Indultum. Et hinc infert Paulinum eſſe conſecratum contra omnem Canonicam conſuetudinem & antiquum morem, ideoque eſſe Pſeudo-Epiſcopum. Quia nempè poſt iſtius indulti legitimam & efficacem revocationem conſecratus fuit con-

contra Apoſtolicum ac ſextum Nicænum Canonem: *Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitæ fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* Per Metropolitam intelligit Patriarcham. Et hinc vides iſtum morem fuiſſe precariam gratiam, & illius primum immutatorem fuiſſe primum Pelagium.

Quod ipſum inſigniter lucet ex privilegio Ticinenſis Eccleſiæ. Ejus Epiſcopum fuiſſe à Sancto Ambroſio conſecratum teſtatur in illius vita Paulinus Presbyter, & tamen in Conſtantini Pontificis vita ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Romam venit & Benedictus Mediolanenſis Archi-Epiſcopus orationis voto, & ſuo ſe Pontifici præſentare. Altercavit verò & pro Eccleſia Ticinenſi, ſed victus eſt, eò quòd à priſcis temporibus Sedis Apoſtolicę, ejuſdem Ticinenſis Eccleſiæ Antiſtes ad conſecrandum pertinebat atque pertinuit.* Quia nempè quis poſt Sancti Ambroſii tempora Pontifex Ticinenſium Epiſcopis dederat honorem Pallii, & privilegium plenæ exemptionis. Hinc etiam Lintardum Ticinenſem Epiſcopum fuiſſe à Nicolao primo conſecratum teſtatur in hujus vita idem Anaſtaſius. Et ita fuit uſque ad Alexandrum tertium, qui Papienſes Epiſcopos, quod Octaviani ſchiſma & Imperatoris Frederici violentias ſectarentur, honore Pallii & ſancto Crucis Vexillo privavit, ac reddidit Metropolitis Mediolanenſibus. Etiam de Joanne quinto Pontifice ſcribit liber Pontificalis: *Joannes poſt multorum annorum curricula propter transgreſſionem Ordinationis Eccleſiæ Turritanę, quam ſine authoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiſcopus Calaritanus, pro eo quod antiquitus Ordinatio fuit Sedis Apoſtolicę, & ad tempus conceſſa fuerat ipſa Ordinatio eidem Eccleſię. Poſtmodùm protervia faciente Archiepiſcoporum, per Præcepta Pontificum ab eadem Ordinatione ſuſpenſi ſunt juxta determinationem ſanctę memorię Martini Papæ. Et facto Concilio Sacerdotum, novellum Epiſcopum, qui ab eodem Archiepiſcopo ordinatus fuerat, ſub ditione Sedis Apoſtolicæ redintegravit atque firmavit, quorum Chirographus Archivo Eccleſiæ detentus eſt.* Turritanam Eccleſiam per ipſum Sanctum Petrum fuiſſe à ſuo Metropolita exemptam aliqui affirmant. Ejus ſanè exemptio eſt antiquiſſima. Illius Epiſcopum, quòd Saraceni omnem cum vicinis Inſulis infeſtarent Italiam, neſcio quis Pontifex indulſerat conſecrari à Metropolitis Calaritanis. Et ab horum aliquo paſſus ille eſt quod à Vitali Mediolanenſi & Paulino Aquilejenſi paſſus fuerat primus Pelagius. Et Joannes quintus ſimiliter vicit. Nempè non tantummodò Metropolitarum, ſed & Provincialium Epiſcoporum conſecrationes & indulgere poteſt ex arbitrio Pontifex, & indultas auferre. Sancti Petri tempore Arelatenſis civitas non fuit Metropolis: Et tamen quòd ipſi idem Apoſtolus trium Provinciarum Epiſcopales conſecrationes dederit, atque ita trium Metropolitarum privilegium in eam tranſtulerit, ſuprà audivimus à Zozymo Pontifice, Sancto Hilario, ejus Anteceſſore Patroclo, & multis aliis Gallicanis Epiſcopis. An verum aſſeruerint, eſt alia quæſtio; interim conſtanter aſſeruerunt. Ex quo vides eos, qui hodie ſine fronte & mente blaterant ſimilia privilegia adverſari Canonibus, ideoque Romanæ Eccleſiæ nullam eſſe ipſorum impartiendorum poteſtatem, garrire inania, eſſe indignos Gallicanæ Eccleſiæ abortus, & latrare contra Lunam. Quædam privilegia profiteor eſſe contra Canones: Addo tamen eadem ſecundùm Canones dari. Canones à donante Pontifice lædi ſecundùm Canones. Ita ſe ab illo lædi Canones permittunt & gaudent. Ad factioſas linguas plenè compeſcendas exſpecto opportuniorem locum.

CANON XII.

ITem ibi mota eſt quæſtio de conſanguinitate Regis & uxoris ſuæ. Undè & Rex in media Synodo ſurrexit, ſeque de hac re judicium ſanctæ Synodi per omnia obſervaturum eſt profeſſus. Sancta autem Synodus hanc cauſam in præſenti Canonicè examinari non poſſe judicavit, eò quòd legitimi accuſatores non eſſent.

SCHOLION.

DE hoc Canone ſcribit Venericus Vercellenſis Epiſcopus: *Intererat huic Conventui Rex Saxonum Hermannus, cui ne apud ſuos quidem ſervabatur honor Regius, à quo tunc & iſtius Synodi cœpit Tractatus. Nam memoratus Epiſcopus Otho inquit: Audiens ego, quòd Rex veſter legitimum non habeat conjugium, ſed ex conſanguinitate ſociatum, judico inter eum & uxorem ejus fieri divortium. Hujus judicii ſententiam non approbarunt Epiſcopi, dicentes hujus rei tempus non eſſe.* Aſſerit quòd hujus negotii Tractatus fuerit præſentis Synodi exordium, ac primus Canon. Et poſſit eſſe. Quoniam

niam adducti per Bertholdum Canones non ſunt originales & veri, ſed ſola perditorum aut latentium Canonum formata per illum compendia. Interim hinc vides, quòd tunc etiam Regum non ſolùm contrahendis, ſed inſuper bona fide contractis in vetito gradu conjugiis nulla eſſet ſpes diſpenſationis. Separabantur.

CANON XIII.

IN fine autem Synodi ſententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum Hæreſiarcham Sedis Apoſtolicæ pervaſorem, & in Apoſtatas Sancti Petri, Hugonem Album cognominatum, Joannem Portuenſem Ex-Epiſcopum, Petrum Ex-Cancellarium. Item in Liemarum Bremenſem, Othonem Hildeshemenſem, Othonem Conſtantienſem, Burchardum Baſileenſem, Huzmannum Spirenſem Epiſcopos. Item in VVecilonem Moguntinum invaſorem, Sigefridum Auguſtenſem, Norbertum Curienſem. In hos, & in omnes eorum complices inevitabilis ſententia anathematis promulgata eſt.

SCHOLION.

ILle Portuenſis Epiſcopus fuit vocatus non Joannes, ſed Petrus. Etenim de Moguntino Latrocinio ſcribit præfatus Venericus; *Convenerunt Petrus Epiſcopus Portuenſis Eccleſiæ, & duo Cardinales Romanæ Eccleſiæ.* Hic eſt omninò Portuenſis Epiſcopus, quem præſens Synodus damnavit. Petrum Cancellarium etiam Cardinalis Benno numerat inter Cardinales noſtri Gregorii adverſarios, addens illum ante hujus Papatum fuiſſe Cardinalem. Eum Bertholdus appellat Ex-Cardinalem, quod jam antea eſſet à Gregorio degradatus. Ob varia præſertim in Legationibus facinora degradatus fuit etiam Hugo Albus, quem ſuprà audivimus fuiſſe ex Coryphæis etiam Brixinenſis latrocinii. Petri Portuenſis Epiſcopi Apoſtaſiam exponit Hugo Abbas Flaviniacenſis. Affirmat Juratonem Sancti Benigni Divionenſis Abbatem à clauſo intra Sancti Angeli Caſtrum Gregorio fuiſſe legatum ad poſtulanda à Roberto Nortmannorum Duce auxilia, atque proſequitur: *Abbas obedientiam non ſegniter executus; Principem adduxit, & data urbi obſidione, patefactoque ingreſſu, Rege Henrico fugato, Papa liberatur, & ad Lateranenſe Palatium cum gloria reducitur. At quia Nortmannorum inſtabilitas, urbe capta & prædæ data, multa mala perpetraverat, nobilium Romanorum filias ſtuprando, & nocentes pariter ac innocentes pari pœna affligendo, nullumque modum, uti victoribus mos eſt, in rapina, crudelitate, direptione habendo, veritus ne Duce recedente infidelitas Romana exagitata recrudeſceret, & quos antea habuerat quaſi fidos amicos, pateretur infidos, cedendum tempori arbitratus, Salernum ſe contulit. Rex verò, hoſte adventante, fugæ præſidium requirens, ſigillum Domini Papæ, quod furto ſubripuerat, ſecum tulit, & Portuenſem Epiſcopum, quia olim familiaris Papæ fuerat, ſibi conciliatum ſecum duxit.* Hinc ergò ille Portuenſis Epiſcopus exindè conſpiravit cum Guiberto & Henrico, & eſt meritò damnatus. Hiſce de rebus ad omnes Sancti Petri in Germania fideles ſcripſit Comitiſſa Mathildis: *Notum vobis facimus, quòd falſus Rex Henricus furto ſubripuit ſigillum Domini Papæ Gregorii. Unde ſi quid audieritis quod diſcordet à noſtra allegatione, falſum arbitremini, neque mendaciis ejus acquieſcatis. Præterea Epiſcopum Portuenſem ſecum duxit: Quoniam olim fuit familiaris Domini Papæ. Si igitur aliquid vobiſcum, vel contra vos vult per eum operari, eum falſum teſtem nolite dubitare.* Exſtat epiſtola apud eundem Hugonem. Et ex his diſcimus, quòd non ex caſtro Sancti Angeli, ſed ex Lateranenſi Palatio Gregorius fugerit Salernum.

Porrò de Sigefrido Auguſtenſi Epiſcopo ſcribit præfatus Venericus: *Anno milleſimo octogeſimo nono defunctus eſt VVigoltus Auguſtæ alter Epiſcopus, qui Sigefrido ejuſdem civitatis Epiſcopo adhuc vivente, per partium ſtudia eſt ſubintroductus. Qui furtivè ad ordinationem ingreſſus, per Sigefridum Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinatus eſt Goslariæ in Saxonia, cùm Auguſta civitas ſit juxta Alpes in Rhætia. Qui certè non juxta ſolemnem aliorum Epiſcoporum morem intravit cum Cleri & populi ſuffragiis, ſed cum hoſtibus ejuſdem civitatis, quæ primò quidem per proditionem capta, & per Imperatorem liberata, deindè etiam capta eſt, ſimiliter per proditionem, & ad ſolum uſque deſtructa. Tum verò ingens præda facta eſt ibi ex rebus atque bonis tam Cleri quàm populi, quibus apud hoſtes prodeſſe non potuit templum Dei, & Eccleſia Sanctæ MARIÆ Virginis, ubi hæc recondita ſunt propter metum hoſtilis incurſionis. O quàm bonus Paſtor, & quàm prudens familiæ Dei Diſpenſator* F. 101.

ſator fuit ille VVigoltus! Qui, utpote fur, intravit ipſe in civitatem cum furibus, & homicidis, atque raptoribus, ut raperet, mactaret, & perderet. Quod cùm factum ſit feria quarta ante cœnam Domini, poſtera die acceſſit ad Altare Domini, & manibus ſanguine & iniquitate plenis præſumpſit ſacri Chriſmatis conſecrationem ſibi uſurpare. At poſt completum officium infirmari cœpit, & poſt aliquot dies cum magno tormento vitam finivit. Capta autem civitate captus eſt & Sigefridus Epiſcopus juxta Altare Dei, quem VVelpho Dux quondam Bavariæ, perſecutor Eccleſiæ, fecit in ſua cuſtodia teneri, donec ſeſe redemiſſet tanti æſtimatione theſauri, quanta ſuppleret avaritiam hoſtis iniqui. Habemus hinc varia.

Primò, quòd Epiſcopi conſecratio fieri non poſſit in pago aut vili oppido, ſed in civitate Cathedrali aut Metropolitana. Secundò, quòd hæc Sigefridi damnatio videatur non eſſe prima: Etenim Wigoltus fuit conſecratus à Sigefrido Moguntinenſi Metropolita, dudum defuncto ante præſentem Synodum. Proindè prima Sigefridi damnatio videtur facta per ſeptimum Gregorium. Reſpondeo tamen hanc eſſe primam illius damnationem. Audiamus rem ab Auguſtenſis Eccleſiæ Chronico. Ad iſtius ſæculi annum ſeptuageſimum ſeptimum exponit Embriconis Epiſcopi mortem ac proſequitur: *Sigefridus in ſchiſmate electus Auguſtæ preponitur Epiſcopus. VVigoltus Canonicus ex familia Eccleſiæ Epiſcopus conſtituitur.* Et ad annum octogeſimum tertium pergit: *Magiſter Henricus Canonicus cum VVigolto Anti-Epiſcopo expulſus in Cœnobio Sancti Magni obiit, & ibi eſt ſepultus.* Perſiſtit maledicere Wigolto, & ſcribit ad annum octogeſimum quintum: *Sigefridus Auguſtenſis Epiſcopus, & Norbertus Præpoſitus Curienſis Eccleſiæ Paſtor à Moguntino Epiſcopo ſunt ordinati.* Electum Wigoltum Metropolita Sigefridus ſtatim confirmavit & conſecravit, atque ita exſufflavit electionem Sigefridi. Et quoniam Sigefrido favebat Rex Henricus, Wigolti conſecratio debuit apud ſeptimo Gregorio fideles Saxones peragi. Sigefridus ipſo præſentis Synodi ac Moguntini Latrocinii anno eſt conſecratus ab intruſo, Simoniaco, atque Schiſmatico Moguntinenſi Metropolita Wecilone, atque ita à præſenti Synodo damnatus. Ob duas præſertim cauſas. Primò, quòd caſſatæ electionis vigore ſe curaſſet conſecrari. Secundò, quòd id fieri permiſiſſet ab improbo Wecilone. Eadem de cauſa damnatus eſt Norbertus Curienſis Epiſcopus: Erat enim ſimul cum Sigefrido conſecratus. Wecilonis damnati cauſas ſuprà expoſui. Iſtud Chronicon addit &
A. 1084. aliam: *Rex Eccleſiæ Moguntinæ Epiſcopum VVecilonem præfecit: Qui ſtatim ab Epiſcopo B. ordinatus, à Legato Guiberti fuit Palliatus.* Exiſtimo fuiſſe ordinatum à Roberto Bambergenſi Epiſcopo. Iſto enim tempore Moguntina Eccleſia nullum habuit Suffraganeum, cujus nomen à littera B inciperet. Ex præfatis Venerici verbis habemus tertiò, quòd Eccleſias, in quibus fideles contra hoſtilem incurſum deponunt ſuam ſupellectilem, ſpoliare ſit Chriſtianis indigna impietas. Porrò an crimina, quæ Wigolto impingit Venericus, ſint vera, nolim diſcutere. Nec item crimina Sigefridi nec aliorum hic cum ipſo damnatorum Epiſcoporum. Auguſtanæ urbis à Wigolto invaſionem Conrardus Abbas Uſpergenſis ſcribit factam iſtius ſæculi anno octogeſimo octavo: *Auguſta urbs inſidiis Suevorum in Cœna Domini capta, ſecunda feria Paſchæ deſtruitur. Et Sigefridus ejuſdem urbis Epiſcopus cuſtodiæ mancipatur. Wigoltus verò ejuſdem Eccleſiæ invaſor intra paucos dies moritur.* Conrardus in multis favit Ex-Regi Henrico. Præſens Canon confirmat ſecundum. Hic enim Wecilonis, Sigefridi, & Norberti exſufflavit ordinationes, ille damnat perſonas.

Porrò candelas ad pronuntiatam excommunicationis ſententiam ſolemniter exſtinguere eſt mos ſolius Latinæ Eccleſiæ, à Græcis numquam uſitatus. Lucet ex Georgii Pachymeris hiſtoria. De Latino Achajæ Principe cum Græcis pacem ſtipulante ſcribit: *Celebrata conventio eſt mutuo jurejurando, horrificis etiam, ut ajunt, utrimque* Lib. 1.
ſancito ritibus. Nam funale accenſum præferentes, cap. 30.
ubi ſuum quiſque caput, ſi à pacto reſiliret, diris quàm maximè formidoloſis devovit, illud exſtinxerunt, cujuſmodi cæremonia putant Itali execrationibus ſeu excommunicationibus more ipſorum in quoſpiam intortis efficacitatem & firmitatem adjungi maximam. Ritum laudat in Synodali diſceptatione cum Regio Advocato Sanctus Petrus Damiani: *Gerardus Galeriæ Comes à plenaria Nicolai ſecundi Synodo excommunicatus eſt, & exſtinctis luminaribus ſub perpetuo anathemate condemnatus.* Et Lemovicenſis ſub Benedicti noni Pontificatu celebrata Synodus excommunicat quoſdam alienarum rerum raptores, atque adjungit: *Sicut hæ lucernæ exſtinguuntur in oculis veſtris, ita gaudium eorum exſtinguatur in conſpectu ſanctorum Angelorum, niſi ante mortem ad ſatisfactionem venerint.* Integra Synodi Acta publicavit Philippus Labbæus. Pacem ab Alexandro tertio Pontifice cum Imperatore Frederico primo factam laudat in Chronico Romualdus Salerni Archiepiſcopus, affirmat fuiſſe firmatam cum Anathemate, & adjungit
formulam: *Sicut hæ candelæ exſtinguuntur, ſic* A. 1177.
eorum, qui pacem violarint, *animæ lumine æternæ viſionis & claritate priventur.* Ex quibus vides ritus rationem & Sacramentum. Non eſt antiquiſſimus. Ego ignoro vetuſtiorem ejus memoriam, quàm à laudata Lemovicenſi Synodo. Hæc tamen non eſt prima auctrix. Poſtmodùm adjuncta eſt etiam ſolemnis campanarum pulſatio.

Matthæus Pariſienſis oſtendit Henricum tertium Angliæ Regem ad lapſas Eccleſiæ libertates, pro quibus Sanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis mortem obiit, reparandas, ac ſolemnibus juramentis & anathemate confirmandas fuiſ-
ſe compulſum à ſuis Epiſcopis, & adjungit: A. 1255.
Dum Rex ſententiam audiiſſet, tenuit manum ſuam ad pectus ſuum ſereno vultu, voluntario, & alacri. Et cùm in fine Epiſcopi projeciſſent candelas exſtinctas & fumigantes, & diceretur à ſingulis, Sic exſtinguantur & fæteant hujus ſententiæ incurſores in inferno, *& campanæ pulſarentur,*

dixit

dixit ipſe Rex, Sic me Deus adjuvet, hæc omnia illibata ſervabo fideliter, ſicut ſum homo, ſicut ſum Chriſtianus, ſicut ſum miles, ſicut ſum Rex coronatus & inunctus. *Et ſciendum, quòd in principio ſententię ferendæ, cum traderentur omnibus accenſæ candelę, tradita fuit Regi una, & cum accepiſſet eam, noluit eam tenere, ſed tradidit cuidam Prælatorum dicens*: Non decet me candelam talem tenere, non enim ſum Sacerdos. *Et ex tunc tenuit manum expanſam ad pectus, donec tota ſententia finiretur*. Ex quo vides has terribiles faces à ſolis excommunicantibus Prælatis fuiſſe tentas, projectas, exſtinctas. Et hinc de Hardeberto Ultrajectenſi Epiſcopo, Hollandiæ Comitem ſolemniter excommunicaturo, ſcribit Magnum Belgii Chronicon: *Proceſſit univerſus Clerus ſecundùm gradus ſui ordinem in albis, quem Hardebertus Antiſtes noviſſimè ſequebatur in Pontificalibus ornamentis, fulmineum ignem gerens in manibus, ut Comitem anathematizaret cum ſuis complicibus*. Fulmineum ignem gerebat ſolus Epiſcopus.

Moguntinum Conciliabulum.

HOc Conciliabulum exponit Bertholdus Conſtantienſis: *Hi omnes adverſarii Eccleſię Dei, excommunicati ſcilicet in Synodo Orthodoxorum*, utique Quintilino-Burgenſi, *in tertia hebdomada poſt finitam Synodum ſuam Moguntię collegerunt non Synodum, ſed Conciliabulum, in quo umbratilem ſententiam excommunicationis contra fideles Sancti Petri depromſerunt, utpotè nequaquam illos excommunicare valentes, ſed apertiſſimè ſemetipſos à communione Catholicorum ſequeſtrantes, ut non tantùm judicio ſanctę Eccleſię, ſed & proprio etiam judicio, ſicut omnes hęretici, à Catholicis eſſent ſeparati. Sedes quoque Catholicorum Epiſcoporum viventium temeraria cupiditate cęcati ſibi vendicare non timuerunt*. A Quintilinoburgenſis Concilii Decretis in rabiem acti ſchiſmatici Epiſcopi redierunt Moguntiam, ſua illic Acta innovarunt, & miſerunt in executionem. Et tunc Hartuicus Herosfeldenſis Abbas videtur primùm fuiſſe intruſus in Magdeburgenſem Cathedram. Etenim Quintilinoburgenſis Synodus facta fuit in ſeptimana Paſchali, paucis diebus pòſt Moguntiæ factum eſt hoc ſecundum latrocinium, Hartuici intruſionem Venericus affirmat factam in menſe Julio.

Hic item decreta fuit Gualonis in Metenſem, & Meginhardi in Herbipolenſem Eccleſiam intruſio. Horum enim neuter adfuit primo latrocinio. Quin Gualonis intruſio priùs ſequenti anno fuit patrata. Diſertè hoc ſcribit Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Anno ſequenti, perſecutione Henrici, Herimannus Metim exiit. Et Sedem Cathedrę ejus Gualo Abbas Sancti Arnulphi illicitè uſurpavit. Actum eſt illic miro Dei judicio, ut cùm ad conſecrationem ejus Chriſma quęreretur, & allatum eſſet Chriſma ab Herimanno confectum, Epiſcopus Virdunenſis reprobatum Chriſma, quod ſanctum erat, projiceret, & allato ſuo, quod ipſe contra jus & fas ſacraverat, inde perficeret Gualonis ſacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Gualo tamen, quia patris cubile adſcendit, publicam pœnitentiam egit. Henricus in loco ejus Bennonem quemdam Ex-Epiſcopum creavit, quia poſtea ab Urbe cum dedecore & ignominia pulſus eſt*.

Quædam alia Sancti Gregorii ſeptimi Decreta.

COnon Præneſtinus Epiſcopus, ac Paſchalis ſecundi per Galliam Legatus, ſuo Belluacenſi Concilio indidit duos Gregorii noſtri Canones, ignotos in ejus Synodis. Hic eſt primus: *Presbyterorum filios à ſacri Altaris miniſterio removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis aut in Canonicis Regularibus religiosè probati fuerint converſati*. Hunc Canonem paſſim ſecundo Urbano adſcribimus, ſed hinc lucet eſſe Gregorii Inſtitutum ab Urbano dumtaxat confirmatum. Eſt ſuo loco expoſitus. Et ubi ad Urbani Decreta pervenerimus, aliquid addetur. Hic eſt ſecundus per Cononem adductus Canon: *Qui ſacros Ordines tranſiliunt, ſuſpendantur ab officio, & ſi meruerit vita eorum, Indulgentiam conſequantur, & interſint ordinibus, quos omiſerunt*. An per quatuor minores & Subdiaconatum ac Diaconatum gradatio ſit Evangelicum aut Apoſtolicum Inſtitutum, eſt operoſa quæſtio.

ſtio. De ipſa ſcribit in ſermone ad Sacerdotes ac Prælatos Petrus Bleſenſis: *Notandum occurrit, quia productior nunc eſt adſcenſus ad Sacerdotalem gradum, quàm in primitiva Eccleſia, in qua qui tantum fidelis erat, Diaconus fiebat vel Sacerdos. Introducti poſteà ſunt quidam minorum ordinum gradus, per quos tanquam per Cantica graduum adſcenditur ad Sacerdotium.* Et certè Iſidoriana Canonum collectio hodiernum adſcenſum affirmat eſſe Inſtitutum Caii Pontificis. Et hoc ejus opus laudat etiam Romanum Breviarium. Quin & dudum poſt varii ſancti viri, & apud Latinos & apud Græcos, leguntur ex Laicis proximè evecti in Diaconos. Quidquid ſit, omnis per ſaltum ordinatio fuit ſemper damnata apud omnes Eccleſias. Hinc enim primus Græci ſchiſmatis authorPhotius pro ſumma calumnia nobis Latinis improperavit, quòd ex Diaconis immediatè crearemus Epiſcopos. Erat calumnia nata ex Latinarum rerum ignorantia. Latina quippe Eccleſia ex Diaconis ſemper elegit Epiſcopos, nunquam conſecravit. Iſtud crimen videtur per Arianos primùm apparuiſſe. Etenim de Iſchyra, nequiſſimo Sancti Athanaſii accuſatore, habemus in fragmentis Sancti Hilarii Epiſcopi Pictavienſis: *Iſchyras de Diacono aſſeritur Epiſcopus ordinatus.* Et conſonat Sardicenſis Concilii ad omnes ſub cœlo orthodoxos Antiſtites Epiſtola: *Ariani Iſchyræ in Sycophantiæ præmium dederunt honorem Epiſcopatus homini, qui ne Presbyter quidem fuit.* Erat enim merè Laicus. Utpotè ordinatus à Colluto, quem Hoſius Cordubenſis Epiſcopus & Sancti Sylveſtri per Ægyptum Legatus Synodaliter pronuntiavit nunquam fuiſſe Epiſcopum, ſed dumtaxat Presbyterum. Quinimmò quòd nec à Colluto conſecratus, ſed iſtam inanem conſecrationem mentitus fuerit, teſtatur Alexandrinæ Synodi pro Sancto Athanaſio Apologetica epiſtola, & Mareotici Cleri relatio ad Tyriam Synodum. Etiam Petrus Fullo, Eutychianus Antiochiæ Patriarcha, Xenajam hominem non baptizatum conſecravit Epiſcopum. Verùm an per ſaltum conſecraverit, ignoratur. Etiam Ariani poſſint Iſchyram per ignorantiam conſecraſſe. Hoc enim crimen fuit omninò rariſſimum apud antiquam Eccleſiam. Ejus non reperio exempla niſi poſt Chriſti Domini annum milleſimum.

Ad iſtius ſæculi medium Herphraſtus Thedfordienſis in Anglia Epiſcopus neſcio quem Clericum *inordinate ordinavit.* Ex laico Diaconum. Et Sanctus Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus & totius Angliæ Primas conſultus reſpondit: *Diaconatum ei auferte, ad cæteros ordines minores congruis eum temporibus promovete, Diaconatus verò ordinem nunquam recipiat, niſi caſtè vivat, niſi de reliquo ſe caſtè victurum Canonica atteſtatione promittat. Si verò cœlibem vitam egerit, & acturum ſe omni tempore reſpondere voluerit, non quidem eum ad ordinem Diaconatus iterùm ordinabitis, ſed ipſum officium per textum Sancti E-*
Ep. 21. *vangelii, vel in Synodo vel in multorum Clericorum Conventu reddetis.* Proindè illegitima, tamen rata & valida eſt iſtiuſmodi conſecratio. Verba, *Niſi caſtè vivat*, reſpiciunt novella tunc Romanæ Eccleſiæ contra conjugatos Clericos Decreta. Inordinatè ordinatum Diaconum, niſi illa ſolemniter profiteretur, Lanfrancus voluit perpetuò manere degradatum, & omni vita communicare ut Laicum. Et quia ante Gregorii ſeptimi tempora Anglorum gens vix admiſit illa Decreta, videtur iſta epiſtola eſſe ſcripta ſub Pontificatu noſtri Gregorii. Quod ſi verum ſit, Lanfrancus reſpondit ex Alexandri ſecundi ad Rumoldum Conſtantienſem in Germania Epiſcopum Reſcripto: *Sollicitudo Dilectionis tuæ ſtuduit conſulere, utrùm portitor iſtarum litterarum Diaconatus & Presbyteratus officium ſit idoneus peragere, necne, cùm ad id præpropero curſu, videlicet ſine Subdiaconatus ordine, negligentia potiùs quàm ſuperbia cognoſcatur adſcendiſſe. Undè nos conſulendo Charitati tuæ mandamus, ut ab officio cum Sacerdotali prohibeatis, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ei ritè imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Ex quibus lucet inflictam tali ordinationi ſuſpenſionem tunc non fuiſſe reſervatam ſummo Pontifici. Exſtat epiſtola in Decreto Sancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis.

Ejuſdem ſæculi anno ſeptuageſimo ſeptimo Hugo Dienſis Epiſcopus, ſeptimi Gregorii per Galliam Legatus, celebravit Synodum Pictavienſem; & in Synodalium Actorum ad Pontificem relatione ſcripſit: *Peſtis & dedecus Sanctæ Eccleſiæ, Archiepiſcopus Turonenſis, & cum eo Epiſcopus Redonenſis, totùm penè occupaverunt Concilium. Redonenſis namque comprobatus eſt reus, quia non priùs ordinatus in Clericum eſt ordinatus in Epiſcopum.* Ejuſdem alia crimina enumerat, ac pergit: *Nos multorum precibus inclinati, nondum depoſitum, ſed tamen ſuſpenſum, quia ſuæ utilis erat Eccleſiæ, veſtræ miſericordiæ præſentandum & judicandum reliquimus.* Et hac forſan occaſione noſter Gregorius emiſit præſentem Canonem. Eſt Canon conformis Reſcripto Alexandri. Iſte Redonenſis Epiſcopus fuit nomine Silveſter. Laudata relatio exſtat apud Hugonem Flaviniacenſem. De neſcio quo, qui necdum in Clericum benedictus, ſe permiſit conſecrari in Subdiaconum, Sanctum Ivonem conſuluit Guilielmus Rothomagenſis Archiepiſcopus: Et Ivo reſpondit partim ex Reſcripto Alexandri, partim ex hoc Canone Gregorii. Integrum Reſcriptum inſeruit ſuis litteris, & addidit ſimiles per ſaltum promotos diſpenſari poſſe, ſi honorifica eorum vita, aut Eccleſiæ utilitas ita exigat, alioquin nec adſcendere poſſe, nec miniſtrare. Hæc poſterior Reſponſi pars palàm deſumpta eſt ex præſenti Canone. Vide plura apud Gregorium nonum ſub titulo de Clerico ordinato per ſaltum. Hæc eſt noviſſima Tridentini Concilii ſanctio: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtra-* Seſſ. 23.
verint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſa- cap. 14.
re. Ipſos eſſe à ſolo per ſaltum ſuſcepto ordine ſuſpenſos ſentit cum variis Auguſtinus Barboſa.

Alia à nobis necdum laudata aut expoſita Gregorii Decreta refert Guido Abbas in libro Micrologo de Eccleſiaſticis obſervationibus: *De ſignis, quæ ſuper oblationem à diverſis diversè fiunt, nos* Cap. 14.
ab

ab Apoſtolica Sede formam ſumere præſertim decrevimus, undè totius Chriſtianæ Religionis ordinem & originem ſuſcepimus. Nam & illi Sedi noſtro tempore talem Deus Gubernatorem, reverendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam impoſuit, qui ſub decem ſuis Anteceſſoribus à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curavit. Hunc ergo Doctorem, religione & auctoritate præcipuum, immò Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſecrandis myſteriis potiſſimùm imitari decrevimus. Sicut nos ipſi per ipſum, & per Epiſcopos, qui ipſum imitati ſunt, accepimus, imparem numerum ſemper in diſpenſatione ſignorum ſuper oblationem obſervamus: Videlicet unam Crucem, vel tres, vel quinque faciendo. Et hoc utique non ſine cauſa Myſterii. Nam in una & tribus unum & trinum Deum intimamus, in quinque autem quinquepartitam Domini Paſſionem ſignificamus. Meritò autem impar numerus in Eccleſiaſticis officiis frequentatur, quia numquam in duo æqualia unitate impediente dividitur, Sicut unitas ſanctę Eccleſiæ nullatenus eam in duo ſecari patitur. Pergit Guido de alio Miſſæ ritu: *Poſteà cum Corpore Dominico quatuor Cruces ſuper calicem facimus dicendo*, Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, *& quintam in latere Calicis, videlicet vulnus Dominici lateris ſignificando. Undè & Calicem ex eodem latere cum Oblata tangimus, juxta Romanum Ordinem. Multi tamen tres tantùm Cruces ſuper Calicem, & duas in ejus latere faciunt. Sed videtur incongruum, cùm Chriſtus nullum vulnus in latere habuerit, niſi unum. Sed reverendę memorię Gregorius Papa fecit, quod beatus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus ab eo ſe didiciſſe teſtatus eſt, & hoc ita ſemper obſervavit, nobiſque item obſervandum firmiſſimè inculcavit.* Ut tamen tres ſuper Calicem, & duæ Cruces ad ejus latus fiant cum Oblata, hodiè mandant Rubricæ Romani Miſſalis. Haud dubiè plura ſunt hujus Gregorii Decreta. Latent aut perierunt.

Ipſius ſanctiſſimam in Salernitano exilio vitam, Apoſtolicum de afflicta Eccleſia mœrorem, & ſanctiſſimam mortem referunt in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus, ac in Virdunenſis Eccleſiæ Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. Leo addit illum etiam in monte Caſſino, dum Miſſam celebraret, coruſcaſſe miraculis. Hugo illum meritò titulat Confeſſorem & Martyrem. Fuit novus & verus iſtius ſæculi Athanaſius. Defunctus eſt die vigeſima quinta Maii, undecimi ſæculi anno quinto poſt octogeſimum. Et Salerni ſepultus in Eccleſia Sancti Matthæi Apoſtoli. Romana Eccleſia ſuo ipſum Martyrologio inſcriptum ornat hoc titulo: *Beatus Gregorius Papa ſeptimus, Eccleſiaſticæ libertatis propugnator ac defenſor acerrimus.* Quocirca Henricianorum & Guibertinorum de ejus finali circa ſuas ſanctiones pœnitentia, mala morte, aut æterna damnatione calumniæ ſunt ab omni fideli corde & ore proſcribendæ atque damnandæ. Ejus in Sæculari ac Regulari Clero, nec non in fideli populo ad Apoſtolicam diſciplinam reducendo ac reformando zelum ac ex pectore conatum Divina bonitas dignetur nobis infundere: *Excitet in cordibus noſtris Spiritum, cui Beatus Gregorius Papa ſervivit, ut eodem nos repleti ſtudeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit. Amen.*

FINIS TOMI SEXTI.

IN-

INDEX PRIMUS,

Qui Synopſis inſtar quidquid in Canonibus ac Capitulis hoc quinto Tomo explanatis decernitur, comprehendit.

A

ABbas nullus Decimas, & Primitias, & reliqua, quæ ſecundùm Statuta Canonum ad Epiſcopos pertinent, ſine authoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi, in cujus Diœceſi habitat, detineat. 88

Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſcipiens, nullatenus inter Abbates habeatur, nec ulla ei ut Abbati audientia concedatur. 212. Eidem gratia Sancti Petri, & introitus Eccleſiæ interdicitur, quouſque locum ſub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ acquiſitum reſipiſcendo non deſerit. 212

Abbatibus nullum gravamen, ſeu ſervile ſervitium Epiſcopus imponat. 96

In Arelatenſem Archiepiſcopum ſententia depoſitionis atque excommunicationis per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgata à Gregorio ſeptimo in Romano Cocilio octavo firmatur. 327

Artes litterarum Epiſcopi omnes in ſuis Eccleſiis doceri faciant. 116

B

BAptiſma falſum non lavat originale peccatum. 215

Bellare non eſt licitum militi pœnitenti. 74

Bello non licet Nortmannis ſua repetere, niſi juſtitia priùs requiſita. 214. Quæ ſi denegata fuerit, licebit, ſed non ultra modum, nec more prædonum, ſed ut decet Chriſtianum, & eum qui ſua magis quærit accipere, quàm aliena diripere, & qui timet gratiam Dei amittere, & maledictionem Beati Petri incurrere. 214

Beneficia Eccleſiaſtica, ſi quis vendiderit, ab officio ſuſpendatur. 71

Berengarii ſecunda profeſſio fidei de Euchariſtia. 148.

Bona Eccleſiaſtica non ſunt militibus in beneficium danda. 64

Burchardus Baſileenſis Epiſcopus in Quintilinoburgenſi Concilio excommunicatur. 391

C

CAſſinenſis Cœnobii prædia ſi quis invaſerit, & bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, &c. 65

Clerus & populus, Eccleſia vacante, Paſtorem ſibi ſecundùm Deum eligant, remota omni ſæculari ambitione, timore, atque gratia, de Apoſtolicæ Sedis, vel Metropolitani conſenſu. 216

Clerus & populus aliquo vitio corruptus aliter agere præſumens, de cætero nullam Electionis poteſtatem habebit. 216

Collectæ ex uſu ſanctorum Patrum ad Miſſarum ſolemnia faciendæ. 100

Continentia perpetua juxta Decreta ſanctorum Patrum indicta eſt Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus. 353

Cunibertus Bambergenſis Clericus Romani Pontificis Primatui derogare nititur. 344

Cunibertus Romanos Pontifices aſſeruit hunc ſibi Primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hæreditaſſe, ut videlicet nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio ſubjaceant. 344

Cunibertus à tota Synodo Quintilinoburgenſi confutatus, & præcipuè à quodam Laico convictus per illud Evangelicum: *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum*. 344

D

DEcimæ in uſum pietatis conceſſæ, à Laicis poſſideri prohibentur. 77. Sacrilegii crimen committunt, & æternæ damnationis periculum incurrunt Laici, contrarium attentantes. 77

Decimas & Primitias, & reliqua, quæ ſecundùm Statuta Canonum ad Epiſcopos pertinent, ſine authoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu, in cujus Diœceſi habitat, nullus Abbas poſſideat. 88

Decimas Laicis ſibi vendicare in proprietatem, vel in beneficium ſine conceſſione legitimorum poſſeſſorum, interdictum. 353

E

ECcleſiaſtica prædia non ſunt ab Epiſcopis vendenda, nec in beneficium tribuenda ſine conſenſu Papæ, vel Archiepiſcopi, & fratrum ſuorum, &c. 116

Eccleſiæ oportet reddi, quod venditum vel datum fuerit in beneficium. 116

Eccleſiæ ornamenta ſine certa utilitate, aut gravi neceſſitate Epiſcopi Eccleſiis non ſubtrahant. 119

Electio Epiſcopi ad Clerum & populum pertinet. 216.

Electio

Electio Epiſcopi perperam facta omni fructu carebit. 216
Eligendi poteſtate privatur, qui ad pravam electionem declinaverit. 216
Epiſcopatum de manu alicujus Laicæ perſonæ ſuſcipiens nullatenus inter Epiſcopos habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo audientia concedatur. 212. Eidem gratia Sancti Petri, & introitus Eccleſiæ interdicitur, quouſque locum ſub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ acquiſitum reſipiſcendo non deſerit. 212
Epiſcopi ad Romanum Concilium VIII. invitati, neque per ſe, neque per nuntios venientes ab Officio ſuſpenduntur. 327
Epiſcopo alicujus Eccleſiæ defuncto, quid agendum? 216
Epiſcopus ab officio ſuſpenditur, qui in fornicationem Presbyterorum, &c. precibus, vel pretio interveniente conſenſerit, vel commiſſam, ſibique compertam non impugnaverit. 99
Epiſcopus firmamentum faciat, ne prædia Eccleſiarum vendat. 116
Epiſcopus Interdictum Sacerdotale officium pretio interveniente non reſtituat: Quod ſi fecerit, officii ſui periculum ſubeat. 96
Epiſcopus nullus gravamen, ſeu ſervile ſervitium Abbatibus, ſeu Clericis ſuis imponat. 96
Epiſcopus viſitator olim deputatus ad regendum vacantem Epiſcopalem Cathedram. 216
In Euchariſtia panis & vinum ſubſtantialiter convertuntur in veram, & propriam, ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Jeſu-Chriſti. 148
In Euchariſtia poſt conſecrationem eſt verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in Cruce pependit, &c. & verus ſanguis qui de ejus latere effuſus eſt: Non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ. 148
Excommunicatus ab Epiſcopo ſuo, nec officio, nec communione privato, etſi injuſtè, nullatenus tamen recipitur ad communionem, niſi abſolutus Eccleſiaſtico more. 350
Excommunicatio Gregorii VII. ſuper Henricum Imperatorem non eſt retractanda. 344
Excommunicati abſque reconciliatione recipi non poſſunt. 348
Excommunicationis cauſa multi pereunt. 60
Excommunicationis ſententia temperata. 60
Excommunicati pro ſacrilegio non ſunt recipiendi abſque ſolita reconciliatione, & niſi ſacrilegè vendicata reddiderint. 352
Excommunicatis præſtita fidelitas vel Sacramentum ſervari inhibetur. 58
Excommunicatorum ordinationes & conſecrationes penitus irritæ juxta Decreta Sanctorum Patrum Innocentii, Leonis primi, atque ejus ſucceſſoris Gregorii. 352
Excommunicatis pro ſuſtentatione humanitatis cauſa aliquid dare non prohibetur. 60
Excommunicationis ſententia cum ardentibus candelis promulgata in Guibertum Hæreſiarcham Sedis Apoſtolicæ pervaſorem, & in Apoſtatas Sancti Petri Hugonem Album, Joannem Portuenſem Ex-Epiſcopum, Petrum Ex-Cancellarium, &c. 391
Excommunicationis vinculo ſubtrahuntur uxores, liberi, ſervi, ancillæ, ſeu mancipia, nec non ruſtici, & ſervientes, & omnes alii, qui non Curiales ſunt. 60. Item qui ignoranter excommunicatis communicant. 60

F.

Fornicatio Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum ab Epiſcopo non eſt toleranda precibus, vel pretio interveniente. 99

G.

Geberardi Conſtantienſis Epiſcopi ordinatio Synodali judicio confirmata & laudata eſt. 359. Immò omnia, quæ Otho Apoſtolicæ Sedis Legatus, cùm eſſet Conſtantiæ, ordinavit. 359
Gregorius VII. Henrici Regis plenam Degradationem peracturus, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli opem invocat. 227
Gregorius VII. non libenter ad ſacrum ordinem acceſſit, & invitus ultra Montes cum Domino Papa Gregorio ſexto abiit, ſed magis invitus cum Papa Leone IX. ad Eccleſiam Romanam rediit. 227
Gregorius VII. valdè invitus cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in Throno Apoſtolorum Petri & Pauli collocatus. 227
Gregorio VII. Reges terræ & Principes ſæculares, &c. reſtiterunt, ut eum morte, vel exilio confunderent. 228
Gregorium VII. Henricus Rex, facta cum multis Epiſcopis Ultramontanis & Italicis conſpiratione, vult ſibi ſubjugare. 228
Gregorius VII. Henrico Regi communionem reddit, non tamen Regno, à quo eum in Romana Synodo depoſuerat, inſtauravit. 228
Gregorius VII. ſubditos Henrici Regis à juramento fidelitatis abſolutos, non vult priſtinæ obligationi reſtituere. 228
Gregorius VII. controverſiam inter Rudolphum & Henricum indicto colloquio in partibus ultramontanis fruſtrà nititur componere. 228
Gregorius VII. Henricum excommunicat, eique omnem poteſtatem, & dignitatem Regiam tollit, omneſque ſubditos à juramenti promiſſione abſolvit. 228
Gregorius VII. Henrico infelicem in omni congreſſione belli eventum à Sancti Apoſtolis Petro & Paulo expoſtulat. 228
Gregorius VII. Rudolpho Regi Regnum Theutonicorum adjudicat, & omnibus ei fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, ſuamque benedictionem in hac vita, & in futura largitur. 229
Gregorius VII. Henricum dictum Regem & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, in Concilio Romano octavo iterum excommunicat. 327. Item Ildimundum & Landum Campanicos Tyrannos, omneſque adjutores eorum. 327

Gregorius VII. ſententiam depoſitionis Archiepiſcoporum Arelatenſis & Narbonenſis, atque excommunicationis per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgatam, his qui aderant collaudantibus, firmat. 327
Gregorius VII. ſuſpendit ab officio quoſdam Epiſcopos, qui ad Concilium invitati, neque ipſi, neque Nuntii ipſorum pro ipſis venerunt. 327
Gregorius VII. non tantùm de fidei forma & Chriſtianæ Religionis converſatione, ſed etiam de robore atque conſtantia ad preſſuram neceſſaria, ore non humano, ſed Angelico patenter ediſſerit, totumque cætum in gemitus & lachrymas compellit, ſicque Concilium Apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimittit. 330
In Guibertum, tamquam hæreſiarcham & Sedis Apoſtolicæ pervaſorem, cum ardentibus candelis Anathematis ſententia promulgatur. 391

H.

Henriciani conſtringere voluerunt fideles Sancti Petri, ut excommunicationem Gregorii VII. ſuper Henricum cum illis retractare præſumerent. 344
Henricus Rex contra Eccleſiam Romanam calcaneum erigit. 228
Henricus Rex excommunicatur, & in Longobardiam veniens à Gregorio VII. abſolutionem ab excommunicatione humiliatus petit & obtinet: Non tamen Regno, à quo in Romana Synodo depoſitus fuerat, inſtauratur: Neque ſubditi à juramento fidelitatis abſoluti, priſtinæ obligationi reſtituuntur. 228
Henricus Rex pacem componere per duos Epiſcopos Gregorio VII. promittit: Sed non ſervat, quod promiſerat. 228
Henricus Rex à Gregorio VII. petit ſuppetias adversùs Rudolphum electum à Germanis Proceribus Theutonicorum Regem. 228
Henricus Rex indictum à Gregorio VII. pacis cauſa colloquium recuſat. 228
Henricus Rex à Gregorio VII. excommunicatur, & omni poteſtate & dignitate Regia privatur, omneſque ejus ſubditi à juramenti promiſſione abſolvuntur. 228
Henrico Regi infelicem in omni congreſſione belli ſucceſſum ab Apoſtolis Petro & Paulo expoſtulat Gregorius VII. 228
Henricus dictus Rex & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, iterum excommunicantur. 327
Henrici Tyranni perfidia Gallicanos impedit intereſſe Concilio Romano nono. 330
Henricus Oſtienſem Epiſcopum de Apoſtolica Legatione redeuntem contra fas & juramenti fidem capi juſſit, ſive permiſit. 330
Henrici perſecutio tres Synodos Quadrageſimales impedit. 330. Semel Beatum Paulum, bis Beatum Petrum adgreſſus, demum poſt multum fuſi ſanguinis, non tam ſuorum fortitudine, quàm negligentia civium Portici muros ſurripuit. 330
Hermanni Regis Saxonum de conſanguinitate cauſa in Synodo Quintilinoburgenſi propoſita: Quòd tamen legitimi accuſatores deeſſent, Canonicè non judicata. 390
Hoſtienſis Epiſcopus de Apoſtolica Legatione rediens contra fas & juramenti fidem capitur. 330.
Hugo Albus excommunicatur. 391
Huſmannus Spirenſis Epiſcopus in Quintilinoburgenſi Concilio excommunicatur. 391

I.

Jejunii Quadrageſimalis tempore ne quis caſeum vel ova comedat. 359
Jejunium ſabbatinum obſervandum. 80
Jejunium vernum in prima hebdomada Quadrageſimæ, æſtivum in Pentecoſte ſemper celebretur. 354
Ildimundus Campanicus Tyrannus, omneſque adjutores ejus à Gregorio VII. in octavo Romano Concilio anathematizantur. 327
Imperator Conſtantinopolitanus. 133
Inveſtituram Epiſcopatus, vel Abbatiæ vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus Laicæ perſonæ, viri, vel fœminæ, nullus Clericorum ſuſcipiat. 66
Inveſtituram Epiſcopatus, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis, dare præſumentes quilibet ſæcularium Poteſtatum, Imperatorum, Regum, &c. degradationis pœna puniuntur. 213. Inſuper niſi reſipiſcant, & Eccleſiæ propriam libertatem dimittant, divinæ animadverſionis ultionem in hac præſenti vita, tam in corpore quàm in cæteris rebus ſuis ſentiant, ut in adventu Domini ſpiritus ſalvus fiat. 213.
Joannes Portuenſis Ex-Epiſcopus excommunicatur. 391

L.

Laici Decimas in uſum pietatis conceſſas poſſidentes ſacrilegii crimen committunt, & æternæ damnationis periculum incurrunt. 77
Laici Decimas ſibi vendicare in proprietatem, vel in beneficium ſine conceſſione legitimorum poſſeſſorum non audeant. 353
Laicis pallas & ſacra vaſa contingere, interdictum. 353
Landus Campanicus Tyrannus, omneſque adjutores ejus à Gregorio VII. in octavo Romano Concilio anathematizantur. 327
Sanctus Leo docet, quod gratiam benedictionis amittatis, ad quem conſecratio pertinet, non ritè conſecrando. 216
Liemarus Bremenſis Epiſcopus in Quintilinoburgenſi Synodo excommunicatur. 391

M.

Miles pœnitens non poteſt veram pœnitentiam peragere, per quam valeat ad æternam vitam pervenire, niſi arma deponat. 74
Miſſæ Sacrificium oblatio populi honorare debet. 100

Monachi de Monaſterio exeuntes ſine ſuorum Abbatum licentia, non recipiantur. 126

N.

IN Narbonenſem Epiſcopum ſententia Depoſitionis, atque Excommunicationis per Legatos Apoſtolicæ Sedis promulgata, à Gregorio VII. in octavo Romano Concilio firmatur. 327
Naufragorum bona ſub Anathematis vinculo uſurpari prohibentur. 55
Negotiator Pœnitens non poteſt veram pœnitentiam peragere, per quam valeat ad æternam vitam pervenire, niſi negotium derelinquat. 74
Norberti Curienſis Epiſcopi ordinationes omnes & conſecrationes penitus irritæ judicatæ ſunt, juxta Decreta ſanctorum Patrum, Innocentii, Leonis I. Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii I. 346
Norbertus Curienſis Anathematis ſententia cum ardentibus candelis in Quintilinoburgenſi Synodo percutitur. 391
Nortmannis terras Sancti Petri, &c. invadere, vel deprædari præſumentibus gratia Sancti Petri, & introitus Eccleſiæ uſque ad ſatisfactionem interdicitur. 214. Si quis adversùs habitatores harum terrarum aliquam juſtam cauſam habuerit, priùs à Sede Romana, vel à Rectoribus, ſeu Miniſtris inibi conſtitutis juſtitiam requirat, &c. 214

O.

OBlatio à quolibet Chriſtiano in Miſſæ ſacrificio fieri debet. 100
Ordinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, irritæ cenſentur. 57
Ordinationes, quæ interveniente pretio, &c. fiunt, irritas & infirmas eſſe ſtatuitur. 71. Idem dicendum de ordinationibus, quæ non communi conſenſu Cleri & populi fiunt, & ab his ad quos conſecratio pertinet, non comprobantur. 71
Ornamenta Eccleſiæ ſine certa utilitate, aut gravi neceſſitate Epiſcopi Eccleſiis non ſubtrahant. 119
Otho Hildeshemenſis Epiſcopus, & Otho Conſtantienſis Epiſcopus in Quintilinoburgenſi Synodo excommunicantur. 391

P.

PAſtore alicujus Eccleſiæ defuncto, alius eſt ei Canonicè ſubrogandus inſtantia Viſitatoris Epiſcopi, qui ei ab Apoſtolica vel Metropolitana Sede directus eſt. 216
Patriarcha Aquilejenſis, & Gradenſis. 111
Peccator, qui ſe aliquod grave crimen commiſiſſe cognoſcit, animam ſuam prudentibus & Religioſis viris committat, ut per veram pœnitentiam peccatorum ſuorum certam conſequatur veniam. 215
Peregrino in terra Excommunicatorum, ubi non poteſt emere, vel non habet unde emat, ab Excommunicatis accipiendi licentia conceditur. 60
Petrus Ex-Cancellarius in Quintilinoburgenſi Synodo excommunicatur. 391
Petri & Pauli Apoſtolorum in re ardua præſidium implorat Romanus Pontifex. 227. Eorum fiducia poſt Dominum, & Matrem ejus ſemper Virginem, pravis & iniquis reſiſtit. 227
Petri & Pauli Apoſtolorum fultus authoritate Romanus Pontifex Reges excommunicat, Regno privat, ſubditoſque à juramento fidelitatis abſolvit. 228
Petrus & Paulus Apoſtoli, ſicut poſſunt in cœlo ligare, & ſolvere, ita poſſunt in terra Imperia, Regna, Principatus, &c. pro meritis tollere unicuique & concedere. 229
Pœnitentiæ falſæ quid ſint? 74
Pœnitentiæ falſæ cavendæ ab iis omnibus, qui æternæ damnationis pœnas evadere, & veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare. 215
Pœnitentiæ falſæ non delent vetus commiſſum. 215.
Pœnitentiæ non ſunt ab iis petendæ, in quibus nec Religioſa vita, nec eſt conſulendi ſcientia, qui animas hominum magis ad interitum, quàm ad ſalutem ducunt: Sed ab iis, qui Religione, & ſcripturarum doctrina inſtructi viam veritatis & ſalutis oſtendere valeant. 215
Pœnitentia vera poſt commiſſum alicujus gravioris criminis ità ſe unuſquiſque ad Dominum convertat, ut relictis omnibus iniquitatibus ſuis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat. 215
Pœnitentiam veram de perpetratis facinoribus facere non eſt credendus, qui aliena bona diripuit, & ea, cum poſſit, reddere vel emendare noluerit: Vel qui arma contra juſtitiam portaverit, aut odium in corde retinet, vel qui hujuſmodi negotiationibus, aut officiis implicatus fuerit, quæ ſine fraude, ſine falſitate, ſine invidia, ſine deceptione fratrum, exercere non poſſit. 215
Pœnitens nullus ſuſcipiatur ſine litteris Epiſcopi ſui, niſi fortè fuerit Epiſcopus mortuus, aut excommunicatus. 112
Pœnitens publicus non poteſt arma geſtare, neque negotiari. 74
Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus perpetua, juxta Decreta Sanctorum Patrum, indicta eſt continentia. 352

R.

ROmanæ Sedis nunquam licet judicium retractare, & de ejus judicio judicare. 344
Romanæ Sedis prædia in proprietatem uſurpantes, vel ſcienter occultantes, &c. iram Dei, & Sanctorum Apoſtolorum velut ſacrilegi incurrunt. 99
Romanæ Sedis Primatus totius Synodi (Quintilinoburgenſis) publica profeſſione laudatus, & confirmatus. 344
Romanus Pontifex Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate fultus Reges excommunicat, Re-

gno privat, & ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit. 228
Romani Pontificis maledictio infelices bellorum exitus cauſat. 228
Romanorum Pontificum feſtivitates celebrandæ. 108
Romanum Pontificem omnes Catholici pro Domino & Magiſtro venerantur: Ac proinde major à minore judicari non poteſt. 344
Rudolphus Dux in Regem Theutonicorum à Germanis Proceribus eligitur. 228. Affirmat invitum ſe Regni gubernacula ſuſcipere paratum tamen in omnibus Sedis Romanæ obedire. 228
Rudolphi Nuntii juſtitiam in Synodo fieri laudaverunt. 228
Rudolpho Gregorius VII. Regnum Theutonicorum adjudicat, & omnibus ei fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, ſuamque benedictionem in hac vita, & in futura largitur. 229

S

Sabbati die ab eſu carnis, niſi majori feſtivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abſtinendum. 80
Sabbati dies apud ſanctos Patres in abſtinentia celebris eſt habitus. 80
Sacerdotes ſine licentia ſui Epiſcopi alibi non recipiantur. 126
Sæculares ſuis rebus legitimè exſpoliati Eccleſiaſtico ſubjacent judicio, poſſuntque pro ſuis excommunicari. 348
Satisfactio pœnitentialis pro qualitate criminum imponenda. 74
Sigefridi Auguſtenſis Epiſcopi ordinationes & conſecrationes penitus irritæ judicatæ ſunt, juxta Decreta SS. Patrum. 346
Sigefridus Auguſtenſis Anathematis ſententia cum ardentibus candelis percutitur in Quintilinoburgenſi Concilio. 391

V

Viſitator Epiſcopus ab Apoſtolica, vel Metropolitana Sede dirigitur ad Eccleſiam vacantem. 216

W

Wecilonis Moguntini Epiſcopi ordinationes & conſecrationes penitus irritæ judicatæ ſunt, juxta Decreta ſanctorum Patrum. 346
Wecilonis Moguntini invaſoris, ejuſque ſociorum Secta, ſub Anathemate damnata, quæ aſſerit ſæculares ſuis rebus (legitimè) exſpoliatos Eccleſiaſtico non ſubjacere judicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus. 348
Wecilo Moguntinus invaſor Anathematis ſententia cum ardentibus candelis à Concilio Quintilinoburgenſi percutitur. 391

INDEX SECUNDUS.

Qui res omnes atque doctrinas memorabiles, in Notis ac Scholiis hoc Tomo pertractatas, complectitur.

A

Abbatibus Hoſpitalitas neceſſaria. 92. 1
Abbatum Hoſpitalitas magis in pauperes, quàm in nobiles exercenda. 92. 1
Abbatis utriuſque conſenſus requiritur, ut Monachus ad aliud Monaſterium tranſeat. 128. 2
Abbatibus ornamenta Epiſcopalia primus permiſit Joannes decimusoctavus, reſiſtentibus Epiſcopis. 249. 2
Abbati gaudenti ornamentis Pontificalibus conceſſa eſt facultas benedicendi. 250. 1
Abbas per vias non poteſt benedicere. ibid.
Abbatiſſæ prohibentur benedictiones cum manus impoſitione, & ſignaculo Crucis ſuper capita virorum dare. 246. 2
Abſolutio à peccatis, abſentibus data. 45. 2. Non fuit ſacramentalis. 46. 2. Abſentium confeſſionem & abſolutionem merito interdixit Clemens octavus. ibid.
Abſolutio ſacramentalis olim dabatur per formam deprecativam. 45. 2
Abſolutio publicis criminibus olim ante peractam pœnitentiam non impendebatur. 114. 2
Abſolutio à peccatis per publicam pœnitentiam vindicandis reſervata Epiſcopo 275. 2 Data à ſimplici Presbytero irrita, & nulla. Ibid. Tenet tamen data ab Epiſcopo quamvis contra Eccleſiæ Decretum. 276. 1
Abſolutio ſacramentalis olim denegata tribus criminibus, idololatriæ, mœchiæ & homicidio. 263. 2. Rigor ille duravit uſque ad Zephyrinum. Ibid. Tertullianus malè putat diſciplinam illam eſſe Evangelicam & Divinam. 264. 1. Falſum id oſtenditur ex facto Chriſti, S. Joannis, Clementis. &c. 264. 1
Abſolutio Sacramentalis impendi olim ſolita lapſis in Idololatriam, quando integra civitas lapſa fuerat, & pœnitebat. 295. 1
Abſolutio vim habet ex opere operato, & juxta Sanctum Cyprianum eſt neceſſarium ſalutis medium. 294. 2
Abſolutio ad cautelam olim dari ſolita. 72. 2
Abſolutio ne quidem in hora mortis data lapſo in ido-

idololatriam qui dolorem deliĉtorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione non teſtaretur. 273. 1
Acacius Epiſcopus pro redemptione captivorum Eccleſiæ vaſa conflanda curavit. 124. 2. Ejus pietas à Choſroe Perſarum Rege collaudata. ib.
Accidentia Euchariſtica ſine ſubjecto exiſtunt. 150. 2.
Accidentia Euchariſtica negare videntur Iconoclaſtæ. 152. 1
Accidentia Euchariſtica, utrum redeant in ſuam priſtinam naturam, ſeu an ſuam annihilatam ſubſtantiam recipiant? 155. 1
Accidentia Euchariſtica quibuſdam videntur incorruptibilia. 155. 2. Hæc ſententia non videtur deſtitui fundamento. 155. 2. &c. Vide *Euchariſtia*.
Adelais Sabaudiæ Comitiſſa, quòd Eccleſias non diriperet, plurimùm commendata à Sancto Petro Damiani. 65. 1
Adrianus quartus utramque Siciliam in Regnum evexit. 141. 1
Adrianus quarto à Guilielmus Siculo captivus conſentit in fœdiſſimos pacis articulos. 141. 1
Africana Eccleſia à Romana Eccleſia accepit primos Doctores, atque Epiſcopos. 383. 1
Africani in exponendis ſacris Scripturis non raró recedunt à littera. 166. 2
Africæ totius Primas, atque Exarchus Carthaginenſis Epiſcopus. 278. 1
Agapetus Pontifex Mennam Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinat, poſtulantibus Orientalibus Archimandritis. 367. 1. Factum id ſecundùm Canones, & ex Sancti Petri privilegio. 367. 2. Ordinatio illa fuit etiam à Juſtiniano Imperatore poſtulata, & à quinta Synodo admiſſa & comprobata, totoque Oriente in ſuis Ritualibus. ibid.
Aicardus Arelatenſis Archiepiſcopus variis in Synodis damnatus: Poſteà tamen reſtitutus. 327. 1
Anno Colonienſis Epiſcopus Simoniacæ pravitatis profligator. 3. 2
Albaſpinæus in explicatione Tertulliani videtur deviare. 178. 2. 266. 2. 280. 2
Alexander ſecundus communem Clericorum vitam dilexit. 36. 1. Lucenſem ſuum Epiſcopatum dedit Anſelmo Monacho ſanctiſſimo. ibid.
Alexius Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus maximam pecuniam Henrico Imperatori tranſmiſit, ut Robertum Ducem bello appeteret. 336. 1. At Henricus pecuniam illam contra juramentum ad conciliandum ſibi vulgus Romanum expendit. ibid.
Alexius Comnenus punitus. 134. 2
Alexius Menezius Ordinis Eremit. Sancti Auguſtini, Archiepiſcopus Goanus, & Orientalis Indiæ Primas, in Angamallenſi Synodo antiquam Miſſam iſtius gentis edidit. 206. 2
Altaria vulgari vocabulo in Galliarum partibus Eccleſiæ vel Decimæ vocantur. 89. 1
Altare unicum in Eccleſia qualibet olim habebant Latini, ſicut etiamnum Græci. 89. 1
Altarium Cortinæ antiquiſſimæ, & in Eccleſia retinendæ. 195. 1
Altaris ſacri Septa non Sacrarii Cancellos, ſed ſolum Ciborium comprehendunt. 104. 2
Altarium conſecratio antiquiſſima. 181. 2
Altaria conſecrare apud varias Gentes non licuit, etiam Cardinali Epiſcopo ſine venia Metropolitani. 220. 2
Altare domeſticum, in quo reconderent Euchariſtiam, quidam fideles olim habebant. 204. 1. 2
Amalarii natura phlegmatici ſcrupulus de ſumpto Chriſti Corpore. 155 1
S. Ambroſii de Euchariſtia doctrina orthodoxa. 165. 2.
S. Ambroſii de Sacramentis libros eſſe legitimos, quidquid aliqui contradicant rectè demonſtrat Joannes Heſſelius. 166. 1
S. Ambroſius à quibus fuerit ordinatus? 380. 1 Fictum, quòd ordinatus fuerit à plena Italiæ Synodo. 381. 1
S. Ambroſius ex delegata authoritate S. Damaſi Pontificis Syrmienſem Epiſcopum Anemium ordinavit. 376. 2. 389. 1
S. Ambroſius quo jure attentaverit Felicem Comenſem ordinare in aliena Provincia? 389. 1
S. Ambroſius in Concilio Aquilejenſi egit omnia, fuit os, & lingua Concilii, propter doctrinæ excellentiam, non per Sedis Prærogativam. 389. 1
S. Ambroſius Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopum conſecrat. 390. 1
Amulæ, quidquid ſint? 103. 1. A Fidelibus oblatæ in unum calicem conjectæ. ibid.
Ananias & Sapphira ex Auguſtini doctrina per temporalem mortem tranſmiſſi in Regnum. 255. 1. 303. 1.
S. Andreæ Abbates, an fuerint Lugdunenſium Archiepiſcoporum in adminiſtranda Eccleſia Vicarii? 217. 2. 219. 2
S. Andreæ Apoſtoli caput in Jubilæo Romam delatum. 306. 2
Angli Reges noviter intrhonizati ſemper à Romano Pontifice benedictionem poſtularunt. 243. 2.
Anglorum Gens benedictionis Eccleſiaſticę amans 243. 1.
Animæ noſtræ non poſſunt in Dæmones mutari, mentiunturque Dęmones dicentes ſe eſſe animas monachi, &c. 259. 1
Animæ nobiſcum non verſantur, ſed Angeli mali. 259. 2
Annæ Comnenæ in ſcribendo errores, & calumniæ. 135. 2
Annæ Comnenæ in Gregorium ſeptimum odii cauſa. 146. 2
Annæ Comnenæ in Gregorium ſeptimum convitia. 339. 2
S. Annonis obitus. 40. 2
Annuntiationis feſtum occurrens in Quadrageſima Græcorum Eccleſiæ non conſueverunt celebrare, ideoque Hiſpana olim Eccleſia iſtud feſtum non in Quadrageſima, ſed in Decembri celebrabat. 84. 2
S. Anſelmi authoritas à Sacramentariis contemnitur. 170. 1
S. Anſelmi de Euchariſtia ſententia. 170. 2. Rectè ſentit, ſed non rectè loquitur: Et cur? 171. 1
Anti-Papa primus Novatianus. 313. 2
Anti-Papæ ſolent mittere Legatos ad omnes Chriſtianos

ſtianos Reges. 323. 1
Antitypa: Quo ſenſu utantur hac voce Græcorum Patres loquentes de myſterio Euchariſtiæ? 203. 2. Hanc vocem attribuunt Sacramento etiam poſt conſecrationem 204. 1. Quo ſenſu? 207. 2.
Apocriſariorum officium. 144. 2
Apollinarii error à S. Auguſtino confutatus. 184. 1
Aquæ benedictæ apud Græcos duplex ſpecies. 155. 2.
Aquæ benedictæ conſecratio miraculoſa. 156. 1
Archipresbyter Hoſtienſis, quid privilegii habeat in conſecratione Romani Pontificis? 314. 2
Arelatenſis Synodus tantùm fuit Patriarchalis. 383. 2.
Ariani, ne de ſancti Spiritus conſubſtantiali Divinitate convincerentur, hæc Dominica verba, *Deus ſpiritus eſt*, raſerunt de Sancti Joannis Evangelio. 276. 1
Arianorum conſortio omnes penè toto Orbe Eccleſiæ ſub nomine pacis & Regni polluuntur. 349. 1.
Armeniorum de Incarnatione errores. 188. 2
Armenii ſolam Divinitatem ponunt in Sacramento Euchariſtiæ. 188. 2
Arnaldiſtarum adversùs Eugenium III. factio. 140. 1.
Aſprum Turcicæ monetæ genus. 8. 1
S. Athanaſii libellus de miraculo ad Chriſti imaginem facto apud Berytenſes tamquam legitimus à ſeptima Synodo habitus. 179. 1
Attritionis ſervilis, ſeu ex ſolo gehennæ metu conceptæ nullam Gregorius VII. mentionem facit, quòd ſententia, quæ docet hujuſmodi attritionem ſufficere cum Sacramento, iſtius temporis Authoribus nondum innotuerat. 215. 1
Attritionem hujuſmodi ſufficere cum Sacramento primi docuerunt Melchior Canus, & Henricus Salmanticenſis Academiæ Doctor. ibid. Doctrinæ iſtius Authores nuperrimè adhuc ambulabant. ibid.
Vide *Pœnitentia*.
S. Auguſtini Regulam Clericis Canonicis tradit Sanctus Petrus Damiani. 37. 2
S. Auguſtini doctrina de peccatorum per Baptiſmum fictè ſuſceptum dimiſſione examinatur. 74. 2.
S. Auguſtino falsò à Lovanienſibus adſcripti ſermones. 215. 216. 219. De tempore. 78. 1
S. Auguſtini ſermo quadrageſimus primus de Sanctis eſt ſpurius, & cujuſdam Franci Epiſcopi. 84. 1.
S. Auguſtini Tomus decimus ſcatet ſpuriis, ac imperitis ſermonibus, adeoque diligentiori oculo eſt corrigendus. ibid.
S. Auguſtinum Rupertus dicens non eſſe in Canone, tamquam Hæreticus eſt diffamatus. 150. 1. Auguſtini de Euchariſtia doctrina 161. 1
S. Auguſtini adversùs veritatem Euchariſtiæ teſtimonia objecta. 157. 1. & ſeq. Exponuntur. 162. 2. & ſeq.
S. Auguſtini textus à Petro Martyre falſificatus. 174. 1.
S. Auguſtinus Apollinarii errorem confutat. 184. 1
S. Auguſtinus de more tum conſueto ſimul cum Baptiſmo Monachiſmum ſuſcepit. 238. 2
S. Auguſtinus ſuam de victrici gratia ſententiam probat eſſe Apoſtolicam ex benedictione, ſeu oratione Sacerdotali. 240. 1
S. Auguſtinus ex Exorciſmis Baptiſmo præviis probat ſuam de originali peccato doctrinam eſſe dogma Evangelicum. ibid.
S. Auguſtinus ex Italia in Africam deportavit morem dicendi: *Deo gratias*. 244. 1
S. Auguſtinus Monachiſmum ſimul cum Baptiſmo ſuſcepit. ibid.
S. Auguſtini ſermo 83. de Diverſis maniſeſtè tradit hodiernum in Miſſa pacem dandi modum. 246. 1. Non eſt certum, quòd iſte ſermo ſit verè Auguſtinianus. ibid.
Autocephalia quid ſit? 384. 2
Authoritas ſanctorum Patrum. 44. 1. Sanctorum Patrum, licet non ſenſus, tamen voces ex cauſa circumſcribere poteſt, & ſolet Eccleſia. 153. 2
Azyma Latinorum adiaphora & tolerabilia cenſet Demetrius Chomatenus apud Bulgaros Archiepiſcopus. 202. 2
Vide *Euchariſtia*.

B

BAlduini Ferrei conjugium cum filia Caroli Calvi. 114. 2
Baptismalis Fontis benedictio antiquiſſima. 156. 1
Baptiſmi effectus Magiæ adſcriptus. 194. 2
Baptiſmo olim præexigebantur fructus Pœnitentiæ. 275. 2
Barbæ raſura ignominioſa. 143. 2
Barlaami Monachi de poteſtate Papali conſecrandi Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Hieroſolymitanum Epiſcopum ſententia. 365. 2. Confutatur. 367. 2. Audacter loquitur, dum Sanctum Jacobum Hieroſolymæ Epiſcopum negat à Sancto Petro conſecratum. 369. 1
Baſilicæ magnificæ quomodo ædificandæ? 121. 2
S. Baſilii de Euchariſtia fides orthodoxa. 180. 1
S. Baſilius Legatos ab Occidentalibus Epiſcopis petit. 366. 2
Bellare non eſt licitum militi publicam pœnitentiam agenti. 76. 2
Bellarmini de ſatisfactionibus Sanctorum in Eccleſiæ theſauro doctrina examinata. 298. 2
Belligerare feſtis diebus olim illicitum Chriſtianis. 336. 2. Saxones graviter redarguti, quòd die Dominico pugnaſſent. ibid. Conſtantinus Magnus vetuit in die Dominicæ Paſſionis, & ſequenti die Veneris prælium committi. 337. 1. Chriſtiani ad bellum defenſivum diebus feſtivis imparati. ibid. In Quadrageſima non pugnabant. ibid. Nicolaus I. non permiſit diebus feſtivis præliari, niſi cogat inevitabilis neceſſitas. ibid.
Bello privato nullus vexandus niſi poſt acceptam à legitima poteſtate ſententiam, aut denegatam juſtitiam. 214. 2
Bellum ſine prævia Denunciatione eſt injuſtum. ibid.
Benedictione cur proſequamur ſternutantes? 243. 2
Benedictio olim data à morituris, ut à Venerabili Stephano, à S. Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, à S. Medardo, à S. Malachia, à S. Nor-

Norberto, &c. 244. 2. 251. 2. & ſeq.
Benedictio ſolemnis olim à ſolis Epiſcopis impendi potuit. 245. 2
Benedictio ſolemnis quando cœperit à Presbyteris impendi. ibid.
Benedictionem à Presbyteris ruri impendi poſtulat Galliarum populus. ibid.
Benedictio data per Sanctam Mariam Ægyptiacam. 246. 2
Benedictio ſolemnis olim ante communionem populo impenſa. 247. 1
Benedictio inſtituta pro cõmunicante populo. ibid.
Benedictionem Hiſpani dabant populo poſt communionem: Sed mos ille aboletur. 247. 2. Conſtat ex antiqua Mozarabum Miſſa. 248. 1
Benedictionem in Miſſa fuiſſe Epiſcopis olim reſervatam docet Guido Abbas Micrologus. 247. 1 Sed turpiter labitur. 248. 1
Benedictio populi apud Latinos Epiſcopis reſervata. ibid.
Benedictio Presbyteri in fine Miſſæ antiquis ignota. 248. 2. Cur fuerit introducta quorumdam opinione? ibid
Benedictio Presbyteri poſt *Ite Miſſa eſt* quando incœperit? ibid
Benedictio Epiſcopalis poſt Miſſam eſt antiquiſſima. 249. 1
Benedictionis Presbyteralis in Miſſa origo. ibid. 2
Benedictio Epiſcopalis eſt ſpecies juriſdictionis, & ideò exerceri non poteſt extra territorium. 250. 1
Benedictio extra Diœceſim permittitur Epiſcopo recens ordinato. ibid.
Benedictionis Sacerdotalis effectus in primitiva Eccleſia fuit Divinum Chariſma. 250. 2.
Benedictio data poſt mortem à S. Joanne Chryſoſtomo. 251. 2
Benedictio impertienda cum Divini nominis invocatione. 252. 1
Benedictio olim fundebatur ſuper populum ſtantem, & ſua capita inclinantem. ibid.
Benedictio olim non impendebatur Clero, ſed populo. 252. 2
Benedictio tamen apud Græcos etiam Clero impenditur, & etiamnum apud nos. ibid.
Benedictionis Epiſcopalis, ac Monachalis varii effectus. Primò canitiei expulſio. Secundò revocatio ad vitam. Tertiò Paralytici curatio. Quartò ab avaritiæ vitio ſanatio, &c. ibid.
Benedictio Divinæ gratiæ lumen impetrat. 253 1
Benedictio olim duplex ſolemnior, & efficacior. Prima in præcipuis anni ſolemnitatibus: Altera quam in ſua conſecratione dabat, ac etiamnum hodie dat novellus Epiſcopus. ibid.
Benedictio Apoſtolica à Romano Pontifice abſentibus mittitur, eſtque mos ille antiquus. 253. 2
Benedictio prima Epiſcopi apud nos magno in pretio, & dives magnis Indulgentiis. ibid.
Benedictio Epiſcopalis quibus locis & temporibus dari conſueverit. 254. 1.
Benedictio etiam ab alieno Epiſcopo petenda. ibid.
Benedictio non tantùm ab Epiſcopis, ſed etiam à Presbyteris ac Monachis petita & impenſa. ibid. 2
Benedictio abeuntium à remanente Epiſcopo, vel remanentium à recedente petita, maximè in Monaſteriis. ibid.
Benedictio Epiſcopi olim petenda priuſquam fidelis de Parochia ad Parochiam tranſiret. ibid.
Benedictio Sacerdotalis ex more antiquiſſimo Eccleſiæ. 239. 1
Benedictio eſt unum ex animæ teſtimoniis, quæ juxta Tertullianum omni homini demoſtrant Deum. ibid.
Benedictio per Deos Nationum, ſeu Gentilium non eſt licita. ibid. 2
Benedictio quædam per quemvis hominem data. ibid.
Benedictio Sacerdotalis à Chriſto in Eccleſia inducta. ibid.
Benedictio Sacerdotalis non eſt aliud, quam Divinæ gratiæ imprecativa oratio. 240. 1. Ex hac Auguſtinus ſuam de victrice gratia ſententiam docet eſſe Apoſtolicam & Evangelicam. ibid.
Benedictio Sacerdotalis ab Imperatoribus, Conſtantino, Conſtantio, Juſtiniano, &c. ſemper expetita. ibid.
Benedictio à ſimplicibus Monachis etiam expetita ab Imperatoribus Theodoſio, Arcadio, Theodoſio juniore, Leone Auguſto. 241. 1
Benedictio Eccleſiaſtica Romanis Proceribus & populis grata. ibid.
Benedictio data à cadavere S. Joannis Chryſoſtomi, aliorumque poſt mortem. ibid. 2
Benedictio Claſſis à S. Epiphanio Patriarcha Conſtantinopolitano. ibid.
Benedictio moribundis neceſſaria, quòd paſſim videant tentatorem. 242. 2
Benedictio Sacerdotalis victorias eſt largita. 243. 1. 2
Benedictio ſecreta ac privata poteſt cuilibet à quolibet impendi. 244. 1
Benedictio paterna mane & veſpere petenda. 244. 2. Anglorum hac in parte conſuetudo. Item Thomæ Mori, etiamnum Cancellarii, erga patrem pietas. ibid.
Benedictionis Eccleſiaſticæ amantes Barbarorum Reges Chilpericus, Grumtamnus, Clodovæus, &c. 242. 1
Benedictionis Eccleſiaſticæ amans Caroli Magni genus, Pippinus, Ludovicus Pius, &c. 242. 2
Benedictionis Epiſcopalis ſuſpenſio gravis pœna. 243. 1.
Benedictionis Eccleſiaſticæ amans Gens Anglorum. ibid.
Benedictionis Eccleſiaſticæ amantes Britones, Burgundi, Poloni, Moravi, Bohemi, Bulgari, &c. 243. 2
Benedictus V. in Germania ab Ottone aſportatus, quamvis graves ſcriptores Benedictum fuiſſe legitimum Pontificem affirment. 237. 2
Benedictus IX. ſchiſmaticus decimo ætatis anno intruſus in Sedem Apoſtolicam. 236. 1
Beneficiatorum in Curia morientium regula hodierna Romanæ Eccleſiæ antiquis fundamentis nititur. 368. 1
Beneficium Eccleſiaſticum ab Officio non ſeparandum. 71. 2. Vide *Simonia*.
Benno Cardinalis perperã irridet inſtitutas à Gregorio VII. pro quorũdã hęſitatione preces. 147. 2
Bennonis mendacia. 50. 1. Adversùs Decretum Gregorii VII. accuſationes. 60. 1. Toties mentitur ſplendidè, ut etiam vera dicenti non poſſit

ſit

ſit credi. 238. 1
Benno Metenſis Epiſcopus ab Henrico creatus. 393. 2. Poſteà cum dedecore & ignominia ab urbe pulſus. ibid.
Berbachenſis Conventus. 321. 2. Ad eum ex utraque parte tam Henrici, quàm Gregorii VII. convenerunt: At fructum nullum habuit. 342. 1
Berbachenſis Conventus non fuit judicialis Apoſtolicarum ſententiarum retractatio, ſed dumtaxat familiare de ipſis colloquium. 344. 1
Berengarii relapſus unde duxerit originem? 147. 2
Berengarius Joannem Erigenam deſerit, poſteà rurſum defendit. 147. 2
Berengarius Hæreſim ſuam abjurat. 148. 1. Cur in ſecunda profeſſione fidei omiſſum fuerit: *Corpus Domini frangi, & fidelium dentibus atteri*. 149. 1
Berengarius in Concilio Pictavienſi ferè interemptus. 148. 1. Et cur? ibid.
Berengarius profeſſionem ſecundam fidei in qua Synodo fecerit? 149. 1
Berengarius à Gregorio VII. poſt abſolutionem commendatitias litteras accipit. 149. 2
Berengarii tertius relapſus. ibid.
Berengarius pœnitens, & Catholicus deceſſit ex hac vita. ibid.
Berengarius non omnes à ſe perverſos convertit. 150. 1.
Berengarius Sanctum Hilarium ſibi manifeſtè de Euchariſtia contrarium accuſat erroris in alia materia. 228. 1
Berengarius toto ſeculo prçceſſit S. Bernardũ. 211. 2
Boleslaus Poloniæ Rex Eccleſiaſticorum jurium protector. 354. 1
Bona Eccleſiaſtica non ſunt indignè diripienda. 65. 1
Vide *Decimæ*, *Simonia*.
Bonifacius II. an erraverit ſibi ſucceſſorem eligendo? 318. 2
Bonifacius IX. in concedendis Indulgentiis eleemoſynariis quibuſdam videtur exceſſiſſe. 283. 2. 306. 2. Res incerta eſt. 282. 2. Quidquit ſit, non ex Cathedra egit iſta Bonifacius. ibid.
Bonifacius IX. in concedendo Jubilæo liberalis 306. 1. Donat Jubilæi Indulgentias etiam domi remanentibus, dummodò itineris expenſas penderent. ibid. Quæſtores ejus graviter exceſſerunt. 306. 2
Bonifacius IX. non eſt primus Author Indulgentiarum ad modum Jubilæi datarum. 307. 1
Brancatius, vide *Franciſcus Maria Brancatius*.
Brixinenſe Conciliabulum. 311. 1. & ſeqq. Quamdiu duraverit? 315 1. Concluſio. ibid.
Brixinenſis Conciliabuli contrà Gregorium VII. litteræ. 321. 1
Brixinenſis Conciliabuli Attentatum ab Eccleſia damnatum. 305. 2
Bulcolaca quid ſit Græcis? 258. 1
Bulla plumbea Apoſtolicæ Sedis, quandonam cœperit ornari capitibus Apoſtolorum? 231. 1. Bulla plumbea à S. Sylveſtro videtur inſtituta, ſed ſine capitibus Apoſtolorum. ibid.
Bullas plumbeas Clemens VI. contra morem Anteceſſorum gentilitiis ſuis armis, quinque roſis inſignivit 231. 2. Eum nullus Succeſſorum imitatus fuit. ibid.

C.

Cadalous in Apoſtolicam Sedem per Guibertum violentè intruſus. 324. 1
Calvinus, vide *Joannes Calvinus*.
Canonici debent communem vitam vivere. 36. 1 Rationes cur Romana Eccleſia communem Clericorum vitam adeò promoverit. 36. 2
Canonicorum Pictavienſium prætenſio adversùs Eccleſiam Sancti Hilarii. 28. 2. An bene fundata? 29. 1
Canonici Regulares magnum in Eccleſia fructum adferunt. 37. 1
Cardinalis antiquum privilegium Religioſi ex Monaſterio extrahendi, & in ſuam familiam referendi. 238. 2
Cardinalium Epiſcoporum in ſua inſcriptione ad Clerum Romanum non meminit S. Cyprianus. 272. 1. Eorum in Clerum Romanum adſcriptio videtur non eſſe ab Apoſtolis, ſed à Sancto Sylveſtro. 272. 2: In Romanæ Provinciæ Synodo dudum non habuerunt digniorem locum ante alios Comprovinciales Epiſcopos, ſed cum ipſis ſederunt juxta Conſecrationis ætatem, etiam Hoſtienſis Epiſcopus. ibid.
Cardinales olim Archiepiſcopis & Epiſcopis poſtpoſiti. 291. 1
Cardinales tempore Gregorii VII. erant mitrati. 334. 2
Cardinalium translationem nonniſi poſt exſtinctum Clementinum ſchiſma admiſit Romana Eccleſia. 127. 1
Carolus Audax à ſuo domeſtico Presbytero benedictionem quotidie flexis genibus petebat. 243. 1
Carolus Martellus Eccleſiarum, ac Monaſteriorum bona militibus ſuis in beneficium donare cœpit. 64. 1. Ipſum idcircò cum anima & corpore in perpetuis gehennis ardentem vidit S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus. ibid.
Carthaginenſis Epiſcopus eſt Primas, atque Exarchus totius Africæ. 278. 1
Cencius Romanorum potentiſſimus Gregorium VII. graviter vulnerat. 324. 1
Cenſura Eccleſiaſtica, quamvis injuſta, ſemper timenda. 59. 1
Cenſurarum irreverentia, atque ſub nullitatis fuco violentia, eſt vera hæreſis. 348. 2
Cenſurarum pro pecuniis abſolutio damnata. 98. 2 vide *Excommunicatio*.
Charatzium, quid ſit Turcis? 5. 2. 6. 2. Charatzii auctio, & per quem? 7. 1
Chariſmata nonniſi certo tempore durant. 17. 1. Quibuſdam in locis viguerunt tempore SS. Chryſoſtomi & Irenæi: Imò etiam noſtro ſæculo. 17. 2
Charitas perfecta non requiritur, ut quis ſit aptus Dei regno. 311. 1. Maximè id verum in illis, qui baptizantur in mortis exitu, qui cum bono Latrone audiunt: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. ibid.
Charitas, quæ ſaltem affectu ſit ſuper omnia, requiritur ut quis reponatur in divinam gratiam. 215. 1
Vide *Attritio*, *Contritio*, *Pœnitentia*.
S. Chryſoſtomi de Euchariſtia fides. 193. 1. Invehi-

vehitur in fabulantes tempore ſacrificii. 195. 1 Miſſam per ſingulas Dominicas audiendam tradit. ibid. 2. Impanationem expugnat. ibid. Adversùs quos ſcripſerit Sermonem, qui docet non concionandum ad gratiam. 196. 1. Poſt mortem benedixit dicens, *Pax vobis*. 251. 1. Ordinatus fuerat à Theophilo Patriarcha Alexandrino. 368. 2

Chriſtus à Magis in præſepi adoratus, non autem intra Bethleem in domo. 198. 1. & ſeq.

Chriſti Domini merita infinita. 296. 1

Chor-Epiſcopi officio hodie fungitur Decanus Chriſtianitatis. 130. 1. Chor-Epiſcopis conceſſa triplex Epiſcoporum functio 245. 1. Chor-Epiſcopus inferior Epiſcopo. 245. 2

Ciborium ingrediendi privilegium inter Laicos ſoli Auguſto Principi apud Græcos concedebatur. 104. 2

Ciſtercienſis ordinis origo. 90. 2. Sitne Decimarum capax? 91. 1. Ejuſdem ordinis ſanctitas. ibid.

Clemens VI. quinque roſas, gentilitia ſua arma, Papali plumbo inſeruit, contra morem ſuorum Anteceſſorum 231. 2. Eum nullus ſucceſſor fuit imitatus. ibid.

Clerici cujuslibet cum Eccleſia ſpirituale atque immobile conjugium. 127. 1

Clerus omnis Latinus tempore Gregorii VII. barba raſus. 334. 2

Cæcilianus Diaconus accuſatur, quòd victum Martyribus adferri in carcere prohiberet. 265. 1

Commendonius, vide *Franciſcus Commendonius*.

Communio domeſtica Tertulliani tempore quotidiana. 192. 1. Facta à jejunis etiam tempore Chryſoſtomi. 192. 1. 199. 2. Tempore Tertulliani facta in ſola ſpecie panis. 192. 1

Concilium Œcumenicum in degradatorum à ſe Epiſcoporum Sedes poteſt per ſuum Præſidem conſecrare alios. Immo & in cathedras apud ſe morientium. 368. 1

Concilium generale apud Sedem Apoſtolicam ſingulis annis tenendum. 39. 1. Non eſt ſupra Pontificem. 48. 1. Generale Pontificem legitimum judicare atque damnare non poteſt. Quamquam poſſit de Pſeudo-Pontifice intruſo agere. 323. 2

Concilii tempore preces inſtituere antiqua conſuetudo. 147. 1 Vide *Pontifex*.

Confeſſariorum nimia in pœnitentes indulgentia taxatur 75. 2. 76. 1. Sanctus Chryſoſtomus hac de re accuſatur. 75. 2

Confeſſio ſacramentalis facienda probatis vita & doctrina Sacerdotibus. 215. 1. 2. Vide *Pœnitentia*.

Conſecratio perficitur verbis Chriſti, non precibus ſubſequentibus. 206. 2

Conſecrationis tempore olim ſtabat populus 195. 1. Vide *Euchariſtia*, *Sacrificium*.

Conſiſtentes olim adfuerunt ſacrificio, quamvis non communicarent. 252. 1

Conſtantinopolitanus Epiſcopus non eſt univerſalis. 136. 2

Conſtantinus M. benedictionem ſacerdotalem flexis genibus expetebat. 240. 1. Die Dominicæ paſſionis, & ipſum ſequente die Veneris, vetuit Chriſtianos prælium committere. 336. 2

Plurima Eccleſiis ornamenta donavit. 120. 1. Antiochiæ pretioſiſſimam Baſilicam ædificavit. 120. 2

Contritionem ſine confeſſione & abſolutione ſufficere ad remiſſionem peccatorum, docent Flagellantes. 285. 1

Cornelii Pontificis electio. 273. 2. Parit varias diſcordias. ibid.

Cornelius Pontifex electus, Decreta quæ fuerant facta vacante Sede, non tantùm confirmat, ſed etiam ampliat. 273. 1

Corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, & ſanguis Chriſti, qui de ejus latere fuſus eſt, verè & propriè eſt in altari. 149. 1. & ſeqq.

Corpus Chriſti an frangatur manibus Sacerdotum? ibid.

Corpus Chriſti in Euchariſtia, ſitne illud, quod de Virgine natum eſt? 151. 1. Quidam veteres affirmarunt, quidam negarunt. Uterque loquendi modus ſuis nititur fundamentis, fuitque Auguſtino familiaris. 152. 2. Rectè Gregorius VII. voluit, ut affirmaremus, idque conformiùs ad Auguſtinum. 153. 2

Corpus Chriſti an poſſit dici imago ſui ipſius. 152. 1

Corpus Chriſti non eſt ſeceſſui obnoxium. ibid.

Corpus Chriſti peracta ſumptione in ſumente deſinit, & accidentia redeunt ad ſuam ſubſtantiam. 155. 2

Corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum dici poteſt imago Corporis Chriſti. 168. 1. 200. 1

Corpus Chriſti juxta Gregorium Nyſſenum bis immolatum, & ſepultum. 182. 1

Corpus Chriſti quomodò in diverſis locis ſimul eſſe poſſit? Opus eſt Divinæ omnipotentiæ. 182. 2

Corpus Chriſti imaginem vocant Iconoclaſtæ. 200. 1. 2.

Corpus Chriſti poſſe dici imaginem negant Patres, qui adversùs Iconoclaſtas ſcripſerunt. 201. 1

Corpus Chriſti potuit ſimul eſſe in diverſis locis. 210. 1.

Corpus Chriſti ſepulchri lapidem, & clauſas januas penetravit. ibid.

Corpus Chriſti replicatum in Euchariſtia. 210. 2 Non tamen affigitur, includitur, aut circumſcribitur. ibid.

Corpus Chriſti, utrum in ultima cœna fuerit paſſibile? 211. 1

Cortinæ altarium antiquiſſimæ, & in Eccleſia retinendæ. 195. 1

Coſmas Monachus paupertatis Monaſticæ etiam in Patriarchatu obſervantiſſimus, prophetiæ dono clarus, &c. 145. 2

Cunibertus Bambergenſis, Romanum Primatum cenſuit eſſe humanam uſurpationem, non inſtitutum divinum. 344. 1

S. Cypriani electio impugnata. 273. 2. Ejuſdem manſuetudo & exilium. ibid. Quibus in abſentia commiſerit regimen Eccleſiæ ſuæ, & difficultates inde ortæ. 274. 1. Novati factionem omnem communione privat, & gradu, ejicitque Carthagine. ibid.

S. Cypriano malè adſcribitur ſermo de Cardinalibus Chriſti operibus. 159. 2

S. Cyrilli Alexandrini de Euchariſtia fides orthodoxa. 186. 2

S. Cy-

S. Cyrilli Hieroſolymitani de Euchariſtia fides orthodoxa. 184. 1

D.

S. DAmaſceni de Euchariſtia fides orthodoxa. 199. 2
S. Damaſcenus apud Græcos eſt ſententiarum magiſter,& antiquorum Patrum compendiator. ib.
S. Damaſi Epiſtola adverſus Chor-Epiſcopos ſtraminea eſt. 248. 1
S. Damaſi ad Hieronymum Epiſtola fictitia. 24.2
P. Damiani à Guiberto affligitur. 325. 2
Decimale onus apud quoſdam Germaniæ populos, quàm difficilè fuerit Gregorio VII. introducere. 353. 1
Decimarum quarta pars ſtricto jure pertinet ad pauperes. 91. 2
Decimarum capacia Monachorum cœnobia. 90.1
Decimarum ſpirituale jus Laici poſſidere nequeunt. 93.2
Decimas à Laicis quomodo liceat emere? 95. 1
Decimas an poſſidere poſſint Fratres Mendicantes. 95. 2
Decimas militibus in beneficium dare cœpit Carolus Martellus. 78. 1. Peſſimè. 79. 1
Decimas poſſidentia Monaſteria tenentur ex juſtitia dare eleemoſynas pauperibus. 91. 1
Decimas ſuas integras quædam Monaſteria pauperibus largiuntur. 91. 2
Decimas vendere ſitne Simoniacum. 94. 2
Decimæ à Conſtantino magno introductæ. 78. 1
Decimæ, ac plebes non ſunt ſæcularibus in beneficium dandæ. 64. 1
Decimæ Monachis & Clericis regularibus, propter florentem apud eos Eccleſiaſticam diſciplinam, datæ. 89. 1
Decimæ non ſunt conſanguineis conferendę. 79.1
Decimæ ſolis Baſilicis, Clericis, atque pauperibus debentur. ibid.
Decimæ ſunt antiquiſſimæ. 77. 1
Decimæ ut ad Monaſteria tranſeant, requiritur conſenſus Epiſcopi, non tamen Capituli. 95. 2. Conſenſus Epiſcopi datus non poteſt per Succeſſorem revocari. ibid.
Decimis poſſintne divites Clerici ſuſtentari? 90: 1
Dens Chriſti fueritne in Sancti Medardi Monaſterio? 154. 2
Deo gratias unde à Monachis dicatur? 244.1. Morem illum loquendi Auguſtinus cum Monachiſmo ex Italia in Africam deportavit ibid. Donatiſtæ loco *Deo gratias* dicunt *Deo laudes*. ib.
Deſiderius Caſſinenſis Abbas Henrico Imperatori viriliter reſiſtit. 335. 2. Malè tamen Abbatiæ ſuæ inveſtituram admiſit. 336. 1
Diaconatus poſſitne conferri abſque ordinibus inferioribus. 394. 1
Diaconi carceratis Confeſſoribus prærant,& de victu providebant. 265.1. Moderabatur ne ex fidelium oblationibus fieret popina in carcere. 265.2
Diaconi extra ſtatum gratiæ miniſtrantes adventum Spiritus Sancti impediunt. 180 2
Diaconi Græci utuntur ſtola linea 197. 1. Olim etiam latini. ibid.
Diaconi olim in quibuſdam Eccleſiis abſolutionem impertire attentarunt. 302. 1
Diaconis in miniſtrando ſtatus gratiæ neceſſarius. 180. 2
Diaconi ſtolam in ſiniſtro humero geſtant. 197. 1
Diaconos ſuos ad plenam, more latino, caſtitatem cur compulerit Sanctus Baſilius? 180. 2
Diaconus eligi poteſt in Epiſcopum, non tamen immediatè conſecrari. 394.1. Oppoſitam doctrinam Photius mendaciter affingit Latinis. ibid.
Diei & noctis partes, ſeu ſtationes olim quatuor. 32.2. Quævis ſtatio dividebatur in tres horas. ib.
Diſcretio ſpirituum primævæ Eccleſiæ chariſma. 16. 2. Etiam hoc ſæculo viguit in S. Philippo Nerio. 17. 2
Doctoribus aſſignata per Alexium Comnenum privilegia. 118. 2
Doctoris œcumenici dignitas antiquiſſima. 117. 2
Dominus vobiſcum & *Cum ſpiritu tuo* dicuntur ex Inſtituto Apoſtolico. 16. 1
Donatiſtarum doctrina nullum ſacramentum eſſe informe. 76. 1

E.

ECcleſia, eſt plebs ſacerdoti adunata, ſcilicet Romano. 346. 2
Eccleſiæ ſuburbicariæ, quid ſint? 362. 2
Electionis, vel confirmationis jus, ob fixi à ſacris Canonibus temporis lapſum, vel ob datum indigno ſuffragium devolvitur ad ſuperiorem Prælatum. 227. 1
Eleemoſynæ Monaſticæ genus, ut pro quolibet defuncto Monacho unus toto anno pauper alatur. 92. 1
Sancti Epiphanii de Euchariſtia doctrina. 181. 1
Epiſcopalis Cathedra vacans, non per Capitulum, aut ejus Vicarium, ſed per Viſitatorem Epiſcopum olim regebatur. 216. 1. Mos eſt antiquiſſimus, traditus ab Apoſtolis. 216.1 217.1
Epiſcopi cum fornicariis Presbyteris diſſimulantes reprehenſi. 99. 1
Epiſcopi Gregorii VII. calumnioſè dicuntur à Venerico permiſiſſe bonorum Eccleſiaſticorum deprædationem. 352. 1
Epiſcopi Monaſticæ ſubſtantiæ adminiſtratione privati, annuæ penſionis xenium à Religioſis poſtulant. 97. 2
Epiſcopi quidam annuam penſionem à Monaſteriis exigentes compeſcuntur. 93. 1
Epiſcopi per ſolos duos Epiſcopos conſecratio eſt contra Canones. 314. 1
Epiſcopis olim ſubjecta Monaſteriorum bona. 96.2
Epiſcopis reſervata eſt omnis abſolutio peccatorum publica pœnitentia vindicandorum. 276.1
Epiſcopo cuivis degradandi Principis poteſtas olim competens, eſt in Eccleſia antiquiſſima. 77.2
Epiſcopo lapſo ſola Communio laicalis conceſſa. 295. 1
Epiſcoporum Metropolitanorum,& Provincialium conſecrationes ſpectant ad Patriarcham. 116. 1
Epiſcoporum ſuperbia redarguitur. 98. 1
Epiſcoporum translationes non minùs, quàm rebaptizationes, abominata eſt Africana Eccleſia. 217. 1
Epiſcoporum Diœceſanorum ſententiis non tenentur exempti,& Apoſtolicæ Sedi immediatè, ac plenè ſubjecti Clerici & Monachi. 351. 2

Epi-

Epiſcopus ab Epiſcopo more antiquo ſepeliendus. 221. 2
Epiſcopus ab officio vel communione ſuſpenſus Eccleſiaſticas cenſuras nulli poteſt auferre, vel inferre. 351. 2
Epiſcopus degradatus reparatur in gradum per honorificè aſſumptum à Succeſſore defuncti nomen. 237. 1
Epiſcopus degradatus ſententiæ non acquieſcens exulat ad centum millia paſſuum à ſuæ olim Sedis civitate. 237. 2
Epiſcopus ex aliena Eccleſia eligi non poteſt, niſi in defectum perſonæ idoneæ. 232. 2
Epiſcopus peregrinus ad ſolemne Sacrificii, & Verbi miniſterium admittendus. 31. 1
Epiſcopus unicus divino jure debet eſſe in qualibet Eccleſia. 229. 1. Abſit, ut Apoſtoli Petrus & Paulus hanc Regulam in ipſo Evangelii exordio læſerint. ibid.
Eriath Francus Monachi Presbyteri occiſor à Nicolao I. accipit indulgentiam 291. 1. Baſilicam Apoſtolorum pro accipienda indulgentia accedit. 291. 1
Euchariſtiæ veritas miraculo per Divum Gregorium confirmata. 102. 2
Euchariſtiæ ſacrificium ex pane & vino à fidelibus oblato. ibid.
Euchariſtiæ materia panis azymus in formam denarii oblatus. 107. 2
In Euchariſtia, utrum Corpus Chriſti, an accidentia frangantur? 107. 2
In Euchariſtia quidam docent panem manere, eòquòd accidentia non poſſint ſine ſubjecto ſubſiſtere. 149. 2
Euchariſtiæ myſterium, an poſſit dici Vicarium Chriſti? 154. 1
Euchariſtia, an à Sancto Nicephoro, Græciſque Patribus rectè dicatur non eſſe Dominici corporis figura? 156. 2
Euchariſtiæ veritatem Gnoſtici profitentur. 161. 1. 176. 1.
Euchariſtiæ cultus latriæ adhibendus. 162. 1
Euchariſtiæ myſterium olim Catechumenis occultatum. 163. 1. 172. 1
Euchariſtia eſt ſignum continens corpus & ſanguinem Chriſti. 164. 2
In Euchariſtia aquæ mixtio ex Chriſti Domini mandato. 165. 1. 169. 1. 177. 1. 183. 2
Euchariſtia etiam ſignificat myſticum Chriſti Domini corpus, univerſale ſcilicet Eccleſiam. 168. 2
Euchariſtia tribus modis eſt ſignum Dominici corporis. 169. 2
Euchariſtia verè ſumitur ab iniquis. 170. 2
De Euchariſtia SS. Patres ante exortas hæreſes minùs accuratè locuti ſunt. 172. 1
De Euchariſtia cur SS. Patres locuti ſunt obſcurè. 172. 1. Quid ſibi velit illud Epiphanii. *Hoc meum eſt hoc?* 172. 2
Euchariſtia olim in manibus ſuſcipiebatur. 173. 2. 178. 2.
De Euchariſtia fabuloſæ Gentilium calumniæ. 174. 2
De Euchariſtia Græcorum Patrum ſententiæ fusè examinantur. 175. 1. & ſeqq.
Euchariſtiæ micæ cuſtodiendæ ne in terram cadant. 178. 1. 2
Euchariſtiæ veritas comprobata miraculo pueruli apparentis in manibus Sancti Baſilii. 180. 1
Euchariſtiæ myſterii poſſibilitatem poſteriores Græcorum Patres ratione naturali demonſtrant. 183. 2
Euchariſtiæ veritatem ex verbis conſecrationis probant omnes Græci, Orthodoxi, Hæretici, Schiſmatici. 185. 1. Et Latini Scriptores. 185. 2
Euchariſtia, & Eulogiæ apud Cappadoces in Azymo probabiliter confectæ. 186. 1
Euchariſtia rectè vocatur vita. 186. 2
De Euchariſtiæ veritate Neſtorius rectè ſenſit. 187. 2
Euchariſtia, & Manna quomodò differant? 186. 2
Euchariſtiæ myſterium Catechumenis occultatum. 189. 2. 190 2
Euchariſtiæ antiquitus modica tantùm pars populo dabatur. 192. 2
Euchariſtia juxta S. Chryſoſtomum verbis Chriſti conſecratur, non autem per neſcio quas preces, quibus utuntur Græci Schiſmatici. 193. 1. 195. 2. 200. 1.
Euchariſtiæ ſuſcipiendæ diſpoſitio requiſita. 194. 1. 198. 2.
Euchariſtia an manibus tangatur? 194. 2. 197. 1 Apud Græcos cochleari diſtributa, nondum tamen tempore S. Chryſoſtomi. 194. 2
Euchariſtiam olim qui ſuſcipiebat, oculos & frontem & reliqua ſenſuum organa manibus conſecrabat, quando adhuc erat humiditas in labiis ex ſanguine ſumpto. 194. 2. Mos ille videtur viguiſſe tempore Damaſceni ibid. Item in Romana Eccleſia, ex verbis S. Agnetis: *& Sanguis ejus ornavit genas meas.* 195. 1
In Euchariſtia non manet panis & vini ſubſtantia. 196. 1
Euchariſtia an tangatur? 197. 2. 199. 1
Euchariſtia ſumpta cavendum à comeſſationibus. 199. 1.
Euchariſtiæ ſumptioni jejunium olim præmiſſum. ibid.
Euchariſtia in manus Laicis porrecta. ibid.
Euchariſtia ſub ſpecie panis domum fidelium deferri ſolita, non item ſub ſpecie vini, niſi ex Privilegio. 204. 1
Euchariſtia quo ritu, & reverentia à fidelibus domi ſumenda? ibid. Loco Euchariſtici Calicis vinum ſimplex ſumebant. ibid.
Euchariſtiæ particulæ à SS. Patribus vocantur *Margaritæ*. ibid.
Euchariſtiæ particulæ ne in terram decidant ſolicitè cavebant antiqui. 204. 2
Euchariſtia eſt dominici corporis & ſanguinis imago, & figura. 205. 1
Euchariſtiæ confectio non eſt adſcribenda precibus conſecrationem ſubſequentibus. 205. 2 & ſeq.
Euchariſtiæ confectioni poſtpoſitæ preces poſſunt habere legitimum ſenſum. 207. 1
Euchariſtiæ conſecratæ, quo ſenſu attribuatur vox: *Antitypa?* 207. 2
In Euchariſtiæ ſumptione populus apud Græcos reſpondet *Amen*. 251. 1
Euchariſtia indignum ſumptorem adurit. 312. 2
Euchariſtia olim mulieribus dabatur in manus 353. 2. Quædam tamen Eccleſiæ juſſerunt illam accipi per Dominicale linteum. Et S. Chryſoſtomus,

mus,etiam à viris accipi voluit per cochlear. ib.
Eugenius III. inveſtituram Regi Siciliæ nunquam conceſſit, ſed diſpenſatoriè ſolam Regiam nominationem. 140. 1
Eulogiæ neque à Catechumenis, neque à Laicis, vel mulieribus, ſed à ſolis Clericis ſumebantur. 103. 1
Eulogiæ conſecrabantur ex pane & vino, qui non erat communicaturis neceſſarius. 102. 2. 103. 1
Eutyches ſenex imperitus, & delirus. 160. 2
Eutychianorum error. 190. 2
Excommunicatio minor. 63. 2
Excommunicatorum cadavera apud Græcos non reſolvuntur, ſed quaſi tympana fœdè intumeſcunt. 8. 2. Non reſolvuntur niſi poſt datam abſolutionem. 54. 1. Hujus rei memorabile exemplum. 53. 2. Similia exempla reperimus etiam apud Latinos. 54. 2
Excommunicatio etiam temporales victorias impedit, adfertque in bello maledictionem. 51. 1 Milites in bello reddit enerves, atque infelices. 52. 2
Excommunicatum non conferre validè ullum Sacramentum excepto baptiſmo, quidam docuerunt. 58. 2
Excommunicationis vinculo poſſitne Pontifex quempiam eximere? 61. 1
Excommunicans Prælatus habet poteſtatem indulgendæ communionis, cum ſuis excommunicatis. 61. 2
Excommunicatis quandò liceat communicare? 62. 1. Variæ quæſtiones de Excommunicatione Sancto Jvoni propoſitæ. 62. 2
Excommunicationem non participat, qui communicat cum eo, qui communicavit Excommunicato. ibid.
Excommunicatio maledictionis ſpecies. 255. 1
Excommunicatorum corpora indiſſoluta, fœdiſſimè nigra, inflata ad inſtar tympani. 256. 2
Excommunicatorum cadavera è ſepulchris vagantia, non tantùm nocte, ſed etiam de die. 257. 2. Nonnulli putant iſta cadavera non à Dæmone, ſed à propria anima in punitionem deportari. ibid. Alii putant fuiſſe tantùm imaginaria per Dœmonis artem ſpectra. 259. 2. Exuſtionem hujuſmodi cadaverum nonnulli improbant, ſed alii probant. 258. 2
Excommunicatio ſimplicem maledictionem, etiam Laici, quandoque deſignat. 262. 1
Excommunicandi Hierarchica poteſtas ſpectat ad ſolos Epiſcopos. 261. 2
Excommunicationis contemptus, ac violentia timenda. 349. 1. Parit infelicem exitum. ibib.
Excommunicationis ſolvendæ nulla poteſtas, aut imperium competit Imperatoribus. ibid.
Excomunicatio Epiſcopalis, aut Papalis non poteſt à ſupremis Senatibus examinari, judicari, caſſari, abſolvi. 349. 2. Theodoſius Imperator hujuſmodi cauſas remittit ad Epiſcopos adjungens: *Epiſcopo imperare non poſſum*. ibid.
Excommunicationem de injuſtitia accuſare antiqua eſt audacia. 250. 1. Excommunicatio nulla ob manifeſtam injuriam timenda, & ſervanda multis exemplis oſtenditur. ibid.
Excommunicationis ſententia dum profertur, candelas exſtinguere mos eſt Latinæ Eccleſiæ à Græcis nunquam uſitatus. 392. 2. Mos ille commendatur. ibid. Poſtmodum adjuncta eſt ſolemnis campanarum pulſatio. ibid. Fulmineum ignem gerebat ſolus Epiſcopus, ibid.

F

FAbulari tempore ſacrificii grave peccatum, 195. 2.
Facundi Hermianenſis inſignis hallucinatio. 224. 1. Ejus in Theodorum Mopſueſtienſem nimius zelus hallucinationis occaſio. ibid. Duodecim libros doctiſſimos ſcripſit ſine libris ex ſola memoria. ibid.
Favonis nomine quid olim intellexerint? 105. 2
Feliciſſimus Archidiaconum ſe oſtentat, & contra Cyprianum in monte prope Carthaginem erigit novum altare. 274. 1
Felix ſecundus fuit Schiſmaticus Anti-Papa. ibid.
Fides apud Apoſtolum ſubindè ſumitur pro ſpirituali Eccleſiæ chariſmate. 15. 1. Eſt firma in Deum fiducia, qua poſcimus, & impetramus ea, quæ à Domino poſtulamus. ibid.
Fides ſola non juſtificat. ibid.
Flagellantium errores. 284. 2. Romanum Pontificem dicunt ſublatum, excepto Baptiſmo ceſſaſſe Sacramenta omnia, Baptiſmum in ſanguine conferri, Indulgentias rejiciunt. 285. 1
Flagellantium Secta. ibid. Omnium iſtorum errorum fons Abbas Joachim. ibid.
Flagellationem omnia fere Monaſteria in ſuos mores admiſerunt. ibid.
Flagellatio ſui ipſius pœnitentialis non eſt antiquiſſima apud Eccleſias. ibid. Ejus primus Author Dominicus Loricatus, à S. Petro Damiani feliciter defenſus, ibid.
Flentibus nulla erat injuncta pœnitentia. 308. 2
Fornicarii Presbyteri tolerati ab Epiſcopis. 99. 1 Quidam fornicationis pœnam pretio redimunt. ibid.
A S. Franciſco de Paula Ludovicus XI. humiliter petiit benedictionem. 243. 1
Franciſcus Commendonius in Belgio Apoſtolicus Legatus Joannem Heſſelium S. T. Doctorem Lovanienſem de voce *tranſubſtantiatio* conſulit. 165. 2
S. Franciſcus cunctis ſuis filiis imponit Romanum officium. 111. 2
S. Franciſcus maledicit cuidam argutiis Ariſtotelicis nimis dedito. 261. 2
Franciſcus Maria Brancatius eruditiſſimum opuſculum edidit de Cardinalium ſeniorum optione, ejuſque origine & juſtitia. 127. 1
Franci ſemper arma plus quàm cibum & potum dilexerunt. 77. 1
Fratres Minores uſque ad annum 1372. non fuerunt uſi ſericis ornamentis. 122. 2
Fredericus primus Religionis intuitu à quinta Cœnæ Domini feria, uſque ad proximæ Paſchalis hebdomadæ ſecundam feriam, ab Arcis Terdonenſis impugnatione ceſſandum ſtatuit. 337. 1
Fredericus primus Siciliæ Regnum deſtruere voluit. 141. 1
S. Fulgentius à Carthaginenſi populo ſummo honore ſuſcipitur. 241. 2. Certatim ejus benedictionem expetunt. ibid. Ejus vitam ſcripſit Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus. ibid.

S. Ful-

S. Fulgentius preces Euchariſticas conſecrationi præmitti docet. 206. 1

G

GAius Presbyter graviter redarguitur, quòd lapſis pacem dare attentaſſet. 276. 1
Gallicanæ Eccleſiæ abortus latrant contra Lunam. 390. 2
Gallicanæ Eccleſiæ, quæ prima lis adversùs Romam? 363. 1
Gallicanæ Eccleſiæ ſpectant ad Synodum & conſecrationem Romani Patriarchæ 383. 1. & ſeq. Item 387. 1.
Galli Metropolitæ nolunt, ad Synodum Romam vocatos, mittere. 384. 1
Geberardi in Conſtantienſem Epiſcopum electio. 360. 1. & ſeq.
Gelaſius Famoſi adversùs Eutychetem & Neſtorium libelli author, quis fuerit? 192. 1
Georgius Ambianenſis Capuccinus pro *medico* apud Tertullianum legit *mendicò*: Non ſine fundamento. 268. 1
S. Gerardus, utrum nonniſi ob extremam neceſſitatem promeruerit à Romano Pontifice conſecrari? 364. 1
Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani *Myſtagogica rerum Eccleſiaſticarum contemplatio*, non eſt opus S. Germani, ſed Germani ſecundi ſchiſmatici, qui cum Gregorio IX. vixit. 203. 1. Rectè ſentit de Euchariſtiæ veritate. 386. 1.
Glabri Rudolphi in loquendo & ſcribendo licentia. ibid.
Gnoſticorum fabulæ. 176. 1. Conſtantèr tamen prædicarunt Euchariſtiæ veritatem, realem præſentiam, & transſubſtantiationem. 176. 2
Godeſcalcus de vanitate ac præſumptione rectè arguitur. 17. 2
Godeſcalcus miſerabilis Monachus rectam cauſam agebat, & verum dogma tuebatur. 18. 1
Gorgonia ſoror S. Gregorii Nazianzeni habuit domeſticum altare, in quo recondebatur Euchariſtia ſub utraque ſpecie. 204. 1. Fuit ſingulare privilegium. Ibid. Dominicum ſanguinem miſcebat ſuis lacrymis. 204. 2
Gothicarum litterarum origo. 26. 1
De gratia victrice doctrinam probat S. Auguſtinus eſſe Apoſtolicam & Evangelicam ex benedictione, ſeu oratione Sacerdotali. 240. 1
Græca Eccleſia uſque ad tempora Michaelis Cærularii cum Latina concors. 358. 2
Græci etiam poſt Turcicam captivitatem de veritate Euchariſtiæ rectè ſentiunt. 203. 2. Anathema dicunt cuidam Cyrillo volenti Calvinianam de Euchariſtia hæreſim introducere. ibid.
Græci in Florentino non diſputarunt de veritate Euchariſtiæ. 203. 1
Græci habent duplicem aquæ benedictæ ſpeciem. 155. 2.
Græci ſolent circa Latinorum res fœdè hallucinari. 141. 2. Tempore Gregorii VII. non omnes Schiſmatici. 144. 1
Græcorum antiqua iniquitas Auguſtos ſuos Principes in Monaſterium conjiciendi. 133. 2
Græcorum error, qui per impenſam cadaveribus excommunicatorum abſolutionem, animam à gehennalibus flammis liberari putant. 257. 1
Græcorum mediis ſæculis fides de Euchariſtia. 199. 2.
Græcorum poſteriorum fides de Euchariſtia. 202. 1.
Gregorii Nyſſeni lapſus de non baptizatis, de quibus ſolus è Patribus docet, quòd neque honorentur, neque puniantur in altera vita. 311. 1. 2.
Gregorii V. de Herluini ordinatione cauſa diſcutitur. 364. 2
Gregorius VI. anteà vocatus Joannes Gratianus, ab Henrico III. Imperatore in Sutrina Synodo cedere coactus. 232. 1. 234. 1. Ultrà montes ab Henrico Imperatore aſportatur. 232. 2. Videtur primus è Romanis Pontificibus armatos milites collegiſſe, & aluiſſe. Non fuit Simoniacus, aut certè poſteà in Papatu inſigniter correctus. 235. 1. Fuit adeò rigidus Canonum cuſtos, & reparator diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ut non ſolùm Simoniacos, ſed etiam ambitioſos, licet cætera idoneos, ab Epiſcopalibus Cathedris proſcriberet. 235. 2
Gregorii VII. ſanctitas. 331. 1. Quando creatus Pontifex? 1. 1. Mittit Legatos in Germaniam procurandæ pacis cauſa, fitque oppoſitio. 51. 2. Interdicit Divinum officium in Caſſinenſi Cœnobio. 65. 1. Ejus Acta miraculis confirmata. 361. 2. Omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſimè in Acta referre curavit. 395. 1
Gregorius VII. ab omni in Epiſcopos violentia fuit alienus, & de hac re ab Henrico IV. malè accuſatus. 98. 2
Gregorius VII. Lectiones de vita SS. Pontificum, & Martyrum Breviario inſeruit ex Epiſtolis Iſidori Mercatoris, nec non ex libro Pontificali. 109. 1.
Gregorius VII. ab oppreſſione Henrici per Robertum liberatus. 137. 2. Roma abſtrahitur, & in Salernitana civitate exul defungitur. 138. 1. 338. 1. 2. Non ex Caſtro S. Angeli, ſed ex Laterano fugerat Salernum. 391. 1. 2
Gregorius VII. Robertum Guiſcardum ex Duce in Regem non evexit, nec evehere promiſit. 138. 1. Neque, ut illum ſibi conciliaret, ejus progreſſus adjuvit. 137. 1
Gregorius VII. ad Michaelem Ducam Imperatorem tamquam orthodoxum ſcribit. 145. 1. Ad eumdem ſolemnem, eamque utilem Legationem mittit. 145. 2. Quinquaginta millia militum colligit ad ſuccurrendum Conſtantinopolitano Imperio. 146. 1
Gregorius VII. cunctis Fidelibus Decreta ſua obſervantibus plenariam largitur Indulgentiam. 262. 1. 280. 1. Fueritne primus ſimilis, præſertim tam univerſalis, Indulgentiæ, Author? 262. 1. Habueritne juſtam cauſam concedendi generales Indulgentias? 303. 1. & ſeq. Eas impugnat Clerus Leodienſis Eccleſiæ. 303. 2
Gregorius VII. Henricianorum calumniis impetitus. 316. 2. 320. 2. & ſeq. Ab impoſitis ſibi criminibus per ſumptam Euchariſtiam ſe expur-

expurgat. 320. 2. Ejuſdem calamitates. 324. 2. Graviter vulneratur in Miſſa, quam inchoatam, & nondum finitam, ad Altare ſuſtentatus perficit. ibid.

Gregorii VII. degradatio, & Guiberti intruſio non habuerunt ſtatim effectum & executionem, 321. 2

Gregorius VII. quatuor ad ſibi ſuccedendum commendat. 326. 2. Ignem facto Crucis ſigno exſtinguit. 331. 1. Qua de cauſa in Henricum clementior? 332. 2

Gregorius VII. Synodum indicit, 332. 2. Ita tamen, ut ante omnia res S. Romanæ Eccleſiæ, quibus exſpoliata cognoſcitur, ſi dignum eſt, reſtituantur. ibid.

Gregorius VII. an Sacerdotes conjugatos tolerare coactus fuerit? 333. 2. Ejus erga Clericos conjugatos diſpenſatoria diſſimulatio non ulteriùs permittenda. 352. 2. Epiſcopos ſui Cleri ſacrilega conjugia permittentes, aut diſſimulantes ſuſpendit ab Epiſcopali officio. 360. 1

Gregorius VII. ſeſe abdere cogitur in Caſtrum Sancti Angeli. 303. 2

Gregorius VII. Gregorio Magno non malè comparatus. 238. 1. Ejus natales, ſtudia & mores. 238. 2. Non fuit Thuſcus & Senenſis, ſed Romanus: Neque Fabri filius, ſed honeſto loco natus. ibid. Aſſumpſit ſanctitatis propoſitum, ſeu Monaſticam profeſſionem. ibid. Ex Monaſterio extractus à Cardinali Joanne Gratiano. ibid.

Guibertus quis & qualis fuerit? 323. 2. Quid de eo ſcribat Gregorius VII. 324. 2. Quondam Gregorio VII. amicus. 325. 1. Militum Dux in Henrici Imperatoris exercitu. 321. 2. 331. 1 In Papam à Pſeudo-Synodo eligitur. 312. 2. 315. 1 Cauſæ cur electio nulla fuerit? Ibid. Non fuit in Brixinenſi Conciliabulo reverà electus; ſed in Papam ab Henrico Imperatore violenter intruſus. 315. 2. Inthronizatur, & Clemens III. dicitur. 332. 1. 338. 1. Dementis quàm Clementis nomine dignior. 325. 1. Subditorum ſibi Monaſteriorum bona invadit, ac dilapidat. 325. 2. Epiſcopis, & Clericis conjugatis favet. 317. 2. Vult ubique Epiſcopos conſecrare. 366. 1. In plurimis Romanis Synodis damnatus. 325. 2. Cancellarius Nicolai II. Decretum corrumpit, 318. 1

Guilielmi de Sancto Amore adversùs Apoſtolicas Delegationes, & privilegia Fratrum Mendicantium devia phantaſmata. 115. 2

S. Guilielmus Pictavienſis Comes ex admirabili pœnitentia Sanctus. 138. 2. Horrenda ſua flagitia & facinora per duram & longam pœnitentiam purgavit. 260. 2

H

HArtuicus Heroſfeldenſis in Magdeburgenſem Cathedram quando intruſus? 393. 1. Vir doctiſſimus & nequiſſimus. 341. 2

Hæreſis ſolius culpa, fortaſſis olim, Apoſtolicæ Sedi, aut Provinciali Synodo erat reſervata. 276. 1

Hæretici olim non niſi cum ſolemni libello, ſeu profeſſione fidei in Eccleſiam admiſſi. 332. 2

Henrici Epiſcopi Leodienſis adversùs Apoſtolicæ Sedis authoritatem temeritas reprehenſa. 112. 1.

Henricus III. Imperator Gregorium VI. in Sutrina Synodo cedere cogit. 232. 1. & ſeq. Gregorium VI. ſecum ultra montes aſportat. 232. 2 Simoniæ exſtirpator, ibid. Cur tres Pontifices malè tractaverit? 233. 2

Henricus quartus Imperator contumax adversùs Gregorium VII. Regias inveſtituras propugnat. 45. 1. Romam perſonaliter citatur. 47. 1. Wormatiæ Concilium adversùs Gregorium VII. congregat, quem de variis accuſat. Ibid. Excommunicatur à Gregorio VII. 49. 2. 62. 1. 220. 1. Venit in Italiam, publicam agit pœnitentiam, & apud Canuſium ab excommunicatione ſolemniter abſolvitur. 50. 1. Redit ad vomitum: 50. 2. Fuerat quondam Gregorii VII. amicus. 325. 1

Henricus quartus Imperator à Germanis Proceribus degradatur. 150. 2. In ejus locum ſufficiunt Rudolphum Sueviæ Ducem, ſed manſuetior via placuit Gregorio. ibid.

Henricus IV. plenè degradatur. 229. 1. Ejus in Eccleſiam facinora 304. 1. Guibertum anathematizatum præſumit in Sancti Petri thronum intrudere. 304. 1. 314. 2. 315. 2. Prætendit jus nominandi Romanum Pontificem. 315. 2. Quæ cauſa tantæ audaciæ? 319. 1

Henricus IV. Simoniacam pravitatem Edictis & Legibus firmat. 320. 1. Omnia Eccleſiaſticorum temporalia ad Principem pertinere aſſerit ibid. Non ſcripſit vulgarem ad Sanctum Annonem Epiſtolam. 321. 2

Henricus IV. Rudolphi victor. 329. 2. Romam obſidet, & expugnat. 331. 1. Violenter impedit accedere volentes ad novam Synodum Romanam. 333. 1

Henricus IV. à Guiberto Ravennate coronatur. 336. 1. In ipſa Paſchali hebdomada belligerat. 336. 2. A Gregorio VII. coronationem prætendit, 335. 1

Henricus IV. durè perſequitur adhærentes Gregorio VII. 339. 1. Binos vel annuos Prælatos Simoniacè ſubſtituit. ibid. 2. Epiſcopatus ac Abbatias vendit, ibid. Favet Sigefrido Auguſtenſi Epiſcopo, 392. 1

Hermannus à Saxonibus & Allemannis Rex conſtituitur. 338. 2. Cum ſuis Principibus Quintilinoburgenſi Synodo intereſt. 345. 1. Ejus de conjugio negotium in Synodo dilatum ab Epiſcopis. 386. 1

Hierarchia Eccleſiæ Monarchica, non Ariſtocratica. 137. 1

Sancti Hieronymi ad Damaſi Epiſtolam reſponſum fictitium. 24. 2. 250. 2. Suſpecta eſt & ejus Epiſtola ad Galliæ, ac Germaniæ Antiſtites. 250. 2

S. Hieronymus Monachus, nulli tamen certo Monaſterio, aut Eccleſiæ alligatus. 128. 1. Ejus lapſus circa promotionem Sancti Cypriani in Presbyterum. 273. 2. Queritur ſe Presbyterum non vocari. 280. 2

Hieroſolymorum Epiſcoporum ſucceſſio obſcura.

ſcura. 369. 1
S. Hilarii Arelatenſis cum Leone M. de Epiſcoporum conſecratione cauſa. 363. 1
S. Hilarii Pictavienſis de Euchariſtia Fides Orthodoxa. 181. 1
S. Hilarion iratum mare quomodò placaverit? 331. 1.
Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus ſolos urbi Romanæ vicinos Epiſcopos docuit ſpectare ad Pontificis Synodum, & manus impoſitionem. 382. 1.
Hiſpani Reges Apoſtolicæ Cathedræ ſingularem ſemper detulerunt reverentiam. 27. 2
Hiſpanorum in Monaſteria pietas antiqua, quam apud alias gentes vix reperias. 97. 2
Horæ Minores de beata Virgine quando cœperint in Eccleſia legi quavis feria, ac feſto ſimplici. 81. 1
Hoſtienſis civitatis antiquitus amplitudo. 313. 2
Hoſtienſis Epiſcopus Romanum Pontificem ex inſtituto Apoſtolico conſecrat. ibid. Item conſecratum inthronizat. 314. 2
Hubertùs Loſinga Abbas Rameſienſis Simoniacus, poſteà inſigniter correctus, duriſſimum factus eſt omnis Simoniæ flagellum. 236. 1
Hubertus Sylvanectenſis Epiſcopus Romæ conſecratus, & cur? 364. 2. Joannis Baptiſtæ Soucheti de Huberto Sylvanectenſi error. ibid.
Humbertus compoſuit formam profeſſionis fidei à Berengario factæ. 209. 1
Hymnorum unà cum Pſalmis cantandorum ritum ab Eccleſia accepit Sanctus Ambroſius, & ipſa Roma. 24. 2

I

JAnitzerus, idem quod miles Palatinus ſeu Prætorianus. 6. 2
Janua Turcis idem quod Aula. 6. 1
Iconoclaſtæ Euchariſtiæ veritatem numquam negaverunt. 152. 1. Docent corpus Chriſti eſſe imaginem ſui ipſius, ne ullam prorſus imaginem videantur admittere. ibid. 200. 1. 2
Jejunium quartæ & ſextæ feriæ cur olim inſtitutum? 33. 1
Jejunii dies non determinavit Chriſtus. 34. 1 Nullum generali jejunio diem affixit prima Patrum diſciplina, niſi magnam ſextam feriam, & Sabbatum ſanctum ibid. Quadrageſimale jejunium quandò inſtitutum, &c. Ibid. Erat olim liberæ obſervationis, & ſine lege currebat. Ibid.
Jejunii libertas quandò ſublata? 34. 2
Jejunium Sabbatinum à Romana Eccleſia obſervatum & ab Hiſpanis non admiſſum. 80. 1 Jejunii Sabbatini occaſio, an reverentia erga Deiparam Virginem, an memoria Dominicæ ſepulturæ? ibid. & ſeq. Jejunium olim feria quinta, etiam intra Quadrageſimam, Latina Eccleſia non obſervavit. 85. 1. Jejunia Sabbatina Judæorum. 85. 2. Jejunium Sabbatinum cur Græci non introduxerint? 87. 1 A jejunii lege eximuntur infirmi: 81. 2. Non excuſat niſi gravis, & evidens infirmitas. 82. 2. Prægnantes, ac lactantes exemptæ. 83. 1. Jejunii Eccleſiaſtici violatio lethale peccatum eſt. 83. 2. A jejunio ſolemnitas magnæ feſtivitatis excuſat. 84. 1. Quænam ætas excuſet? ibid. Hodiernam quorumdam Scholaſticorum Regulam, quæ ante primum ac vigeſimum, ac poſt ſexageſimum annum expletum omnes eximit, certum eſt deviare. ibid. Committendum hoc judicio Sacerdotis. ibid. Jejunare quarta & ſexta feria traditio eſt Apoſtolica. 87. 2. Jejunium quatuor Temporum quando cœperit? 354. 1. & ſeq. Jejunandi tempora quomodò apud Francos diverſa. 356. 1. & ſeq.
Jeſu nomen in pane Euchariſtico olim impreſſum. 107. 2.
S. Ignatium Martyrem Græci conſtanter credunt fuiſſe unum ex parvulis, quibus manus Chriſtus impoſuit. 239. 2. Ignatium Deiferum nuncupanr, & ſine manus impoſitione promotum ad Præſulatum. 240. 1
Imagines ſacræ Dominico Corpori & Sanguini non æquiparantur. 206. 2
Imperatores poſſintne nova Regna erigere? 141. 2.
Indulgentiæ malè dicuntur ante ſexcentos annos ab Eccleſia ignoratæ 262. 1. Indulgentiarum impugnator primus Tertullianus. Ibid. Indulgentiæ obtinendæ cauſa olim accedebant carceres Martyrum, ſicut nunc adimus Baſilicas Defunctorum. 264. 1. Indulgentiarum fundamentum eſt Eccleſiæ ex Chriſti, & omnium Sanctorum ſatisfactionibus & meritis conſtans theſaurus. 269. 1
Indulgentias olim propriè non dabant Martyres, ſed Martyrum intuitu theſaurus Eccleſiæ applicabatur iis, pro quibus intercedebant. 269. 1 270. 1.
Indulgentiæ nimis generales, an culpandæ? 279. 1. & ſeq. Indulgentiarum donatio quotidie fit facilior creſcente cœleſti Sanctorum numero. 279. 2. Pro conſanguineis primi gradus olim petita. ibid. Indulgentias Laicus non poteſt conferre. 280. 2. Nonniſi pœnitenti debent conferri. 281. 2
Indulgentiam plenariam videtur largitus Gregorius VII. 282. 1. Indulgentiæ plenariæ pro bello ſacro. 291. 2
Indulgentiam plenariam largita eſt Romana Synodus vacante Sede. 292. 1. Etiam extra mortis articulum à Therapio Bullenſi conceſſa, ſed à Cypriano improbata. 292. 2. Extra mortis articulum duobus caſibus à Sancto Cypriano conceſſa 293. 1. Conceſſa lapſis ſpondentibus iterum redire in certamen. 293. 2. A Romana Eccleſia Cypriani tempore admittitur. 294. 2. A Synodo ſub Cornelio celebrata confertur. 295. 1. Indulgentiæ plenariæ apud divinæ Majeſtatis tremendum tribunal non ſemper habuerunt plenum, ac infallibilem effectum. ibid. Pendent à gratioſo, & incerto Divinæ miſerationis arbitrio; 295. 2 Indulgentias Plenarias Eccleſia impartiri ſemper perrexit. ibid.
Indulgentiæ plenariæ primus Author non eſt Urbanus

banus ſecundus. ibid.
Indulgentiarum parciores Græci. 296. 1. Apud ipſos tamen ſunt quæſtuariæ Indulgentiæ. ibid.
Indulgentiarum theſaurus conflatur ex infinitis Chriſti meritis & Sanctorum. ibid.
Indulgentiæ in communione Sanctorum fundatæ. 296. 2. Falluntur qui putant per ſolas Indulgentias ſanctorum paſſiones ab Eccleſiæ clavibus diſpenſari. 297. 1
Indulgentiæ dandæ poteſtas eſt penes ſolos Epiſcopos. 299. 2. Poſterioribus ſæculis Abbatibus quibusdam commiſſa. 300. 1. Indulgentiæ à Synodo dandæ præſente clero, & ſtantium plebe. ibid. Plebis conſilium potius, quàm conſenſus fuit neceſſarius. ibid.
Indulgentiam plenariam dabat olim Epiſcopus. 301. 1. Reſtrictio facta ad quadraginta dies. Ibid. Indulgentia plenaria ſummo Pontifici reſervata. idid.
Indulgentiarum donatio, pertineatne ad poteſtatem ordinis, an juriſdictionis? 301. 1. Generale & Provinciale Concilium poteſt illas donare. ibid.
Indulgentiæ cauſa non eſt viſitatio Baſilicæ, confeſſio peccatorum, jejunia, ac eleemoſynæ: Quamvis ſint ad Indulgentiam neceſſaria præparatio. 301. 2. Indulgentiam obtenturi debent eſſe ſatisfactioni proximi. ibid.
Indulgentiæ tempore non ſunt gravibus peccatis leves pœnitentiæ injungendæ. ibid.
Indulgentiæ cauſa legitima ex Apoſtolo ad Corinthios; ibid. Indulgentiæ cauſa non debet eſſe communis, ſed poteſt eſſe privata. 302. 1. Cauſa legitima eſt articulus mortis. ibid. & ſeq. Plenaria morituris peſte conceſſa. ibid. Item omnibus ad ſacrorum militum ſuſtentationem cooperantibus. 304. 1
Indulgentiæ datæ morituris paſſim fructuoſæ & efficaces. 306. 1
Indulgentiæ quæſtuariæ meritò proſcriptæ, neque his corruptis ſæculis reſumendæ. 304. 2
Indulgentiæ cauſa exſtinctum ſchiſma ſub Alexandro tertio. ibid.
Indulgentiarum abuſus reformati à Conſtantienſi Synodo feliciter exſequente Martino quinto. 306. 2. Indulgentia plena, plenior, pleniſſima. 305. 1. Indulgentia mille centum, aut quinquaginta annorum, eſt remiſſio agendæ per tot annos, etiam in Purgatorio, pœnitentiæ. 307. 1
Indulgentiæ omnes anni Jubilæi extra almam Urbem ſuſpenſæ à Xixto IV. ibid. 2. Quæ tamen ſuſpenſio non habet locum in Indulgentiis pro defunctis. ibid.
Indulgentiarum per modum Jubilæi datarum primus author non eſt Bonifacius IX. ibid.
Indulgentiæ plenariæ Capitulis Provincialibus Fratrum Mendicantium collatæ. 307. 2
Indulgentiarum effectus, non tantùm in humano judicio, ſed etiam in Divino. 308. 1. Remittuntur etiam debitæ in futuro ſæculo pœnæ. ibid. Duplex effectus, immediatus & mediatus: Immediatus eſt canonicæ, vel Sacramentalis pœnitentiæ remiſſio. Mediatus futuri ſæculi pœnarum remiſſio. 308. 2. Remittunt pœnas Purgatorii mediante remiſſione pœnitentiæ, per quam deberent remitti, atque expungi. ibid.
Ad Indulgentiarum effectum diſpoſitio prima eſt Sacramentalis confeſſio, & abſolutio, ac per ipſam obtenta remiſſio: Secunda, eſt vera cordis contritio, & pœnitentiæ opera, quibus peccator redditur ſatisfactioni proximus, &c. 309. 1. Non communicantur ignavis, otioſis, ac negligentibus. 309. 2
Indulgentiæ pro diverſitate diſpoſitionis habent varios effectus. 310. 2. Dare poſſunt charitatis complementum. 311. 2
Indulgentias impugnant Waldenſes. 284. 1. In Svevia Prædicatores. ibid. Flagellantes. 284. 2. Joannes Wicleff. 285. 2. Joannes de Weſalia. 286. 1. Joannes Weſſelius. ibid. Martinus Lutherus. 287. 1
Indulgentiarum donatio uſitata ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus. 287. 2. & ſeq. Etiam poſt Conſtantini Magni tempora. 290. 2. Indulgentiæ eleemoſynariæ. 282. 2. & ſeq.
Innocentii II. electio diſcors. 72. 1. Siciliam in Regnum evexit. 141. 1. Sancti Medardi apud Sueſſiones Eccleſiam dedicat contradicente Epiſcopo Sueſſionenſi. 360. 2
Innocentius IV. Fredericum II. degradat. 284. 1. Defenſores Frederici Innocentium IV. de variis accuſant. 284. 2
Inveſtire Romanum Pontificem primus attentat Fredericus Imperator. 233. 1
Inveſtitura juris eſt hæreſis. 70. 1
Inveſtitura Laicalis damnata. 10. 2. 44. 1. 66. 1. 67. 1. 213. 1. Quibuſdam dicitur hæreſis. 67. 2. Rectiùs tamen negatur. 68. 1. 69. 2. Non ſoli Reges, ſed & inferiores utriuſque ſexus Principes inveſtiebant faventibus nonnullis Epiſcopis. 66. 1
Inveſtituræ apud Græcos primus Author Conſtantinus Caballinus. 69. 1. Apud Græcos non tantùm Abbatiæ, ſed & Prioratus inveſtiuntur. ibid. Inveſtiendi modus apud Græcos. ibid. Conſecratione eſt anterior. 69. 2. Etiam à Mahomete uſurpata. ibid. Inveſtituram manualem meliores Græci licet non damnaverint, tamen omninò improbarunt. 70. 1. & ſeq.
Joannes XVIII. dedicationem Monaſterii authoritate Apoſtolica ad inſtantiam Comitis Fulconis invito Archiepiſcopo Turonenſi concedit. 365. 1
Joannis Calvini horrenda de Euchariſtia calumnia. 166. 2. Ejus de Euchariſtia calumnia exponitur. 208. 1 Euchariſtiæ dignitatem extollit. ibid. Realem præſentiam diſertè profitetur. 208. 2. Docet Euchariſtia animam paſci, & vivificari. 209. 2. Docet, quòd Dominica caro in cœlo poſita paſcat animas degentes in terra. 210. 1. Ejus calumniæ adverſùs Chriſti in Euchariſtia præſentiam. ibid. Odit vocem *tranſſubſtantiatio*. 211. 2. Turpiter labitur circa tempus, quo vox illa introducta eſt. ibid. Ejuſdem error de meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum. 297. 2
Joannis Calvini de tranſubſtantiatione calumniæ confutatæ. 184. 2. & ſeq.
Joannis de Polliaco adverſùs Apoſtolicas delegationes,

tiones, & privilegia Fratrum Mendicantium devia phantaſmata. 113. 2
Joannis de Weſalia error de Indulgentiis caſtigatur. 285. 2
Joannis Erigenæ circa Euchariſtiæ veritatem error, undè provenerit? 148. 1
Joannis Gualberti adversùs Petrum Epiſcopum Florentinum de Simonia accuſatio. 11. 1. 2. Ad probationem offert ignem intrare. 12. 1. Habuit gratiam diſcretionis ſpirituum, fidei donum, & orationis ſpiritum. 17. 2
Joannis Heſſelii S. Th Doctoris Lovanienſis de voce *tranſubſtantiatio* ſana doctrina ad F. Commendonium tranſmiſſa. 212. 1. Circa locum S. Auguſtini de Euchariſtia fallitur. 164. 1
Joannis Weſſelii error de Indulgentiis, aliiſque. 286. 1. 2. Ejus argumentis reſpondetur. 311. 1.
Joſephus Ripamontius Mediolanenſis Eccleſiæ hiſtoriam ſcripſit. 381. 1
Irenæi Lugdunenſis de Euchariſtia fides orthodoxa. 175. 2. & ſeq.
Iſaacius Angelus Imperator ſacrorum vaſorum prophanator. 123. 1.
Iſidorus Mercator varias in Franciam Romanorum Pontificum deportat epiſtolas, quas approbari juſſit Joannes octavus. 109. 1
Jubilæi author Bonifacius VIII. 291. 2. 304. 2 Jubilæi Indulgentiam quovis anno quinquageſimo dedit Clemens VI. 305. 1. Quanta populi frequentia celebratum. 305. 2. Urbanus VI. abbreviavit ad ſingulos triginta tres annos. ibid. Novitas illa abjecta poſt exſtinctum ſchiſma. 306. 1. Paulus II. Jubilæum voluit eſſe quovis anno vigeſimo quinto. ibid.
Jubilæum celeberrimum ſub Nicolao V. 306. 2 Jubilæum Mechliniæ conceſſum. ibid. Jubilæum ad omnes Civitates, Oppida & Pagos primus extendit Paulus II. 307. 1.
Jubilæum non omnibus confert plenam remiſſionem peccatorum. 311. 2
Judas proditor adfuit Chriſto conſecranti. 195. 1
Judæorum jejunia Sabbatina. 85. 2. Judæos Sabbatis jejunare, quo ſenſu ſcripſerit Tiberius Cæſar? 86. 1. Judæorum Paſchalis cœna fuit pura. 87. 1
Juliani in Eccleſiarum ornamenta furor. 121. 1
Juramentum fidelitatis ſolvitur, non tantùm propter degradationem, ſed etiam ob ſolam excommunicationem. 52. 1. Talis tamen ſolutio dumtaxat eſt ſuſpenſiva. ibid.

L

LAngius convixit, & favit Luthero, & in Scholaſticorum Theologiam fuit juſto acerbior. 261. 2
Lapſorum in Idololatriam multitudo in perſecutione Decii occaſionem dedit inuſitatæ erga illos clementiæ. 272. 1 In claſſem Flentium ſe dederunt. ibid. Lapſi ſani ſervabantur ad conſtitutionem novi Epiſcopi: Periculoſè infirmis & verè pœnitentibus ſolicitè ſubveniebatur. 273. 1. 278. 2. Lapſorum pro pace obtinenda importunitas. 277. 1. 2
Launojus fallitur in aſſignanda cauſa ſchiſmatis inter Gregorium VII. & Guibertum. 323. 1. 2.
Leodienſis Eccleſia vacans olim fuit à Lobienſibus Abbatibus adminiſtrata. 219. 2.
Leo Imperator Iſaurus litteras humaniores Catholicis inhibet. 116. 2. 118. 1. Fuit homo imperitiſſimus. 117. 2
Leo Magnus Metropolitarum, ac Provincialium Epiſcoporum querimoniis fractus permiſit iſtos à ſuis Synodis conſecrari. 375. 1.
Leonis IX. electio, & elogia. 237. 2.
Lex non ceſſat obligare, ſine ceſſante. 83. 2.
Liberius Pontifex Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & Romani præſertim Primatus defenſor conſtantiſſimus. 108. 1. Arianam hæreſim, nec admiſit, nec fovit, & in quo lapſus fuerit? ibid. 2.
Litterarum humaniorum utilitas ac neceſſitas. 116. 2 Eas inhibet Imperator Julianus. ibid. Et Leo Iſaurus. 117. 1.
Litterarum humaniorum apud Grecos reſtauratio. 118. 1.
Liturgiæ Apoſtolorum diverſæ. 23. 2.
Liturgiæ Sancti Cyrilli videtur inducta mutatio. 206. 2.
Liturgiæ non ſpectant ad Bibliothecas. 205. 2.
Liturgiis Græcorum veriſimiliter inducta eſt aliqua mutatio, & tranſpoſitio. 205. 1. Non tantùm à Conſtantinopolitanis Patriarchis, ſed etiam ab ipſis Imperatoribus. 205. 2.
Lobienſes primi Abbates habuerunt Epiſcopalem conſecrationem, videnturque Leodienſium Pontificum fuiſſe Chorepiſcopi, adeoque potuerunt Sede vacante Leodienſium Eccleſiam adminiſtraſſe. 219. 2.
Lotharii Imperatoris coronatio ab Innocentio II. 332. 2.
Lucas Dacherius fallitur quoad tempus emiſſæ ſecundæ à Berengario profeſſionis Fidei. 149. 1.
Lucianus Afer lapſis omnibus dederat plenam ac generalem pacem 287. 2. Arguitur à S. Cypriano. 270. 2. Scribit Epiſtolam, quæ ex omnium Confeſſorum & Martyrum nomine generatim per Africam lapſis dabat pacem. 277. 2.
Luciani varii exceſſus. 279. 1. & ſeq. Fuit Laicus 280. 2. Perperam ſe fundat in Pauli Martyris dato privilegio. 281. 1. Paulum Martyrem poſſit circumſcripſiſſe illuſio tum temporis frequens. 281. 2.
Lucifer Latinus Epiſcopus Paulinum Antiochiæ Epiſcopum facit 366. 1. Qua authoritate id fecerit? 366. 2. Luciferum nemo Orientalium, quamvis adverſantium, negavit fuiſſe legitimum Conſecratorem Paulini. 367. 1.
Ludovicus Pius degradatus, quòd ſine ulla utilitate publica, aut certa neceſſitate, in diebus Quadrageſimæ militaſſet. 336. 2.
Lutheri error de Indulgentiis. 287. 1.

M

MAcarii ſchiſmatici errores circa ordinationem Mennæ. 368. 1. & ſeq.
Maledicere per Jovem non licet. 239. 2.

Maledictio Epiſcopalis victorias impedit. 258. 1.
Maledictio Sacerdotalis longè antiquiſſima. 254. 2. Ejus ſpecies eſt excommunicatio. 255. 1. Poteſt tamen eſſe maledictio ſine excommunicatione. 255. 2.
Maledictiones diverſæ Sanctorum. ibid. Ad integro anno ſaltandum per Sanctum Heribertum Colonienſem Archiepiſcopum ſublata. 258. 1.
Maledictio per Parentes inflicta filiis habet tremendos effectus. 259. 2. Hujus rei varia exempla. ibid. & ſeq.
Maledictio per Superiorem inflicta æquivalet maledictioni parentum. 261. 1.
Maledictio Sancti Franciſci in quemdam Ariſtotelicis argutiis deditum. 261. 2.
Maledictio Laici ſubinde vocatur excommunicatio. 261. 2. Non caret etiam ſuo effectu. ibid.
Maledictio, qua jurgantes ſibi invicem mala imprecantur, horrendos quandoque peperit effectus. 262. 1.
Maledictio mulieris mendicæ effecit, ut Mathildis Hollandorum Comitiſſa tot uno partu proles ederet, quot ſunt dies in anno. 262. 1.
Maledictio tollenda ab eodem qui intulit. ibid.
Manipulus quando ſucceſſerit Fanoni. 106. 1. Quando Laicis Monachis interdictus? 106. 2. Manipulo uti poſſunt Clerici mendicantes non Subdiaconi cantantes Epiſtolam. ibid.
Manus impoſitio in pœnitentiam non eſt Sacramentalis abſolutio, ſed manus quæ ex Audientia tranſmittit in Subſtrationem difficillimam pœnitentiæ claſſem. 309. 2.
Manuum Sacerdotalium impóſitio eſt quædam benedictio. 239. 2.
Marcellinus Anconitanus Epiſcopus publicum civitatis incendium ſigno Crucis exſtinguit. 331. 1.
Marcellini Pontificis lapſus calumnioſum eſſe Donatiſtarum figmentum, docet Auguſtinus. 109. 1. Origo calumniæ. 110. 1. 2.
Marcellini Pontificis lapſus Græcis ignotus, qui Iſidori Merces non viderunt. 110. 2.
Marcus Patriarcha Conſtantinopolitanus accuſatur Simoniæ, ſed injuſtè. 5. 2.
Maria Virgo Deipara quandò cœperit ſingulariter à fidelibus coli? 81. 1. Quando in ejus honorem officium Sabbatinale, & Horæ minores, ſicut & Præfatio propria dici cœperint? ibid.
Martinus Navarrus nonagenarius profitetur ſe nullam de jejunio ſenſiſſe difficultatem. 84. 1.
Martyres falſi, qui ad evitandam ſolutionem debitorum, vel implendam crumenam conjiciebant ſe in carceres. 264. 2. Cypriano nullius ſunt ponderis. 265. 2. Martyres falſos calumniatur Tertullianus veras largiri Indulgentias. 264. 1. & ſeq. Falſum, quòd conjiciebant ſe in carcerem ad dandas Pacis litteras. 266. 1. 2. Cum Mœchis in carcere peccaſſe malè docet Tertullianus. 266. 2.
Martyres veri non quærunt in carcere delicias. 265. 1. Prodeunt ad ſupplicium *cornei & ſola arida cute loricati*. 265. 2.
Martyres nonnulli in petitionibus ſuis, & promittenda pace exceſſerunt. 270. 1. 276. 2. Libellorum millia ab ipſis data. 277. 1.
Martyres Sacerdotes dediſſe lapſis Abſolutionis beneficium, non benè docet Albaſpinæus. 280. 2.
Martyribus in carcere olim collata à fidelibus certatim munera. 263. 1.
Matrimonia ſine conſenſu Parentum aliquando fuerunt irrita. 114. 1.
Matrimonium clandeſtinum tempore Tertulliani juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitabatur. 263. 2.
Mechliniæ ſolemne jubilæum à Nicolao V. inſtitutum. 306. 2.
Mediolanenſis Epiſcopus non eſt Primas reſpectu Aquilejenſis. 380. 2.
Melchior Canus, & Henricus Salmaticenſis primi docuerunt Attritionem ex ſolo gehennæ metu ſufficere cum Sacramento. 215. 1.
Mendicantes fratres poſſintne Altaria & Decimas poſſidere? 95. 2.
Mennæ conſecratio ab Agapeto Pont. conformis Canonibus, & à quinta Synodo comprobata. 367. 2.
Metropolita alienæ Provinciæ Epiſcopales conſecrationes nequit invadere. 361. 1.
Michael Ducas Imperator dictus Parapinacius. 133. 1. Ejus vitia & virtutes. Ibid. Imperio exuitur, & detonſis capillis in Monaſterium conjicitur. Ibid. Utrum in Monaſterio obierit, incertum. 134. 2. Orthodoxus. 144. 2. Gregorio VII. gratulatur. 145. 1. Sui reparationem à Gregorio VII. & à Roberto Guiſcardo poſtulat. 146. 1.
Miſſæ audiendæ per ſingulas Dominicas præceptum eſt antiquiſſimum. 195. 2. Ritus eſt antiquiſſimus 178. 1. Falſum, quòd Apoſtoli in conſecrando adhibuerint ſolam Dominicam orationem. 178. 2. Miſſa apud Gallos videtur concluſa per orationem dominicam. 246. 1.
Miſſæ in Monaſteriis Monachorum ab Epiſcopo celebrari non poſſunt ſine eorum conſenſu. 29. 1. Aliud eſt de Monaſteriis Clericorum Regularium. 30. 1.
Miſſæ inchoatæ perficiendæ ſunt. 324. 2.
Moguntinum Conciliabulum. 312. 1. 341. 2. 393. 1. Quinam Epiſcopi interfuerint? 340. 2. Catholici Epiſcopi in eo damnati. 341. 1.
Monachis non licet vagari. 12. 2. Solitaria vita neceſſaria. 35. 2. Afflictæ Eccleſiæ conſuetum ſemper fuerunt azilum. 145. 2.
Monachi non ſubjecti ordinario, à quibus poteſt eligi quicumque Epiſcopus. 131. 1. Quandò Epiſcopo ſubjecti? 132. 1. Canon vetans illos ſine Epiſcopi conſenſu ad aliud Monaſterium tranſire nunquam in Occidente fuit uſu receptus. ibid.
Monachi, poſſintne ad aliud Monaſterium, ſine Abbatis conſenſu, Epiſcopo conſentiente, tranſire? 132. 2.
Monachi, ut publicarent Gregorii VII. Decretum contra Presbyteros fornicarios, electi. 41. 1. Dicunt Miſſas populo, ſi non ſint in promptu Presbyteri, niſi fornicarii. 41. 2.

Mo-

Monachi tranſitus ad aliud Monaſterium utriuſque Abbatis conſenſum requirit. 128. 2. Etiam ſi fiat ad ſtrictius Monaſterium. ibid. Utrum etiam ſit opus ſuffragio Conventus? 129. 2. Item Epiſcopi conſenſu? Ibid. & ſeq.
Monachiſmus, & Baptiſmus à plurimis olim ſimul ſuſceptus. 238. 2
Monachorum bona olim Epiſcopis ſubjecta. 96. 1. Quando, & cur ab Epiſcopi poteſtate exempta? 96. 1. 2. 97. 1. 2
Monachorum Cœnobia Decimarum capacia. 89. 2. Monachorum ex Decimis liberalitas in pauperes. 91. 2
Monachorum de Monaſterio in Monaſterium tranſitus non ſuadendus. 127. 2
Monachorum Ordines tempore Gregorii VII. nulli erant diverſi. 133. 1
Monachum à Monaſterio extrahere, & in ſuam familiam referre privilegium eſt, non tantùm Epiſcoporum, ſed & Cardinalium. 238. 2
Monachum alienum ordinare poterat Epiſcopus, non Clericum. 131. 2
Monachus an ſit habilis ad Parochialis curæ regimen? 95. 2. Quamvis electus in alterius Monaſterii Abbatem, ſine ſui Abbatis conſenſu non poteſt migrare: Neque in factam de ſe Epiſcopalem electionem conſentire. 129. 1. 2
Monaſtica libertas ab Epiſcopis olim viguit, etiam in Orientali Eccleſia. 131. 2
Monaſtica Profeſſio veteribus vocatur propoſitum ſanctitatis. 238. 2. Quid ſit *Monaſterium notum* in Canone quinto Romani Concilii? 128. 1
Montanus primus Legem de jejunanda Quadrageſima cœpit ſancire. 34. 2. Ejus falſa miracula. ibid. Montaniſtarum crimina detecta. ibid.
Montenſes hæretici in Africa. 274. 1
Mozarabes, Chriſtiani ſunt mixti Arabibus. 26. 2. Utebantur Officio per SS. Leandrum & Iſidorum inſtituto. Idib. Officium illud quondam approbatum. 27. 1. Ejus loco Romanum Officium introductum. ibid.

N.

Naufragorum bona non ſunt uſurpanda. 55. 1 Naufragorum bona non ſunt deſerta. 55. 2. 56. 1. 57. 1.
Negotiatio, an & quibus ſit licita? 37. 1
Neſtorius de Euchatiſtia rectè ſenſit. 187. 2. 208. 1. Docuit Chriſtum, licet purum hominem, pro aliis ſatisfeciſſe. 299. 1. Quod à Sancto Cyrillo graviter improbatur. Ibid. Neſtorius in æternum damnatus. 189. 1
Nicephorus Botoniates ſacrilegas cum Michaelis Imp. uxore nuptias contrahit. 133. 1. Pœnam Talionis patitur, & ab Alexio Comneno ejicitur de malè invaſo Imperio & ad veſtem Monaſticam cogitur. 135. 1
Nicolai II. textus per Guibertum corruptus. 317. 1. An Henrico Imperatori facultatem nominandi, vel eligendi Romanum Pontificem conceſſerit? 316. 1. & ſeq. Conjugatos & Simoniacos Epiſcopos & Clericos in Longobardia compeſcit. 317. 2
Nicolai II. Decretum à Gregorio VII. caſſatum in Henrici Degradatione. 319. 1
Nicolaus II. an contra Canones egerit Henrici Imperatoris conſenſum requirendo pro Pontificis electione? 318. 1. 2
Nicolaus de Cuſa Presbyter Cardinalis Indulgentias ſine pecunia obtinendas laudabiliter diſtribuit. 307. 1
Nicolaus Rigaltius fallitur in expoſitione textus Tertulliani. 266. 2
S. Norbertus Canonicæ vitæ reparator. 38. 1. Antea fuerat nobiliſſimus, ac opulentiſſimus Canonicus Colonienſis. ibid.
Nortmanni in Quadrageſima non bellabant. 337. 1. A Gregorio VII. rogantur ob extremam Romanæ Eccleſiæ neceſſitatem diſpenſatoriè hanc pietatem interpolare. Ibid. Qua ratione voluerint cum Henrico Imperatore convenite. 337. 2.
Novatianus interfuit condendis Decretis à Synodo Romana vacante Sede. 273. 1. Proprium judicium poſteà impugnat. 273. 2. Idololatriæ crimen docet per Evangelicam legem reſervatum eſſe Divinæ Majeſtati. Ibid. In Sedem Romanam à factioſis intruſus. Ibid. Vult Orbem peragrare, & ubique Epiſcopos conſecrare. 271. 1
Novatus circa Indulgentias quomodo erraverit? 273. 2. Ob crimina degradatus Epiſcopus. 274. 1. Degradat Cyprianum, & in ejus locum intrudit Fortunatum. Ibid. Turbat etiam Romanam Eccleſiam. ibid.
Novatus & Novatianus peſſimè confunduntur. Ibid. Non convenerunt in dogmate: 274. 2
Novatus pœnitentiam, & ſatisfactionem omnem rejicit. Ibid. Tollit Exomologeſim, & lapſis citra omnem ſatisfactionem, non tantum Communionem, ſed etiam Euchariſtiam concedit. 275. 1. Omnibus lapſis plenam largitur Indulgentiam. Ibid. Ejuſdem Diſcipuli directas ad Epiſcopos litteras rapiebant, reſerabant, exequebantur. 276. 1. Novati factio videtur intra ſolam Carthaginenſem Eccleſiam graſſata. 276. 2
Nuptias quartas ad fornicationes ſemper proſcripſit Orientalis Eccleſia. 290. 2

O.

Oblationis in Miſſa ritus apud antiquos. 102. 1. Offerebatur panis, & vinum conſecrandum. Ibid. Oblatum panem quiſque conſecratum recipiebat. 102. 2
Oblatio populi ad Miſſæ ſacrificium antiquiſſima 108. & ſeq. Eſt ritus Apoſtolicus. ibid.
Oblatio fidelium non fiebat niſi poſt ejectos Catechumenos. 103. 1
Oblatio Fidelium olim fiebat ad Altare, etiam à fœminis. ibid.
Oblationis ritus, etiam apud Latinos, varius. 105. 1
Oblationem, quæ mulieres olim præparaverint? ibid.
Oblationem quibuſdam locis quiſque ſibi præparabat. ibid.
Oblatio quando apud Latinos à ſolis Clericis præparata? 105. 2

Oblatio debet fieri ex pane, vino, & aqua mundiſſima. 105.2. Sacerdotes qui vitioſum ſacroſancto Altari, & pretioſum vinum menſæ ſuæ impertiunt, ſunt Sacerdotio penitus indigni. 106. 1.
Oblatio aquæ olim fiebat à Cantoribus. 103. 2
Oblatio farinæ pro ſacrificio. 106. 2
Oblatio denariorum à populo, ſucceſſit oblationi panis & vini. 107. 2. Oblatam olim quiſque ſuam recipiebat. ibid.
S. Odilo Abbas Cluniacenſis mavult de nimia in pœnitentes clementia, quàm de crudelitate damnari. 76. 1
Offerendi modus pro tempore diverſus. 104. 1
Offertorium cujus rei ſit memoria? ibid.
Officium Romanum in Hiſpaniam introduxit, & firmavit Gregorius VII. 28. 2
Onufrius Panuinus ſacræ & profanæ antiquitatis peritiſſimus. 235. 1
Orarium, idem quod ſtola. 196. 2
Oratio Dominica ab antiquiſſimo tempore dicenda in Miſſa. 246. 1
Orationis Canonicæ uniformitas. 22. 1
Orationis Chariſma eſt virtus petendi à Deo, quod certo ſcit quis concedendum: 16. 1. Soli Eccleſiæ Catholicæ conceditur. 16. 2. Virtus orationis, quæ fit ab Eccleſia unita. 17. 1
Ordinatio inveſtiti per manum Laicalem, an ſit ſubſtantialiter irrita, ac repetenda? 213. 1. Sunt qui affirment. Ibid. Oppoſitum tenendum eſt. 213. 2
Ordinatio Iſchyræ non baptizati in Epiſcopum. 394. 1.
Ordinatio Laici in Diaconum quamvis illegitima, tamen rata, & valida eſt. 394. 2
Ordinatio per ſaltum damnata. 393. 2
Ordinatio ſine Canonica Cleri, & Populi electione fieri non debet, immò juxta Anſelmum Lucenſem eſt ſubſtantialiter nulla. 73. 1
Ordinatio Xenaiæ hominis non baptizati in Epiſcopum. 394. 1
Ordinatos per ſaltum à ſolo ſuſcepto ordine ſuſpenſos docet Auguſtinus Barboſa. 394. 2
Ordines datos per Simoniacum Epiſcopum Quintilinoburgenſe Concilium cenſet ſubſtantialiter nullos. 347. 2. Item Hirgauzienſis Monaſterii incognitus Monachus. 347. 1
Ordines collatos ab excommunicato quidam docuerunt quoad ſubſtantiam eſſe irritos. 58. 1. Sunt tantùm irriti quoad executionem. ibid.
Ordines, etiam Minores, pretio vendere Simoniacum. 2. 1
Ordines Minores & Subdiaconatus an introducti ſint ab Eccleſia? 393. 2
Ordinis Sacramentum an validè conferatur à Simoniacis? 284. 1. 343. 1. Olim circa hoc unuſquiſque in ſuo ſenſu abundabat. 347. 1
Ordo Romanus ubique in officiis Divinis recipiendus ex decreto Gregorii VII. 27. 2. Non fuit in Hiſpania conſecutum plenam executionem. ibid.
Ordinum Minorum miniſteria Græci ſibi paſſim exhibent per Subdiaconos, & ſolos Lectores paſſim habent. 353. 1
Originalis peccati doctrinam S. Auguſtinus ex præviis Baptiſmo exorciſmis probat. 240. 1
Originalis peccati enormitas. 267. 2
Ornamenta Baſilicarum antiquiſſima. 120. 1
Ornamenta, & vaſa Eccleſiaſtica non licet in Laicam manum, vel uſum vendere, aut quovis modo tradere. 123. 1. 2
Oſcitantes undè ſignemus nos ſigno Crucis? 243. 2.
Oſculum panis è terra levati undè proveniat? 178. 2.
Oſculum pedum quando ſoli Pontifici decretum? 14. 1
Otthonis Conſtantienſis degradatio. 359. 1. & ſeq.

P.

Panis *Abbatis*, ut loquuntur, etiam invitis Abbatibus impoſitus. 93. 1. Eleemoſyna illa etiam apud Græcos viguit. 93. 2
Panormitanus Epiſcopatus erectus in Metropolitanam Sedem. 140. 1. Olim habuit Pallii honorem. ibid.
Papa idem eſt quod *Avus*. 278. 2. Tituli iſtius origo. Ibid. Græci etiam hodiè ſolos Romanum Pontificem, ac Patriarcham Alexandrinum titulant Papas. ibid. Papæ titulo in Africa nullus Epiſcopus inſignitur, niſi Carthaginenſis. 278. 1. Eutychii narratio de vocis *Papa* origine ſuſpecta. 278. 2
Papalis electionis forma non pertinet ad Chriſtianum dogma, nec ad generalem Chriſtiani populi diſciplinam. 318. 2. Ad eam Regius nonnunquam requiſitus conſenſus. 319. 1. Papalibus manibus data conſecratio, eſt Magna conſecrati, etiam Patriarchæ dignitas. 318. 2.
Vide *Romanus Pontifex*.
Paſcha Judaicum alio die à Chriſto D. alio fuiſſe celebratum à Judæis, non ſoli Græci, ſed & Latini, ipſeque Auguſtinus docuerunt. 88. 2.
Paſcha Judæorum, quo die occurrerit Chriſto moriente? 88. 1. Quo die Paſcha celebraverit Chriſtus? 88. 1. 2
Paſchalis hebdomada tota olim Romæ feſtiva. 336. 2.
Paſchalis ſecundi de Huberti Sylvanectenſis ordinatione cauſa diſcutitur. 364. 2. Injuſtè taxatur à Clero Leodienſi conceſſiſſe Indulgentias ſine Confeſſione & pœnitentia. 283. 2
Patriarcha Alexandrinus Epiſcopos omnes totius Ægyptiacæ Diœceſis, non tantùm Metropolitanos, ſed etiam Provinciales conſecrat. 362. 1. Eſt ſingularis conſuetudo, & undè proveniat? ibid.
Patriarcha non eſt ab alio Patriarcha conſecrandus. 368. 2. Patriarcharum conſecrationem Papa confirmare debet. 369. 1
Patriarcharum Aquilejenſis, & Gradenſis controverſia nobis ignota. 111. 1
Patriarchatus Conſtantinopolitanus, quando cœperit apud Turcas vendi? 5. 1
S. Pauli imago quando cœperit Diplomatibus Pontificiis adjungi? 231. 1

S. Paulo, quo ſenſu ſuccedat Romanus Pontifex? 229. 2. 231. 2
S. Paulum Petro in litteris Apoſtolicis primus adjunxit S. Agatho. 230. 2. Nonnulli poſteriores Pontifices non adjunxerunt. Ibid. Etiam ſæculo Gregorii VII. 231. 1
S. Paulus à Chriſto non accepit Claves, ſeu ſupremam ligandi, atque ſolvendi poteſtatem. 230. 1.
S. Paulus nunquam fuit Romæ Epiſcopus. 230. 1. Abſit, ut Apoſtolorum Principes violaverint regulam Eccleſiaſticam, qua Divino jure jubetur, ut quævis Eccleſia unicum dumtaxat habeat Epiſcopum. ibid.
Vide *S. Petrus*, *Rom: Pontifex*.
Paulus ſecundus Jubilæi gratiam primus extendit ad omnes Civitates, Oppida, & Pagos. 307. 2. Facillimus, ac largiſſimus in dandis Indulgentiis. ibid.
Peccata per Baptiſmum dimiſſa an redeant? 75. 1.
Peſceſium quid Turcis? 5. 2. Ejus origo & auctio. 5. 2. 6. 1
Petrus à Marca fallitur circa quamdam Proſpero adſcriptam ſententiam. 168. 1. Item de cogenda Synodo ex Epiſcopis advenis. 273. 1. Ejuſdem errores varii, & magni circa ordinationem Epiſcopi Mediolanenſis, & Aquilejenſis. 380. 2. & ſeq. Sibi ipſi contradicit. 383. 1
S. Petrus Apoſtolus & Paulus per Pontifices Romanos invocantur ex more antiquiſſimo. 229. 1. Petro & Paulo ſuccedunt Romani Pontifices, utique in prædicationem & doctrinam. Undè non ſequitur utrumque fuiſſe Epiſcopum Cardinalium Romanorum. ibid. 2.
S. Petrus à Chriſto ſolus Claves, ſeu ſupremam ligandi atque ſolvendi poteſtatem accepit. 230. 1. Olim ſolius Sancti Petri auctoritate & nomine Romani Pontifices ſua decreta muniverunt. 184. 2. Sanctus Agatho primus videtur Sanctorum Petri & Pauli nomen conjunxiſſe in dogmaticis litteris. 230. 2. Tamen ſolius Sancti Petri nomen uſurpavit poſteà Gregorius ſecundus. Ibid. Exindè Romani Pontifices ſubindè cum Agathone, ſubindè cum Gregorio ſecundo locuti. Ibid. Etiam Gregorii VII. ſæculo. 231. 1. Sanctorum Petri & Pauli nomina non impreſſa vetuſtiſſimis Diplomatibus. Ibid. Videntur primùm inſculpta tempore Urbani ſecundi, & non tantùm Honorii ſecundi. ibid.
S. Petrus Apoſtolus etiam in Orientalibus Eccleſiis conſecravit plures Epiſcopos. 367. 2
Vide *Romanus Pontifex*.
Petrus Bleſenſis non debitè promotus. 72. 2
Petrus Cancellarius Ex-Cardinalis Anathemate damnatus. 391. 1
Petrus Damiani in ſua oppoſitione deceptus. 12. 2. Vir liberi oris. 237. 2
Petrus Florentinus Epiſcopus de Simonia accuſatus. 11. 1. 2. Per igneam probationem convictus degradatur. ibid.
Petrus Leonis Schiſmaticus ex patre Judæo natus. 138. 2. Siciliam in Regnum evexit. 139. 1
Petrus Martyr Auguſtini textus falſificator. 173. 2.
Petrus Presbyter Monachus per igneam probationem Petrum Epiſcopum Florentinum Simoniæ convincit. 13. 2. Dictus poſteà igneus. 14. 1. Fit Cardinalis, & Albanenſis Epiſcopus. Ibid. Probatio ejus per ignem non fuit vulgaris. 14. 2. & ſeq.
Petrus Portuenſis Epiſcopus Anathemate meritò damnatus. 391. 1
S. Philippus Nerius eos qui caſtitatem colebant, ex odore, qui verò ſecus, ex fœtore cognoſcebat. 17. 2
Philippus Rex Francorum, ſi de ſatisfactione ſua ſecuritatem non fecerit, excommunicatur. 39. 1. Ejuſdem Simoniaca avaritia. 45. 1
Philippus primus Francorum Rex excommunicatus. 62. 1
Photii ordinatio facta ab excommunicato. 57. 2
Plebes idem eſt ac Parochiales Eccleſiæ. 79. 1. 89. 1. Hinc, & ipſarum Rectores etiamnum hodiè nuncupantur Plebani. 89. 1
Pœnitens publicus non poteſt bellare neque negotiari. 76. 2. Publicè pœnitentium quorumdam in Hiſpania deſperatio. 288. 2
Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei. 74. 2
Pœnitentia vera requirit caſtam Dei charitatem, & ad Deum converſionem. 215. 1
Pœnitentiæ falſæ quid ſint? 74. 1
Pœnitentiæ modus ſic temperandus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem. 272. 1
Pœnitentiæ petendæ à probatis vita & doctrina Sacerdotibus. 215. 1
Pœnitentiæ publicæ effectus olim erat Regni privatio. 310. 2. Pœnitentia plenè expleta olim non poterat negari Sacramentalis abſolutio petentibus. 268. 2
Pœnitentiæ vox diverſimodè accepta. 75. 2
Polygamia an fuerit antiquis Patribus licita? 167. 1.
Pontifex poteſt à juramento fidelitatis abſolvere, non tamen ſine competenti cauſa. 59. 1
Pontifex Romanus cunctorum ubique Epiſcoporum ſubditos poteſt abſolvere. 113. 2
Vide *Romanus Pontifex*.
Porphyrogenitum eſſe quid ſit? 134. 1
Præfationem propriam de Beata dedit Urbanus ſecundus. 81. 1
Præmonſtratenſis Ordinis encomia. 38. 1. Donationes Eccleſiarum eidem Ordini factæ. 38. 1
Presbyteris fornicariis Miſſæ celebratio interdicta. 18. 1. Nullus officium eorum auſcultare præſumat. 40. 1
Presbyteris initio prædicationis Evangelicæ videtur permiſſum fuiſſe, ut poſt ſuſceptum ordinem inirent nuptias. 288. 2
Presbyterorum filii à Sacro altaris miniſterio removendi, niſi aut in cœnobiis, aut in Canonicis regularibus religioſè probati fuerint converſati. 394. 1. Decretum illud paſſim Urbano II. adſcribitur, cum ſit Gregorii VII. ab Urbano II. confirmatum. ibid.

Presbyteros fornicarios fruſtra exſtirpare tentat Sigefridus Archiepiſcopus Moguntinus. 46. 2. Idem fruſtra tentatum in Anglia, Gallia, Hungaria, & Bohemia. 41. 1. 42. 1
Probatio vulgaris illicita. 15. 1
Proceſſio idem eſt antiquis, quod Miſſæ publicæ, & publicus populi ad ipſas concurſus. 29. 2.
Pſallendi modus ab Angelis acceptus. 22. 1
Pſalmorum recitandorum numerus juxta Decretum Gregorii VII. 25. 2

Q.

QUadrageſimale jejunium quando inchoatum? 34. 1
Quadrageſimali tempore Chriſtianis olim pugnare vetitum. 337. 1. Ludovicus Pius contra faciens degradatur, & Ovo Rex Hungariæ Regnum amittit. ibid.
Quadrageſimali tempore ſitne licitum caſeum, & ova comedere? 359. 1
Quintilinoburgenſe Concilium. 343. 1. Qui huic Concilio interfuerint? Ibid. Ordinationes Simoniacè ordinatorum, quoad ſubſtantiam exſufflat, & non tantùm quoad executionem. 347. 1.

R.

RAbani Mauri locus difficilis de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia exponitur. 151. 1. Quo ſenſu neget in Euchariſtia eſſe Corpus quod de Maria Virgine natum eſt? 152. 2. & ſeqq.
Raphael Patriarcha Conſtantinopolitanus primus Charatzii author. 6. 2
Ravennatis Eccleſiæ opulentia. 325. 1. Antiquitas. 328. 2. In partes diviſio. ibid.
Ravennatum Eccleſia frequenter rebellavit Sedi Apoſtolicæ. 324. 1
Ravennæ in Metropolim erectio per Leonem Magnum. 224. 2. Salvis tamen Romanæ Cathedræ antiquis in ipſam juribus. ibid.
Regiæ dignitatis electio, eſt juriſdictionis actus, & non niſi in ſubditum poteſt exerceri. 141. 2.
Regna nova erigendi poteſtas an reſideat apud Apoſtolicam Sedem? ibid.
Reinerus Reineccyus Lutheranus fictas producit ad Sanctum Annonem adversùs Gregorium VII. litteras. 47. 2
Reſtitutio in integrum Epiſcopo ſitne reddenda, priuſquam judicium ſubeat? 348. 1
Ritus ſuos aliæ Eccleſiæ à Romana lubenter acceperunt. 24. 2
Rituum diverſitas, an provenerit dumtaxat ab ignorantium aut negligentium Epiſcoporum corruptelis, an etiam ab ipſis Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis? 22. 1. Plerumque ex corruptelis. Ibidem. Negari tamen non poteſt, quin aliqua rituum diverſitas ſit Apoſtolorum indulgentia, immò & inſtitutio. 23. 1
Rituum Eccleſiaſticorum diverſitas non officit unitati fidei. 20. 2. Præſtaret tamen generalem eſſe ubique rituum Eccleſiaſticorum unitatem. Ibidem & ſeqq. Eccleſia ſemper conata eſt rituum unitatem per omnes provincias inducere. 21. 1. 2.
Roberti Guiſcardi progreſſus in Græcia, & Italia. 135. 1
Robertus Flandriæ Comes Clerum Cameracenſem ad obedientiam Sedi Romanæ præſtandam coegit. 303. 2
Robertus Gregorium VII. ab oppreſſione Henrici liberat. 137. 2
Robertus Guiſcardus Dux Apuliæ excommunicatur à Gregorio VII. Et cur? 19. 1. Iterum. 27. 2.
Robertus Guiſcardus in Italiam ex Oriente revertitur Gregorium VII. adjuturus. 338. 2. Gregorium VII. Roma eripit, & ad Caſſinum montem transfert. ibid.
Robertus Guiſcardus Michaelem Ducam Imperio reſtituit. 146. 2
Robertus Guiſcardus utramque Siciliam à Nicolao II. in beneficium accipit. 337. 2
Robertus invaſor quidem, ejus tamen invaſio non caruit fundamentis. 137. 2
Roderici Toletani Hiſtorici falſa narratio. 28. 1
Rogerius Dux, quando Rex Siciliæ conſtitutus? 138. 2
Romana Cathedra eſt Cardinalium conſiſtorium. 318. 2. Item Romana Cathedra totius Chriſtianitatis judex & caput. 110. 1. Item Romanæ Cathedræ Primatus non eſt Conſtantinopolim translatus. 135. 2. Tamquam totius Chriſtianitatis fundamentum perpetuò cuſtodiendum. 136. 1
Romana Eccleſia fidei & diſciplinæ principium & mater. 24. 2
Romana Eccleſia labi non poteſt in hæreſim, multò minus docere. 316. 2
Romana Eccleſia nimiæ in Pœnitentes facilitatis accuſata. 114. 2. 115. 2
Romana Eccleſia nonnullos ritus à Francis mutuata. 357. 2
Romana Eccleſia numquam habuit hæreſim. 68. 2.
Romana Eccleſia ritus numquam accepit ab aliis Eccleſiis. 24. 1. Quod tamen cum moderamine intelligendum. ibid.
Romana Sedes, habeatne poteſtatem erigendi nova regna? 141. 2. 143. 1
Romanæ civitatis per Henricum Imperatorem interceptio. 331. 1
Romanæ Eccleſiæ conſuetudo maximæ authoritatis. 356. 2
Romanæ Eccleſiæ data à S. Petro privilegia nec per Apoſtolicam Sedem poſſunt everti, aut mutari. 379. 1
Romanæ Eccleſiæ Legatus, an ſine Regis venia poſſit Regnum intrare, aut in ipſo juriſdictionem exercere? 323. 1
Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones diminutæ & à prædonibus ablatæ. 99. 1
Romanæ Eccleſiæ Sardiniam & Siciliam dedit Ludovicus Pius Imperator. 19. 1. Item Apuliam & Calabriam Ludovicus Calvus. Ibidem.

Ro-

Romanæ Eccleſiæ Siciliæ inſulam dedit Imperator Ludovicus Pius, ſicut Calabriam & Apuliam Carolus Calvus. 139. 1
Romanæ Sedis Primatum impudenter negat Anna Comnena. 136. 1
Romani Patriarchatus amplitudo. 382. 2. & ſeqq.
Romani Pontifices gratioſè indulſerunt, ut Metropolitæ ſuos ſuffraganeos paſſim conſecrarent. 375. 1
Romani Pontifices Anteſignani Occidentis. 383. 1.
Romani Pontificis eadem poteſtas in aliis Diœceſibus. 385. 1. In Anglia. Ibid. In Africa. 386. 1
Romani Pontificis poteſtas oſtenditur in omni Occidentis Patriarchatu, nominatim in Illyriciana Diœceſi. 373. 2. & ſeqq.
Romani Pontificis electio pertinet ad Romanum Clerum. 315. 1
Romani Pontificis jus in Metropolim Mediolanenſem, & Aquilejenſem. 380. 1
Romani Pontificis perſonam ac judicia à nulla Synodo poſſe judicari ſynodaliter confirmatur. 344. 1. Oppoſitum error eſt, & novellum Joannis Gerſonis commentum. ibid.
Romani Pontificis Primatus contra ſchiſmaticos ante tempora Conſtantini ſtabilitur ex Cypriano. 345. 2. 346. 1. Per Eccleſiam non intelligit urbicam, ſed univerſalem. 345. 2
Romani Pontificis primatum Bambergenſis Cunibertus cenſuit eſſe humanam uſurpationem, non inſtitutum divinum. 344. 1. Id ipſum cenſent ſchiſmatici Græci Nilus Cabaſilas, Barlaamus Monachus, Macarius Ancyræ Metropolita, Nilus Doxopatrius, Gabriel Serelius Metropolita Philadelphienſis. 345. 1. Eorum fundamenta. 345. 2. Conſentiunt Luthero, Calvino, & Marco Antonio de Dominis. ibid.
Romano Epiſcopo degradandi Principis poteſtas competit, eſtque in Eccleſia antiquiſſima. 77. 2. Ad illum relatio S. Cypriani. 294. 2
Romano Pontifici pleno jure ſubeſſe ſynodum Italicam, certiſſimum eſt, & nemo dubitat. 226. 1.
Romanorum Pontificum feſtivitates celebrandæ. 108. 1
Romanum Concilium primum quando celebratum? 1. 2. Qui nam interfuerint? Ibid. Acta perierunt aut latent. Ibidem. Quamdiu duraverit? 38. 2
Romanum Concilium ſecundum quando celebratum? 39. 1. Quinam interfuerint? Varii in eo puniti. ibid.
Romanum Concilium tertium quando celebratum? 49. 1. Quinam interfuerint? Ibid. Henricum Regem excommunicat. ibid. 2
Romanum Concilium quartum quando celebratum? 50. 1. Quinam interfuerint? Ibid. 2. Edidit varia de perſonis judicia. ibid.
Romanum Concilium quintum quando celebratum? 64. 1. Edidit plures Canones quorum ſoli tituli ſuperſunt. 108. 1
Romanum Concilium ſextum quando congerit, & in quem finem congregatum? 147. 1. Solemnes preces in eo non fruſtra inſtitutæ. ibid.
Romanum Concilium ſeptimum quando celebratum? qui interfuerint? 212. 1
Romanum Concilium octavum ſub Gregorio VII. quando celebratum, & quam ob cauſam? 327. 1
Romanum Concilium octavum Guilielmum damnat. ibid.
Romanum Concilium nonum quando celebratum? 331. 1. Quinam interfuerint? Ibidem. 333. 1. Ubi celebratum? 338. 1.
Romanum Concilium decimum & undecimum quando & quam ob cauſam celebratum? 334. 1. 338. 1. Celebratum utrumque in Arce S. Angeli. 338. 1
Romanus Clerus vacante Sede quorumvis Epiſcoporum appellationes audit, ac finit. 272. 2. In omnem Chriſtianitatem ſe extendit. ibid.
Romanus Pontifex an incurrat ſupremæ ſuæ Majeſtatis ſpolium ſi Epiſcopo in thus, aut libellum lapſo reparationem donare attentaverit? 110. 2
Romanus Pontifex à nemine poteſt judicari. 316. 1.
Romanus Pontifex an poſſit ex alio Epiſcopatu per translationem eligi? 326. 1. 2
Romanus Pontifex an poſſit omnibus ſub cœlo Eccleſiis conſecrare, aut conſecrandos jubere Epiſcopos? 362. 1. Argumenta à parte negante proponuntur. Ibidem & ſeqq. Affirmans ſententia probatur ex Sancto Cypriano. 366. 1. Item ex facto Euſebii & Luciferi apud S. Hieronymum. Ibid. 2. Item ex facto Agapeti Mennam Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinantis. 367. 1. Item ex Actis S. Martini Papæ & Martyris. 369. 1. & ſeqq.
Romanus Pontifex cunctis, dum admittunt Evangelium, remotis gentibus primum Epiſcopum conſecrare conſuevit. 387. 2
Romanus Pontifex in degradatorum à ſe Epiſcoporum thronos poteſt alios Antiſtites imponere. 329. 1
Romanus Pontifex non utitur paſtorali pedo. 232. 2.
Romanus Pontifex omnium Patriarcharum conſecrationem confirmare debet. Ergo poteſt & ipſos conſecrare. 369. 1
Romanus Pontifex oſtenditur eadem poteſtate fuiſſe uſus in Diœceſi Gallicana. 378. 1
Romanus Pontifex oſtenditur eamdem poteſtatem habere in aliis ſuis Diœceſibus. 385. 1. In Anglia. Ibid: Eadem Romani Pontificis poteſtas demonſtratur ex Actis S. Martini Papæ & Martyris. 369. 1. & ſeqq.
Romanus Pontifex oſtenditur eamdem poteſtatem habuiſſe in omni Occidentis Patriarchatu, nominatim in Illyriciana Diœceſi. 373. 2. & ſeqq.
Romanus Pontifex per ſolos Hoſtienſem, Portuenſem, & Albanenſem Epiſcopum poteſt conſecrari. 313. 2. & ſeqq.

Ro-

Romanus Pontifex poteſt in degradatorum à ſe Epiſcoporum thronos alios Antiſtites imponere. 329. 2
Romanus Pontifex poteſt ordinationes in Provinciis longè diſſitis celebrare. 387. 1
Romanus Pontifex quo ſenſu ſuccedat Petro & Paulo? 229. 1
Romanus Pontifex Romæ in Vaticana ad ipſum S. Petrum conſecrandus. 315. 1
Romanus populus ardenti in Chriſtianam regulam zelo ſemper viguit. 110. 1
Romanus Epiſcopus omnium ſub cœlo Eccleſiarum ac Synodorum judicia, appellationes, conſultationes, & quaſvis graviores cauſas diſcutere, probare, improbare debet, ideoque ampliſſima eget Synodo. 224. 2
Romanum officium à Gallicano olim diverſum. 25. 1. Non tamen ab initio. Ibidem. Quo tempore Gallicanum plenè redierit ad Romanum? 25. 2
Romanum Pontificem inveſtire primus tentavit Fredericus Imperator. 233. 1
Romanum Pontificem nominandi jus an competat Imperatori? 316. 1. & ſeqq.
Rudolphus Imperator vincitur, in dextera læſus. 329. 1. Occiditur. 328. 2
Rudolphus Sueviæ Dux in locum Henrici Regis ſufficitur. 50. 2. Gregorii VII. auctoritate fuit confirmatus. 52. 1. Iterum Imperialem coronam à Gregorio VII. accipit. 328. 2. In dextera læſus moritur. 229. 1
Rupertus tamquam hæreticus diffamatus, quòd dixiſſet Auguſtinum non eſſe in Canone. 150. 1.

S.

SAbbatum Judæis idem quod hebdomada. 86. 2. &c.
Sacerdotis nomine nonnunquam intelligitur Epiſcopus. 245. 2
Sacramenta data, vel accepta à Simoniacis, dempto ſolo Baptiſmo, multi cenſuerunt ſubſtantialiter irrita ac nulla. 73. 1
Sacramenta veteris, & novæ legis habent idem generale ſignificatum, ſcilicet Chriſtum. 166. 1.
Sacramentalis effectus tres cauſæ: Ipſius Sacramenti opus operatum, Juſtificandi fides, & univerſa Sanctorum Communio. 296. 2. Non ſola militans, ſed etiam triumphans Communio concurrit. 284 2
Sacramenta cauſare gratiam ex opere operato, nunquam dubitatum eſt. 73. 2. 181. 2
Sacramenta per ſchiſmaticos Miniſtros collata (excepto Baptiſmo) an ſint valida? 347. 2. Negat Hirgauzienſis Monaſterii incognitus Monachus. Ibid. Multi Catholici aſſerebant valere ex libro gratiſſimo S. P. Damiani. Plures tamen cenſebant irrita & nulla. ibid.
In Sacramentis neceſſitatis nullum habet locum ſententia probabilis, niſi in extremo neceſſitatis articulo. 45. 2
Sacramentorum formæ olim occultatæ. 173. 1
Sacramentum informe à Donatiſtis non agnoſcitur. 75. 1
Sacrificii noſtri quatuor partes ab Auguſtino enumerantur. 247. 2
In Sacrificio noſtro offertur totus Chriſtus cum ſuo corpore. 169. 2
Sacrificio præſentes omnes communicaſſe docet Abbas Guido, ſed labitur. 248. 1
Sacrificium noſtrum pro quibus offerri poſſit? 102. 1.
Salonitani Archiepiſcopi conſecratio ex Apoſtolico Canone ſpectat ad Romanum Pontificem. 377. 1. Conſecrationis cauſa cur debeat Romam accedere? ibid. 2
Sanguinis Chriſti an aliquid in terris remanſerit? 179. 2. Acres inde contentiones de immediata ſanguinis Dominici ad Verbum unione per Pium II. compoſitæ. ibid.
Sanguis miraculosè ex imagine Crucifixi in civitate Beryto profluens. ibid.
Sardiniam, & Siciliam Romanæ Eccleſiæ donavit Ludovicus Pius Imperator. 19. 1
Satisfacere pro alterius peccato purus homo, præſertim peccator, non poteſt. 269. 1. Solus Chriſtus id poteſt. 269. 2
Satisfactio pro qualitate criminum imponenda. 75. 2.
Satisfactio olim abſolutioni præmiſſa. 115. 1. Non tamen de omnibus peccatis. 264. 1
Satisfactio, juxta Cyprianum, etiam in minoribus peccatis abſolutioni præmittenda. 275. 1. 2.
Satisfactio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ. 275. 2. Per Sancti Petri claves applicata cauſat ex opere operato. 297. 1. Non tantùm delet pœnam, ſed & culpam. 298. 1. Eſt ſolvendorum peccatorum pretium. 297. 2
Satisfactio tantùm de congruo poteſt aliis impetrare. 270. 1. De condigno pro aliis ſatisfacere ſolus Chriſtus potuit. 299. 1. Satisfacere de congruo poſſunt Sancti. 299. 2
Satisfactionem pœnitentialem malè quidam putant non potuiſſe taxari ſine ſynodo, quamvis ſynodi Reſcriptum in caſibus difficilibus, ac dubiis exſpectaret Epiſcopus. 300. 1. 2.
Satisfactionis antiquæ quatuor partes, *Fletus*, *Auditio*, *Subſtratio*, & *Conſiſtentia*. 286. 2
Satisfactionis eſt ſpecies, peſtilentialis morbi tormenta patienter acceptare. 302. 2
Satisfactionis neceſſitas pro remiſſione peccatorum ab ipſis gentilibus agnita. 277. 1
Vide *Indulgentia*.
Schiſma inter Benedictum IX. Sylveſtrum III. & Gregorium VI. 231. 2. & ſeq.
Schiſmaticus Anti Papa fuit Felix II. 237. 2. Deinde Urſicinus. ibid.
Scholæ literariæ olim in Clericorum, aut Sancti Benedicti Monaſteriis poſitæ. 119. 1. Scholæ literariæ reparandæ ab Epiſcopo: 118. 2. 119. 1.
Sedes Apoſtolica, poſſitne maculari participatione cum excommunicatis? 61. 1
Serici textura per quos in Latinas Provincias è Græcia traducta. 19. 1
Siciliæ Regni origo. 138. 1. 2. Siciliæ inſulam

lam Romanæ Eccleſiæ dedit Imp. Ludovicus Pius. 139. 1. Rogerio à ſancta Sede in feudum conceſſa. 139. 2. Cum ſancta Sede non ſatis pacifica. 140. 1.
Sigefridus Archiepiſcopus Moguntinus à Gregorio VII. excommunicatur. 78. 2. Ad meliorem mentem reductus Rudolphum Sueviæ Ducem in locum Henrici Regis ungit, & coronat. 50. 2.
Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, quando vixerit? 22. 1. Ejus de inveſtitura laica ſententia. ibid.
Simeon Patriarcha Conſtantinopolitanus primus aurum pro Patriarchatu Turcæ obtulit. 5. 2. Ab ipſo Mahomete in hoc deriſus. ibid. Patriarchatu exuitur, & poſtea ſimoniacè reſtituitur. 6. 1.
Simon Magus juxta Irenæum, non divina Spiritus Sancti chariſmata, ſed ſua potentiorem magiam emere voluit. 194. 2.
Simonia in collatione ordinum, ac promotione ad beneficia Eccleſiaſtica damnatur. 2. 1. & ſeqq.
Simonia eſt, non tantum officium, ſed & beneficium Eccleſiaſticum vendere. 2. 1. Qui alterum emit, neutrum ineptum relinquit. ibid. Simonia an committatur, ſi ad communes reipublicæ neceſſitates, aut pias Eccleſiæ cauſas ab ordinandis aliquid exigatur? 2. 2.
Simonia eſt, Chriſtiano Principi, aliter Antiſtitem nominare, aut Electum confirmare nolenti, exactum pretium ſolvere, niſi excuſet extrema neceſſitas. 9. 2. 10. 1. 2.
Simonia non committitur, ſi Turcis exactum pro Patriarchatu pretium ſolvatur. 8. 2.
Simonia eſt ab hæreticis beneficia mercari. 9. 2.
Simonia eſt etiam poſt promotionem exactum pretium ſolvere. 10. 1. Non eſt tamen, ſi quid ſolvatur ad redimendam vexam. 10. 2.
Simonia Catholicorum ab ipſis Turcis exploſa. 5. 1. 2.
Simonia Regum Francorum. 4. 1.
Simonia eſt Eccleſias vendere, aut pro manus impoſitione pretium accipere. 9. 2.
Simonia eſt eligi, vel promoveri propter munus à manu, ab obſequio, & à lingua? 72. 1. Quid munus à lingua? ibid. Quid munus ab obſequio? ibid.
Simonia non eſt, ſi pauper Clericus pro ſe beneficium Eccleſiaſticum petat ſine cura animarum. ibid.
Simonia non eſt ſine implicito pacto. 72. 2.
Simonia an ſit Decimas vendere. 94. 2.
Simonia an ſit ante ſacrum miniſterium res ſuas repetere? 365. 1.
Simoniaci an præter Baptiſmum validè conficiant aliquod Sacramentum? 284. 1. Item an validè ordinentur? 72. 2.
Simoniaci plurimi puniti. 44. 1.
Simoniaci Miſſam non licet audire, nec ab eo Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ Sacramenta accipere. 14. 2. 73. 1. An ſaltem in articulo mortis? 14. 2.
Stationarius ſchypus, quid? 30. 2.
Stationes Chriſtianorum, quàm antiquæ? 30. 1. Nunquam ſine ſacrificio. 30. 2. Nocturnæ à Gregorio M. inductæ. ibid. Varia ſignificatio vocis *Statio*. 31. 2. Statio erat Feria 4. & 6. Protractum jejunium uſque ad horam nonam, & tunc ſubſecutum ſolemne in Eccleſia ſacrificium 32. 2. Non fuit ſolum jejunium. 33. 1. Statio ſubinde per Synecdochen pro ſolo jejunio uſurpata. 33. 2.
Stephani VI. de Theutboldi ordinatione judicium diſcutitur. 363. 2.
Stephani Dorenſis (non Dorilenſis) Epiſcopi à S. Sophronio Legatio. 370. 2.
S. Stephanus Auxentiani in Bithynia Monaſterii Præfectus ſcribit adverſus Iconoclaſtas. 201. 1. Ejus liber quantæ ſit authoritatis? 202. 1. Laudatur à Florentina Synodo. ibid.
Sternutantibus cur bene precemur, & quæ iſtius moris origo? 243. 2.
Stola idem quod orarium. 197. 1. Duplicem ſtolam geſtare prohibentur Diaconi. ibid. Græci utuntur ſtola linea. ibid. Olim etiam Latini. ibid.
Stycharium, idem eſt quod ſacra Tunicella. 197. 2.
Subdiaconi officium apud Græcos non eſt tantæ dignitatis, quantæ apud Latinos. 353. 1. Subdiaconis in Laodicenſi vetitum ſacra vaſa contingere. ibid. Subdiaconis apud Latinos ſemper licuit ſacra vaſa tangere; verùm vacua à Dominico Corpore & Sanguine. ibid. Subdiaconi Hiſpaniarum uſi fuerunt ſtola, ſed contra morem cæterarum Eccleſiarum. 197. 1. Etiam Tunicella contra veterem Eccleſiæ Latinæ morem. ibid.
Sutrinæ Synodi contra Gregorium VI. judicium exſufflavit Gregorius VII. 235. 1.
Svvigderus Bambergenſis Epiſcopus electus in Papam, & appellatus Clemens II. 232. 2.
Synodus à Clero Romano vacante Sede tempopore Cypriani congregata. 272. 1. In ea proviſionaliter decretum, ut lapſi ſani conſtitutionem novi Epiſcopi exſpectarent. Lapſis autem in extremo vitæ periculo ſollicitè ſubvenitur. ibid.
Vide *Concilium*.
Syracuſæ in Metropolim Siciliæ à Græcis erectæ. 225. 1. Ab Innocentio II. & Eugenio III. poſtea probatur, ſalvis ſuæ Cathedræ Apoſtolicis juribus. ibid.
Syrmienſe Symbolum, poſſitne in commodum ſenſum trahi? 108. 2.

T

Templarii Chriſtianis Principibus gratiſſimi, ex pauperrimis ſubitò evaſerunt opulentiſſimi. 94. 1. Erant Regibus ditiores. ibid.
Templariorum olim fuerunt ſeptem millia conventuum. 94. 1.
Tertulliani adversùs veritatem Euchariſtiæ loca objecta. 156. 2.
Tertulliani de Euchariſtia fides orthodoxa. 159. 1.

Tertulliani objecta loca explicantur fuſè. 160. 1. & ſeq.
Tertulliani quot pœnè verba, tot ſententiæ ſunt: Quot ſenſus, tot victoriæ. 160. 2.
Tertulliani adversùs uſum indulgentiarum criminatio. 264. 1. 265. 1. 266. 1. 2.
Tertulliani adverſus Marcionem verſus ab eruditis viris cenſentur ſpurii. 159. 2.
Tertulliano repræſentare idem eſt quod præſens exhibere. 159. 1.
Tertullianus calumniatur dicens ad quaſvis martyrum litteras Lapſis datam pacem. 271. 1.
Tertullianus contendit à peccatoribus peccata remitti non poſſe. 267. 2.
Tertullianus diſciplinam de abſolutione Sacramentali tribus criminibus denegata malè putat eſſe Evangelicam & divinam. 268. 2. Ejus hac in parte excœcatio; vel ſplendidum mendacium. ibid.
Tertullianus de duobus Eccleſiam accuſat. 268. 2.
Tertullianus primus indulgentiarum impugnator. 262. 1. Ejus textus de hac materia accuratè expenditur. 263. 1. & ſeq.
Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi de Euchariſtia ſententia. 189. 1. An docuerit impanationem. 192. 1. 2.
Theodoricus Verdunenſis Epiſcopus, Monachos S. Michaelis cogens ad ſtationem, condemnatur à Gregorio VII. 35. 1.
Theoduinus Leodienſis Epiſcopus in extremis agens à Simonia abſolvitur. 45. 2.
Theophilacti de Euchariſtia fides orthodoxa. 202. 2.
Theophilactus vixit ſub Pontificatu Gregorii VII. 202. 2. Non fuit averſus à Latinis, nec ab ineunda cum illis concordia. Ibid. Non vixit ſub Photii, ſed ſub Michaelis Cerularii ſchiſmate. ibid.
Theſſalonicenſis Epiſcopus an olim ſpectaverit ad conſecrationem Romanam? 378. 1.
Theſſalonicenſis Epiſcopus Romani Pontificis dumtaxat Patriarchalis Vicarius. 384. 1.
S. Thomæ Aquinatis in Eccleſiam beneficium. 3. 1. 58. 2. 284. 1. 2.
Thomas Argentinenſis eligitur in Generalem FF. Auguſtinenſium. 307. 2. In ejus electione plenas in Jubilæi formam Indulgentias donavit Clemens VI. ibid.
Tornacenſis Epiſcopi lis cum Ultrajectenſi Epiſcopo, & cur? 46. 2.
Tranſactionum inter Eccleſiaſticos modernæ quiſquiliæ. 35. 2.
Transſubſtantiatio vox eſt antiqua. 211. 2. Errant qui exiſtimant vocem eſſe inductam ab Alexandro tertio. Ibid.
Trophimus Epiſcopus poſt lapſum ad communionem laicam admittitur. 295. 1.
S. Trophimus primus Arelatenſium Epiſcopus. 378. 2. In Galliam miſſus à S. Petro. ibid. Non fuit Metropolitanus. 379. 1. Nec accepit à S. Petro generale privilegium Epiſcopalium conſecrationum. ibid.
S. Trudonis Abbatia quondam dependens à Metenſi Epiſcopatu. 339. 2

V

Valentinus Abbas, ſub quo fuit famoſa de Auguſtini circa gratiam dogmate diſputatio, Hiſpanus fuit, aut Italus; non Afer. 131. 1.
Vaſa ſacra non ſunt in pignus danda negotiatori, vel tabernario. 125. 1. 2. Debent confringi, priuſquam ab Eccleſia diſtrahantur. 125. 1. Excipe tamen, ſi alteri Eccleſiæ vendantur. 126. 2. Vendi etiam poſſunt propter certam ipſius Eccleſiæ utilitatem. 126. 1. Quod ipſum ſacri belli cauſa quandoque factum. ibid.
Vaſorum Eccleſiaſticorum conſecratio antiquiſſima. 125. 2.
Venericus peſſimus Henriciani ſchiſmatis Fautor. 340. 1.
Venialia peccata Auguſtino dicuntur illa, quibus publicæ pœnitentiæ vindictam non imponit Eccleſia. 83. 2.
Viſitator Epiſcopus vacantem Epiſcopalem Cathedram olim regebat. 216. 1. & ſeq. Quandoque vocatur Interventor, Interceſſor. ibid. Item viduatæ Eccleſiæ Conſolator, Commendator. 216. 2. Non poterat Cathedram vacantem retinere. 216. 1. 223. 1. Non debuit neceſſario eſſe Epiſcopus, ſed potuit eſſe Presbyter apud Afros; quibus mos ille videtur fuiſſe ſingularis. 217. 1. In Anglia ſolebat eſſe Epiſcopus. 218. 1. Item in Gallia. 218. 2. Nonnumquam tamen Chor-Epiſcopi ad hoc munus deputari. 219. 1. Viſitator Epiſcopus in ſolos Pontificalis ordinis actus habebat vicariam authoritatem; nullam in facultates Eccleſię, aut alias ejus functiones. 220. 1. Non potuit in Eccleſia ſibi commendata Clericos ordinare. ib. Nonnumquam tamen id conceſſum. Ibid. Sui laboris habuit taxatum ſtipendium. 223. 1. Dari ſolitus etiam Epiſcopali Sede non vacante tribus caſibus. 1. Epiſcopo ab officio ſuſpenſo. 2. Quando per ſynodum degradatus Romam appellat. 3. Quando Epiſcopi longa id requirit infirmitas. 225. 2.
Viſitatores à Metropolitana ſede dirigendos eſſe antiqua eſt regula. 224. 1. Excipe tamen Viſitatores natos. Ibid. Viſitatores nati Romanæ Eccleſiæ ſeptem Cardinales Epiſcopi. 226. 1. Non conſtat, an hæc Cardinalium Epiſcoporum poteſtas ſit adeò antiqua. ibid. 2. Viſitatores deſierunt ad Regiæ nominationis ingreſſum. ibid.
Viſitatoris ordinaria poteſtas, primò ſepelire defunctum Epiſcopum. Secundò Eccleſiaſticacum rerum Inventarium conficere. Tertiò dare œconomos, ſeu cuſtodes rerum in Inventario deſcriptarum. Quartò Eccleſiam viduatam viſitare. Quintò electioni novi Epiſcopi ſuperintendere, ne quis contra Canones eligatur, &c. 220. 2. Viſitatoris deſignatio ſupra quaſdam Metropoles ſanctæ Sedi reſervata. 225. 1.
Viſitatori cujus auctoritas fuerit neceſſaria ad ordinandos Clericos? 220. 2.
Ultrajectenſe conciliabulum. 312. 1.
Ultrajectenſis Epiſcopi lis cum Tornacenſi Epiſcopo:

ſcopo: Et cur? 46. 2.
Urbani II. de S. Ivonis ordinatione cauſa diſcutitur. 364. 2.
Urbanus II. dicitur primus author inſigniendi Bullas utroque capite Apoſtolorum. 231. 2. A Wecilone ſchiſmatico collatos Ordines exſufflavit, & Daimbertum Diaconum ab eo ordinatum reordinavit. 346. 1.

W

WAlbodus Leodienſis Epiſcopus omnes ſuæ civitatis Eccleſias quotannis ſemel convenire juſſit ad Cathedralem Baſilicam. 35. 1.
Waldenſes reprobant Indulgentias. 284. 1. Eorum varia fundamenta. ibid.
Walerami Naumburgenſis Epiſcopi lapſus de impanatione. 174. 2. A Wicleffo plurimùm laudatur. Ibid
Walteri de Sufeild de Chriſti in terris ſuperſtite ſanguine doctrina. 179. 2.
Wazo Leodienſis Epiſcopus Gregorium VI. Henrico III. Imperatori pro reparatione ſui gradus commendat. 236. 2.
Wazonis non eſt modica authoritas. Ibid.
Wecilo Magdeburgenſis vir inſigniter Catholicus. 347. 1.
Wecilonis Moguntini in Eccleſiaſticas cenſuras irreverentia eſt hæreſis. 348. 2.
Wecilo ſchiſmaticus Moguntinus Epiſcopus, Moguntinum Conciliabulum regebat. 339. 1. Ab eo datos ordines Urbanus II. exſufflavit, & Daimbertum ab illo ordinatum Diaconum reordinavit, 343. 1. 346. 1.
Wicleffi error de Indulgentiis. 285. 2. Vult eas à ſolo Deo petendas. Ibid.
Wigolti Auguſtenſis Epiſcopi iniqua ordinatio, & deprædatio. 392. 1.
Welpho Dux quondam Bavariæ, inviſus Schiſmaticis. ibid.
Wormatienſe Concilium, ſeu Latrocinium ab Henrico Rege convocatum. 47. 1. Gregorium VII. deponit. 48. 1. Clericis permittit conjugia. 49. 2.

X

XErophagia quid olim fuerit? 32. 2. 87. 1.

Z

ZEphyrinus Pontifex Mæchiæ conceſſit pacem Eccleſiæ, anteà non datam. 271. 2.

FINIS INDICIS.

BINDING SECT. FEB 21 1969

BX
890
L86
1724
t.6

Lupus, Christianus
Opera Omnia

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY